THEOLOGIA BELLICA,

Omnes ferè difficultates ad Militiam tùm Terrestrem tùm Maritimam pertinentes complectens; atque Canonicè, Juridicè, Moraliter, nec non Historicè dilucidans;

IN OCTO LIBROS DISTRIBUTA.

Quorum quatuor in hoc primo Tomo: Reliqui verò in secundo continentur.

O P U S

Non tàm Bellatoribus, sive Reges, & Principes sint, sive Officiales, & Milites privati; quàm Pacificis, tùm Confessariis, tùm Pœnitentibus; U. J. Peritis quoque, præsertim Forum Ecclesiasticum Profitentibus, in utroque Judicio, interno scilicet, & externo, perutile: Utpotè variis, novis, & propemodùm innumeris, in quâvis materiâ difficultatibus, in praxi frequentissimis, & quotidianis, clarè, & succinctè resolutis, ornatum.

Cum Mantissa ad Primum, Tertium, & Quartum Librum: & Fragmentis, hoc est Constitutionibus Apostolicis, Decretis Sac. Congregationum, Decisionibus Sacræ Romanæ Rotæ, Eruditionibus vetustis, & modernis, aliisque scitu dignis: Et triplici Indice, nempè Difficultatum, variarum Propositionum damnatarum, quæ refelluntur, & Verborum.

AUTTORE

P.D. Antonio Thoma Schiara Astensi, Cler. Reg. Sacræ Theologiæ & Jurium Professore, Sacræ Indicis Congregationis Consultore, & Sanctæ Romanæ, ac Universalis Inquisitionis Qualificatore.

TOMUS ALTER.

Post Editionem Romanam, Prima in Germania.

Cum Gratiâ & Privilegio Sacræ Cæsareæ Majestatis, & Facultate Superiorum.



AUGUSTÆ Vindel. & DILINGÆ, Apud JOANNEM CASPARUM BENCARD.

Anno M. DCCVII.

CLEMENTI
UNDECIMO

Patriâ Urbinati,
Orbis Patri;
Ad Regis Pacifici vices in terris gerrendas,
Debacchante Bellonâ,
Accito,
Jura Pacis propugnaturo;
Rerum experientiâ Eximio,
Moribus Optimo,
Non tàm Dignitate, quàm Virtutibus Maximo;
Christianæ Reipublicæ Ornamento,
Publicæ Quietis Assertori,
Culmini Pietatis,
Religionis Columini;
Gloriæ nostri Ævi, futuri Exemplo,
Pontificum Specimini;
Singulari cœlitùs benignitate donato;
Omnium sibi amoris vinculo corda devincienti;
Non sibi, sed aliis viventi;
Feliciter Regnanti,
Et sanctissimè,
Æternum consequuturo Regnum;

Ad Sacros Pedes procumbens, Tomum alterum Theologiæ Bellicæ,
Servitutis suæ pluries devinctæ Monumentum, estò exiguum,
Venerabundus offert, consecratquè
D. Antonius Thomas Schiara Astensis C. R.

LEGERE VOLENTI.

STEMMA,
Quo primus Theologiæ Bellicæ exornatur aspectûs,
Legere hoc Opus volens, prius inspice:
Pontificis est, atque Pontificatus.
Curru triumphali, ducto Leonibus, Ratione ductis,
Vectam vides CLEMENTIAM;
Siquidem,
Seipsum, sibi hostem, triumphans,
Pontificatum subeundo.
CLEMENTIS nomen sibi imposuit Pontifex;
Volens hoc nomine,
Quo aliis nihil dulcius,
Sibi tamen amarissimo,
Dulcissimum portendere Populis subjectionis jugum,
Ne stupeas:
Vicarius est Christi,
Cujus jugum leve, & onus suave; (a)
Quique dulciter imperavit;
Quia mel & lac sub lingua ejus, (b)
Quamvis fellis amaritudini obnoxius.
Sedere cernis CLEMENTIAM;
Quod quiescentis est;
Orbi quietem,
Armorum confusione turbato.
Certò allaturam.
Subdo,
Sedere pariter esse imperantis:
Unde CLEMENTIA sedet;
Ut Reges admoneantur, & Principes,
Acerbè ad invicem diu belligerantes
Ad CLEMENTIS Nominis imperium,
In tanti obsequium Nominis tandem mitescere.
Intueris hic suum CLEMENTIAM explicare Vexillum,
Quod Martis est signum:
Ergò martialis apparet CLEMENS?
Absit.
Non enim potest Marti assentari,
Regem pacificum,
Cujus vices approbè gerit,
Semper affectans;
Rogat propterea ea, quæ pacis sunt. (c)
Scias quoque,
Pacificum addecere CLEMENTIAM ostentare Vexillum;
Ut pateat,
Fas esse Pontifici, esto Clementissimo,
Pacem præcipere Volenti bellum;
Imò bellum indicere Nolenti Pacem.

Cur-

(a) *S. Matth. Cap. 11. n. 30.* (b) *Cant. Cap. 4. n. 11.* (c) *S. Luc. Cap. 14. n. 32.*

Currus
Quo vehitur CLEMENTIA,
Est triumphalis;
Clarissimè ostendens,
Scire absque bello Pontificem vincere;
Posseque tot inter Arma suos habere triumphos Pontificatum.
Triumphalem CLEMENTIÆ bigam ducunt Leones,
Non Equi;
Cum nequeat absque fortitudine CLEMENTIA triumphare:
Ex quo roboratur (a) CLEMENTIA Thronus ejus,
Super Arma bellica, ubique strata, permeat Currus;
Ut magnificentius trahatur ad triumphum,
Tantis & tot obstaculis minimè præpeditus.
Unus solummodò præfigitur Principum CLEMENTIÆ Leo;
Unus verò & alter nostri Pontificis CLEMENTIÆ:
Haud mirum.
Geminam Habenti jurisdictionem,
Ecce duo Gladii hic, (b)
Spiritualem scilicet, & temporalem,
Fortitudo æquè congruit geminata:
Idcircò diuturnis, & arduis temporum contrarietatibus
Tàm fortiter, suaviter tamen noster obsistit CLEMENS,
Jure optimo Undecimus:
In numero siquidem undenario
Qualis sit referatur.
Fallor.
Numerus quippe undenarius inopiâ antiquitus notabatur;
Penum verò, sive rerum omnium affluentiam,
Aliàs bellis Italiæ impetitam,
Abusque primo sui Pontificatus tempore,
In Urbe, & extra perennari notat Orbis:
Fallor, inquam, nisi dicam,
Fieri bonorum omen, quod malorum olim erat præsagium,
Ut inspectemus,
Non deesse Pontificis Nomini admirationem,
Quam ejus Gesta,
Omnia admiranda,
Portendunt;
Ita fanè.
Maximè enim accedere ad Libram Solem,
Quando undecimum tangit Zodiaci signum,
Unanimiter testantur Astrorum Observatores.
Quis nesciat,
Proprium Regnantum Insigne,
Ab Astræa mutuatum,
Libram esse?
Et ad Libram summè accedere CLEMENTEM UNDECIMUM,
Lucidissimum Cœli Ecclesiastici Solem,
Dùm æquè omnibus præbetur Pater;
Cœlestem Dominatorem semper inspiciens;

Apud

(a) *Pro. Cap. 20. v. 28.* (b) *S. Luc. Cap. 22. v. 38.*

Apud quem non est acceptio personarum; (a)
Dumque omnia ponderat;
Nihil unquam decernens minimè præponderatum.
Censendum est igitur,
Non absque æternæ Sapientiæ Consilio,
Pontificem nostrum CLEMENTEM UNDECIMUM nuncupari;
Quo possit videlicet quisque intelligere,
Egregias omnium CLEMENTUM Dotes in Uno coruscare.
MONTES quoque,
STEMMATIS PONTIFICII Pars,
Hic tibi objiciuntur.
Tres sunt;
Quia omne trinum perfectum,
Altissimi sunt;
Omnibus hosce inspecturis,
Virtutum Pontificis Firmitatem insimul, ac Sublimitatem
Bellè exprimentes.
Agrestes sunt,
Sive naturales,
Cuique demonstrantes,
In extruenda eorum summitate,
Pontificiâ nempe Dignitate,
Nihil artis penitus interfuisse;
Sed totum Superni Moderatoris Operæ ascicendum,
In eis statuto tempore glorificandi.
Concinamus ergò unâ cum Cœlitibus,
Gloria in altissimis Deo; (b)
Et omnes abire in Montana festinemus. (c)
Quid sunt Montes?
Constantiæ Symbola, respondet quispiam,
Et quidem rectè;
Hos videns MONTES
Nec flecti posse prosperis, nec frangi sinistris.
Petra, omni semotâ figurâ, dicam ego.
CLEMENS habet Petram?
Veri utique Petri Successor,
Cui Christus:
Et super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, (d)
Omnes igitur conspicient Ecclesiam fulgere,
Super MONTES ædificatam;
Lacrymabilem Infidelium cæcitatem,
Sapientia, ac Sanctitate illuminaturam;
Nec non ostensuram,
De hiscè tribus MONTIBUS,
Super septem Romanos Colles mirificè elevatis,
Adamussim adimpleri,
Quod in ardenti Camino,
Nolens Infidelibus assentire,
Ille innocentiæ protulit Triumviratus:

Be-

(a) Rom. Cap. 2. n. 11. (b) S. Luc. Cap. 2. n. 14. (c) S. Luc. Cap. 1. n. 39.
(d) S. Matth. Cap. 16. n. 18.

Benedicite Montes, & Colles Domino (a)
O MONTES!
Ad quorum sublimitatem
Superbiâ Inflati se se humiliabunt,
Et Humiles exaltabuntur. (b)
O MONTES!
Quibus auspicatissimam Regius Vates pacem prænunciavit,
(c) Ab Orbe bellante suscipiendam.
E mari hi surgunt MONTES,
Classiariis, sive militaribus navibus presso,
Petri Navim,
Non raró impetuosis persecutionum procellis agitatam,
Id est Militarem Ecclesiam,
Apprimé expressuri.
Hoscè MONTES cernimus STELLA coronari;
STELLA quidem admirabili,
Quod solos dies indicat, haud noctes;
Albam Mundo præferens.
Undè
Hac STELLA, super MONTES coruscante,
Adhuc experimur,
Tenebrosas vitiorum noctes
In clarissimos Christianarum Virtutum dies commeari;
Et adversus Sisaras perduelles,
Tenebrarum nempè Potestates,
Iterum pugnare STELLAS. (d)
Extra Cœlum STELLA extat,
Ad Cœlestes affectus Terram sublevatura.
Hanc STELLAM sanè duco Crucigenam,
Navim Petri curè inter procellas admirans enavigare:
Crucigena reapse adest,
Dum Pontificatus Crux est Pontifici,
Vices propterea Christi dupliciter exercenti,
Imperantis videlicet, & Crucifixi.
Quare, si Christum quæritis, Christiane victuri,
Hanc STELLAM sequiminor,
Ubi Christus est, & Caput Christianitatis,
Suis splendoribus claré indicantem.
Hac visâ STELLA
Quis impensè non gaudebit
Cum Regibus Orientalibus, (e)
Qui videntes Stellam gavisi sunt gaudio magno valdè,
STELLAM hanc
Ad communem salutem cerrens exoriri,
Ejusque ortu
Fideles morum innocentiâ Albescere?
O STELLA,
Omnibus Benefica,
Nullis infausta, nisi demerentibus beneficium!

Er-

(a) *Dan. Cap. 3. n. 75.* (b) *S. Luc. Cap. 14. n. 11.* (c) *Psal. 71. n. 3.* (d) *Judic. c. 5. n. 20.*
(e) *S. Matth. Cap. 2. n. 10.*

Errantes sileant Astronomi,
Futura abs Stellarum aspectu certò prædicendo:
Veriùs profectò omnes perloquuntur Fideles,
Constanter asserentes,
Ab hujus aspectu STELLÆ,
Perennem in Ecclesiâ prædici felicitatem.
Lætare igitur Orbis,
STELLAM habens secundam:
Cœlestem, aut saltem Cœlum æmulari,
Tui te declarant MONTES Stelliferi.
Hic Davidem triumphanti associari CLEMENTIÆ
Etiam intueris:
Scias,
CLEMENTEM
VIRUM secundùm cor Dei repertum (*a*)
In Dei Corde
Davidis esse Socium.
Quærens David à Deo,
Qui Dominus est exercituum, (*b*)
Bellare edoceri,
Et de throno descendens bellaturus,
Validum mihi præbuit fundamentum,
Theologiam Bellicam excogitandi, Orbique tradendi,
Theologiam, inquam,
Quæ,
Juxta S. Augustinum, (*c*)
Sermo est de Deo,
Rectè bellare docente.
Utinam omnes Reges, & Principes
Exemplo Davidis
A Deo in bello cuperent erudiri.
Quàm bellarent feliciores. (*d*)
Cuilibet igitur Bellatori,
Sivè bellare coacto
Bellandi specimen sit David;
Si cupit à CLEMENTIA,
Curru triumphali super bellica Arma invectâ
Gloriosos mutuare triumphos,
Bellando.

(a) *Act. Cap. 13. n. 22.* (b) *Isa. Cap. 6. n. 3.* (c) *Lib. 8. de Civit. Dei Cap. 1.*
(d) *Ps. 143. n. 1.*

RE-

REVISORUM APPROBATIONES,

FACULTATESQUE SUPERIORUM.

Theologiam Bellicam, octo in Libros distributam, à P. D. A. Thoma Schiara nostræ Congregationis Theologo, elaboratam, Reverendiss. P. Generalis jussu lustravimus. Cùm verò nihil in ea offenderimus Catholicæ Religioni, religiosisvè moribus adversum, quinimò multâ eruditione, multâque Doctrinæ varietate, nèc minori perspicacitate, armatam animadvertimus, in majus præsidium Christianæ Militiæ, vitæque arbitramur fore, si publicâ quoque donetur luce. Datum Romæ, in Ædibus S. Andreæ de Valle 7. Id. Julii 1700.

D. Jo. Andreas Passus, Cl. Reg. S. Theol. Prof.

D. Jo. Paulus Saracenus, Cl. Reg. S. Theol. Prof.



D. PAULUS LEONARDELLUS

CLERICORUM REGULARIUM PRÆPOSITUS GENERALIS.

HOc Opus inscriptum : *Theologia Bellica*, *&c.* à R. P. D. A. Thoma Schiara, nostræ Congregationis Theologo, &, juxtà assertationem Patrum, quibus id commisimus, approbatum, ut Typis mandetur, quoad nos spectat, facultatem concedimus. In quorum fidem, has literas nostrâ manu subscriptas, solito nostro Sigillo firmavimus. Romæ die prima Octobris, Anno 1701.

D. Paulus Leonardellus Præpositus Gen. Cler. Reg.

Loco ✝ Sigilli.

D. Joseph Maria Trincherius Secret.

Pa-

PArendo mandatis Reverendiss. P. F. Paulini Bernardinii, Ord. Prædic. S. A. P. Mag. vidi, & sedulò perlegi Librum, cui Titulus: *Theologia Bellica*, Authore P. D. Antonio Thoma Schiara Astensi; & non tantùm, ut alii dicunt ut plurimùm, summâ cum animi jucunditate, sed etiam maximâ cum perturbatione, propter conceptam admirationem tanti Operis, perlustravi quidquid elaboratissimus, accuratissimus & eruditissimus Author in unum cumulavit, tantâque cum maturitate ad rem scitè composuit, Literatorum, atque Tribunalium delectationi simul, & commoditati, cuncta expletus. Opus tàm utile, in quo non adest, quod non conferat Reipublicæ benè gerendæ, administrandæque, Typis donandum, jure optimo censeo. In quorum fidem, &c. Hac die primâ Decembris 1701.

Jacobus Sardinius J. U. D. Patritius Lucensis,
& Sac. Conf. Aulæ Advocatus.

PUblicâ donetur luce à Litterato Orbe summo cum desiderio expectatus Tomus ordine, non præstantiâ, secundus, sub Titulo: *Theologia Bellica, &c.* Authore P. D. Antonio Thoma Schiara, Astensi, ex Clericis Regularibus, Sac. Theologiæ, & Jurium Professore, Sac. Indicis Congregationis Consultore, Sanctæque Romanæ, & Universalis Inquisitionis Qualificatore; de quo, meæ examini discretionis remisso à Reverendiss. P. Paulino Bernardinio Ordinis Prædicatorum, S. A. P. Magistro, nil diversum habeo, quòd proferam à primi Tomi censura, nisi quòd plura suppeditentur doctrinæ, eruditionisque argumenta, & ob *Mantissam, &c.* in eo insertam, primus ipse sit redditus uberior, & secundior. Non mihi fides adhibeatur, sed quisque id suo investiget judicio: quod namque typis traditur, cujuslibet est de eo pronunciare sententiam, ut enim Symmachus ad Ausonium scripsit (lib. 1. Ep. 31.) *cùm semel à te carmen profectum est, jus omne perdidisti, oratio publicata est, res libera est.* Cum Viris doctis, defæcatique ingenii alloquor, ad quos dumtaxat, spectat aliena scripta probare, testante D. Basilio (Ep. 75.) *Oportet, ut eadem propè sint animi industriâ præditi, & qui aliorum scripta judicaturus est, & qui illa conscripsit.* Hi igitur Opus revolvant, profunda, quæ in eo latent, scrutentur, subtilia demirentur, nec dubito asserturos non solùm, nihil in eo contineri, quod censoriam crisim, plurima, quæ commendationem mereantur, sed & Authorem ad publicam utilitatem excituros, ut ab edendis præclari sui ingenii fœtibus non desistat, illud jure usurpantes, quo Caninium Ruffum alliciebat Plinius (lib. 1. Ep. 3.) *Hoc sit negotium tuum, hic labor, hæc quies, in his vigilia, in his etiam somnus reponatur: effinge aliquid, & excude, quod sit perpetuò tuum.* Ita sentiebam Romæ è Siculo S. Pauli ad Arenulam Collegio, hac die 19. Octobris 1703.

F. Bonaventura Sant'-Elia à Panormo S. T. M. Tertii Ordinis S. Francisci olim Examinator, & in Romana Curia Procurator, nunc Regens Generalis, Sac. Congregationis Indicis Consultor, Sanctæque Romanæ, & Universalis Inquisitionis Qualificator.

COmmissionem obsequenti animo expleturus Reverendissimi Patris Paulini Bernardinii, Sacri Apostolici Palatii Magistri, Tomum alterum perlegi *Theologiæ Bellicæ* à P. D. A. Thoma Schiara Cler. Reg. Sacræ Theologiæ, & Jurium Professore eximio feliciter absolutum: atque iterum recognovi, quàm rectè DEUS exercituum docuerit manus ejus ad prælium, & digitos ejus ad bellum. Auctor siquidem hujus bellici Operis sub tessera militans divinæ Palladis, pro galea accipiens judicium certum, & scutum assumens inexpugnabile, æquitatem, in castra prosiliit; ut cœlestis sapientiæ calamo penetrabiliori omni gladio ancipiti errorum cohortes evinceret, quæ ad extremam etiam animarum perniciem solent in Bellatorum acies irruere. Hinc cum omnia accurata attentione perlustraverim, quæ in tàm bellicoso apparatu ad severiorem Militum disciplinam repræsentantur; in nihilum penitùs contigit offendere, quod potiùs, quàm Censoris judicium Encomiastis panegerim non mereatur. Cuncta etenim ad eum scopum collimare contendunt,

tendunt, ut inter armorum exercitia Religionis cultus servetur integrior: ac inter militares excursus à rectitudinis tramite non declinetur in moribus. Dignum itaque censeo, ut publici Juris efficiatur hoc alterum bellatricis Sapientiæ armamentarium, non ad augendum tantummodò litterarii Orbis ornamentum; verùm etiam, ut iis, qui Castra sequuntur, nulla deficiant instrumenta securitatis; & qui ad Bella procedunt, abjicientes opera tenebrarum, valeant arma lucis induere. Ex nostro Collegio S. Thomæ Aquinatis apud SS. Vincentium, & Anastasium de Urbe die 25. Octobris 1703.


Antonius Franciscus Salutbii, Cler. Reg. Minorum, Lector Jubilatus, & Sacra Congregationis Indicis Consultor.



IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendiss. Patri Magistro Sac. Pal. Apostol.

Dominicus de Zaulis Episc. Verulanus Vicesger.



IMPRIMATUR,

F. Paulinus Bernardinius Sac. Apost. Palat. Mag. Ord. Prædic.



ELEN-

ELENCHUS DIFFICULTATUM,

Quæ in hoc Volumine continentur,

LIBER V.

Difficultates pertinentes ad Arma.

LIBER



LIBER VI.

Difficultates pertinentes ad Loca.

XXXIV. DIF.

LIBER VII.

Difficultates pertinentes ad Naves.

LIBER

LIBER VIII.

Difficultates pertinentes ad Bona.

XXXVII. DIF-

MANTISSA AD LIB. I.

Difficultat. pertinent. ad Reges, & Principes.

MANTISSA AD LIB. III.

Difficultat. pertinent. ad Officiales Exercitus.

III. DIF-

MANTISSA AD LIB. IV.

Difficultat. pertinent. ad Milites privatos.

FRAGMEN-

DIFFICULTATUM.

FRAGMENTA,

Quæ superfuerunt Libro I.

FRAGMENTA,

Quæ superfuerunt Libro II.

FRAGMENTA,

Quæ superfuernnt Libro III.

FRAGMENTA,

Quæ superfuerunt Libro IV.

FRAGMENTA,

Quæ superfuerunt Libro V.

FRAGMENTA,

Quæ superfuerunt Libro VI.

FRAGMENTA,

Quæ superfuerunt Libro VII.

FRAGMENTA,

Quæ superfuerunt Libro VIII.

TABULA.

SERIES

SERIES
OCTO LIBRORUM.

Qui in toto Opere continentur.

LIB. I.

Difficultates pertinentes ad Reges, & Principes.

LIB. II.

Difficultates pertinentes ad Duces Exercituum.

LIB. III.

Difficultates pertinentes ad Officiales.

LIB. IV.

Difficultates pertinentes ad Milites privatos.

LIB. V.

Difficultates pertinentes ad Arma.

LIB. VI.

Difficultates pertinentes ad Loca.

LIB. VII.

Difficultates pertinentes ad Naves.

LIB. VIII.

Difficultates pertinentes ad Bona.



THEOLOGIA BELLICA, LIBER QUINTUS.

Difficultates pertinentes ad Arma.

I. DIFFICULTAS.

An Militibus, inscio Principe, sit Armorum usus permissus.

1. NOtandum primò, Arma dici ab arcendo, ut Varoni placet, & ideò omnia Bellica Instrumenta, quibus Hostes arceri possunt, arma nuncupantur, ut sunt Ocreæ, Caligæ, Loricæ, Thoraces, Balistæ, Enses, Bumbardæ, Sclopi, Pallæ plumbatæ, Mazzæ ferratæ, Pugiones, & similia, quæ universaliter Arma dicuntur, quæque communiter ad invadendum, vel defendendum in bello adhibentur, ut per Text. *in l. Armorum 41. ff. de verb. signif.* & tradit novissimè, post antiquos Scriptores, Illustrissimus, & Reverendissimus D. Dominicus de Zaulis, Episcopus Vetulanus, nunc dignissimus Urbis Vicesgerens, in suis præclaris Observationibus *ad Statuta Faventiæ, tom. 1. rubr. 11. lib. 4. n. 8.* Insidias quoque arma vocati habemus ex Virg.

Et quærere conscius arma.

2. Notandum secundò, omnium primum, qui bellica instrumenta adinvenit, fuisse Muysem, teste Artabano, cujus testimonium Eusebius, *de præpar. Evangel lib. 9.* citat. Teste pariter Josepho *in 2. antiq.* quidquid dicant Plinius *lib. 7.* Herodotus *lib. 4.* & alii, Auctore Diodoro, *lib. 6. cap. 16.* asserentes, primum, cui attribuitur armorum usus, fuisse Martem, qui, fabricatis armis, Milites armavit; quod etiam Virgilius sensisse videtur, dum in principio suæ Æneidos dixit,

At nunc horrentia Martis.
Arma virumque cano.

Propterea Mars belli Dux appellatur.

3. Notandum tertiò, usum armorum apud Romanos fuisse prohibitum Servii Tullii Regis tempore, qui primus Centurias in Civitate constituit, quibus arma, in bello adhibenda, impertavit: deinde interdictum à Pompejo Magno in tertio Consulatu, in tumultu Clodianæ necis, Auctore Plinio *lib. 24. cap. 14.* & postea vetitum expressâ lege à Valentiniano, & Valente Imperatoribus, inscio Principe, *l. unic. Cod. ut armorum usus, lib. 11.* ut notat Cardin. Albanus *in Lucubrat. in Bart. in l. 1. ff. de leg. Jul. de vi publ. num. 3.*

Notandum quartò, à Justiniano, *Constitutione novella 85.* cui titulus; *de armis*, interdictum fuisse sub gravibus pœnis, arma à privatis fabricari; & fabricata vendi, exceptis fabricensibus, hoc est publicis fabris ad id destinatis. 4.

Notandum quintò, armorum usum fuisse interdictum, ut vis arceatur, *l. 1. ff. ad leg. Jul. de vi publ.* ne scilicet homicidiis detur occasio. 5.

Notandum sextò, obiter, Armamentarium, vulgò *Arsenale*, esse locum, in quo reponuntur arma, & instrumenta bellica, & potissimùm navalia; illudque fuisse insigne Athenis, quod Philon fabricavit mille Navium capax, referr Plinius, & fit mentio apud Livium, *de Bello Macedon.* Illud quoque celebre esse sciunt omnes, quod Venetiis extat, ubi stupendæ magnitudinis tormenta, ingentes Triremes, & omnia arma, ad omnem Adversariorum occursum expedita, & polita reperiuntur: unde justè competit inscriptio ibi posita: *Felix Civitas, quæ tempore pacis, de bello cogitat:* satis quoque illustre aliud Galliarum Regum scimus extare Parisiis, in fronte hoc distichon gerens. 6.

Ethna hæc Henrico Vulcania tela ministrat,
Tela giganteos debellatura furores.

His adnotatis, ad difficultatem propositam, an Militibus sit, inscio Principe, armorum usus permissus, negativè videtur respondendum, ut per *d. l. unic. Cod. ut armo. usus, lib. 11.* ubi regulariter omnibus interdicitur, inscio Principe, arma portare: & Tex. loquitur per dictionem universalem negativam, *nulli*, juncto adverbio præciso, & universali, *prorsus*, quod idem significat, 7.

quod omninò: en verba Textus: „ Nulli prorsùs, nobis insciis, atque inconsultis, quorumlibet armorum movendorum copia tribuatur: & per *l. 1. ff. ad leg. Jul. de vi publ.* ubi universaliter prohibetur, ne quis arma domi habeat; & videtur esse primum caput illius legis: quia jus armorum est apud solum Principem, ut in Authen. *de armis*, & notat Menochius *in conf. 302. num 25.* & ideò absque Principis facultate non videtur permissum Militibus arma ferre.

8. Veritas tamen est, armorum usum esse Militibus Principum auctoritate permissum, posseque propterea arma impunè portare; à Plaza *in lib. 1. epito. delict. cap. 8. num. 14. vers. 8.* Afflict. *in cap. 1. §. Si quis rusticus, num. 8. de pace tenen.* Menoch. *de arbitr. lib. 2. cas. 394. numer. 67.* Tiber. Decian. *in tract. criminal. lib. 8. cap. 3.* Paris Puteus, *de re militar. in princ. num. 5. & 4.* & alii plures, tenentes Militibus arma esse permissa. Ità quoque sentire videtur Card. Albanus *loc. cit.*

9. Moveor primò juribus *in l. jubemus*, la prima, *Cod. de Prepos. sacr. cubic.* secundum unum intellectum, ut notat Decian. *loc. citat. & Ang. in l. nec non, §. Quod eis, ff. ex quibus cau. Mai. & l. quacunque, §. Qui à pupillo, ff. de public.* ubi habetur, quòd omnia censentur permissa, quæ non reperiuntur prohibita: nulla autem lex videtur prohibere Militibus arma portare.

10. Moveor secundò rationibus: nam Militibus licet portare id, de quo fuerunt per Principem investiti: fuerunt autem investiti de armis, ut dixit Bald. *in cap. 1, in 4. volum. quid sit investit. in usib. feud. num. 50.* Afflict. & alii. Tùm quia, Militum arma sunt privilegiis decorata: scimus enim non posse pignoris causâ Militibus adimi. Ita censuit Glos. *in l. Nepos Proculo, ff. de verb. signif.* ubi Petr. Rebuff. *de privilegiis Scholarium, privil. 113.* & alii Doctores.

11. Moveor tertiò exemplo, seu praxi, communiter receptâ. Videmus enim tot Milites arma portare, scientibus Magistratibus, & Principibus, nec eis armorum usum prohiberi; aut eis aliquam, ob delationem armorum pœnam imponi.

12. Concludimus igitur, permissum esse Militibus arma portare, dummodò sint veri Milites, id est, qui sint in expeditione; & verè militent, vel fuerint veri Milites, & nunc sint emeriti, ut scribit Tiraq. *in tract. de nobil. cap. 20. num. 68. & 72.*

13. Ad jura in contrarium respondemus: ad primum, quòd illa interpretatio in lege est sumenda, quæ à Sapientibus reprehendi minimè potest; *l. Salvius Ari: ff. de leg. presta.* Cravet. *cons. 5. n. 14.* Quis autem ex sapientibus poterit in Militibus usum armorum reprehendere? & ideò, quamvis lex generaliter loquatur, non videtur se extendere ad Milites.

14. Ad secundum, dicimus, consequenter ad primum, prohiberi arma habere domi omnibus, qui non sunt Milites, vel qui privilegium non habent arma ferendi, & tenendi.

15. Infero primò ex dictis, belli causâ non solùm Militibus, sed cæteris omnibus arma esse concessa, dummodò voluntas Principis non appareat contraria. Hoc etiam adnotavit Bald. Soc. quos citat, & sequitur Menochius, *lib. 2. de arbitr. Jud. cas. 394. num. 68.* & nisi quis hujusmodi armis uteretur ad offendendum; quoniam tunc sub armorum prohibitione continerentur, ut tradit Batt. *in l. Pediculis, §. Nemo, ff. de auro, & argen. lega,* & Card. Alb. *loc. cit.*

Infero secundò, armorum usum concedi etiam 16. iis, qui Bombardis in bello utuntur, qui Bombarderii nuncupantur, quamvis in bello Bombardis tantùm militent; nam etiam hi in rollo, seu in matriculâ Militum sunt descripti.

Infero tertiò, adveniente bello, cogi posse 17. adire Militiam eos, qui tempore pacis contribuendo aut obsequium, aut munus, se scribi faciunt in numero Bombarderiorum eâ intentione, ut possint impunè arma deferre. Ita etiam Tiber. Decian. *in tractat crim. lib. 8. c. 3. sub. num. 39.*

Infero quartò, Equitibus Hierosolymitanis li- 18. cere, sine controversia, arma portare, & movere; cùm armorum propria sit eorum professio: & sic Glos. *in Cap. Duo sunt genera, causa 12. q. 1.* à Plaza, *in epit. delict. lib. 1. cap. 8. n. 11,* Menochius, loc. cit. *num. 70.*

Infero quintò, licitum esse Militibus nostri 19. temporis, qui Equites nuncupantur, ense accito, & calcaribus aureis, & torque aureo insigniti, arma ferre; quamvis vacent litteris, aut negociationibus, aut otio: quia de istis fuerunt investiti. Tenet etiam Tiber. Decian. loc. cit. contrarium sentit Cyn. *in l. in 9. q. Cod. de jur. & fact. ignor.* Bald. *in l. miles: ff. ex quibus causis Mai.* & alii.

Infero sextò, licitam esse armorum gestationem 20. Castellanis, atque iis, qui ad custodiam Arcis, vel Oppidi positi sunt, saltem dum intra castra reperiuntur: Afflict. *in Constit.* incip. *Intentionis. n. 14.* & etiam extra castra, modò duret officium custodiæ, si spectemus jus commune.

Infero septimò, Nobiles posse arma portare: 21. cùm enim Imperator armorum delationem Rusticis prohibeat, jure infrà allegando, hoc privilegium Nobilibus tacitè videtur permittere, & ità tenet Luc. Pen. *in l. 1, col. 1. Cod. ut armor. usus, lib. 11.* Joann. Ray. *in tractat. de nobilit. in 7. quæst.* Prin. *in 3. effectu nobilitatis;* ubi explicant jura in contrarium, aliaque jura in favorem interpretantur. Contrarium tenet Menoch *lib. 2. cent. 4. de arbitr. Jud. cas. 394. n. 28.*

Infero octavò, posse licitè Magistratum arma 22. deferre, præsertim si habeat merum, & mixtum imperium; quia ejus insigne propriè est gladius. Ità etiam per Tex. *in l. Imperium,* ubi omnes, *ff. de jur. omn. jud.* & tradit Luc. de Pen. *in l fin. Cod. de dignit. lib. 12.* & Bald. post Innoc. *in Cap. Olim causa, de restit. spoliat.* quia Magistratus potest aliis dare licentiam portandi arma, ut usus docet, à fortiori & ipse potest portare.

Infero nonò, Episcopum, qui habet jurisdicti- 23. onem temporalem, posse arma portare. Tenet etiam Abb. *in Cap. Significasti, de offic. deleg.* Afflict. *in cap. 1. §. Si Rusticus, n. 7. de pace tenen.* & etiam Bald. *in l. 3. §. ult. de offic. Præfect. vigil.*

Infero decimò, quòd Feudorum Domini 24. possunt subditos coërcere, ne arma habeant, vel deferant; quia ab armorum delatione arguitur

malus

malus animus gerentis, ut docent Bart. *in l. 1. ff. ad leg. jul. de vi public.* Alex. *conf. 103. col. 3. lib. 1.* Cœpol. *conf. 2.*

25. Infero undecimò, armorum usum esse Rusticis interdictum; *cap. 1 §. Si quis rusticus, de pace tenen. in usib. Feud.* Tenet quoque cum communi Menoch. *lib. 2. conf. 4. de arbitr. jud. cas. 394. num. 28.*

26. Infero duodecimò, non licere Clericis arma portare. Ita etiam per Tex. *in Cap. Clerici, de vit. & honest. Cleric.* cum Clericorum arma debeant esse preces, & lacrymæ: *Cap. Convenior, caus. 23. q. 8. Cap. Porrò, caus. 16. q. 4.*

27. Infero decimo tertiò, non licere privatis Armatos tenere, qui *Bravi* nuncupantur: *l. 3. in princ. ff. ad leg. jul. de vi public. l. fin. Cod. eod. tit.* nec illos accommodare, ut per Tex. *in l. itive, quæ est 4. ff. de vi public.* nec armatos homines congregare sub gravissimis pœnis, ut constat *in l. 3. ff. ad leg. jul. majest.*

28. Infero decimoquartò, in Regno Siciliæ non licere Baronibus, aut Comitibus, qui actu ipsi non sunt Milites, arma ferre; cùm obstet Constitutio Regni, incipien. *Intentionis*, ubi Afflict. *in tot. notab. n. 53.* & multò minùs licere aliis Nobilibus.

29. Infero decimoquintò, licere Dominis Castrorum, etiam recognoscentibus Superiorem; nec non, & ipsis Prætoribus, ad regendas Civitates missis, imponere, arma portantibus pœnam etiam præter jus commune; quamvis enim nihil possint contrà jus commune statuere, possunt tamen ad confirmationem juris communis addere, vel augere pœnam. Glos. *in Clem. Nè Romani* in verb. *tolli*, & ibi Card. *q. 3. de elect.* & in terminis delationis armorum consuluit Crav. *conf. 314.*

30. Infero decimosextò, Rusticum, arma absque debitâ licentiâ portantem, puniri pœnâ amissionis armorum, vel solutionis certæ pecuniæ, nempè 20. *lib.* ut per Text. apertum *in cap. 1. §. Si quis rusticus, de pace tenen. in usib. feud.*

31. Infero decimoseptimò, juribus, & statutis Principum esse exactè obediendum, præsertim ab his, quibus armorum gestatio prohibetur, ut cædibus, & occisionibus, quæ facilè, attentâ hominis irascibili, possunt passim oriri, aditus præcludatur, hoc publicâ, & privatâ utilitate, præcipuè vitâ nostrâ exigente; cùm dicat Divinum Oraculum: *Viri sanguinum, & dolosi non dimidiabunt dies suos*; Psalm. 54 v. 24. additâ pœnâ, quæ maxima est, privationis Dei, protestantis: *Viri sanguinum declinate à me*: Psal. 138. v. 19.

II. DIFFICULTAS.

An Milites, quibus permissum est arma portare, possint illa ferre in Aula Principis, vel in Palatio Judicum, quando Princeps, vel Judex jus est redditurus.

1. NOtandum primò, Principum permissione Milites arma portare, quæ etiam à jure communi ferri prohibentur; *l. 1. Cod. ut armor. usus. lib. 11.* & *l. 1. ff. ad leg. jul. de vi public.* ut suprà scripsi.

Notandum secundò, jus reddere, seu judicare, esse munus, ut probat lex *munerum, § Judicandi, ff. de mun. & hon.* & esse munus publicum, *l. quippè, ff. de judiciis. l. nam quod, ff. ad Senat. consult. Treb.* & notat Menochius, *lib. 1. de arbitr. Jud. q. 3. n. 21.* 2.

Notandum tertiò, arma in judicio deferre esse expressim omnibus prohibitum per Text. *in l. qui dolo, § 1. ff. ad leg. jul. de vi public.* & tenet Bartol. *l. 1. q. 2. ff. eod.* Ang. *in l. Armatos. §. 1. ff. eod.* Card. *part. 2. q. 3.* Jas. *in §. Ex maleficiis, n. 84. instit. de action.* Tiraq. *in tract. de nobilit. cap. 20. n. 73* & alii plures. 3.

Notandum quartò, Judicibus, & Principibus semper reverentiam, & honorem deberi, sed præsertim cùm reperiuntur in loco judicii, jus redditùri: quia tunc maximè locum Dei tenent, qui ab omnibus est summè honorandus. 4.

Notandum quintò, arma deferre malum animum gerentis indicare, ut scribunt Bart. *in l. 1. ff. ad Leg. Jul. de vi publica.* Alex. *Conf. 103. col. 3 lib. 1.* Jas. *in d. §. ex maleficiis, n. 82. instit. de cautio.* 5.

His adnotatis; ad difficultatem propositam, an milites, quibus permissum est arma portare, possint illa ferre in Aulâ Principis, vel in Palatio Judicum, quando Princeps, vel Judex jus est redditurus, affirmativè videtur respondendū: possunt enim Milites arma ferre accedendo ad Tribunal confessionis sacramentalis, ubi supremum, & majus judicium profectò exercetur; cùm arma sint habitus militum; & à fortiori poterunt arma ferre in Aulâ Principis, aut Palatio Judicum, ubi Princeps, aut Judex est jus redditurus. Præterea, ita videtur permittere praxis. 6.

Verius tamen arbitror, non licere Militibus arma portare in Curia Principis, aut in Palatio Judicum, ubi, & quando jus est reddendum, Affl. *in Constit. intentionis, n. 25.* Ang. *in l. 3. ff. ad Leg. Jul. de vi publicâ.* Joann. à Platea, *in §. item lex Julia; instit. de publ. jud.* Barb. *tract. de præstan.* Tiraq. *in tract. de Nobilit. cap. 20. nu. 73. & 74.* & ita videtur sentire Card. Albanus *in Lucubrat. in Bart. in l. 1. ff. ad Leg. Jul. de vi publ. n. 1.* quamvis remittat Lectorem ad Jas. *in §. ex maleficiis, instit. de action. vol. 18. vers. Adverte*, & plures alios, quos recenset, & sequitur Tiber. Decian. *in tract. crim. lib. 8. cap. 3. n. 61.* 7.

Moveor primò juribus, *in Cap. 1. §. ad palatium, de pace tenend. & in d. l. qui dolo, §. 1. ff. ad Leg. Jul. de vi pub.* ubi prohibetur arma in judicio deferri. 8.

Moveor secundò rationibus: Nam Judicibus, & Justitiæ, quam ministrant, reverentia debetur, quæ per delationem armorum potest impediri: cùm Milites armati eo in loco adversarium videntes, possint impetu iracundiæ illum invadere, vel cum aliis, ob aliquam verborum altercationem, ad pugnam moveri, sicque ordinem justitiæ turbare, Judices offendere, omnes scandalizare, & non paucos lædere, qui sub Justitiæ aspectu se tutos credebant. Ut autem tot malorum tollatur occasio, auferre à se debent milites arma, Curiam Principum, & Judicum palatium ingressuri. Tùm quia, inquit Card. Albanus loc. cit. arma portans malum animum habere præsumitur, & citat Glos. sing. *in c. 1. §. si rusticus, in voce Mercator*, & limitat, nisi portaret arma ligata. 9.

10\. Moveor tertiò exemplo, quamvis non imitando, in Charooda Tyriorum, alii Thuriorum Principe, & Legis latore, qui Lege cavit, ne quis cum ferro in concionem prodiret, sub pœnâ capitis: cùm enim tunc veniens, legis oblitus, accinctus ferro, in Senatum venisset, & in concionem sic armatus processisset; ut primum se legis transgressorem agnovit, ferro, quod habebat, se transfixit, suâ morte Legi præbens alimentum, ut sibi superviveret. Valer. Maximus, *lib. 6. tit. 5.* qui est *de justitia, in fin.* cujus meminit Tiraq. loc. cit.

11\. Concludimus igitur, Milites, eosque, quibus permissum est portare arma vel à Lege, vel à Principe, vel à Magistratu, non posse illa portare in palatio Judicum, nec in Aulâ Principis, nisi essent Curiales, seù Aulici, qui in curiâ Principis versantur, ejusque lateri assistunt; quiquè dicuntur vulgò: *le Guardie*, ex *l. ult. Cod. Præp. s. sac. cubic. lib.* 12. Glos. *in Cap. 1. 51. Dist. & in d. Cap. 1. §. ad palatium, de pace tenend.*

12\. Ad rationes in contrarium respondemus; ad primam, admittendo armorum gestationem militibus tanquam licitam in sacro Tribunali pœnitentiæ, Diana, *p. 3. Tract. 2. resol. 30. in fin.* & alii (estò ob majorem reverentiam deponantur arma etiam à Militibus, quando ad sacrum pœnitentiæ tribunal accedunt.) Non verò in Palatio Judicum, cùm in primo esset ratio prohibitionis, occasio nempè scandalorum, non verò in secundo, ut probatum est.

13\. Ad secundam, admittendo pariter in aliquibus locis armorum delationem tolerari in Palatio Principum, & Judicum, ut scimus Venetiis, ubi in Collegium, & etiam in Aulam, in qua congregatur ille inclytus, & venerandus Senatus, omnes solent cum armis impunè intrare; dummodò tamen non adsit Princeps, vel Senatus, vel Collegium: & etiam in Dominio Mediolani, ubi ferri arma ubique usus admittit, non verò coram Judice eâ die, quâ ferenda est ab eo sententia: ut cautum est novâ Constitutione, sub *Rubr. de pœnis. Cap. si quis arma*, ut refert Menochius; *lib. 2. de arbitr. cent. 4. cas. 394. n. 43.* & alibi, dummodò potestas aberit, ut tenet Jas. *in l. ejus, qui in provincia, col. ult. ff. si cert. pet.* Unde praxis allegata in contrarium, nobis non obstat, sed favet.

14\. Infero primò ex dictis, nemini licere arma ferre in judicio, saltem dum adest Judex; cùm jus commune prohibeat illa domi habere, ut à nobis alibi demonstratum est.

15\. Infero Secundò, Nobiles, quibus permissus est armorum usus, non posse cum armis ingredi in Palatium Prætoris, præsertim si id statuto caveatur: posse tamen, si Prætor absit, ego crederem; quidquid dicant alii.

16\. Infero tertiò, Magistratuum famulos, quibus permissum est arma habere, & ferre, *l. nam & salutem, §. ult. ff. de Off. Præfect. vig.* arma non posse portare in Palatio, in quo sententia fertur, saltem tempore, quo Judex adest.

17\. Infero quartò, non posse ingredi cum armis Curiam Principis, ubi jus redditur, Officiales Inquisitorum, quibus ipsi Inquisitores ex speciali privilegio dant licentiam portationis armorum; dummodò dicti Officiales sint necessarii, & actu inserviant Sancto Inquisitionis officio, & armorum delatione non abutantur: ut in Clement. 1. *in fine, de hæreticis.*

18\. Infero quintò, neque posse ingredi cum armis Curiam Judicis, aut Palatium Principis Officiales qui justitiam administrant, cæterosque privilegium habentes portationis armorum.

19\. Infero sextò, nemini affatim licere cum armis Palatia Principum ingredi: Ità etiam sentit Pla. *in d. cap. 1. §. ad palatium, de pace tenend.* Tiraq. *tract. de nobilit. cap. 20. n. 74.* Martinus Laudensis, *tract. de Principibus, privileg. 632.* saltem si adest Princeps: secùs verò, si Princeps absit, quod negat Menochius, *lib. 2. arbitr. cent. 4. cas. 394. num. 44.*

20\. Infero septimò, habentes potestatem deferendi arma non posse ea deferre ad judicii locum, aut Conventum, sive Congregationem Scholasticorum, Civium, Decurionum Civitatis, aut aliorum hujuscemodi. Tiraq. loc. cit. *n. 73.* ubi pro suo sensu adducit plures Doctores, suamque opinionem juribus probat.

21\. Infero octavò, posse graviter puniri arma portantes in loco judicii, vel Palatio Principis, ut videre est apud Doctores allegatos; & pœnam duplicari adversùs eos, si arma, quæ ferunt, sint fraudulosa, aut prohibita, ut sunt balistæ, parvi sclopi, certi cultelli: & etiam si absit Prætor, vel Princeps; quia præsumitur in hæc arma gerente malus animus.

22\. Infero nonò, ingredientem locum judicii, vel Palatium Principis, cum armis, quæ ex licentiâ legitimè illam dantis portat, graviùs puniri, si in tali loco aliquem vulneret, vel occidat; cùm præter delictum intentionis, offendat etiam benignitatem Principis, aut Magistratûs, qui licentiam dedit; undè debere & propter occisionem, & propter abusum licentiæ rigorosè puniri: & ita etiam videtur sentire Tiber Decian. *in tract. criminal. lib. 8. cap. 3. num. 63.*

23\. Infero decimò, non licere Portanti arma in Palatio Prætoris resistere Prætoris Familiæ, volenti eum capere, vel ei auferre arma de mandato Prætoris; cùm Officiali justè exequenti non possit de facto resisti: ut tenet, & probat Decian. loc. cit. *num. 63. vers. fin.* secùs verò, si haberet licentiam portandi arma, & ea portaret extrà Palatium Prætoris, & Officialis vellet absque mandato Judicis illum capere, aut ei arma auferre: Bart. per Text. *in l. prohibitum*, il secondo, *de jure fisci. lib. 10. & habetur in l. quoniam Judices, Cod. de appellat. & in l. totiès, §. fin. de pollicit. & per Canon. in Cap. Si quando, de Offic. deleg.* ex quibus constat, Officiali, injustè exequenti, posse de facto resisti.

24\. Infero undecimò, malè se gerere quosdam Nobiles, nolentes, dum Senatum ingrediuntur, ensem, quo cinguntur, deponere; arbitrantes sibi dedecori futurum, si ensem relinquant: quod sanè ex ignorantiâ video procedere legum, & bonarum artium, atque etiam honestarum historiarum: ex quibus constat, nemini, nec Nobilibus licitum fuisse oppida intrare cum armis, Valer. Max. *lib. 2. cap. 1.* quod etiam nostris temporibus, Venetiis, Urbe celeberrimâ, optimis legibus cultâ, singulari prudentiâ, & pietate exornatâ, ipse hisce oculis vidi observari.

Infero

25. Infero duodecimò, esse à Regibus, & Principibus extirpandum abusum arma ferendi in regiis, ac supremis Palatiis, ubi jus redditur; & hoc quidem reverentiæ, & honoris justitiæ suæ gratiâ; cùm hujusmodi honor, & reverentia, non tàm respiciat suos justitiæ Ministros, quàm ipsosmet Principes, & Reges, legum conditores, & justitiæ fautores.

26. Infero decimotertiò, arma non posse ferri in Ecclesia, ubi Rex Regum, & Dominus Dominantium, uti in suo proprio Palatio residet; atque Sacramentale Judicium exercetur: Concil. Mediol. 1. *p. 2. tit. de Eccles. & earum cultu.* & præsertim quando Missa celebratur, Concil. Arelat. III. *cap. 28.*

27. Infero decimoquartò, arma deferentes in Ecclesia esse à Judice non Laico, sed Ecclesiastico puniendos, d. Concil. Arelat. loc. cit. nisi desistant, seu ea deponant, d. Concil. Mediolan. loc. cit. vel illis faveat contraria consuetudo.

28. Infero decimoquintò, non immeritò eò ipso incurrere in Statu Ecclesiastico, ex vi Const. 49. Pii IV. *Cum vices*, §. 2. & Const. 145. Pii V. *Cum vices*, crimen læsæ majestatis, & rebellionis, ac pœnas pro illo à jure inflictas, deferentes arma breviora tribus palmis, ut cultellos, pugiones, &c. exceptis cultellis ad panem frangendum aptis.

29. Infero decimosextò incidenter, portantem arma prohibita quolibet die, unum tantùm delictum committere, & non plura, Anan. *in cap. fin. de collus. deteg. col.* 15. apud Card. Alban. loc. cit. *num.* 7.

III. DIFFICULTAS.

An Milites decenter accedant ad Confessionem Sacramentalem faciendam, & Sacram Communionem, seu Divinam Eucharistiam sumendam, ense, & pugione accincti.

1. NOtandum primò, arma, scilicet ensem, pugionem, &c. esse insignia Militum, Petr. Greg. Tholos. *syntagm. jur. lib* 19 *part. 2. de personis, cap. 5. n. 6.* Mascard. *de probat. conclus.* 128. *num. 4. vol.* 1. & ideò Imperator Galba, licet senex, & corpore imbecillis esset, ensem, nunquam dereliquit, hoc facto exprimens non senectutem, sed inermitatem lateris, ineptitudinem Militis indicare: Xiphilin. *ex Dione in Galba.*

2. Notandum Secundò, Confessionem Sacramentalem, quæ multipliciter definitur, ut habetur ex D. Thom. *in 4. d. 17. q 3. art. 2.* Syl. *v confessio.* Sot. *in 4. dist. 18. q. 2. art. 1.* & aliis, esse discreti Fidelis propriorum peccatorum accusationem, ad illorum veniam, virtute clavium, obtinendam. Desumitur ex Cap. *Omnis utriusque, de pœnit. & remiss.* ut notat Duardus *in d. cap. p. 2. disp. 2. sect. 7. n. 25.*

3. Notandum tertiò, Confessionem debere esse humilem in actu exteriori, tàm in verbis, quibus humiliter fiat accusatio de peccatis propriis, quàm in habitu corporis. Ita communiter DD. ex Concil. Lateran. 4.

Notandum quartò, magnam requiri in Sanctissimam Eucharistiam Sumente puritatem, 4.
Apostolo præcipiente, 1. *Cor. cap. 11. vers 28. Probet autem seipsum homo; & sic de Pane illo edat*, & S. Augustino admonente. *Tract. 26. in Joann.* sub fin. Non dignè sumit, nisi qui mundus est, de quibus dicitur: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt*; Quapropter antè sumptionem Sacrosanctæ Eucharistiæ, esse præmittendam Confessionem Sacramentalem culparum venialium ex consilio tradunt communiter Theologi, inter quos devotissimus Molfesius in *sum p. 1. tract. 3. cap. 8. n. 63.* & Confessionem mortalium ex præcepto; nec sufficere contritionem existimatam, habitâ copiâ Confessoris, habetur expressè in Trident. *Sess. 13. de Sanctiss. Eucharist. Sacram. cap 7. & Can. 11.* ubi damnantur illi, qui contrarium audent asserere. Et in Concilio Constantien: *Sess. 8. & 15.* damnatur perniciosa Doctrina Joann. Wicleff. asserentis: *Homini debitè contrito omnem confessionem exteriorem esse penitùs superfluam, & inutilem, quæ est propositio 7.* in ordine. Quapropter San: mem. Innocentii XI. meritò damnavit assertum nonnullorum Theologorum dicentium: *præcepto Communionis annuæ satisfieri per sacrilegam Domini manducationem*, quæ est propositio 55. in ordine damnatarum.

Notandum quintò, Eucharistiam in qua est 5.
vera, realis, ac substantialis præsentia Corporis, & Sanguinis Christi, unà cum Divinitate, & Animâ, est de fide; & definitur in Trid. *sess. 13. can.* 1. & Ephes. relato in Cap *Corpus Christi* Cap. *Necessariò*, Cap. *In Christo, de Consecrat: dist.* 2. contrà Nestorium. de quo Castr. *lib. 6. adversùs hæreses, sub tit. de Euch. hæres. 4.* & contrà alios hæreticos, præsertim Joannem Wicleff. cujus Propositio, damnata in Conc. Constan. *Sess 8.* & tertia in ordine, fuit hæc: *Christus non est in eodem Sacramento identicè, & realiter in propriâ præsentiâ corporali*: Eucharistiam, inquam, significare bonam gratiam, quia continet Christum, qui est Fons, & Auctor gratiæ; vocari Communionem, quia Fidelis per hoc Sacramentum communicat, & participat de Corpore, & Sanguine Christi: dici Sacramentum pacis, & Charitatis, quatenus significat unionem Fidelium inter se, & cum Christo. Ita communiter DD. inter quos Molfesius in *summa, p. 2. tractat. 3. cap. 1. num. 11. & seqq.*; & successivè debere omnes Fideles, etiam altissimæ contemplationis, in Elevatione Corporis JEsu Christi assurgere, genua flectere, Eidemque reverentiam exhibere dictat Ratio, jubet Religio, contrà Beguardos, quorum error, qui est 8. in ordine, fuit damnatus in Concilio Viennensi, sub Clemente Papa V.

His adnotatis, ad difficultatem propositam, an 6.
Milites decenter accedant ad Pœnitentiæ, & Eucharistiæ Sacramenta, ense, & pugione accincti, negativè videtur respondendum cum nonnullis asserentibus, hujusmodi accessum ad hæc Sacramenta nunquam, aut raró posse sequi absque scandalo, quod tenemur impedire. Tùm quia Eucharistia dicitur Sacramentum pacis, & charitatis, & ideò sumi non potest absque indecentiâ, & irreverentiâ cum armis, quæ bellum, & odium demonstrant. Præterea, non solùm plures

Milites, sed etiam Equites, & quandoque Principes, volentes ad hæc Sacramenta accedere, ensem deponunt. Ergò Milites ad Confessionem, & Communionem indecenter accedunt, si cum armis, nempè ense, & pugione accedunt.

7. Fateor quidem, hanc opinionem esse piam, necnon & probabilem; & summoperè laudo omnes illos Milites, & Equites, & Principes, qui propter modestiam, humilitatem, reverentiam, ensem, pugionemque deponunt, quando ad confitendum Sacramentaliter eorum peccata; & ad Eucharistiam sumendam accedunt: damnare tamen non audeo contrarium facientes. Arbitror igitur, Milites decenter accedere ad pœnitentiæ, & Eucharistiæ Sacramenta, ense, & pugione accinctos. Diana, *part. 3. tract. 2. res. 30.* & *Coord. tom. 7. tract. 1. de dub. Regul. res. 99. n. 8.* Thom. Tamb. *de SS. Commun. lib unic. cap 2. §. 4 num. 11*, Cesped. *in dub. milit. dub. 45*

8. Movent primò juribus; in *l. de quibus, ff. de leg.* ubi habetur, quòd ex consuetudine fit lex, & quòd consuetudo est jus non scriptum, §. *Ex non scripto. inst. de jure naturali*, & notat Dec. *cons 483. n. 24.* Et quod fit ex lege, decenter fit; quando lex, aut consuetudo non repugnat juri, aut Divino, aut naturali, aut Ecclesiastico. Consuetum est autem Milites assiduò ensem ferre; atque adeò, accedendo ad Pœnitentiæ, & Eucharistiæ Sacramenta ense accincti, cùm se gerant tanquam ex lege, non videntur indecenter accedere, sed decenter.

9. Moveor secundò rationibus; nàm ensis est habitus Militis: undè, & vulgò dicitur, *ensis Militem, Cuculla Monachum, Tonsura Clericum ostendis.* Quis autem dixerit non decenter accedere ad Confessionem, & Communionem eum, qui in proprio, & consueto habitu accedit? Tum quia Christus, qui est horum Sacramentorum Author, non intendit, quòd accedens ad illa suscipienda, exuat se conditione honestâ, & licitâ, quam profitetur; conditio verò Militis est militia; & militia consistit in armis; & miles toties militiâ se exuit, quoties armis exutus incedit: ergò Christus non intendit, quòd miles ensem deponat, dum vult confiteri, & communicare; & ideò ense accinctus accedendo, decenter accedit, dum se intentioni Christi, seu voluntati in accessu se se conformat.

10. Moveor tertiò exemplo, seu praxi, ab Ecclesia sine controversiâ toleratâ. Videmus enim tot Milites timoratæ conscientiæ ad Confessionem Sacramentalem, & ad Divinam Eucharistiam sumendam accedere ense accinctos; & à Sacerdotibus doctis, & prudentibus minimè reprobari: imò noster Diana, loc. cit. imperitum vocat quemdam Confessarium, qui noluit confessionem recipere cujusdam Militis, qui ad ejus pedes se prostravit ense accinctus, nolens illum dimittere, dicens, miles sum, & non decet militem ensem deponere.

11. Concludimus igitur, decenter accedere Milites ense accinctos & ad Confessionem, dummodò accedant cum vero dolore, contritione, aut attritione propriorum peccatorum, & firmo proposito non ampliùs peccandi; & ad sacrosanctam Eucharistiam sumendam, si humiliter, devotè, modestè cum vivâ fide, pleni amore divino accedunt.

12. Ad rationes in contrarium respondemus: Ad primam, negando suppositum, nempè accessum ad hæc Sacramenta cum ense nunquam, aut rarò fieri absque scandalo, Diana, *p. 3. tract 2. resol. 30. in fin.* Imò summam ædificationem video ex hujusmodi accessu exoriri. Ædificant sanè Milites Sacramenta sumendo; & Milites se ostendunt, & profitentur, dùm ensem gerunt.

Ad secundam; concedendo, ensem esse belli connotatum; & negando connotatum odii esse justum bellum: & sic negando ensis delationem repugnare decentiæ debitæ Eucharistiæ, quæ est Sacramentum pacis, & Charitatis: Bellum enim justum ortum habuit à Deo ordinante, & præcipiente illud fieri, ut habetur *Num. 10. Ps. 143* & in aliis Sacræ Scripturæ locis: & una ex principalibus conditionibus justi belli est, ut fiat non ex odio, vel propter prædam, sed propter pacem, justitiam, & charitatem, ut habetur in *Cap. Quid culpatur, Cap. Militare, Cap. Apud. caus 23 q 1.* Et sic in bellicis armis Milites DEO placere possunt. *Cap. Noli existimare, ead. causa. & q.* 13.

Ad tertiam, patet responsio ex dictis. Concedimus enim & nos laudabilem esse morem in Militibus, Equitibus, & Principibus, ad hæc Sacramenta sine armis accedendo, quod nobis non obstat: nam quod fit ob majorem reverentiam, & decentiam, non arguit in aliis irreverentiam, & indecentiam, sed ad summum majorem decentiam. 14.

Infero primò ex dictis, decenter accedere ad Confessionem Sacramentalem, & Sacram Eucharistiam, armatos ense, & pugione Equites Religiosos S. Joannis, SS. Mauritii, & Lazari, S. Jacobi, S. Stephani, Alcantaræ, & similes, cum sint ipsorum insignia, & quidem ad militandum pro Fide Catholicâ contrà Christiani nominis Hostes. 15.

Infero secundò, decenter accedere ad Pœnitentiæ, & Eucharistiæ Sacramenta; milites nostri temporis insignitos ense accito, & calcaribus aureis, & torque aureo, qui Equites vocantur, licèt vacent negotiationibus, vel litteris; vel otiosi vagentur per Civitatem: quia de hujusmodi insignibus fuerunt investiti, ut notant Tiber. Decian. in *tract. criminal. lib. 8. cap. 3 num. 40. in fin.* 16.

Infero tertiò obiter, Sacerdotem non peccare mortaliter, si extra Sacrificium communicat non habens Stolam circa collum (quamvis id minùs congruum sit, ut habetur, in *Cap. Ecclesiastica. dist. 23.*) cùm hujusmodi res extrà Sacrificium ex se non sit gravis, & Decretum illud, quoad hoc usu jam sit abrogatum. Sic docet Azor. *par. 1. lib. 10. cap. 28. q. 12.* Gavant. *in comment. ad rubr. Missalis, tom. 1. p. 4. tit. 8. num. 7.* & Bonac. *tom. 1. disp. 4. pun. 2.* 17.

Infero quartò, Milites Equites, qui sunt verè Religiosi, temerè relinquentes suum habitum, crucem, scilicèt, peccare mortaliter, & incidere in excommunicationem *Cap. ut periculosa, ne Cler. vel Monach. in 6.* necnon Bullarum Pontificum; & posse esse Apostatas, deserendo habitum, sicut alii Religiosi, ità Mor. *lib. 2. cap. 1. §. 6. num. 5.* 18.

Infero quintò incidenter, Confessarium posse Militi pœnitenti, & cuilibet injungere in satisfactionem pœnæ temporalis, quæ remanet post remissam culpam, opera aliundè debita, ut puta, 19.

ex

ex præcepto, ex voto, aut alio titulo, Suarez, *de Pœnit. disp. 38. sect. 6. num. 5.* Laym, *lib. 5. suæ summæ, tract. 6. cap. 15. n. 10.* Duard. *in Cap. Omnis utriusque, disp. 9. sect. 3. n. 10.* & alii asserentes, id sæpè expedire propter hominum fragilitatem, aut occupationem, præsertim in Militibus, qui ratione muneris, valde subjecti sunt t Et ratio est, quia opera, aliundè debita, bona sunt, & virtute clavium possunt ad effectum remissionis dictæ pœnæ elevari.

20. Infero sextò, Confessarium debere esse discretum, cautum, prudentem, ut sciat, & possit perpendere personam, quam ad sibi confitendum excitare, ac trahere intendit, an scilicèt sit Miles, sit Eques; si Sacramentum Pœnitentiæ frequentare soleat, an potiùs raró ad illud accedat; si sit in proximâ, aut remotâ occasione peccandi, &c.

21. Infero septimò, Confessarium teneri se ostendere cum omnibus, sed præsertim cum Militibus, dulcem, affabilem, suavem, mitem, pium, discretum, cautum, prudentem, atq; benignum. Has etiam conditiones in Confessario exigi docet Sot. *in 4. sent. dist. 18. q. 4. art. 3.* circa fin. Sylv. *in sum. v. Confessor 4. q. 3.*

22. Infero octavò, non peccare alios Fideles, si ense accincti accedant ad Sacramenta suscipienda; cùm non sit undè appareat talis irreverentia, quæ possit esse peccatum. Certum est enim externum hominis non esse hîc valdè attendendum: non etiam corporis ornatum, sed Animæ pulchritudinem exposcunt Sacramenta: quamvis modestum, humile, devotum teneatur quisque suum externum ostendere, ut uberiorem recipiat in suo interiori, nempè in Anima Gratiam Divinam, & majorem, seu intimiorem acquirat unionem cum DEO, qui est Victoria nostra, Amor noster, Præmium nostrum, ad Pœnitentiæ, & Eucharistiæ Sacramentum accedendo.

IV. DIFFICULTAS.

Miles in Rollo, seu Matriculâ aliorum militum scriptus, in his, quæ ad militiam pertinent, & præsertim in armorum tractatione non se exercet. Dubitatur, an peccet.

1. Notandum primò, scientiam, quæ cuilibet necessaria est pro exercendo munere suo, triplicem esse, eminentem, mediocrem, & sufficientem; & illum habere sufficientem scientiam, quæ sufficit sibi ad faciendum, quæ sibi occurrunt. Turrecrem. *in Cap. Ignorantia, 38. dist. n. 3.*

2. Notandum secundò, varia esse, quæ Miles scire tenetur, ut est sonus tubæ, pulsus tympanorum, accessus, recessus, statio, aggressio, defensio, offensio, & alia, quæ Ars Militaris continuò, & præcipuè nostris temporibus docet, & Bellatores edisciunt.

3. Notandum tertiò, Milites teneri in multis se exercere, nempè in cursionibus equorum, in armis gestandis, in sclopetis dirigendis, in ense evaginando, & adhibendo, in modo pugnandi, & in aliis ejusmodi, ut sciant eorum officium decenter exercere.

4. Notandum quartò, Milites, antequàm militiæ adscribantur, secundùm morem antiquum, esse examinandos, an ad militiam sint idonei; nam idcircò ex pluribus eligebatur unus, *l. 1. Cod. qui militare non poss. lib. 12.*

5. Notandum quintò, Militibus, ut militaribus vacent exercitiis, interdici negotiationem; *l. 1. Cod. negotiatores ne militent, lib. 12.* ut alibi demonstratum est.

6. His adnotatis; ad difficultatem propositam, an Miles in his, quæ ad militiam spectant, & præsertim in armorum tractatione non se exercens, peccet, videtur negativè respondendum, cùm non appareat lex humana, aut Divina, quæ violetur hujusmodi exercitationis omissione; estò sit puniendus Miles ommittendo, quæ agere debet: Præterquamquòd, hodiè Milites eliguntur à Capitaneis absquè prævio examine; nec dictum juramentum præstant, & solùm dantur illis arma, & scribuntur in rollo, seu matriculâ aliorum Militum, ut est praxis, omnibus nota; atqueadrò non videntur in foro interno delinquere, exteriora Militiæ exercitia ommittendo.

7. Veritas tamen est, peccare Milites graviter, aut leviter, juxta qualitatem omissionis, exercitia armorum, & aliarum rerum militarium omittendo. Ità post Veget. *lib. 1. de re militari, cap. 23.* Busæum, *verb. militiæ status, cap. 4. in 3. propriet.* notat Molfesius *in sum. p. 1. tract. 8. c. 13. n. 98.* Durandus *in Cap. omnis utriusque sexus, disp. 17. sect. 4. n. 8.* & alii.

8. Moveor primò juribus, *arg. in Cap. Ignorantia, dist. 38. & cap. omnes, ead. dist. & in Cap. si quis Abbas, causa 18. q. 2.* ubi habetur, ignorantiam voluntariam omnibus noxiam esse: nàm, ait Glos. ibi; quod uni dicitur, ad omnes extenditur: supponimus autem Militem ignorare, seu adesse in Milite ignorantiam voluntariam, si non se exercet in his, quæ agere debet: sicut enim experientiâ, seu exercitatione discimus, *Didicit ex his, quæ passus est, obedientiam, Ad Heb. Cap. 5. nu. 8.* Ità sine exercitatione ignoramus; Miles ergò non se exercendo, ignorat; & ignorando, omnibus, seu publicæ utilitati noxium se constituit, & talem se constituendo, peccat.

9. Moveor secundò rationibus; nàm quisque tenetur scire omnia, quæ ad officium suum spectant, ut illud decenter exerceat; eò magis Miles, cùm ad bonum commune ordinetur militia, Nescit profectò Miles, si corporis exercitationi non se tradit in his, quæ spectant ad militiam, Tùm quia, sensus communis est, illum peccare recipiendo dignitatem, vel aliud officium, qui ad illud scientiam non habet, saltem competentem, vel sufficientem, Turrecrem. loc. cit. dignitatem, & officium militiam esse negat nemo, ut nos alibi notavimus; scientiam sanè sufficientem absquè exercitatione non habet Miles; & ideò peccat circà militiam se exercendo. Tùm etiam, quia militaria exercitia omittendo milites, nesciunt militare, inexperti evadunt ad pugnandum; & non benè pugnando, victoriam præbent Inimicis in pugnâ. En strages exercitûs. En publicum, & privatum damnum. En peccatum.

Moveor

10. Moveor tertiò exemplo, in eventu sub Annibale, cujus Militea, cum commissis militaribus exercitiis, ut Capuæ lasciviæ deliciis fruerentur, incedentes, posteà armis immuniti, & armorum exercitatione ferè spoliati, superveniente hostium Exercitu, ad prælium coacti, maximâ strage necati sunt, refert Liv. *lib. 3. decad. 3.* Quo experimento posteriores Romani sufficienter edocti, nè hujusmodi damnia essent obnoxii, severissimè castigabant, tamquàm graviter delinquentes, illos, qui aut armati non incedebant, aut exercitium omittebant armorum. Tacit, *lib. 1. Annal.*

11. Concludimus igitur, teneri Milites se corporis exercitationi tradere, & ad omne genus armorum, ut possint, & sciant in omni eventu officium suum decenter exercere, & successivè peccare in his, quæ ad militiam spectant, & præsertim in armorum tractatione minimè se exercendo.

12. Ad rationes in contrarium, quæ nullius momenti sunt, patet responsio ex dictis.

13. Infero primò ex dictis, spernenda esse à Milite civilis otii commoda, ut militaribus exerciciis vacet, utpotè aptissimia ad munus suum adimpiendum, & gloriam, quæ propria Militum est, comparandam.

14. Infero secundò, teneri quidem Milites circa militiam se exercere, ut publicæ utilitati deserviant, non verò in torneamentis, & in pugnâ singulari inter socios, & his simiiibus, quorum usus eis interdicitur; cùm potiùs ad vires ostentandas non sine proximi nocumento gerantur, quàm ad rectum usum Militiæ, ut docet Tabien. *verb. miles, q. ult.* Syl. *in sum. eod. verb. qu. unic.*

15. Infero tertiò, Consiliarios Principis teneri sufficienti scientiâ pollere; cùm ad ipsos spectet cognoscere de justitiâ belli; dùm ad consilium publicum à Principe ad hunc finem vocantur; non verò ad militea vulgares, qui Principi, aut Duci tenentur obedire, nisi eis clarè constet injustum esse bellum, quod rarissimè potest evenire.

16. Infero quartò obiter, Religiosos, qui accipiunt officium docendi, plura teneri scire; & ea esse, quæ non subtiliter sunt exponenda populo in fide, & moribus, quæ rudimenta Christianæ Fidei appellantur. Turrecrem. loc. cit, *num. 2.*

17. Infero quintò, promovendum ad Ordines Sacros præditum esse debere tali scientiâ, qualis necessaria est executioni Ordinis cujuscumque; adeoque simplicem Sacerdotem, ad solum officium Divinum recitandum, & Missam celebrandam, teneri scire tantùm de grammatica; quod sciat Concilium Tridentinum explicare, verba congruè proferre, & accentare; & quòd intelligat saltem litteraliter quod legit, Ità Graff, *p. 2. decis lib. 1. cap. 11. n. 25.*

18. Infero sextò, Promovendum ad Ordines Sacros esse quidem examinandum; cùm nullus ordinari debeat, nisi prævio examine probetur, ut habetur per Tex. *in Cap. Nullus ordinetur. Cap. Episcopi, 23. Dist.* & per Concil. Trident. *Sess. 23. de Ref. cap. 3. 7. 12. & 14.* non tamen esse ità rigidè procedendum, sed cum quadam benignitate, & quodam temperamento, ait Glos. *in Cap. Quando. 24. Dist.*

Infero septimò, Sacerdotem, qui est Minister Sacramentorum, teneri scire, quæ sit debita materia, & quæ sit debita forma cujuslibet Sacramenti, & qui sit modus dispensandi ipsa Sacramenta. 19.

Infero octavò, Sacerdotem, qui est Curatus, & Judex Animarum, teneri scire, quæ Sacramenta debeat conferre, & quæ conferre non potest; teneri insuper scire Canones pœnitentiales; & ità intelligitur Tex. *in Cap. Quæ ipsis, 38. Dist.* 20.

Infero nonò, Confessarium ad licitum usum suæ jurisdictionis plura teneri scire; & præcipuè formam absolutionis, differentiam peccati mortalis à veniali, non modò in genere, sed etiam in particulari, saltem communi modo, species peccatorum, numerum, & circumstantias; quæ dispositio sit necessaria in pœnitente; quæ peccata sint reservata: quæ peccata habeant annexam censuram: quæ peccata habeant annexam obligationem restituendi. In cæteris satis est, si sciat dubitare, ut possit inquirere Doctorum consilium; undè peccare mortaliter Confessarium, si caret prædictâ scientiâ, affirmant DD. & præsertim Filliuc. *tom. 1. in instruct. pro Confess. Cap. 2.* Et ratio est, quia, cùm Confessarius teneatur instruere pœnitentem, tanquàm ejus magister, absque prædictâ scientiâ non potest rectè officium suum adimplere. 21.

Infero decimò, Episcopum, qui est in majori gradu, debere scientiam habere novi, & veteris Testamenti, cùm sit Judex Animarum; & juris, cùm jus dicere debeat, *Cap. Nullus, Cap. Silvester, Cap. si quis Causa, causa 11. q. 1.* & ità videtur sentire D. Tho, *in 4. dist. 24.* dicens, quòd Episcopus tenetur scire quæ difficultatem in Lege inducere possunt; cùm talis scientia multùm utilis sit ad resistendum contradicentibus, nempè Hæreticis, & falsis Christianis, malè viventibus, Undè contrà Prælatum, qui non habet scientiam Scripturarum, clamat illud Isaiæ 56. *Canes muti non valentes latrare. Cap. si Rector, 43. Dist.* Quapropter nullus, habens scientiam competentem, debet promoveri ad Episcopatum; & si fuerit per aliquam fraudem ordinatus, debet deponi, *Arg. 38. Dist. Cap. Si in Laicis & 23. Dist. Cap. qui Episcopus.* 22.

Infero undecimò, in quovis Ecclesiastico eam esse necessariam scientiam, & litteraturam, quæ requiritur, ut officium & actum Ordinis illius rectè exerceat. Ità in Trid. *Sess. 23. de reform.* pro singulis ordinibus explicitè definitum est. Quæ verò, & quanta scientia, & litteratura requiratur ad singulos Ordines exercendos, diversam rationem Ordinis, Dignitatis, & oneris suscepti considerandam esse arbitramur cum Soto *in 4. Dist. 25. q. 1. art. 4. Conclus. 3.* Navar *in Cap. Si quando, de rescript. except. 3. n. 4.* Majo, *lib. 1. cap. 32. n. 3.* & aliis; Undè credimus minorem, aut majorem scientiam requiri pro ratione minoris, aut majoris ordinis, vel dignitatis. Et hæc incidenter dicta sunt de Ecclesiasticis, quatenùs militiam exercent cœlestem, si non temporalem, ut sciant, quæ scienda sunt, & se exerceant in his, in quibus se debent exercere, 23.

ut

ut possint laudabiliter coram Deo, & hominibus suum munus adimplere.

14. Infero duodecimò, juris Canonici Professores multa scire teneri, præsertim, saltem in confuso, Summorum Pontificum Constitutiones, quæ in Bullariis continentur, & Librum Sacri Concilii Tridentini, huncque dividi in 25. Sessiones, Capita, & Canones: distinctè verò scire teneri jus Canonicum dictum esse à Canone, græco nomine; Canonem verò græcè significare regulam; & jus canonicum sic esse appellatum, quia regulas Ecclesiasticas continet; & sic etiam jus Ecclesiasticum dici, nec non Pontificium; quia constat ex decretis, responsis, & sanctionibus Romanorum Pontificum: scire teneri, jus canonicum aliquando etiam constare ex legibus civilibus, nempe Constitutionibus Imperatorum, & veterum Jurisprudentum responsis, quæ quidem, quatenus jure canonico approbantur, & confirmantur, vim & locum habent in Ecclesiâ, aliàs verò nequaquam: scire teneri, plures esse juris canonici Libros, quorum primus est Collectio Decretorum facta à Gratiano, quæ vulgò dicitur *Decretum Gratiani*, quæque ex SS. Patrum auctoritatibus, Pontificum decretis, multis civilibus legibus est digesta, & compilata; & quæ in tres, vel quatuor partes principales dividitur, quarum prima continet 101 Distinctiones, secunda 36 causas, cum suis quæstionibus, quibus interponitur Tractatus de pœnitentia, in septem Distinctiones divisus, & posset tertia pars nuncupari. Quarta, vel tertia pars agit de Consecratione, in quinque Distinctiones sejuncta. Secundus dicitur *Decretales*, quæ sunt Romanorum Pontificum Constitutiones, jussu Gregorii IX. collectæ, & in quinque Libros divisæ; multa Generalium Conciliorum, nec non Nationalium, vel Provincialium decreta continentes. Tertius est sextus Decretalium, continens alias Romanorum Pontificum Constitutiones, auctoritate Bonifacii VIII. adinstar superioris compilatus. Quartus sunt Constitutiones Clementis V, in Concilio Viennensi editæ, & ad ordinem titulorum redactæ, ac promulgatæ per Joannem XXII, quæ Clementinæ appellantur. Quintus sunt Extravagantes dicti Joannis XXII. Sextus sunt Extravagantes communes diversorum Pontificum, adinstar Titulorum Decretalium dispositæ: & hi quatuor Libri sunt in unum Tomum compilati, qui Sextus nuncupatur: Scire teneri, non habere vim juris quod in Decreto dixit Gratianus, ut tradunt Card. Alex. *in Proem. Decretalium, n. 2.* Azor. *p. 3. Institut. Moral. lib. 1. cap. 6.* cum aliis; & meritò, cùm Gratianus non habuerit auctoritatem juris, vel Legis condendæ; & successivè testimonia, quæ desumpsit ex Constitutionibus Pontificiis, & ex Conciliis, & ex Sanctis Patribus, nec non ex Legibus, non habere plus auctoritatis, quàm habent in his, à quibus accepit, testatur Andr. *Cap. 2. de Rescript.* Et tandem teneri scire, hujusmodi Librum Decretorum tanquam authenticum, secundùm Card. Alex. *in Proemio, n. 2.* esse à Majoribus usu approbatum; quod negat Joan. And. loc. cit. & in Scholis, atque in judiciis causarum receptum; nec non Librum Decretalium tantam habere authoritatem, quantam dedit eis Gregorius IX. *in Proœmio ejus Libri, in fin.* his verbis: Volentes igitur, ut hac tantùm compilatione universi utantur in judiciis, & in scholis, districtiùs prohibemus, ne quis præsumat aliam facere absque authoritate Sedis Apostolicæ speciali.

15. Infero decimotertiò, jurium civilium Professores plura teneri pariter scire, videlicet, si non omnes leges in particulari, saltem in communi; & in particulari omnes titulos materiarum; potissimùm verò legalis professionis rudimenta; nempe, quòd jus civile in duas partes dividitur, quarum prima continet quinquaginta Libros Digestorum, in tria volumina partitos, videlicet, Digestum vetus, Infortiatum, Digestum novum: ita ut in Digesto veteri contineantur vigintiquatuor Libri; in Infortiato quatuordecim; & in Digesto novo duodecim: Quòd secunda pars juris civilis Codex nuncupatur, novem libros continens, in quibus Constitutiones, & Rescripta Imperatorum habentur: Quòd tertia pars, quæ dicitur volgò *Volumen*, continet Institutiones Justiniani Imperatoris, tres Libros Codicis, nempe, decimum, undecimum, duodecimum; siquidem reliqui novem continentur in Codice; Novellas Constitutiones Justiniani, *Authentica*, nominatas; duos Libros feudorum, & Constitutiones Friderici II. Imperatoris; itemque duas Extravagantes Henrici VII. & Tractatum de pace Constantiæ. Quòd discrimen inter primam partem juris civilis, tribus digestorum voluminibus constantem, & secundam, novem Libros continentem, scilicet, Codicem, hoc est, quia in primâ parte habentur responsa veterum Jurisconsultorum, quæ tantummodo impetatorum nutu & voluntate Legis authoritatem obtinuerunt; & in secundâ parte Imperatorum Constitutiones, & Rescripta habentur, atque adeò hoc discrimen debet attentè à Juristis adnotari, cùm in præfatis juris civilis partibus contineantur, teste Papiniano Jurisconsulto *in l. jus autem, ff. de just. & jur. Leges*, quæ secundùm Papinianum censentur Constitutiones, totius populi auctoritate latæ, in quibus continebantur leges, quæ dicuntur duodecim Tabularum; & Leges editæ à septem Regibus Romanorum: Plebiscita, quæ sunt ea, quæ Plebs Romana, unâcum Tribuno Plebis condidit; atque adeò etiam Leges Tribunitiæ nuncupabantur: Senatusconsulta, quæ sunt leges, quas Senatus ferebat ad Populum: Decreta Principum, quæ sunt Constitutiones Imperatorum: Responsa Prudentum, quæ dabant Jurisconsulti veteres, ut Papinianus, Sabinus, Scævola, Alphænus, Proculus, Priscus, Labeo, Jabolenus, Ulpianus, Paulus, Pomponius, Florentius, Cajus, Marcellus, Martianus, Hermogenianus, Africanus, & alii; quæque authoritate Imperatorum, ut diximus, vim legis obtinuêre: Edicta Prætorum Romæ, quæ ea dicebantur, quæ Prætores, antequam jus redderent solebant proponere, ut scirent, quodvis, de quare, quisque dicturus esset, sequè præmuniret, ut per Text. *in l. Necessarium, §. eodem, ff. de origine juris.* Hanc illationem, quemadmodùm & antecedentem cum aliquâ prolixitate, præter morem nostrum, formandam duximus ad Tyronum eruditionem, jura, tum Canonica, cum

Civilis, scite funditus desiderantium, agenda de rebus bellicis, nempe armis; non solùm, quia Doctores quoque, & Advocati militare dicuntur, juxta Tex. *l. Advocati 14 Cod. de Advoc. diu. jud.* sed etiam, quia duo esse necessaria ad rectè Rempublicam gubernandam putavimus, leges nempe, & arma; cùm Imperator in proœmio Institutionum id, quod est armorum, legibus, & id, quod est legum, armis tribuerit. Sic enim, inquit Justinianus, Imperatoriam Majestatem, „non solùm armis decoratam, sed etiam legibus „oportet esse armatam; ut utrumque tempus, & „bellorum, & pacis rectè possit gubernari; & „Princeps Romanus, non solùm in hostilibus „præliis victor existat sed etiam per legitimos „tramites calumniantium iniquitates expellat, & „fiat tam juris religiosissimus, quàm victis hosti„bus triumphator magnificus. Vult enim dicere prudentissimus Imperator, quòd sicut tempore belli legibus indiget ad sui conservationem Disciplina Militaris; ita tempore pacis arma requiruntur in sententiis exequendis, delictisque puniendis; cùm juxta Senecæ sensum, & dictum, non possit Deo pinguior victima mactari, quàm homo iniquus.

16 Infero decimoquartò, magnum præjudicium, & damnum Reipublicæ inferri, si idiotæ, & imperiti adexercendam artem aliquam, vel scientiam, quam ignorant; vel nondum perfectè didicerint, admittantur; quod etiam tradit Illustrissimus, & Reverendissimus Severulus in ejus eruditissimo Voto, impresso penes *decis. Rembol. di, vot. 11. sub num. 13.* cum aliis, quos citat, & sequitur Episcopus Verulanus *Ad Statuta Faventia, tom. 2. ad rubr. 4. lib. 7. n. 1. & 2.* ubi addit, neminem debere admitti ad officium exercendum, nisi ostendat se esse in eo peritum; ibique pariter admonet, esse servandum statutum, quo quisque prohibetur ad exercitium alicujus artis admitti, nisi prius fuerit examini obnoxius; cùm lex humana, & naturalis prohibeat, ne quis artem, quam ignorat, exerceat, ut probat Textus in *Cap. Non est sine culpà, de reg. jur. in 6.* & tenet Navarr. in *Cap. Inter verba*, in *pri. conclus. in 17. circa fin. caus. 11. q. 3.* & ideò eruditissimus Episcopus de Zaulis, loc. cit. *num 5.* subdit, non esse Artificem, & Opificem dijudicandum, qui in matriculâ artis, seu opificii descriptus non reperitur, & citat pro se Natt. in *cons. 138. num. 5.* & alios doctissimos Viros.

V. DIFFICULTAS.

An sit laudabile in Milite desiderium thesaurizandi sibi Thesauros in bello justo, arma sumendo, seu militando.

1 NOtandum primò, avaritiam, quæ dicitur secundùm vitium capitale, esse immoderatum amorem habendi, seu affectum voluntatis carentem modo, & regulâ rationis acquirendi pecunias, & alia bona pretio æstimabilia, ut habetur ex D. Thom. *2. 2. qu. 118.* Tolet, *in lib. de pecc. mort. cap. 24.* Jodoc. & aliis.

Notandum secundò, quòd avaritia dupliciter sumitur, generaliter nempe, & specialiter: generaliter importat omnem cupiditatem habendi quæcunque bona, sive exteriora sint, sive interiora. Specialiter verò, refertur ad ipsa bona exteriora, ut docet Doctor Angelicus, loc. cit. *art. 1. & 3.* 2

Notandum tertiò, avaritiam, si est immoderata appetitio, & retentio rei alienæ, opponi justitiæ, & dici injustitiam, & esse culpam mortalem, nisi excuset parvitas materiæ: si verò tantummodò significat inordinatum amorem, ac desiderium habendi divitias, honesto titulo, & in illis se oblectandi, opponi liberalitati, ut probant Doctores supra allegati, loc. cit. & non excedere peccatum veniale; dummodò non repugnet charitati Dei, & proximi in materia gravi. 3

Notandum quartò, avaritiam malorum omnium esse radicem, ut admonet Apost. *1. ad Timot. cap. 6.* vel quia in desiderio divitiarum, & amore inordinato habendi illas, indu itur homo in peccata innumera, ut ostendunt Chrysostomus *hom. 17.* D. Aug. & alii; vel quia avaritia versatur circa pecunias, quæ fomentum præbent, & facultatem ad omnia peccata. 4

Notandum quintò, inter Jurisperitos adhuc controverti, quis dives jure dici possit; & è contra, quis pauper. Aliqui enim dixerunt, eum divitem esse, qui quinquaginta Coronatos in bonis habet, ex *l. nonnulli, ff. de excus.* Alii verò censuerunt, eum dici divitem, qui centum habet aureos, ex §. *Sed nostra, Inst. de succes. liber.* Alii opinati sunt, eum divitem reputari, qui propriis redditibus posset Legionem alere, ut dixit M. Grassus, teste Plutar. in illius vita. Opinio verò, quæ videtur communiter recepta, illa est, quæ asserit, hoc totum esse Judicis arbitrio relinquendum, qui juxta qualitatem personarum judicet divitem, ac pauperem. Ita Dec. *cons. 163. num. 6* ubi plures alios refert. 5

Notandum sextò, Milites esse laudandos ex dutitiâ membrorum, quia militia appellatur duritia, ut alibi dictum est; & ex corpore benè disposito, proportionato, & complexionato: unde ad pugnandum aptiores esse Fabros, cæterosque, qui laboribus continuis vivunt, docet Cassanæus in *Catal. glor. mundi, p. 9. §. vigesima quinta consideratio*, 6

His adnotatis; ad difficultatem propositam, an sit laudabile in milite desiderium thesaurizandi sibi thesauros in bello justo, arma sumendo, seu militando; videtur affirmativè respondendum: est enim recepta eorum sententia, qui dicunt, divitias præsertim antiquas, esse nobilitatem, aut certè nobilitatis parentem. Atqui nobilitas, & consequenter desiderium illius laudatur in milite. Ergò &c. Præterea nobilitas propter paupertatem deperditur, ut videtur voluisse Bart. in *l. 1. in fin.* & ibi Jo; Plat. *col. 1. Cod. de digni. lib. 12.* Cœpol. cùm aliis, atque adeò ad conservandam nobilitatem, quam Militi confert militia, laudabile, est in milite desiderium acquirendi in bello justo divitias. Præterea, Textus in *l. fin.* in princ. *Cod. de re militar.* Milites valdè commendat in divitiis. Ergò laudabile est in milite desiderium &c. 7

Con-

8 Contrarium tamen, quod nobis summoperè placet, tenent Sapientiores, non solùm Catholici, sed etiam Gentiles, ut sunt Plutarchus, *lib 7. sympoſion.* Cicero *in oratione 2. à gratiâ ad Quirites.* Iterum Plutarchus *in ſcylla*, statim post principium; *& in Craſſo* scribit, Crassum ipsum virtutes, quas plurimas habebat, unius avaritiæ sordibus obscuràsse. Inter Catholicos adest Cassanæus in *Catalogo gloriæ mundi*, *p. 9. §. Trigesima secunda consideratio*, cùm aliis pluribus, brevitatis gratiâ omissis; quos producit, & sequitur Tiraquel. *Tract. de nobilit. cap. 7. à num 10.*

9 Moveor primò juribus, in *Cap. Summa, causa 24. q. 1.* ubi dicitur, quòd summa laus militis est communi utilitati studere, non verò propriæ. *Cap. Militare, ead. causa, & q.* ubi habetur, bonos milites, ultra stipendia sua, nil debere usurpare, & esse peccatum militare propter prædam; & favet Tex in *l. 1. Cod. de erogatione militaris annonæ, lib. 12.* qui non permittit militibus opulentiam.

10 Moveor secundò rationibus; nam miles dicitur à malo, quod debet pro Republica sustinere, *l. 1. §. Miles autem. ff. de testā. mili.* Unde ait facetus Poeta.

Nil vales in bello, qui delitiosè vivis:
Nec sine duritiâ, bellica palma datur.

Ergo miles non potest laudari in desiderio possidendi in bello divitias, quas mundus reputat omne bonum. Tum quia avaritia, seu inordinatus amor, habendi divitias, sive opponatur justitiæ, sive liberalitati, semper meretur non laudem, sed vituperationem. Tum etiam, quia laudantur milites in castitate; unde milites antiqui castè vivebant; considerantes, castitatem secum habere annexam fortitudinem, ad pugnandam peritilem: & sic stationes militum dicuntur Castra à castrando quia ibi castrari debet libido. Fomentum autem libidinis esse divitias habetur ex *Cap. Ex parte parentum, extra, de sepul.* ubi mulier describitur sæpè à quodam Nobili pecuniarum exhibitione sollicitata. Præterquàm quòd, nullatenùs potest laudari, quod directè sive præcepto, sive consilio Evangelii adversatur. Dicitur autem in Evangelio Matth. *cap 6. n. 19. Nolite autem Thesaurizare vobis Thesauros in terra.*

11 Moveor tertiò exemplo in Scipione Africano, qui, teste Valer. *lib. 3. de fiduciâ rei*, in Concione publicâ, gloriatus est, dicens, quod, cùm totam Africam Romanæ ditioni subjecisset, nihil ex eâ, quod suum diceretur, præter cognomen, tulit. In Marco Curio contra Samnites bellum gerente, qui cùm in scamno assideret, & in catino ligneo cœnaret nullum affatim in se habere desiderium sibi in bello thesaurizandi thesauros Circumstantibus demonstravit; cùmque magnum auri pondus ei fuisset delatum, risit, dicens: Referte, & dicite » Samnitibus, Marcum Curium magis locupleti» bus imperare, quàm ipsum locupletem fieri; & » mementote, me non acie vinci, nec pecuniâ » posse corrumpi. Et in Publio Scipione, qui de se, & Lucio Scipione ejus Fratre loquens, di» xit: Non me Punicæ, non Fratrem meum Asia» ticæ Gazæ avarum reddiderunt, sed uterque no» strum invidiâ magis, quàm pecuniâ locupletior » est. Ibidem Valer. In Attilio quoque, qui ab aratro ad imperium Romanum vocatus, non solùm semper caruit desiderio sibi thesaurizandi thesauros; sed postquàm Rampub. armis, & prudentiâ stabilivit, ingentes hostes debellavit, multasque victorias consecutus, deposito Imperiali sceptro, ad aratrum redire voluit; ostendens, pristinam paupertatem amplectendo non esse à Bellatoribus divitias exoptandas in bello.

12 Concludimus igitur, nullatenùs esse laudabile in milite desiderium thesaurizandi sibi thesauros in bello, licet justo; & successivè rectè improbari ab omnibus justis rerum Æstimatoribus milites nuper ditatos, sive repente divites factos.

Ad rationes in contrarium respondetur. Ad primam, negando à divitiis conferri nobilitatem, ut docet Lactantius *lib. 5* qui de justitiâ est. *cap 14*, ubi dicit, quòd divitiæ non faciunt insignes, nisi quos possunt bonis operibus facere clariores. Et sentit Aristotil. *lib. Politicon. 4 cap. 8.* & favet Tex. in *nobiliores. Cod. de commer. & merc.* ubi divitiæ, & nobilitas ponuntur, ut diversa, & separata. 13

Ad secundam; negando pariter, propter paupertatem deperdi nobilitatem, etiam ex Bart. sententiâ, *in d. l. 1. col 3. Cod. de digni*, ubi dicit, quòd divitiæ non possunt dare, nec paupertas auferre nobilitatem; & ita tenent Jo. Blan. *in sum. feud. tit. quib. mod. feud. amit. & Erunt etiam, in 21. quæst.* & alii plures, & quidem rectè: nam quis dixerit, Regem, tametsi pauperem, esse ignobilem? 14

Ad tertiam; negando, Textum, in *d. l.* laudare Milites in divitiis: vocat enim eos non ditissimos, ut aliqui scribunt, sed dicatissimos, nempè militiæ se le omnimodè deditos, seu traditos; nam *Dico, as*, ut notat Calepinus sub verbo, *dico, as*, accipitur pro offerre, pro se totum alieni tradere. 15

Infero primò ex dictis, peccare mortaliter, qui desiderat, vel accipit, vel retinet aliena bona in justè, nisi parvitas materiæ, vel imperfectio actus excuset. Ita etiam Molf. *in sum p. 1. Tract 8. Cap. 8. n. 240.* 16

Infero secundò, minimè licere Militibus vivere super ægros; aut subditos Principis cogere ad eis victualia præbendum; aut eorum prædia inquietare; aut victualia, aut cætera bona tangere. 17

Infero tertiò, licitum esse cuilibet de populo expellere Milites, tentantes eorum bona invadere; nec non propriâ authoritate resistere Amicis, & Vicinis, in auxilium convocatis ad expellendum Invasores. Ita etiam Cassanæus, *in Catal. gl. Mun. p. 4. §. Trigesima secunda.* 18

Infero quartò, summè esse laudandos Milites Capitaneo parentes, aliena tangere prohibenti, cùm summa militiæ laus sit obedientia, ut per Tex. *in Cap. In summa, causa 24. q. 1.* 19

Infero quintò, Milites in acie existentes, cùm debeant laudari ex paupertate, ab extraordinariis muneribus excusari. Nobis Consentit Rebuff. *in l. 1. n. 4. Cod. de Indictio. & in l. fin. Cod. fundis limitrophis lib. 11.* 20

Infero sextò, bellicæ Fortitudini plurimùm nocere opulentiam, quapropter Militibus, in expeditione degentibus, olim erat tantummodò tradendus panis buccellatus, id est, bis coctus ad comedendum per biduum; tertiâ die panis integer non bis coctus: Et unâ dandum erat eis vinum, 21

vinum, alterâ die acetum ad bibendum: Et unâ die ministrabatur eis lardum; aliâ die Caro vervecina; de quo adest Tex. *in l. 1. Cod. de erogatione militaris annonæ:* & hæc omnia declarat Bened. *in sua Repe. Cap. Raynutius,* in verbo, *Testamentum 1. n. 30. extra de testamen.*

22 Infero septimò, aptiores esse armis Plebejos, & Rurales, qui in labore nutriuntur, Solis ardorem patientes, Urbem negligentes, deliciarum ignari, parvo contenti. Veget. *de re militari:* Undè apud Gallos Milites pedestres ferè omnes sunt rurales, & plebeji; exceptis Capitaneis, quemadmodùm Milites equestres, ut plurimùm, omnes sunt nobiles, ut notat Cassan. *in Catal. gl. Mundi, p. 9. §. Mos tamen.*

23 Infero octavò, nihil magis licere Militibus exoptare quàm laudem, & gloriam adipisci; quia laudis Cupidi nullos labores fugiunt, nullum discrimen, aut periculum detrectant; imò maxima quæque pericula obire non timent: Undè Cyrus suis exhortationibus desiderium gloriæ in suis Militibus accendere satagebat.

24 Infero nonò, Milites laudari in sobrietate: Miles enim sobrius esse debet in cibo, & potu, & de his non multum curare, nevè de lecto.

25 Infero decimò, Milites transeuntes nihil pro victu, aut eorum pabulo, à Provincialibus, etiam sponte offerentibus debere recipere, non soluto valore, ut etiam per Tex. *in l. Canaticorum, Cod. de erogat. militar. annon. & l. devotum, Cod. de Metatis, & Epidemeticis, lib. 12.*

26 Infero undecimò, immoderatum amorem acquirendi pecunias, nempè avaritiam, in quovis homine non immeritò ab omnibus vituperari, utpote non tantùm rectæ rationi, sed etiam propriæ singulorum conditioni, & professioni, nec non toti Generi humano, potissimùm verò ipsimet DEO, qui se totum hominibus tradit, repugnantem.

27 Infero duodecimò, obnoxios esse Judicio Divino, & humano omnes Milites, qui odio habendo paupertatem, & simplicitatem, quam ex vi muneris militaris deberent amare, non contenti de victu, quotidie excruciant pauperes Rusticolas, impotentes eis dare, quod injustè desiderant, & quærunt; aut in domibus suorum Hospitum rapiunt, quidquid possunt eosque verberant, & cogunt solvere, & exhibere certam pecuniam, ut domus eorum derelinquant. Undè Bal. *in Cap. Cum causam, extra, de Testib. & in Auth. Ad hoc, Colla. 8. Cod. de usuris,* dicit: Quò ibit Anima Mercatoris? Ego non immeritò dicam: Quò ibit Anima Militis, qui non bellat ut vincat, sed ut aliena rapiat bona, immoderato amore, seu desiderio thesaurizandi sibi thesauros in bello devictus.

VI. DIFFICULTAS.

An liceat vendere Arma injustè Bellantibus.

1 NOtandum primò, quinque modis bellum dici injustum: primò, si indicitur absque authoritate Principis, causa 23 q. 2, cap. 1. Secundò, quando fit ad vindictam; causa *ead. q. 1. Cap. Quid culpatur:* Tertiò, si pugnatur non necessariò, sed voluntariè *ead. causa, q. 1. Cap. Noli:* Quartò, quando bellatur, non ad Patriam defendendam, aut ad res repetendas, sed propter prædam, *Causa 20 q. 1. Cap. 1. & q. ult. Cap. Si nulla; & q. 1. Cap. Militare:* Quintò denique, quando movetur bellum, à quo non est movendum, ut puta; si moveretur à Personâ Ecclesiasticâ, cui non est licitum effundere sanguinem, nec per se, nec per alium, nisi in aliquibus casibus, quos alibi adnotavimus.

Notandum secundò, omne illicitum esse, vel quia est malum de se, aut ex circumstantiis, aut ex fine, vel intentione; aut quia est prohibitum. Ita etiam docet Sylvest. *v. de artibus, q. 1. §. Quartò, num. 5.* 2

Notandum tertiò, quòd nullæ res videntur ex se destinatæ ad malum usum, sive sint naturales, sive artefactæ; nam, si sunt naturales, scimus omnem creaturam DEI esse bonam; si verò sunt artefactæ; quælibet earum potest accommodari ad bonum usum, vel saltem indifferentem; ut patet in idolo, quod potest inservire, vel ad demonstrandum artificium, aut ad exprimendam memoriam antiquitatis, aut ad ornatum. 3

Notandum quartò, esse communem doctrinam, quòd quando res sunt tales, ut ex consuetudine, aut lege, vel ex institutione sua, sint prohibitæ, vel destinatæ ad malum finem, non absolutè, sed in iis circumstantiis, seu in hoc tempore, & loco; ita ut moraliter semper probabiliter timeatur pravus usus; nunquam licet eas alteri tradere, nisi in particulari constet cessare periculum pravi usus. Suarez *Disp. 10. de Scandalo. sect. 4. n. 6.* 4

Notandum quintò, appellatione armorum comprehendi tum offensiva, ut sunt faces, lapides: *ff. de furt. l. si pignoris, §. furem,* lanceæ, gladii, sagittæ, machinæ, ferrum, & omne, quod aptum ad vulnerandum, ad occidendum in manu tenetur, Inst. *de pub. jud. §. item lex Cornelia:* tum etiam defensiva; ut sunt scuta, galea, & similia, à nobis alibi notata. 5

His adnotatis; ad difficultatem propositam, an liceat vendere arma injustè Bellantibus, videtur affirmativè respondendum; quia nihil apparet, quod possit talem venditionem vitiare; non finis, si venduntur arma, non ut injustè bellatur; non scandalum activum; quia solùm injustum pretium potest scandalosam reddere venditionem; non scandalum passivum; quia, si arma non venduntur ab uno, venduntur ab alio. Præterea, si proximus vult peccare, non tollitur ejus peccatum ex eo, quod non detur materia, seu instrumentum peccandi; & ideò cùm jam detur ruina spiritualis proximi, scandalum non datur. 6

Veritas tamen est, nullatenus licere arma vendere injustè Bellantibus. Butrius *in Cap. Ita quorundam num. 13. de Saracenis:* Sylv. *v. de artibus, q. 3. n. 3.* Suarez, loc. cit. *n. 5.* Naldus, *v. vendere, n. 31.* Diana, *par 5. tract. 7. Res. 37.* Coordinat. *tom. 7. tract. 5. de scandalo, Res. 66. num. 2, & alii.* 7

Mo-

8 Moveor primò juribus, *in Cap. si quis viduam, 50. Dist. & in Cap. Sicut dignum, causa 23. q. ult. de homicid. §. illi etiam; & in Cap. de occidendis, ead. causa, q. 5.* Ubi habetur pro homicidâ, qui pugnantibus arma ministrat, si fiat homicidium: *& in l. quod sæpè 35. ff. de contrahenda emptione, & in l. 1. ff ad leg. Cornel. de sic. §. præterea, & in l. 3. ff. eod.* Ubi habetur, eum plecti, qui malum venenum necandi hominis causâ vel fecerit, vel vendiderit, vel habuerit, quod idem videtur dicendum de arma vendentibus injustè Bellantibus, cùm nulla sit differentia inter vendentes venenum malis emptoribus, & vendentes arma injustè Bellantibus.

9 Moveor secundò rationibus: nam, ex qualitate temporis, loci, & personæ, dictat conscientia, aut dictare debet, quòd ista arma non quæruntur nisi ad malum finem: & ideò qui vendit illa, peccat; cooperatur enim peccato ementium. Tum etiam, quia excommunicatio nunquam infertur à jure, nisi pro eo, quod est peccatum mortale, ut notat Sylv. *v. de artibus, q. 6. num. 6.* Vandere autem arma Christiani nominis hostibus, qui injustè contra Christianos bellant, punitur excommunicatione Bullæ Cœnæ, *Can. 7.* Et Ideo vendere arma injustè Bellantibus non potest excusari à peccato mortali, cùm non aliâ ratione videantur à jure Ecclesiastico puniri censurâ arma vendentes Infidelibus, nisi quia Infideles contra Christianos injustè pugnant.

10 Movent tertiò exempla, in illis, qui vendendo, aut quomodolibet ministrando ea, quæ per se ad Infidelitatem conferunt, ut idola, vestes sacerdotales, & similia non alium usum habentia, peccant, ut probat Petrus Lorca *in 2. 2. q. 10. art. 9. num. 5.* Diana loc. cit. Sanè arma, quæ injustè Bellantibus venduntur, ad injustas occisiones conferunt, nec alium usum in hoc tempore, loco, habent, vel possunt habere; & hoc præsciunt vendentes: adeoque peccant, ea vendendo.

11 Concludimus igitur, posse quidem excusari vendentem arma defensiva, puta, scuta, galeam, thoracem, & similia, in bello manifestè injusto, nunquam verò posse excusari vendentem arma offensiva, arcus, sagittas, enses, pugiones, ferrum factum, vel infectum; & etiam lapides, qui etiam veniunt armorum appellatione, ut notat. Butri, loc. cit. *num. 12.* ubi asserit, Leg. Cotam loqui de lapidibus necessariis ad acuendum ferrum; & generaliter cujuscumque generis arma offensiva.

12 Ad rationes in contrarium respondemus; ad primam, quòd hæc venditio, si non est mala ratione finis intenti; est tamen mala in se, quia ordinatur verè, & realiter ad malum: armis enim venditis fiunt injustæ occisiones.

13 Ad secundam respondet primò Suárez, loc. cit. *num. 5.* quòd si illa arma non venderentur, forsitan bellum injustum non sequeretur. Secundò, quòd non impeditur peccatum vendentis per hoc, quòd possint ab alio vendi; scimus enim peccare famulum, si injustum exequitur mandatum Domini, quamvis sciat alium facturum, si ipse exequi nolit; cùm ipsa actio mala sit, & non tollatur ab eâ deformitas ex eo, quòd plures sint ad similes actiones parati.

14 Infero primò ex dictis, quando tempore belli arma petuntur, esse diligenter considerandum, antequam vendantur, qualis sit causa petitionis, & armorum; quales sint personæ, quæ petunt; quale sit bellum, propter quod fit petitio: & his maturè consideratis, si constet bellum esse injustum, non debet quis arma vendere ea petenti, nè se exponat periculo injustè nocendi, etiam si credat patere ad defensionem corporis, ut addit Hosti. à Butrio, loc. cit. relatus.

15 Infero secundò, gravissimè peccare Artifices, si faciant arma, & præcipuè quasdam machinas bellicas, piceas, seu sulphureas, variis materiis compositas, nostro tempore adinventas in formâ olivæ, seu ovi, quæ vulgò dicuntur *Carcasse*, quæque tormentorum bellicorum vi solent cum impetu emitti, & excludi cum ingenti, & terribili strepitu, necnon, & ruinâ ferè irreparabili Civitatis, aut Arcis, super quam labuntur; peccare, inquam, Artifices harum machinarum, aliorumque armorum, si ea faciant, aut vendant, ut homines talibus abutantur; aut donent, vel vendant his, quos sciunt, aut credunt abusuros. D. Anton. *par. 2. tit. 10. cap 23.* Medina *Cod. de restitutione, q. 30.* Sylv. *v. de artibus q 3. num. 3.*

16 Infero tertiò, peccare graviter, vel leviter juxta qualitatem materiæ, illum, qui sine necessitate, vel magno commodo, vendit, vel donat res indifferentes, quæ intrinsecè malæ non sunt, quandò præscit emptores, vel alios malè illis usuros. Ita docet etiam Sylvest. *v. infidelitas, q. 4. v. art, q. 3.* D. Anton. *p. 2. tit. 1. cap. 9.* Adrianus, *Quodlibet 3. dub. 2.* Cùm unusquisque teneatur ex charitate impedire alterius peccatum, si facilè potest.

17 Infero quartò, peccare illum, qui, concurrentibus aliis pro æquali pretio, locat meretrici, vel publico usurario, cum præscientiâ mali usus, propriam domum; secus verò, si non concurrerent alii, quibus locare posset; cùm non intendat peccatum alterius. Sic etiam docet Suarez, loc. cit. sub *num. 5.*

18 Infero quintò, non licere vendere gladium illicitè furenti, & minitanti alteri necem, si exteriùs appareat mala ementis intentio. Hoc etiam tenet Diana, loc. cit. *n. 2.*

19 Infero sextò, absque urgenti necessitate, non licere ministrare Judæo agnum, quem emit immolandum, & hoc exprimendo vendenti, seu ministranti. Lorca apud Dianam, loc. cit. *n. 3.* Circa hanc materiam legatur Duvallius *in 2. 2.* D. Thom. *tract. de Fide, quæst 7. art. 6. concl. 2.* Granad. ibid. *contr. 4. tract. 18. disp. 12, num. 3.* Malderus, ibid. *q. 10. art. 9.*

20 Infero septimò, nobis non licere admovere scalam, humeros exhibere, vel aliam operam præstare illi, quem scimus velle furari, aut hominem interficere, vel copulam illicitam cum fœminâ habere; quamvis malefactor sit Pater, aut Dominus; quia licèt hujusmodi actiones ex se sint indifferentes; attamen hic & nunc sunt proximè ordinatæ ad peccatum; & influunt directè in alterius ruinam spiritualem; & ideò contra-

tia doctrina damnata fuit à Sanctæ Memoriæ Innocentio XI, & est quinquagesima prima Propositio in ordine damnatarum.

21 Infero octavò, peccare vendentem fucos mulieri, quos scit velle ad excitandum turpem amorem in juvene; præcipuè, si ipso non vendente, aliter non venderet; nisi illum excuset justa causa, ut notat Diana, *tract. de scandalo res. 67. num. 3.*

22 Infero nonò, peccare mortaliter Artifices variorum ornamentorum, hæc vendendo his, quos sciunt, aut credunt usuros ad provocandam libidinem, quia cooperantur talibus in crimine, *causa 2 q. 1. Cap. Natum:* Secùs verò vendendo mulieri non habenti manifestè hujusmodi pravam intentionem; quia mulieres possunt se ornare, ut conservent decentiam sui status, vel etiam addere fucum, & aliquid aliud, ut placeant viris suis, & illis placendo, alias fœminas non quærant. Undè dicitur 1. *ad Cor. cap. 7.* quòd mulier, quæ nupta est, cogitat quæ sunt Mundi, quomodò placeat viro suo: & hæc est sententia D Th. *2. 2. q. 169. art. 2. in corp.* ubi „addit. illæ autem mulieres, quæ viros non ha„bent, nec volunt habere, & sunt in statu non „habendi, non possunt absque peccato appetere „placere virorum aspectibus ad concupiscendum, „quia hoc est dare eis incentivum peccandi. Et„si quidem hac intentione se ornent, ut alios pro„vocent ad complacentiam, mortaliter peccant, „Si autem ex quadam levitate, vel etiam ex qua„dam vanitate propter jactantiam quandam, non „semper est peccatum mortale, sed quandoque „veniale: & eadem ratio, quantùm ad hoc est de „viris. Hanc Angelici Magistri doctrinam referre per extensum duximus, tanquàm scitu dignam pro Confessariis; cùm fucorum usus, qui nostro tempore inter fœminas, etiam non rarò ad Sacrum Tribunal accedentes, plurimùm sit propagatus. Videpatiter circa hanc materiam Sylv. *v. de artibus q. 4 num 5.*

23 Infero decimò, vendentes arma Bellantibus, aut venenum alias, posse excusari, non solum à culpâ, sed etiam à pœnâ, si aliquo modo dubitant emtures illis abusuros; quia nemo præsumitur in dubio, quòd velit delinquere, ut per Tex. in *l meritò, ff. pro socio.*

24 Infero undecimò, vendentes arma injustè Bellantibus, vel alias res, quæ non quærunturnisi ad malum; vel alicui officio debitos, quod sine peccato exerceri non potest, non esse absolvendos, nisi negotium dimittant. Apertus est Tex. in *Cap. Falsos, & Cap. Fratres, de pænit. dist. 5.* & tenet Sylv. referendo alios in *sum. verbo, de artibus, q. 4. num 5.*

VII. DIFFICULTAS.

An liceat arma veneno inficere in bello ad interficiendos Hostes.

1 Notandum primò, venenum, quod est vocabulum medium, quod tàm in bonam, quàm in malam partem usurpatur, hodie non aliter, quàm in deteriorem partem sumi; pro eo, scilicet, quod sit naturæ corruptivum, & inimicum sanitati, ac vitali facultati viventium; & ideò venenum definitur ab aliquibus: Sub„stantia corporia humani destructiva, & corrupti„va: ab aliis: Qualitas subtilis humanæ præcipuè, „naturæ interemptiva. „

2 Notandum secondò, dari inter venena differentiam; nàm aliqua sunt calida, quæ quasi comburendo interficiunt; & citò, quasi adustum reddunt locum motins. Alia sunt frigida, & frigidando inficiunt cor, cùm vaporaliter ad cor deferuntur, Alb. Magn. *lib. 7. Animal. cap. 5.* Alia sunt subtilia, & citiùs penetrant, & necant, sed faciliùs consumuntur, & medicinam reperiunt Alb. Magn *ibidem.* Aliqua reperiuntur, quæ qualitate, totoque genere deleteria sunt; & alia quæ solùm quantitate nocent, Ant. Portus, *lib. 3. de peste, cap. 4.* & omnia venena in hoc conveniunt, quòd sunt naturæ corruptiva; atque adeò venena propriè vocantur omnia illa quæ corpora secundùm naturam destruunt, & depravant, ideò deleteria à Medicis dicuntur, ut colligitur ex Plat. *dial. 11. de legibus.*

3 Notandum tertiò, apud Scythas consuevisse Milites in bello sagittas aspergere veneno, quod adhuc vocatur venenum scythium, variis rebus compositum, quas nos consultò omittimus, modum venenandi docere nolentes.

4 Notandum quartò, veneno necare gravius esse quocunque alio genere homicidii, cùm interveniant insidiæ, & proditio, ut ait Bald. *cons. 211. verb. istud maleficium, in 4. volu.* ubi etiam dicit, quòd quia est enormissimum delictum, non datur ab eo appellatio,

5 Notandum quintò, venenare esse speciem proditionis, ut tenet Jacob. Butrig. & Bald. in *l. nemo. Cod de summa Trinit. & Fide Cathol.* & Sal. in *l. cum fratrem, Cod. de his, quibus, ut indign.* & sequitur Alex. *cons. 145. n. 6.*

6 Notandum Sextò, jus gentium dici, quia eo jure omnes ferè gentes utuntur, & quo gentes, quasi ab initio mundi uti cœperunt, & diviserunt sibi Regiones; & sic cœperunt dominia rerum, & consequenter meum, & tuum; bella inventa sunt, servitutes introductæ, manumissiones, & contractus ut per Tex. in *l. ex hoc jure, de just. & jur. ex §. Jus autem, Instit. de jure natural. & l. omnes populi, ff. eod in Cap. Jus gentium dist. 1.*

7 His adnotatis: ad difficultatem propositam, an liceat arma veneno in bello inficere ad hostes interficiendos; affirmativè videtur respondendum, quando bellum est justum; nam in bello licet omnia facere, quæ necessaria sunt ad defensionem publici boni, cùm finis belli sit Rempub. defendere, & conservare, ut optimè probat Victor, *de jure belli, Relect. 1. n. 15.* Ergò licebit arma veneno inficere, si publici boni necessitas, seu necessaria defensio postulaverit. Præterea, licere Bellantibus uti insidiis in bello certum est, & tenet D. Tho. *2. 2. q 40. art. 3.* Suarez, *tract. de bello, disp 13. sect. 7. num. 25.* quodque à nobis fuit clarè alibi demonstratum, Quid est autem arma venenare, nisi insidiis uti? Præterea, negat nemo licere bellanti hostes occidere nocentes, non solùm in ipso pugnæ congressu,

gressu, sed etiam post victoriam partam, si eorum mora necessaria sit ad pacem, & securitatem in posterum stabiliendam: Valent. a. 2. disp. 3. q. 16. p. 3. vers. septimò. infero. Coninb. Bonac. & alii, quos recenset, & sequitur Castropalaus, de charit. tract. 6. disp. 5. punct. 4. num. 5. Quos autem interficere licet, eos gladio venenato, vel non venenato interimamus, nihil interest.

8 Veritas tamen est, nullatenùs licere in bello arma veneno inficere ad hostes interimendos. Ita sentiunt Levius, qui lib. 42. de bello Gild. de Perseo loquens, occidere hostes venenatis armis vocat clandestina scelera: Claudianus, agens de insidiis in Pyrrhum, à Fabricio rejectis, nefas vocat arma venenare: & Cicero quoque eamdem historiam tangens, scelus dicit. Et Card. Albanus in Lucubrat. in Bart. in l. 1 ff. ad leg. Pompejam, de patricidiis, ait, veneno occisum, dici proditoriè interfectum.

9 Moveor primò juribus, in l. 1. ff. ad leg. Cornel. de sicar. & venef. ubi prohibetur veneno occidere homines; ubi etiam in §. 1. dicitur: Praeterea, tenetur, qui hominis necandi causâ venenum confecerit, & dederit, & in lib. 1. Cod. de malef. & mathem; ubi habetur, plùs esse veneno, quàm gladio occidere. In bello autem licet occidere gladio, cujus nomine omnia arma veniunt, non verò venena.

10 Moveor secundò rationibus: nam Princeps in bello respectu hostium est Judex, ut probavimus in lib. 1. diss. pert. ad Princ. Venena autem prohibentur in pœnis, adeò quòd Judex non potest damnare reum, ut veneno pereat, ut probatur in l. aut damnum §. Proinde, qui est primus, ff. de pœnis. Tum quia, nunquam licet proditoriè agere: venenare autem est species proditionis, ut notatum est. Tum etiam, quia, ut bellum sit justum, non ex odio debet bellari, sed propter charitatem, justitiam, & pacem; causa 23. q. 1. Cap. Quid culpatur, Cap. Militare, Cap. Apud. & arma venenare ad hostes interficiendos, argumentum est odii, non charitatis, aut justitiæ. Præterquam quòd, generosiùs quidem est in bello ita occidere, ut is, qui occiditur, sui defendendi habeat copiam, quod minimè videtur permissum ubi adhibetur venenum, aut arma adhibentur venenata; cùm statim vix tangendo, seu leviter vulnerando, vitam adimant, aut vires.

11 Moveor tertiò exemplo; primò, in Romanis, qui, utpote generosos spiritus in corde nutrientes, nunquam voluerunt veneno vincere, & ideò, cùm quidam Medicus Pyrrhi obtulisset C. Fabricio Consuli, se Pyrrhum hostem Romanum veneno necaturum, non recepit, sed scribi jussit Pyrrho, ut à veneno caveret: Teste Livio, lib. 9. decad. 4. Secundò, in Tiberio, Senatuque Romano, qui neci Arminii hostis Romani per venenum patrandæ ab Adgandestio, Catthorum Principe, ad hujusmodi scelus se sponte per litteras offerente, consentire recusavit; & eâ se gloriâ æquans priscis Imperatoribus, respondit, non fraude, neque occultis modis, sed palam, & armatum Populum Romanum, hostes suos ulcisci: Tacito sic memorante in fine secundi libri, apud Tiber. Decian, tract. crimin. lib. 9. c. 22. n. 11.

Concludimus igitur, hostes in bello non licere, neque extra bellum veneno, aut armis venenatis occidere; ita etiam disponente jure gentium, & ex omnium, certè meliorum, quorum consensus ortum habuit ex respectu communis utilitatis, ne pericula in bellis, quæ crebra esse cœperunt, nimium intenderentur: & arbitror id à Regibus, & Principibus esse profectum, quorum vita ab armis ante alios defenditur; à veneno minùs, quàm aliorum tuta est, nisi eam tueatur aut juris aliqua Religio, aut metus infamiæ. 12

Ad rationes in contrarium respondemus; ad primam; concedendo licitum esse in bello justo omnia facere, quæ necessaria sunt ad defensionem publici boni: dummodo tamen non sint vetita jure naturali, & intrinsecè mala; & ex quibus majus eveniat detrimentum eidem publico bono; ut est in casu nostro, arma veneno inficere. 13

Ad secundam, concedendo pariter licere in bello iis uti insidiis, à quibus jus ipsum naturæ non abhorreat tanquam intrinsecè malis, occultando consilia, ut notat Suarez loc. cit. non tamen utendo veneno. 14

Ad tertiam: admittendo quoque, fas quidem esse, inimicos occidere post partam etiam victoriam, non tamen modo proditorio, ipsique juri naturæ contrario, nec non & juri gentium, quod Bellantes pariter tenentur respicere; cùm bellum introductum sit jure gentium, ut per Tex. in Cap. Jus gentium, Dist. 1. & ibi Gloss. 15

Infero primò ex dictis, justè puniri eum, qui portat arma venenata; cùm hic verè præsumatur malum habere animum; & ideò etiam graviùs esse puniendum, juxta doctrinam Baldi in d. l. nemo, Cod. de Summa Trinit. & Tex. in l. 1. Cod. de malef. & Mathemat. 16

Infero secundò, esse puniendos eos, qui arma venenata non solùm deferunt, sed etiam domi habent; esse, inquam, puniendos Lege Juliâ de vi publicâ, & etiam pœnâ graviori, ut vult Menochius, lib. 2. de arbitr. jud. cas. 394. num. 47. 17

Infero tertiò, tentantem alios veneno occidere, non sequuto effectu, esse quidem puniendum; quâ verò pœnâ, Card. Albanus, loc. cit. remittit Lectorem ad Bald. in cons 443. at pœnâ extraordinariâ, non pœnâ, leg. Cornel. de sicar. idest morte, tenet Specul. in tit de accusat primâ par. §. 1. vers sed pone primò, Angl. in l. 1. §. hæc verba, ff quod quisque jur. & Bald. ind. 3. Cod. de seru fugit. Excepto filio, volente dare Patri venenum, qui punitur leg. Cornel. de sicar. etiam morte non sequuta. lic. 1. in fin. ff. ad leg. Pomp. de Patricid. 18

Infero quartò, puniri venenum facientes, vendentes, & retinentes hominis occidendi causâ: ut per Tex. in l. 4. ff. de sicar. & ibi Doctores. 19

Infero quintò, eâdem pœnâ esse puniendum 20 alios venenantem, sive venenum sit præsentaneum, seu velocissimum; sic appellatum à Svetonio in Nerone cap. 33. & sic dictum, quia citò interimit: sive non præsentaneum, sed moratorium; eo quod mortem in plures dies profe-

tat;

rare ut fuit illud, quod Attilius Regulus dixit in Senatu sibi à Carthaginensibus datum eo animo, ut vitam tantisper haberet, donec fieret permutatio Captivorum, à Carthaginensibus summoperè optata: scribit Gel. *lib. 6. cap. 4.*

21 Infero sextò, dantem venenum ad occidendum hominem æquè puniri, ac is, qui venenum ipsum propinat, ut per Cæpol. *Cons. 5. num. 30.*

22 Infero septimò, nefas esse fontes veneno inficere; & hoc etiam videtur procedere ex quibusdam Bellantium tacitis conventionibus, ut minuerentur pericula; cùm olim Calcidensibus, & Eretriensibus, manente bello, convenerit, nè missilibus uti liceret: Strabo, *lib. 10.*

23 Infero octavò, justè censurari Parthos à Lucano, Æthiopes à Claudiano, Getos ab Ovidio, & Afros quosdam à Silio, eò quòd voluerint spicula veneno inficere, & geminare mortis causas; ut rectè Salisberiensis observavit, „cujus hæc sunt verba. Nec veneni, licèt vi„deam ab Infidelibus aliquandò usurpatum, ullo „unquam jure indultam lego licentiam, Salisb. *c. 8. 20.*

24 Infero nonò, in bello contra Turcas, aliosque Infideles, non licere aquas veneno inficere, sed licitum esse aquas sine veneno ita corrumpere, ut bibi nequeant; cùm hoc sit idem, ac avertere flumen, aut fontis venas intercipere, quod & naturâ, & consensu licitum est.

25 Infero decimò, delictum esse, & publicâ animadversione puniendum, scribere, aut docere perfectè modum arma venenandi, & conficiendi venena: Galen. *in lib. de antidot lib. 2. cap. 7.* ubi inquit, improbi hominis esse docere venena.

26 Infero undecimò, teneri Principes, & Reges suis Ducibus imperare, ut ab Armis venena arceant; nam apud Valerium Maximum scribitur Armis bella, non venenis geri debere: *lib. 5. cap. 5.* Nec licere, ait Silius, ferrum infamare ve-
27 neno.

Infero duodecimo, veneno aliquem occidentes esse graviùs puniendos, quàm occidentes gladio. Ita etiam Jo: de Ana. *in C. 1. col. 4. de sortileg.* Dec. *in Cap. Quæ in Ecclesiarum, num. 21. de Const.* Card. Alb. *in Lucubrat. in Bart. in lib. 1. ff. ad leg. Pompejam, de Parricidiis.*

VIII. DIFFICULTAS.

Quidam Miles omnia sua arma in bello alienavit, ut ludo illicito pecuniam, quam ludendò amisit, recuperaret: Dubitatur, num sit pœnâ capitali puniendus.

1 Notandum primò, ludum fuisse inventum, ac institutum, ut animus relaxetur, ac vires defatigatæ instaurentur: & differre à joco in hoc; quia jocus fit verbis, ludus verò factis præcipuè, & differre à lusu, quia ludus fit causâ lucri, lusus verò fit gratiâ oblectationis tantùm, quamvis Authores multotiès hos terminos confundant.

Notandum secundò, aliquos ludos esse illicitos ratione materiæ, ut notat Molfesius *in sua sum. p. 2. tr. 12. cap. 21. num. 24.* & aliquos ratione prohibitionis; & quosdam ludos prohiberi de jure communi, ut sunt ludi aleatum, ut tot *tit. ff. & Cod. de alea lusu, & aleator.* & quosdam de jure municipali, ut optimè distinguit Molfesius loc. cit. *à num. 32 ad 42.* 2

Notandum tertiò, ludere animo vincendi socium, non esse peccatum mortale, si ludus sit licitus, & fraudes cessent, & lusor ex regulis ludi vincere cupiat, Sor. Med. Cajet. Navar. Azor. Sylv. & alii, quos recenset, & sequitur Salas, *dub. 2. de lud. n. 2. & seqq.* Contrarium tenent Abb. *in Cap. Clerici n. 12. de vit. & honest. Cleric.* & alii. 3

Notandum quartò, frequentiam ludi non judicari ex uno actu ludendi, continuato unâ die solâ, etiamsi variis ludis, & variis, ac diversis cùm personis quis ludat; sed ex diversis temporibus; ita ut constet ludentem consuevisse in ludo vitam agere. Hæc est doctrina Bal. *in l. inficiando, §. insitus, ff. de furtis;* quem sequitur Caccialup. *tract. de ludo, n. 69.* & Maria, Soc. sen. *Cons. 33. vol. 4. lib. 1.* 4

Notandum quintò, Militum arma esse tibiale, vel humerale, lanceas, scuta, galeas, gladios, & tormenta manuaria, vulgo *Moschetta*, quæ nostris temporibus inter principaliora arma enumerantur; suntque gladio utiliora. Patric. *in Pandect. milit. n. 90.* & hoc docet experimentum, & testantur Milites. 5

Notandum sextò, quòd si Miles semel malè se gessit in rebus militaribus, præsumitur quòd in futurum malè quoque se geret: & est scriptum *in l. non omnes, §. à Barbaris, ff. de re milit.* Et etiam *in Cap. Nonnulli, Dist. 46.* Legimus ex D. August. malum semper è malo præsumi, sicuti bonum è bono. 6

Notandum septimò, augeri delictum Militis arma alienando, si pecunia, redacta à milite ex armorum alienatione, sit in causam ludi consumpta. Ita Glos. *in l. desertorem, §. Miles, ff. de re milit.* in verb. *amittit.* 7

His adnotatis, ad difficultatem propositam, an Miles, qui omnia sua arma alienavit, causâ ludi prohibiti, sit graviter, scilicet, pœnâ capitali puniendus, videtur negativè respondendum: cùm Milites delinquentes sint magis humanitate, quàm severitate tractandi; exponunt enim sese periculo mortis, totque incommodis ob Bonum Reipub. ex quo videntur aliquam veniam mereri, si delinquant. Præterea, magis laudantur Duces, quorum exercitùm ad disciplinam militarem humanitas & labor instituit, quàm illi, quorum Milites ad Modestiam suppliciorum metus compellit. Ita sentit Veget. *de re milit. lib 2.* Unde quamvis jura pœnam capitalem imponant militibus arma alienantibus, nihilominus in hoc crimine videtur, si non parcendum, arbitrio Judicis standum. 8

Veritas tamen est, militem, qui arma omnia alienavit, causâ ludi prohibiti, si de vendicione convincatur, esse capite plectendum, Modestinus, *in l. desertorem, §. Miles. ff. de re milit.* Tiber. Decian. *in tract. criminal. lib. 7. cap. 15. num. 43.* quibus addo Tacitum, *lib. 13. annal.* 9

ubi

„ ubi ait. Quòd delicta Militum nullâ veniâ „ prosequi usu salubre, & misericordiâ melius „ semper apparoit.

10 Moveor primò juribus, *in d. l. desertorem*, §. *Miles, ff. de re milit. & in l qui commeat.* 14. §. *arma, tit. eod.* Ubi reperitur cautum, quòd, qui arma amiserit, vel alienaverit, capite sit puniendus.

11 Moveor secundò rationibus; nam Judici non datur arbitrium in his, quæ à lege claré sunt decisa, ut egregiè Joan. Corasius, *lib. 4. miscellan. juris, Cap.* 12. *n.* 6. Menochius, *lib.* 1. *de arbitr jud. q.* 14. *n.* 6. *Conf.* 117. *n.* 10 & ideò arbitraria actio dicitur, quæ in judicantis arbitrio posita est, non quæ est in dispositione Legis: quare communi omnium voto receptum est, pœnam non dici abitrariam, quæ lege, vel consuetudine sancita est, ut ex *l. si quis reum, ff. de Custod. reor.* multis confirmat Tiraq. *in tract. de pæn. legum, in præfatione, num.* 4. Cum igitur cautum sit claré in jure, Militem arma alienantem esse capite plectendum, non potest ei Judicis arbitrio pœna minui, Tum quia grave sanè crimen est arma omnia alienare, & desertioni æquiparatur,ut tenet cum multis Decian. loc. cit. Desertio autem capite punitur, ut alibi demonstratum est: Ergò & armorum alienatio. Tum etiam, quia Miles, si semel arma alienavit causâ ludi, præsumitur, quòd in futurum arma alienabit. Nè igitur hæc culpa militaris transeat in exemplum, cum detrimento militiæ, nec non & damno Reipub. damnandus videtur pœnâ capitali Miles, qui omnia arma alienavit; additâ præsertim causâ alienationis, quæ est ludus prohibitus; qui suam pœnam, præcisâ alienatione armorum, etiam deberet habere.

12 Moveor tertiò exemplo à simili, seu potiùs praxi frequenti, præsertim tempore belli, in tot Desertoribus ad mortem damnatis; nam Desertoribus per Tex. clarissimum assimilantur Milites, omnia arma ob turpem causam vendentes; *l. qui commeat.* 14 §. *Arma, ff. de re militari.*

13 Concludimus igitur, Militem alienantem arma, vel illa in bello amittentem, esse puniendum, cum hoc discrimine, notato à Decian. loc. cit. pœnâ capitis, si omnia arma alienavit; si partem eorum alienavit, ut ilbiale, vel humerale, verberibus. Si verò simul loricam, scutum, gladium, galeam, desertorum punitioni erit obnoxius; vel militiam mutabit, si humanius cum eo agendum sit. Ita Decian. loc. cit.

14 Ad rationes in contrarium respondemus: ad primam, nempe Milites deliquentes esse cum humanitate judicandos, hoc concedendo in eo, quod in Judicantis arbitrio positum est, sed negando in eo, quod jam Lege claré decisum est; cùm non possit esse arbitrarium, ut supra notavimus.

15 Ad secondam, eodem modo respondetur: addendo tamen, posse Duces, & Judices in Militem dicto crimine reum procedere humanè, juxta tamen dispositionem *l. 2. Milites, ff. de re milit.* quæ alienantibus arma, pœnam quidem capitalem imponit, sed statim subdit, *humanè tamen militiam mutat*: vel juxta dispositionem, *l. qui commeatus* 14. §. *arma, ff. eod,* quæ Tyrones excipit, ut notat Cot. *de jur. milit. lib.* 3. *cap.* 9. Petrin. Bell. *de re milit. lib.* 3. *p.* 8. *cap. unic. num* 52.

Infero primò ex dictis, pro alienatione unius ex armis principalioribus, putà, aut scuti, aut gladii, aut galeæ, non esse Militem morte damnandum, cùm jura allegata debeant intelligi de alienatione omnium armorum conjunctim, non autem in alienatione unius ex eis; quia non loquuntur cum dictione alternativa. 16

Infero secundò, Tyroni ob crimen militare, esse faciliùs parcendum; & si arma vendiderit, culpam esse imputandam Armorum Custodi, si arma Militi commisit non suo tempore, *l. qui commeatus, §. ff. de re milit.* 17

Infero tertiò, non licere Judicibus sine causâ à pœnâ, sive lege, sive consuetudine indictâ, recedere. Tyraq. quem recenset, & sequitur Menochius *de Arbitr. judic. lib.* 1. *quæst.* 14. *num.* 7. 18

Infero quartò; ludum prohibitum publicè tenentem justè puniri pluribus pœnis, quas distinctè enumerat Sylvest. *in verb. ludus, quæst.* 6. 19

Infero quintò, licere Judicibus exigere pœnam à lusoribus nimium dediris ludo prohibito. Molfesius *in summa p.* 2. *tract.* 10. *Cap.* 21. *num.* 37. ubi addit, quòd Judices timorati nolent à transgressoribus pœnam exigere, qui moderatè ludunt recreationis causâ etiam ludis prohibitis. 20

Infero sextò, peccare mortaliter eos, qui ludo prohibitio frequenter, & ex vitio ludunt, præcipuè si hujusmodi frequentia ludi sit causa discordiæ in domo, ut ordinariè solet evenire. Contrarium tenent alii, loquentes de lusoribus laicis; quia voluit non obligari ad abservantiam illarum legum sub mortali; cùm sint leges purè pœnales, quæ regulariter ad mortale non obligant. Navar. Valent. & alii, quos producit Molf. *in summâ, p.* 1. *tract.* 9. *cap.* 9. *à num.* 29. *ad* 33. *& in p.* 2. *tract.* 12. *cap.* 21. *num.* 37. non verò de Clericis, puta, ludentibus taxillis, quod eis est prohibitum. Concil. Tolet. 2. c. 11. 21

Infero septimò, Militem alienantem omnia sua arma, peccare mortaliter; quia quando Legislator apposuit pœnam graviorem, videlicet pœnam mortis, obtruncationis membrorum, & sic de aliis, intentio Legislatoris præsumitur obligare transgressores ad mortale, cum pœna mortis non possit imponi, nec infligi alicui sine gravissimâ culpâ. Ita communiter DD. contra Navar. Secùs verò, si alienationi armorum esset imposita pœna pecuniaria, sed fustigationis. Ita etiam sentire videtur Molfes. *in sum. p.* 1. *tract.* 9. *Cap.* 9. *n.* 32 22

Infero octavò, acquisita per ludum, jure vetitum, esse obnoxia restitutioni, quamvis non interfuerit vis, aut fraus: quia prohibito à lege ludo, contractus redditur nullus ex reg. tex. *in l. non dubium, Cod. de leg.* Contrarium tenent alii, qui dicunt suam opinionem esse receptiorem, & veriorem. 23

Infero nonò, in tribus casibus esse jure divino restituenda acquisita per ludum, sive licitum, sive jure prohibitum; restituenda, inquam, illi, qui ea amisit, nec sufficere dare pauperibus:

In primo, quando, qui amisit, non potest rem suam alienare: In secundo quando qui luctatur, fraudem adhibuit: In tertio, quando, qui amisit, nolebat ludere, & ad ludendum fuit tractus per vim, sive in principio ludi, sive in medio. D. Tho. Azor. & alii, quos recenset, & sequitur Sylv. *in v. ludus, quæst. 11.*

25 Infero decimò, Arma Militibus pignoris causâ adimenda non esse. Ita censuit Glas. *intl. Nepos Proculo, ff. de verb. sign.* & doctus Menochius, *de Arbitr. Jud. lib. 2. Cas. 394. n. 68.*

26 Infero undecimò, Militem arma pignorantem non esse pœnâ capitali plectendum; quia non est vera alienatio, & propria, nisi ubi transfertur dominium, ut docet Philip. Dec. *in cons. 645.* citans pro se Bal. Et jura allegata puniunt pœnâ capitali arma alienantes; & alienatio, dùm agitur de odiosis, debet intelligi in rigorosâ & propriâ significatione: esse tamen morte plectendum, si arma pignoraverit pro pretio eisdem æquivalenti; quòd verè dicitur vendere, & non pignorare, quia tunc nulla est spes luitionis, & sic incidit in pœnam prohibitæ sibi venditionis, Aoth. *Qui habebat, ff. de leg. 3.* & notat Naldus, *v. pignus, n. 11.*

27 Infero duodecimò, vendi non posse arma, aut alias res parvo pretio cum pacto, ut si intra certum tempus non redimantur, sint ejus, qui emit. Concil. Mediol. *1. part. 2. tit. de usuris.*

28 Infero decimotertiò incidenter, & ob studiorum curiositatem, vendentes Terras, Arces, Loca &c. in statu Ecclesiæ, de licentiâ Summi Pontificis: non posse etiam titulum transferre sine expressâ ejusdem licentiâ. Urban. VIII. *in append. Constit. 43. Cum ratione.*

IX. DIFFICULTAS.

Socio cujusdam Militis, in conflictu vulnerati, quibusdam medicamentis fovente gladium, vittas, sive ligna sanguine infecta, sanitatem recepit ille, qui vulnere affectus in hospitio distans jacebat. Dubitatur num hic modus medendi redoleat superstitionem.

1 NOtandum primò, superstitionem dici à superstite; & superstitem dici vel testem præsentem, cui rei testimonium est; vel quamlibet personam præsentem: undè Gentiles cùm nimium in Phanis remanserint, quasi apud DEOS suos superstites, assiduè illos deprecantes, illisque immolantes, ut sui Liberi superstites sibi manerent, vocati sunt ob talem vanam observationem superstitiosi; & inde nomen habuit superstitio, ut notat Cicer. *lib. 2. de natur. Deor.*

2 Notandum secundò, superstitionis, seu vanæ observantiæ, quatuor esse species, explicatas à D. Tho. 2. 2. *q. 96. art. 2.* Cajet. *ibid. & in sum. verb. incantatio.* S. Anton. *p. 2. tit. 12. Cap. 1. §. 9.* Angel. verb. *superstitio num. 3.* Valentia, *tom. 3. disp. 6. q. 13.* Navar. *in Manual. Cap. 11. n. 31.* & aliis; quarum secunda, ut notat Sayr. *in sua Clavi Regia, lib. 4. Cap. 6. num. 4.* est observantia sanitatum; cùm scilicet quis vanè mediis aliquibus utitur, tanquam causis efficacibus sanitatis, seu immutationis corporum; sive media illa sint naturalia, sed alioqui insufficientia ad hoc, ut tales effectus causent, ut herbæ, lapides, & similia; sive artificialia, ut characteres, figuræ, imagines, & hujusmodi, quæ, cùm non possint sufficienter concorrere ad effectus illos causandos, si adhibentur, tanquam signa, ad pacta significationum cum dæmone inita pertinent.

Notandum tertiò, vanam observantiam, seu superstitionem etiam dici illam, ut clarius explicetur, qua mediis inutilibus, & à Divina Providentia nequaquam institutis, procurantur commoditates, sanitates, benevolentiæ, divitiæ, & similia, ut docet Valent. loc. cit. Toler. *lib. 4. Cap. 15.* Cajet. *in sum. v. superstitio*, & alii. 3

Notandum quartò, posse dæmonem multa facere, applicando activa passivis, quæ nobis ignota sunt, eò quod ignoramus naturales rerum causas, quæ tamen dæmonibus, in naturalibus minimè læsis, notæ & manifestæ sunt, ut observat Sayr. loc. cit. *n. 1.* 4

Notandum quintò, agentia naturalia, quæ secundùm omnes Philosophos, habent determinatam sphæram suæ activitatis, agere per contactum formalem, & quantitativum, quo extrema agentium conjunguntur cum extremis subjectorum, in quæ agunt; vel per contactum virtualem, alternando medium, & prius producendo actionem suam in partem viciniorem, quàm in remotam, ut ferè omnes Philosophi docent in physicis, asserentes hujusmodi sphæram posse dupliciter impediri, nempe supernaturaliter, ut si DEUS miraculosè interponeret vacuum; naturaliter, ut si interponeretur corpus densum inter agens, & alterum extremum, in quod agitur. 5

Notandum sextò, à quibusdam hominibus certos effectus causari, qui fieri per phantasticam dæmonis illusionem videntur, reipsa naturales sunt; ut de Psyllis referunt Authores, qui sunt populi Lybiæ, propè Garamantas, quorum corpori ingenitum fertur virus exitiale serpentibus, ut ait Plinius, *lib. 7. Cap. 2.* ita ut odore suo sopirent eos. Idem Plinius, *lib. 28. historia, Cap. 3.* refert, in Africa fuisse Psyllos, & in Italia Marsos, ex quorum familia qui originem trahebant, erant tales, quorum corpora tactu ipso levabant percussos à serpentibus; & manu corporibus impusita venenum exinde extrahebant. De iis & aliis admirandis scribit Victoria, *Relect. 12. de arte Magica, sub num. 15.* Tho. Del Bene. *de S. Off. p. 2. dub. 228. sect. 18. n. 19.* 6

Notandum septimò, quòd DEUS aliquibus hominibus, & familiis virtutem concedit tactu, halitu, vel odore aliquos morbos curandi, sanguinem sistendi, spiritus evanescentes cohibendi, partem læsam corroborandi; venenum extrahendi, & similia; quæ gratia sanitatum, licet non sit alligata actibus ex parte, vel ad certum morbum, iis tamquam instrumentis alligata est; sic Reges Galliæ non curant strumas, nisi contacto partis affectæ: & Marsi, ac Psylli non curabant, nisi etiam præstito contactu, ut notat Del. Bene, loc. cit. 7

His

8 His adnotatis, ad difficultatem propositam; an modus medendi Militem vulneratum distantem, applicato remedio vitris, gladio, aut lignis, ejus sanguine infectis, redoleat superstitionem; negativè respondent non Pauci, doctrinæ, crederem, innixi Scoti, & aliorum, negantium, Agentia naturalia agere per contactum; vel asserentes in tali modo medendi intercedere contactum virtualem, & alterationem medii: quamvis hujusmodi contactus, & alteratio non percipiatur à sensu. Præterea, Maximilianus Imperator simili remedio utebatur ad sanandos vulneratos, etiam absentes, ut scribit Joannes Baptista Porta, *in sua Magia, lib. 8. Cap. 14. ad fin. pag. 162.* quod remedium appellabatur unguentum armarium; eò quòd applicaretur ensi, quo infirmus fauciatus, & vulneratus fuerat.

9 Veritas tamen est, hunc medendi modum esse omninò, ut arbitror, superstitiosum, atque adeò in praxim minimè deducendum, tanquam continentem pacta tacita, cum dæmonibus inita, & illicita, & damnata. Ita Bonacina, *in Dec. cal. disp. 3. q. 5. punct. 4. §. Dicendum.* Thom. Tamb. ibidem *lib. 2. de peccatis Relig. oppos. §. 1. n. 77.* & tot alii *in Decalogum.*

10 Moveor primò juribus, in *Cap. Illud, causa 26. q. 2.* ubi superstitiones enumerantur remedia, quæ Medicorum disciplina condemnat in quibusdam rebus suspendendis, atque ligandis non ad temperationem corporum, sed ad quasdam significationes, aut occultas, aut etiam manifestas, quæ eminentiori nomine Physica nuncupantur, ut quasi non superstitionem implicare, sed naturæ prodesse videantur.

11 Moveor secundò rationibus. Vi unguenti armarii Miles vulneratus sanitatem acquirit; cùm omnis effectus debeat esse, vel à causis naturalibus, vel à DEO, vel à Dæmone; peto, causa hujus effectus quænam est? Non DEUS, quia non invocatur; & quando non constat ex scriptura, vel Ecclesiæ traditione aliquem effectum esse à DEO, fas minimè est illum DEO tribuere, ut docet Delrius *lib. 3. q. 4. sect.* 1. & alii communiter. Præterquam quòd, non videtur credibile, DEUM, vel bonos spiritus quovis homine uti ad præstandum hujusmodi effectus. Non est à causâ naturali; non solùm quia non intercedit contractus quantitativus, vel virtualis, per quem agunt Agentia naturalia, sed etiam quia interrupta est sphæra activitatis, sine quâ Agens naturale non potest suum effectum producere: si enim inter ignem, & lignum poneretur murus, vel aliud solidum corpus, ignis non produceret suum effectum in ligno, seu non combureret lignum. Profectò interrupta est sphæra activitatis hujus unguenti armarii ratione distantiæ. Atque adeo cùm hujusmodi effectus non fit, neque à causâ naturali, quæ non agit in distans, patet esse à Dæmone ex pacto, vel explicito, vel tacito cum ipso.

12 Moveor tertio exemplo cujusdam Militis timoratæ conscientiæ, in exercitu Ducis Sabaudiæ, hisce nostris temporibus militantis, in Philosophiâ non parùm versati, qui cùm esset graviter vulneratus, applicationem hujus unguenti armarii, à socio sibi propositi, recusavit; respondens coram pluribus, & inter eos Amico meo, id mihi referenti: *Nunquam cum Dæmone commercium habui: malo mori, quàm fœdari.* Responsio sane aureis characteribus super omnia insignia exercitus, sed magis in bellantium cordibus inscribenda.

Concludimus igitur, unguentum armarium esse à vulneratis respuendum, & graviter peccare illud applicantem; ac proinde proptiam animam mortaliter vulnerare, dum corporis alterius vulnera tentat sanare. 13

Ad rationes in contrarium respondemus: ad primam, dicendo, non esse recedendum à communi doctrinâ, asserente, Agentia naturalia agere per contactum; ut patet ex secundo nostro motu rationis. 14

Ad secundam, patet etiam responsio ex dictis, nempe sphæram, & contactum virtualem impediri per multa objecta interposita, ut sunt tot parietes, inter quos clausæ detinentur vitræ, gladii, quibus remedium applicatur; quod satis clarè ostendit, effectum vires naturæ omnimode superare. 15

Ad tertiam respondemus, posse negari, quod Imperator usus fuerit illo remedio in eâ distantiâ, in quâ adhibetur unguentum armarium; sed dicimus Paracelsum, illius unguenti armarii Auctorem, fuisse damnatum, unde nullam vim habere exemplum, sed potiùs Auctoris damnatione nostram fulciri, & confirmari sententiam. 16

Infero primò ex dictis, esse superstitiosum modum quemdam medendi morbum sanguineum, qui vulgo *Resipela* nuncupatur, cùm intervenìat usus instrumentorum, & prolatio verborum, non ut causæ, sed ut signa; quæ signa; cùm non sint divinitus ad hoc instituta, vana, & supervacua sunt, & consequenter pertinent ad pacta quædam significationum cum dæmone; ut optimè docet Sayr. in *sua Clavi Regia, lib. 4. cap. 6. n. 3.* 17

Infero secundò, protestationem, quâ quis nolit effectum expectare à dæmone, non esse sufficientem ad excusandum à peccato mortali; cùm per illam pactum cum dæmone verbis renuncietur; sed facto approbatur. 18

Infero tertio, esse superstitiosum modum medendi, & sanandi Ictcritiam quodam filo, conquisito à telarum textricibus, complicato, & secato super caput, humeros, pectus infirmi post illius corporis dimensionem; quæ actiones, licet non fiant in distans, nullam vim naturalem possunt habere in morbum. 19

Infero quartò, propter eamdem rationem superstitiosè agere illos, qui, cum equi dolore intestinorum vexantur, quædam verba insufflant in eorum ægrotantium aures, quibus eos ad sanitatem revocare se jactant. 20

Infero quintò, ob eamdem rationem sapere superstitionem illa verba: *O Creatura DEI, memento Creatoris tui;* quæ ob finem vanum insufflantur in auriculam patientis morbum caducum, dum tali morbo arreptus est, ut scilicet sensus statim recuperet, & illius morbi curatio infallibiliter sequatur, & expergefactus resurgat: secùs verò si illa verba solùm quâdam devotione proferantur, ut arreptus illorum sonitum audire possit, Deoque seu commendâre, ablatâ certi 21

eventus credulitate. Ita etiam docet Tho. Tamb. loc. cit. sub *num. 48.*

22 Infero sextò, damnata, & prohibita esse sortilegia, ad curandos morbos, quæ ægrotis applicantur ab his, qui quæstum faciunt, ipsis dicentibus, se DEUM invocare, sed tamen idololatriam sapiunt, de quibus per Simanch *Catholicar. Institution tit. 62. rubr. de superstitionibus, num 19.* & per Petr. Greg. Tholos. *Syntagma juris, lib. 34. cap. 9. n. 9.*

23 Infero septimò, esse superstitiosum modum, quo aliqui utuntur in Hispaniâ in curando graviter vulneratos, faciendo tres Cruces super vulnus, dicendo hispanicè: In nomine Patris, Filii, & Spiritus Sancti, cum quadam inhalatione super vulnus, & aliis verbis, & circumstantiis; esse, inquam, superstitiosum, si virtus, distincta à virtute impetratoriâ, putetur annexa formulæ verborum, ita ut à quocunque formula verborum adhibeatur, illa effectum habeat. Ita sentit Tho. Del. Bene, *de S. Off p. 2. dub. 228. sect. 16. num. 1.* quia talis formula verborum non habet virtutem à naturâ, cum verba naturaliter non sint activa, nec à DEO; quia DEUS nulla signa, quæ sint efficacia, instituit, præter Sacramenta; ergo habet à Dæmone, ex tacito pacto cum ipso.

24 Infero octavò, esse omnino superstitiosam cartulam, quam nonnulli pro doloribus viscerum solent portare, in quâ est nomen, Pater, & statim Balthasar; nomen, Filius, & statim Gaspar; & nomen, Spiritus Sanctus, & illico aliud nomine simile: Carena, *de Off. S. Inq. p. 2. tit. 12. §. 35. n. 302.*

25 Infero nonò, esse superstitionem, & peccatum mortale, colligere herbas medicinales in die S. Joannis Baptistæ; vel in die S. Petri, vel alterius Sancti jumentis venam aperire: item uti certo annulo ad depellandum morbum contractionis nervorum: item circa Templum S. Antonii novies circumducere jumenta, & multa alia similia; si animus sit adhibendi hujusmodi circumstantias, tanquam per se efficaces ad effectum impetrandum à DEO, scilicet sanitatem, & rerum incolumitatem. Navar. in *Manuali, cap. 11. num. 36. v. 26.* Sayr. *in sua Clavi regia, lib. 4. cap. 6. n. 7.* & alii.

26 Infero decimò, semper esse prohibitum si non de jure civili, de jure canonico, & secundum legem divinam, ut notat Farin *de heresi, q 181. §. 1. num. 33.* curare morbos per incantationes, & maleficia Petr. Greg. Tholos. loc. cit. *rubr. de magicis circa morborum curationem, & cap. 18 rub de magicis, ad bonum quemdam finem, & cap. 17. & 18.* ubi ponit plura notanda de prohibitâ sortilegiorum specie ad sanandos morbos, & ad tollenda alia maleficia, & *cap. 22.* ubi ponit plura remedia adversus maleficia ex antiquorum observationbus scitu digna.

27 Infero undecimò, redolere superstitionem adhibere perjammata, amuleta, brevia, involucra, reliquias, verba sacra, preces scriptas, benedictiones, incantationes, insufflationes, ligamina, & alia similia, quæ secundum veram Philosophiam, medendi virtutem naturalem non habent si contineant aliquas circumstantias inanes, tanquam necessarias; vel si ab ipsis prædictis rebus sacris, etiam remotâ omni circumstantiâ inani, tanquam necessariâ, expectetur effectus infallibiliter, & imperatoriè per devotionem. Tho. Del Bene, loc. cit. *num. 12, 13. 14.*

28 Infero duodecimò, superstitionem quæ per tacitam, seu implicitam Dæmonis invocationem fieri solet, posse excusari à peccato mortali ratione vel probabilis ignorantiæ, vel simplicitatis, vel etiam, secundùm aliquos, parvitatis materiæ, Navar. Cajet. Sayr. quos citat, & sequitur Durandus noster in Bullam Cœn. *lib 2. in can. 1. q. 22. n. 56.* In superstitione tamen posse inveniri parvitatem materiæ, negat Valentia in 2. 2. *disp. 6. q. 13. p. 3.* & alii.

29 Infero decimotertiò, usum dictarum superstitionum nunquam posse justificari ex capite necessitatis; quando constat esse superstitionem, cum superstitio involvat contemptum DEI, Dæmonisque reverentiam; quando verò dubitatur, an effectus sit à causâ naturali, an à DEO per gratiam gratis datam, an à Dæmone per pactum tacitum, stante necessitate, dicunt aliqui probabiliter, non esse peccatum illâ uti cum protestatione expressâ. Ita Tho. Tamb. loc. cit. *num. 71.* cujus opinio mihi non placet ob periculum superstitionis, cui se exponeret utens remedio, de quo dubitat an contineat Dæmonis pactum.

30 Infero decimoquartò, Confessarios debere animadvertere ad singula superstitionum genera, & singulas generum species, de quibus latè Sanchez in *sum lib. 1. cap. 37.* & circa absolutionem debere pœnitentem urgere, ut Dæmoni, & omni pacto cum eo abrenunciet; & damna, per maleficia illata, resarciat; libros, sortilegia continentes, ad Inquisitores deferri curet; & alia præstare, de quibus loquitur Martin. Delrius, *Diquisit. magicarum lib. 6.* per totum, Beloch, Carena, & alii.

X. DIFFICULTAS.

An Auditor Generalis exercitus seu Judex Ordinarius Militum possit damnare pœnâ ordinaria Militem, arma extra conflictum non ferentem.

1 NOtandum primò, habitum proprium militum, ut supra tetigimus, esse arma; unde & vulgo dicitur: Ensis Militem; Cuculla Monachum; Tonsura Clericum ostendit; seu arma esse insignia Militum. Mascard. *de probationib. conclus 128. num. 4. volum. 1.* Pet. Greg. Tholos. *sytagm. lib. 19. p. 2. de personis, cap. 5. num. 6.* Et ideo Chabrias Atheniensis, cum fortissimè pugnaret in navi, eâ in rostro percussâ, cum cœpisset sidere, maluit in ea fortiter cum armis decedere, quàm omisso clypeo, ad proximas naves enatare salvus. Ita refert Æmilius Probus in ejus vita.

2 Notandum secundò, opinionem Luc. de Penna, *in l. 3. col. 3. vers. 28. præsumitur, Cod. de apoch. public. lib. 10.* Franc. Paccin. *in tract. de offic. & potest. Capituli, sede vacante, par. 1. q. 1. num. 8.*

num. 8. & aliorum assereutium, regulariter omnia esse jura permissa, quæ expressè prohibita non reperiuntur, esse quidem probabilem, sed non certam, ut ex dicendis patebit.

3 Notandum tertiò, Judicis officium esse in æquitate fundatum, *l. planè, & l. ult. ff. de petitio: hered.* & notat Menochius, *lib. 4. de præsumptionib. præs. 189. n. 63.*

4 Notandum quartò, non potuisse omnia lege comprehendi; cùm nulla ratione potuerint omnia à legum Conditoribus prævideri, ac præfiniri. Ita scripsit Julianus, *in l. non possunt, ff. de legib.* Videtur enim impossibile, ea, quæ in facto consistunt; quæque ob magnam varietatem commodè definiri non possunt, in lege determinatè contineri. Ita scripsit Platoni suo Præceptori Aristoteles, *1. Rethor.* Hinc Franciscus Duarenus, *in l. in actionibus, v. licuit, ff. de jurejuran.* Bald. ac Jacob. Belius, referente Thom. Parpalea, *in l. 1. num. 45. ff. sol. matr.* dixerunt, Judicis arbitrio illa relinqui, quæ certa sub regula claudi non possunt: & ideò Judex jure ac meritò Legis auxilium ab Eguinario Barone, *de dividuis, & individuis, cap. 4. n. 11.* nuncupatur.

5 Notandum quintò, illud non esse arbitrarium, quod jam lege clarè decisum est, aut consuetudine definitum; & illud esse arbitrarium, quod lege non est definitum, neque consuetudine decisum; atque adeo arbitrariam actionem dici, quæ in Judicis arbitrio posita est. Joan. Corasius, *lib. 4. miscella. juris, Cap. 12. num. 6.* Plaut. *in Amphit actu 4* Dec. *cons. 100. num. 11.* Tiraq. *in tract. de pœnis legum, in præfat. num. 4.* & plures alii, quos recenset, & sequitur Menochius, *lib. 1. de arbitr. jud. q. 14.*

6 Notandum sextò, illas præsumptiones, & probationes, quibus adducitur Judex ad præsumptionem juris, in suâ potestate esse, illisque tutâ conscientiâ, uti posse, cum lege definitæ non sint, definiri potuerit; Hæc Menochius, de *præsumptionib. l. 1. q. 44. num. 7.*

7 His adnotatis; ad difficultatem propositam, an Auditor Generalis exercitus, seu, Judex ordinarius Militum possit tutâ conscientiâ damnare pœnâ extraordinariâ Militem, arma extra conflictum non ferentem, negativè videtur respondendum; quia omnia permissa censentur, quæ expressè prohibita non apparent. Ita docet, præter allegatos DD. Jas. *in l. ceteris*, in princ. *in 2. notab. de leg.* Nulla autem lex statuit, esse delictum in militarem disciplinam incedere sine armis: & ideò non potest Judex exercitus aliquâ pœnâ plectere Militem armis immunitum. Præterea, ferre arma extra conflictum, quamvis consuetum sit apud Milites, nihilominùs ad quamdam militarem potius civilitatem pertinet, quàm ad necessitatem; unde ferre arma consilium est, non præceptum: violatio autem consilii non est culpa; ergo neque pœnâ est plectenda. Ita docet Bart. *in l. Creditores, Cod. de pignorib. num. 4.* Præterea, Clericus incedens sine habitu & tonsurâ non punitur; Ergò à fortiori puniri non potest Miles incedens sine armis: Ergò Judex exercitus, si illum punit, utpotè injustæ punitionis reus, erit puniendus.

His tamen minimè suffragantibus, contrarium verius esse arbitror cum Petrin. Bell. *de re militar. part. 8. tit. unic. de delict. milit. & eorum pœnis, n. 81. & seqq.* 8

Moveor primò juribus, *arg. in Cap. omnis, causa 21. q. 4. Cap. Contingit 2. & Cap. in audientia; de sent. excomm. & Cap. Præterea extra, de Apost.* ubi habetur, Clericum multis pœnis arbitrio Judicis puniri ob habitus dimissionem. Cùm igitur argumentum à simili, secundùm opinionem communem, locum habeat, præcipuè quando similitudo, & æquiparatio est in puncto, utvult Menochius, *Cons. 1016 num. 27.* & valida sit argumentum à Clerico ad Militem. Glos. & Doctores, *in l. Miles*, in princ. *ff. de re judic.* dicendum est, Militem per armorum dimissionem posse licitè à Judice, seu Auditore Generali aliquâ pœnâ puniri. 9

10 Moveor secundò rationibus: nam dimittere, seu relinquere arma est quædam species desertionis: Miles enim dicitur à Militia, ut alibi demonstratum est; & militia consistit in armis: unde Theridates Romam veniens, ut Neronem inviseret, jussus ensem, quem gerebat, deponere, cùm in Palatio Principis arma ferre prohibitum esset, renuit dicens „ Miles sum; neque enim decet Militem nec per modicum tempus „ debitis officiis militiam. fraudare. Xiphili. „ *in Nerone*, relat. in *Syntag. jur. à Tholosan. p. 2. de personis, lib. 19. cap. 5. num 7.* Et ideò sicuti desertores militiæ graviter puniuntur, sive in pace, sive in bello ipsam deserant, ut notat Tiber. Decian. *in tract. crimin. p. 2 lib. 7. cap. 12. n. 14.* ita desertores militiæ ad tempus, seu relinquentes arma, aliquam punitionem videntur mereri. Tum quia, cum omnia lege comprehendi non potuerint; & præsumptiones, quibus adducitur Judex ad præsumptiones juris, sint in sua potestate, ut notatum est supra, videtur, quòd Judex possit in hoc casu, rationaliter præsumendo, quòd lex velit armorum desertionem esse delictum, & ut delictum punitioni obnoxium, ad punitionem Militis delinquentis procedere. 11 Præterquam quod, Milites immuniti armis incedentes tempore tum belli, tum pacis, aut treugæ, Rempublicam exponunt damnorum periculo, ob impossibilitatem arma sumendi, hostibus inopinatè supervenientibus. Teste Annibale, qui sui exercitus stragem vidit, Militibus ab hoste superveniente interfectis, dum Martis obliti, Capuæ Veneri inserviebant armis depositis, commodius sensualibus deliciis fruituri. Liv. *lib. 2. Decad. 3.* 12

Moveor tertiò exemplo, in Corbulone, qui duos Milites ultimo damnavit supplicio, absque armis consuetis repertos: & in aliis Judicibus Romanis, qui severè Milites castigarunt armis exutos incedentes. Tacit. *lib. 1. Annal.* 13

Concludimus igitur, Auditori Generali exercitus, aut cuivis Judici competenti licere Milites, qui sine armis incedunt, pœnâ extraordinariâ damnare; ut esset, custodiis per aliquot menses inservire; aut excubias per singulas noctes mensis unius agere; aut per duos menses in carcere permanere; aut aliâ pœnâ, attentis circumstantiis loci, temporis, personæ delinquentis, & delicti. 14 15 16

13 Ad rationes in contrarium respondemus: ad primam, non omnia delicta à lege specificari; cùm non potuerint Legislatores omnia prævidere, sed ea tantum, quæ frequentius solent accidere, cæteris arbitrio prudentis Judicis examinandis, & puniendis relictis, ut notavimus: & habetur *in l. omne delictum*, in princ. *ff. de re militar.* & docet Petrin Bell. *de re milit. cap. unic. num. 87.*

14 Ad secundam, negando, arma deferre ad solam militarem civilitatem pertinere, cùm arma membra Militum dicta sunt, ut refert Claud. Cotot. *de jur milit. lib. 3. cap. 25.* & ideo Eumenes, ut scribit Francis. Patritius, *in suis Parallel. militar. lib. 5. cap. 1.* dicere solebat. Quis me fortior, dum ensem habeo apud latus? Non igitur ad virilitatem, aut decorem „tantummodo armorum delatio refertur, sed prin„cipaliter ad necessitatem bellandi, & Adversario„rum timorem.

15 Ad tertiam, patet responsio ex dictis in primo motu, & ex dicendis etiam patebit.

16 Infero primò ex dictis, Militem reum ob dimissionem armorum, vel ob aliud delictum condemnatum, teneri stare sententiæ, & pœnæ subjacere; cùm sententia sit quædam lex privato imposita.

17 Infero secundò, Milites Hierosolimitanos, aut SS. Mauritii, & Lazari, aut S. Stephani, teneri deferre habitum, & tonsuram clericalem; si beneficio Ecclesiastico simplici fruuntur; & hoc quidem, non ut milites sunt, sed ut Clerici, ex Constitutione Sixti V. incip. *Cum Sacrosanctam*, XCII. in ordine, editâ Anno 1589. 5. Idus Januarii, ubi Pontifex declarat, vocatos in sortem Domini ad Ecclesiæ decus, & ornamentum, censuque Ecclesiastico viventes, debere singulari aliquo signo à reliquo populo distingui. Sic docet Graff. mox citandus *num. 7.* præfatam Constitutionem interpretando.

18 Infero tertio, Milites pensionarios, qui pensionem habent ex vi benemeriti, non teneri habitum, & tonsuram clericalem deferre. Graff. *p. 1. decis. lib. 3. cap. 3. n. 10.* cùm Militum habitus sit ensis, galea, clypeus, &c.

19 Infero quartò, peccare Clericos non deferendo habitum, & tonsuram, juxta Glos. *in Cap. si quis, Dist. 23. & Cap. prohibere, ead. Dist.* & ideò tonsura capillorum ab Apostolis introducta, à Clericis omnibus est observanda: Concil. Aquisgranen, sub Ludovico Pio, *Cap. 1.* apud Card. Branc. *in Epit. Can. v. Tonsura.*

20 Infero quintò, supranumerarios ad Canonicos, in minoribus ordinibus constitutos, teneri habitum clericalem deferre, cum habeant quoddam jus præparatorium ad Canonicatum obtinendum, Abb. *in Cap. Cum. M. Ferrar. n. 31. de Constit.*

21 Infero sextò, Religiosum, dimittentem habitum suæ Religionis, ut eat ad lupan[ar] fornicandum; vel ut secretò aliud del[ictum] committat, incidere in censuras, *Cap. u[t peri]culosa, ne Clerici, vel Monach. in 6.* Ita docet Portell. *in dub. Regul. v. habitus, n[um.]* Hieronym. Rodriq. *in Compen. qq. Reg. R[...] num. 6.* Suarez, *in 3. p. disp. 2. sect. 4. nu[m.]* Bann. *in 2. 2. qu. 12. art. 2. dub. 2. conclus.* alii: quidquid dicat Diana, *part. 3. tr[...] Res. 155.*

Infero septimò, Religiosos dimittentes habitum, etiam in Monasterio, & indu[entes] vestes sæculares præcipuè fœmineas, propt[er] dum larvarum, vel aliquam comœdiam f[acien]dam, secundum aliquos, peccare mort[aliter] Leza. *in summa qq. Regular. tom. 1. cap. 13* cui non assentimur: & secundùm alios, [...] te venialiter, si hoc faciant ob honestam r[ecrea]tionem, eutrapeliam, vel aliam honestam f[...] Cæterùm id semper esse periculosum, pr[opter] infirmitatem & corruptionem naturæ, [...] mus.


Infero octavò, Patres Societais JESU d[imit]tentes habitum suæ Religionis, & sine just[a cau]sa sæcularem induentes, non solùm peccare [mor]taliter, sed etiam incidere in pœnas à jure [...] in *Cap. 2. Ut periculosa, ne Clerici, vel Mo[nach.] in 6.* nam si ratione status gaudent pr[ivile]giis Regularium, æquum est, ut subjaceant [...] ribus eorundem. Contrarium tenuit in [...] *Reg. tom. 1. tract. 5. cap. 7. sect. 1. num. 8.* [...] lizzarius nunc damnatus.

Infero nonò, non esse puniendos, se[d ex]cusandos à pœnis, in Bullâ allegatâ conte[ntis,] Clericos, qui non deferunt vestes talares, [dum] sunt in longa peregrinatione: quia propri[e non] dimittunt vestes clericales, sed tantùm ut[untur] brevioribus, & expeditioribus; quod tunc [...] tum est. Sylv. *in verb. Clericus 2. num. 1.* Graff. *p. 1. decis. lib. 3. cap. 3. n. 17.*

Infero decimò, Religiosum, qui di[mittit] suum habitum, seu habitum sui Ordinis, [esse] cogendum redire ad habitum, & Monaste[rium] *Cap. si custos religiosi, causa 27. q. 1.*

Infero undecimò, Religiosos habitum [sui] Ordinis dimittentes, esse carceri tradendos, *[...] si homo esses; d. causa 27. q. 1.*

Infero duodecimò incidenter, justè, & [lau]dabiliter damnari in Concilio Constan: *sess. 8. & 15.* doctrinam Joan. Wicleff. & J[oan.] Hutz asserentium *Ingredientes Religionem [...] aliquem Ordinem, eo ipso inhabiles sunt a[d ob]servanda divina præcepta, & per consequens [ad] perveniendum ad Regnum Cælorum, nisi ap[os]taverint ab eisdem: qui est articulus 35. in ordine.*



XI. DIF[FIC.]

XI. DIFFICULTAS.

An Clerici, qui in bello justo capiunt arma, vim vi repellendo, cum moderamine inculpatæ tutelæ ad sui defensionem, sint irregulares, si ex parte adversariorum sequatur aliqua occisio, aut mutilatio.

1 NOtandum primò, appellatione Clericorum largo modo omnes venire, qui habent ordines, in quacumque dignitate sint; aut ordine, etiam in primâ tonsurâ, *Cap. Cum contingat, de ætat. & qualit.* unde omnes, qui non sunt laici, dicuntur Clerici, *Cap. duo sunt, causa 12. q. 1.*

2 Notandum secundò; in materiâ odiosâ, & significatione strictâ, appellatione Clericorum non comprehendi Episcopos, Cardinales, Canonicos Ecclesiarum, nec alios in dignitate constitutos; neque Religiosos, qui tantummodò in materiâ favorabili veniunt nomine Clericorum, facit *Cap. Quia periculosum, de senten. excomm. in 6. & Cap. In Fidei favorem, de hæret. eod. lib. & Cap. Statutum, de elect. eod. lib.* quia istorum qualitas est superior.

3 Notandum tertiò, irregularitatem, quæ, attentâ ethymologiâ, significat privationem regulæ; & quæ, in genere sumpta, tribus modis contrahitur; videlicet, ex delicto, ex defectu corporis, ex defectu Sacramenti, ut notant DD. *in Cap. Nisi cum, §. Persona verò, de renun.* esse impedimentum canonicum ex facto, sive de facto proveniens, quo quis ad Ecclesiasticos Ordines promoveri, & jam promotus, in eis ministrare prohibetur; *arg. de temp. Ord. Cap. ult.*

4 Notandum quartò, ex authoritate Superioris licere Clericis interesse bellis, non quidem ut pugnent manu propriâ, sed ut justè pugnantibus subveniant suis exhortationibus, absolutionibus, & aliis spiritualibus auxiliis, sicut & in veteri lege mandabatur Jos *cap. 6.* quòd Sacerdotes sacris buccinis in bellis clangerent. Sic docet D. Tho. *2. 2. q. 40. art. 2. ad secundum.*

5 Notandum quintò, in moderamine inculpatæ tutelæ tria esse attendenda, scilicet, modum, tempus, & causam. Modus attenditur circa qualitates armorum; non enim debet cum armis resistere quis, si sine armis inauditur. Tempus attenditur, si fiat in continenti, non ex intervallo. Causa attenditur, si fiat ad defensionem, non ad vindictam. De quibus tamen non potest dari certa doctrina, seu regula, ut notat Abb. *in Cap. Olim*, il primo, *extra, de restit. spoliat. vers. Quando autem:* Esto noviter And. Vallensis, infra allegandus *num. 5.* conetur ostendere, tunc dici fieri cum moderamine inculpatæ tutelæ, cùm fit non excedendo limites defensionis, seu non ad vindictam, sed tantummodo, ad propulsandam injuriam, & vim attendam, quando alia evadendi via non suppetit: sic ille.

6 His adnotatis, ad difficultatem propositam, an Clerici, qui in bello justo capiunt arma, in continenti vim vi repellendo, cum moderamine inculpatæ tutelæ; ad sui defensionem, sint irregulares, si ex parte adversariorum sequatur aliqua occisio, aut mutilatio, affirmativè videtur cum Card. De Lauræa, *in Epit. Can. v. irregularitas*, respondendum, ex *Tex. in Cap. Si quis post. 51. Dist.* ubi expressè dicitur, non esse ad Sacros Ordines promovendum dantem operam occisionibus in bello, quamvis nullum fuerit peccatum in executione. Præterea, Concilium Trid. *Sess. 13. cap 7. de reformat.* in eo, qui occiderit aggressorem suum, ob necessariam suæ vitæ defensionem, requirit dispensationem pro Ordinibus suscipiendis.

7 His tamen minimè refragantibus, contrarium verius esse arbitramur, nempe Clericos in bello justo arma sumentes, ad se defendendum, quando aliter vitam suam tueri non possunt, non fieri irregulares, quamvis aliqui ex hostibus per ipsos, vel alios occidantur, aut mutilentur. Pan. *in Cap. Petitio tua, extrà, de homic.* S. Anton. *3 p. tit. 29. Cap 2. §. fin.* Sylv. *in sum. verb. homicidium 3. q. 6. vers. Sextum.* Tabien. *verb. irregularitas 2 num. 27. & v. irregularitas 3. num. 21.* Henriq. *lib. 14. Cap. 3. §. 7.* Graff. *p. 2. decis. lib 2 de bello, Cap 20. num. 30.* ubi limitat, si non interfecissent. Sayr. *in suo Thesauro, lib. 6. cap. 19. num. 3.* ubi dicit, nostrum assertum esse commune. Leander, *de pœnis Ecclesiasticis, Tract. 2. disp. 7. q. 125.* ubi alios allegat.

8 Moveor primò juribus, in *l. ut vim, ff. de just. & jur. l. sciendum, §. qui cum aliter, ff. ad leg. Aquil. & l. 1. Cod unde vi*, ubi dicitur, quòd jure naturæ convenit propulsare injuriam, *& l. 1. ff. quod met. causa*, ubi patet, vim esse majoris rei impetum, quæ repelli non potest. *Et cap. Si quis propter, de furt.* Ex quò clarè deducitur, quòd necessitas magna omne excludit delictum, seu peccatum: & ubi non adest delictum, nulla debet adesse pœna. Sed clarius, *in Clemen. de homic. volunt. Cap. unic.* ubi Pontifex apertè declarat, eum non incurrere irregularitatem, qui mortem aliter evitare non valens, suum occidit, vel mutilat invasorem.

9 Moveor secundò rationibus: Scio enim irregularitatem non incurri à privatis personis, nisi per actum illicitum, incongruum, & inconvenientem. Quis autem dixerit, se defendere ex necessitate actum esse illicitum, incongruum; cùm jus naturæ unicuique imperet suam defendere vitam? Certum est enim, quod fit cum moderamine inculpatæ tutelæ, esse immune à culpâ, & reprehensione, juxta *l. 2. 3. 4. Cod. ad leg. Cornel. de sicar.* imò vim vi repellere cum moderamine inculpatæ tutelæ, omnes leges, omnia jura permittunt, ut egregiè probat And. Vallen. *in Paratil. jur. Canonici, lib. 5. tit. 12. de homic. volunt. num. 4.* Tum etiam, quia quando Clerici possunt licitè arma sumere, ut puta quando adest facultas Summi Pontificis, vel casus necessitatis possunt licitè occidere, & mutilare; quo in casu occidendo, & mutilando, non incurrunt irregularitatem; & contrarium nullibi à jure expressum reperitur; & quando irregularitas non est in jure determinata, seu expressa, non incurritur, ut habetur clarissimè in *cap. Is, qui,*

qui; de sent. excom in 6 quodque nos ostendimus *tom. 1. lib. 4. diffic. 33. & 34.*

19 Moveor tertiò exemplo, in Furioso, Infante, Dormiente, qui, cùm non delinquant occidendo, aut mutilando, irregularitatem ex tali homicidio non incurrunt. Clemen. *Cap. unic. de homic. volunt.* & ibi Glos.

11 Concludimus igitur, Clericos, qui in bello justo capiunt arma, in continenti vim vi repellendo, cum moderamine inculpatæ tutelæ ad sui defensionem, non esse irregulares, si ex parte adversariorum sequatur aliqua occisio, aut mutilatio, dummodo aliter mortem vitare non possint; secus verò, seu esse irregulares, si necessitas non est inevitabilis; & ex eorum percussione sequitur mors, aut mutilatio.

12 Ad opposita respondemus: ad jura, quòd Tex. *in Cap. Si quis post.* intelligitur communiter de Milite, Judice, & quovis alio, qui post Baptismum, officium sumpsit necandi homines, ut notat Turrecrem. *in d. Cap. Si quis post, n. 1.* Graff. loc. cit. non verò de Clericis inculpatè se defendentibus.

13 Ad secundum, respondet doctissimus Naldus, *in sua sum. v. irregularitas, num. 3.* quòd requiritur dispensatio secundùm Trid. quando non usque adeo pateret de hujusmodi inculpatâ tutelâ, qui etiam contineret aliqualem culpam; quod ex verbis ipsius Concilii colligitur, dum ait, jure quodammodò deberi dispensationem, & non simpliciter esse dispensandum. Sic ille.

14 Infero primò ex dictis, Clericum, sumentem arma in bello justo extra casum necessitatis minimè inevitabilis, fieri irregularem, si ex percussione suâ sequatur mors, aut mutilatio; secùs verò, si ex alienâ: nobis consentit Sylv. *in verb. Bellum 3. q. 2.* circa med.

15 Infero secundò, non carere probabilitate opinionem illorum, qui dicunt, esse immunem ab irregularitate Clericum, qui, ob necessariam defensionem parentum, in bello justo sumit arma, & aliquem occidit, aut mutilat; quorum fundamentum est, quia Clericus, & ejus parentes in eâ necessitate perinde habentur, ac si essent una persona; ideoque jus naturale, & lex charitatis intrat pro hujusmodi defensione. *ss* Sayr. *in suo Thesau. lib. 6. cap. 19. dub. 1. num. 5.* allegans pro se Covar. Henriq. & alios. Contrarium tenent probabilius Cajet. Navar. & alii.

16 Infero tertiò, licere Clerico interesse bello justo, non ut pugnet, sed ut in rebus spiritualibus adjuvet pugnantes, & non incurrere irregularitatem, etsi in hujusmodi bello committantur homicidia, vel membrorum mutilationes, & ipse aliquem vulneret, dummodò non occidat, nec mutilet; & secùs, si bellum esset injustum, Graff. loc. cit. *n. 37.*

17 Infero quartò, Clericum, qui in bello justo sumit arma, & ex necessitate defendit socios; si neminem interficiat, aut mutilet, nec interfectos, aut mutilatos invadat, non esse irregularem; quamvis habeat voluntatem occidendi, aut mutilandi; & aliquis esset à defende[...] occisus, aut mutilatus: Secus verò, si belli[...] set injustum. Graff. loc. cit.

Infero quintò, Clericum capientem a[...] & pugnantem, sed extra necessitatem, in [...] justo, in quo sequuntur aliqua homicidia [...] aliquæ mutilationes, si dubitat, an alique[...] se occiderit, aut mutilaverit; & magis [...] se neminem occidisse, vel mutilasse, n[...] bere se reputare irregularem, Cand. *disq[...] art. 13. dub. 2. dict. 3.* ex Navar. *Consil. de* [...] & alii. Secùs verò, si manet omninò d[...] ita ut judicium sit æquale pro utraque [...] cùm in tali casu tutior pars sit eligenda. [...] ton. *p. 3. tit. 19. cap. 1. §. fin.* Sylv. *v. h[...] dium 3. q. 6.* & alii.

Infero sextò, Clericum utentem armi[...] licentia Summi Pontificis, in bello justo, [...] cidat, aut mutilet, etiam non in conti[...] vim vi repellendo, cum moderamine in[...] tæ tutelæ, non esse irregularem; quia Po[...] dum dat hujusmodi licentiam, aufert inc[...] nem irregularitatis. Sic etiam Sylv. lo[...] sub *num. 8.* & fuit à nobis alibi fusè de[...] stratum.

Infero septimò, eum, qui interfuit [...] licito, nec interfecit, nec mutilavit, ne[...] sam dedit mortis, si aliter est idoneus, p[...] Clericatum promoveri, nec dispensation[...] gere. Secùs verò, si bellum fuerit illicitu[...] in eo secuta fuerint homicidia, aut mu[...] nes, etsi non per illum, ut habetur per T[...] *Cap. Si qui non iratus, causa 15. q. 1.* & [...] Sylv. *in v. Bellum 3. q. 3. n. 4.*

Infero octavò, non licere Clericis a[...] bello interesse, nisi adsit aut mera necessita[...] Pontificis licentia, cùm possint facilè ant [...] aut occidere, aut mutilare; & successivè [...] rere irregularitatem, quæ tot bona oper[...] impedit exercere. Nè igitur Clericus, q[...] cialiter destinatus est ad Cultum DEI, au[...] piat esse malus, aut desinat esse bonus, et[...] mat, sed eo modo, quo habetur Sap. [...] *num. 18.* Accipiet armaturam zelus illius, [...] mabit creaturam ad ultionem inimicorum [...] duet pro thorace justitiam, & accipiet p[...] leâ judicium certum; Sumet scutum in[...] gnabile æquitatem: Acuet autem duram i[...] lanceam, & pugnabit cum illo Orbis ter[...] contra insensatos.

Infero nonò, irregularem non esse eum [...] percutit aliquem non læthaliter, licet ab a[...] postea occidatur, *Cap. Significasti*, il *Sec[...] de homic. volunt.* Si tamen prudenter d[...] num de illo vulnere fuisset ille mortuus, [...] non occidissent, ad cautelam est dispens[...] Card. de Lauræa, *in Epit. Can verb. ir[...] gularitas, quando non incurritur.*



XII. DIFFICULTAS.

An liceat Clericis, qui bello justo intersunt, non ut pugnent, sed ut opem spiritualem pugnantibus, conferant, bellica arma absque scrupulo irregularitatis, deferre.

1 NOtandum primò, armorum appellatione non solum venire scuta, gladios, galeas, sed etiam fustes, & lapides: Cajus in *l. armorum, ff. de verb. signific.* & Gloss. in *rubricâ, Cod. de fabricen. lib.* 11. Albet. in *l. 2. Cod. quæ res export. non poss.* quos producit, & sequitur Card. Albanus in *Lucubrat. in Bart. in l. 1. ff. ad leg. jul. de vi publ.* & etiam secundum Ulpianum in *l. 3. §. Armis, ff. de vi, & vi armata,* venire omnia tela, & bastas, & frameas, id est romphæas, quæ, ut refert Gell. *lib. 10. cap. 25. ex Q. Ennii Annal. lib. 14.* erant genus teli, quo Thraces uti solebant: unde Armatos, inquit Paulus in *l. armatos, ff. ad leg. jul. de vi publ.* non solum illos esse, qui sumunt gladios, scutum, galeam, lapides; sed etiam eos, qui habent aliud, quod nocere potest, ut ait idem Paulus in *l. hi, qui §. Telorum. eod. tit.* Circa hanc materiam videndus est Petrus Plaza in *Epit. delict. lib. 1. cap. 8. n. 6.*

2 Notandum secundò, usum armorum non solum laicis de jure civili, ut in prima Diff. demonstravimus, sed etiam, & à fortiori Clericis esse prohibitum de jure Canonico, ut per Tex. in *cap. Clerici, de vit. & honest. Cleric. Clem. 1. eod. tit.* & *cap. Clerici, causa 23. q. 8.* & tradunt Bellett. Farinac. & alii, quos producit, & sequitur eruditissimus Epis. Verulanus, *ad Statuta Faventia, ad rubr. 12. tom. 1. lib. 4. num. 2. & 3.*

3 Notandum tertiò, licere Clericis, absque ullâ controversiâ, authoritate Summi Pontificis, arma portare *arg. l. 1. cod. ut armo. usus, inscio princ. lib.* 11. dumodò sint debitæ conditiones, ut notant Cald. Jo: Andr. Card. & Felin. in *cap. Petitio, de homic.*

4 His adnotatis; ad difficultatem propositam, an liceat Clericis, qui justo bello de licentia superiorum intersunt, non ut pugnent, sed ut pugnantibus opem spiritualem præstent, bellica arma, absque scrupulo irregularitatis, deferre; negativè videtur respondendum, ut per Tex. in *cap. Clerico, de vit. & honest. Clericor. in cap. Clerici, & Cap. Quicumque, causa 23. q. ult. & in Clem. 1. de vit. & honest. Cler.* ubi expressè prohibetur Clericis arma portare, cùm Clericorum arma esse debeant lacrymæ, & orationes, ut habetur in *cap. de Episcopis, §. 1. & cap. seq. d. causa 23. q. 8.* Præterea, si Clerici in bello gestant arma, ubi frequens est pugna, possunt, datâ occasione, pugnare; & pugnando, occidere, vel mutilare; & occidendo, vel mutilando, irregularitatem incurrere: atque adeò, quamvis possint de licentia superioris bellis interesse, nefas est illis bellica arma portare.

5 Veritas tamen est, Clericis, facultatem habentibus bello interessendi, ferre arma tùm offensiva, tùm defensiva licere: Dom. Anto. in *cap. 1. de vita, & honest. Cler.* Jo. de Ana. in *cap. Petitio: de homic. num 6.* Navarr. in *summa; cap. 25. num.* 110 Jodoc. in *verb. Clericus, n. 22. §. Secundum, in vita Clericorum.* Reginal. *lib. 21. sub. num.* 107. Sylvest. in *verb. homicidium 3. q. 6. sub n. 8* Graff. *p. 2. decis. lib. 3. cap. 7. sub num. 3.* Molfes. in *summa, p. 2. Tract. 12. cap. 3. n. 176.* & alii.

Moveor primò juribus, *arg.* in *cap Maximilianus, causa 23. q. 3.* & in Clement. *cap. Nolentes, §. Porrò de hæreticis,* ubi habetur, Inquisitores tenere posse armatam familiam defensione suæ personæ, & familiæ suæ, ad capiendum hæreticos; undè deducitur, eis, armatos incedere licere, dummodò, absit armorum abusus: & in *l. 1. ff. ad leg. jul. de vi publ. & in c. 1. § Si quis rusticus, & §. Mercator, de pace tenen. in usib. feudo,* ubi habetur, jus commune, prohibens armorum delationem, non procedere in eo, qui arma habet, & defert in itinere, vel navigatione, ut explicat Menochius, *de arbitr. judic. lib. 2. cent. 4. cas. 304. n. 58. & cons. 48. n. 18. & 19.* & alii, ibi, quibus accedunt relati à Socino, *Tract. fallen. reg. 30 fallen. 2. & 3.* & ibi, *fallen 6.* idem esse ait, si Clericus viator esset ex sent. Butr. in *cap. Clerici. de vita, & honest. Cler.* Quis autem dixerit, Clericos bello interessentes, & bellum sequentes, non esse itinerantes; cùm non possint Clerici, & alii bello interesse, nisi eant ad bellum. 6

Moveor secundò rationibus: cuilibet licet jure naturæ se defendere; & ideò licet Clerico, ubi adest periculum, arma ferre offensiva ad se defendendum. Tùm quia, nemo tenetur se inermem exponere periculo, ut legitur, & notatur *in cap. Accedens,* il secondo, *ut lit. non contest. in cap. Pastoralis eod. tit.* Narrat, qui potest pericula, quæ in bello enascuntur: sunt profectò innumera, & frequentia. Cur igitur non licebit Clericis, qui bello intersunt, opem spiritualem pugnantibus laturi, arma bellica portare? 7

Moveor tertiò exemplo, in quodam Bartholomæo Presbytero, relato à Graffio, *p. 2 decis. lib. 2 cap 20. n. 41.* qui ad mandatum Episcopi, habentis spiritualem, & temporalem jurisdictionem in quodam castro; ipse armatus conduxit certos homines armatos, pro defensione illius castri, ab hostibus incursi, cum magna habitantium molestiâ; & omnibus per territorium inimicorum transeuntibus, repertis hostibus, & pugnâ inter eos initâ, Presbyter traxit se ad partem timens irregularitatem: & cùm tale bellum fuerit justum pro parte Episcopi; & Sacerdos se armaverit, Episcopo obediendo, Dom. Card. *cons. 19.* in fine consuluit, & asseruit, armorum delationem fuisse licitam Sacerdoti, nec irregularitatem incurrisse, quamvis in illâ pugnâ non pauci occisi fuerint. 8

Concludimus igitur, Clericis licere arma gestare in bello justo, ut opem spiritualem pugnantibus conferant; aut ex alia honesta causa, puta, quia sic jubet, Episcopus, cui obedire tenentur, *Cap. ad aures, de temp. Ord.* quamvis adsit dubium, non quidem practicum, sed purè speculati- 9

vnm, an juſtè jubeat; modo conſtet, quòd non injuſtè jubet, *de cap. ad Aures*; quamvis præſentia Clerici armati augeat in ſuis valorem, in adverſariis timorem; dummodo abſit & dolus, & culpa, & arma non ferant coram Judice, neque in Cætu Scholarium, neque in Aulâ Principis, vel Congregatione communis Conſilii, *arg.* Tex. *in l. armatos, ff. de vi public.* & facit Tex. *in d. cap. 1. §. Si quis ruſticus, de pace tenen.* ubi Bald. expreſsè firmat.

10 Ad rationes in contrarium reſpondemus: ad primam, nempe ad jura allegata: concedimus his prohiberi Clericos arma ferre, ſed negamus hujusmodi prohibitionem extendi ad actum defenſionis, aut neceſſitatis, ut patet ex dictis.

11 Ad ſecundam; quòd quamvis jura indiſtinctè loquantur, ponantque homicidium ob defenſionem ut ſufficientem cauſam irregularitatis, *cap. Si quis viduam, diſt. 50. & cap. de Cler. pugn.* & etiam Trid. *Seſſ. 14 cap. 7.* & D. Tho. *2. 2. quæſt. 64. art. 7. ad 3.* juri antiquo inhærendo, dixerit, Clericum, qui ſe defendendo, alium interfecit, eſſe irregularem, *ex cap. de his Cleric. 1. Diſt. 50.* & ita putaverint aliqui Juriſtæ, ut colligitur ex Gloſ. *in cap. Sicut dignum, §. Clericus, v. conſilium, de homic. & in l. vi vim, v. nam jure, ff. de juſt. & jur.* nihilominùs tamen expreſſo jure novo conſtat in caſu defenſionis, & per inevitabilem neceſſitatem, minimè contrahi irregularitatem, in *Clement. unic. de homic.* & eſt communis doctorum opinio, ut videre eſt apud Covar. *3. p. §. 1.* Navar. *cap. 27. n. 209.* Sot. *lib. 5. de juſt. q. 1. art. 6.* Caſtro, *lib. 2. de leg. pœnali, cap. 4.* Majolus, *de irregul. lib. 5. cap. 48. num. 6.* & apud omnes Summiſtas, *v. homicidium.* Et nos probabilius arbitramur, etiam jure antiquo, homicidium ſequutum ex neceſſitate juſtæ defenſionis, non fuiſſe dignum irregularitate: & ita ſentire videtur Gloſ. *in d. cap. Si quis viduam, in verb. defenſionis*, nam addit *Evitabilis*, in quâ additione indicat ſecundùm illud jus tunc ſolùm irregularitatem incurri ob homicidium, quando homicidium ad defenſionem non eſt neceſſarium; & ideò, poſitâ neceſſitate defenſionis, homicidium, quod ſponte non fit, nec per ſe intenditur, ab irregularitate eſt immune.

12 Infero primò ex dictis, licere Clericis arma portare, quando tranſeunt per viam periculoſam; & non ſolùm arma offenſiva, ſed etiam defenſiva, non ad occidendum ſed ad terrorem invadentium; ut tali modo ab his ſe defendant.

13 Infero ſecundò, Clericis tenentibus feudum temporale licere arma deferre, cùm teneantur Dominium ſeudi juvare, & cum eo, habitâ à Superiore licentiâ, adire bellum ordinarium, non ad occidendum, ſed ad ſua defendenda, ſive recuperanda. Ita per Tex. *cauſa 23. q. 5. cap. Non vos, §. Ecce, c. Si non licet, §. Porrò, cap. Olim cauſam 1. de reſtitut. ſpol.*

14 Infero tertiò, licere Clericis portare gladium parvum ad incidendum panem, & alia neceſſaria ad victum. Abb. *in cap. Clerici, n. 7. de vita, & honeſt. Cleric.*

Inſero quartò, licere Clericis arma defe
quando habens Inimicitias, vel reperiuntur i
qua obſidione, aut exiſtente aliâ juſtâ causâ
de Ana. *in d. cap. petiſo, n. 6.*

Infero quintò, Dominos temporales,
pedientes familiam Inquiſitionis arma def
poſſe ab Inquiſitoribus puniri tanquàm turb
res Inquiſitionis. Card. Zabarell. *in Cleme
§. Porrò, num. 2. verſ. ſecundò quæro, de h*
Gloſ. in *cap. ſtatuimus, in verb. indirectè, a
reticis, in 6.* cùm privilegium habendi fam
armatam Inquiſitoribus conceſſum ſit à Cle
te V. & Joanne XXII. ut notat Farinac. *tra
hæreſi, q. 182. §. 6. n 89. & 90.*

Infero ſextò, peccare quidem mort
Monachos, & Clericos, portantes extra c
defenſionis arma, non verò eorum Official
familiam, cùm permiſſus ſit eis uſum armo
ut per Tex. *in l. Nàm ſalutem, §. fin. ff. de
Præfect. vigil.* qui Textus per Bal. extendit
familiam Epiſcopi: & per Graff. *p. 2.
lib. 2. cap. 8.* extenditur ad Officiales Le
latere.

Infero ſeptimò, per licentiam, quam C
ci habent à Summo Pontifice, ut bello inte
non poſſe uti armis ad invadendum, ad occ
dum etiam Paganum, ſed ſolùm ad ſe defe
dum.

Infero octavò, perſequente Superior
gulari Religioſos ſuos ſubditos odio capitali
peccare Religioſos, neque incurrere excom
nicationem ſine licentia arma aſſumendo,
nendo, ſi aliud remedium non eſt ad vim
lendam. Ita per Tex. *cauſa 11. q 3. cap.
nus; de divor. cap. quanto; de appellat. c.
priore; de homic. cap. Significaſti*, & tenet
loc. cit. *n. 8.*

Infero nonò, Clericos ſolâ delatione a
tum non eſſe excommunicatos, ſed excom
nicandos, cauſa 22. *q ult. cap. convenior*, &
Gloſ *in cap. Dilecto, de ſent. excom. lib. 6.* &
dunt inter alios duo doctiſſimi Viri, Spere
ciſ. 112. num. 1. cum. ſeqq. Epiſcopus V
nus loc. cit. ubi firmant, Clericos arma p
tes peccare mortaliter, & Tex. in Clem.
agro. §. Quia verò, de ſtat. Monach. loqui
Monachis intrâ monaſterium tenentibus a
qui ipſo jure ſunt excommunicationis vi
Innodati.

Infero decimò, teneri Clericos, qui
juſto interſunt, opem ſpiritualem pugna
laturi, illud D. Pauli *cap. 6 ad Epheſ* pri
dire, & practicare; Induite vos armaturam
ut poſſitis ſtare adverſus inſidias Diaboli,
Accipite armaturam DEI, ut poſſitis reſiſte
die malo, & in omnibus perfecti ſtare.

Infero undecimò, Clericos armatos inc
tes contra diſpoſitionem jurium, & edict
ſæcularis Magiſtratus, non poſſe vi à Birr
armis ſpoliari. Sic etiam Barboſ. *de jur.
ſiaſt. univ lib. 1. cap. 40. num. 140.* Durad.
Cæn. lib. 2. Cæn. 12. q. 11. num. 91. Belle
*quiſit. Cler. p. 2. tit. de pœnis Clericorum, §.
num. 1.* Contrarium docet Covar. *Pract.
cap. 33. ſub num. 7. verſ. Ut quinque t*
ferè communiter reprobatur: Imò S
Deciſ. 124. num. 6. aſſerit, Birruarios

spoliantes Clericum armatum incedentem in excommunicationem incidere *Can. Si quis suadente diabol*, *causa 17. q. 4.* Nec posse illius arma retinere, sed teneri, addunt, ea Episcopo tradere, si illius licentiâ careat, & in Episcopi potestate esse de illis disponere.

XIII. DIFFICULTAS.

An Clericus, vel Prælatus, qui dat Arma Militibus, ut in bello justo pugnent, incurrat irregularitatem.

1 NOtandum primò, armorum appellatione hîc venire omnia arma, quæ tàm ad defendendum, quàm ad offendendum de suâ naturâ apta sunt: & quæ ea sint, dicit Tiber. Decian. *in tract. crimin. lib. 8. cap. 2.* Sayrus *in suo Thesaur. lib. 6. cap. 16. n. 10.*

2 Notandum secundò, bellum justum tunc esse dici, cùm à Principe, qui in suâ ditione, & imperio superiorem non recognoscit, indictum justa de causa fuit; undè ut justum sit bellum, ut alibi adnotavimus, requiri principaliter Principis authoritatem, justamque causam scribunt plures, & præcipuè Didac. Covar. *in Cap. peccatum, p. 2. §. 9. num. 1. & 2. de reg. jur. in 6.* Franc. Arias, *in tract. de bello, numer. 18. & 24.* Menoch. *Conf. 701. num. 84.*

3 Notandum tertiò; bellum posse indici, & justam adesse causam bellandi, quando pro sui, rerumque suarum defensione suscipitur; ut per Tex. *in l. ut vim, ff. de just. & jur. & in Cap. 2. de homicid.* & in specie authoritate D. Tho. & aliorum quamplurium scripsit Covar. loc. cit. *n. 3.* Arias loc. cit. *n. 24.*

4 Notandum quartò, Clericum ministrantem arma, quorum nomine veniunt, ut suprà explicavimus, etiam fustes, lapides, *ff. de verb. signif. l. armorum*, Pugnantibus in bello injusto, in quo sequitur aliqua occisio, aut mutilatio, secundùm omnes, & absque controversia, esse irregularem, etiamsi ad defensionem ministrasset. *arg. Cap. Ad audientiam, & Cap Joannes & Cap. Sicut dignum, de homicid.*

5 Notandum quintò, irregularitatem, ut alibi adnotavimus, esse notam, seu impedimentum canonicum ex facto, seu de facto proveniens, quo quis prohibetur ad Ecclesiasticos Ordines promoveri, & in eisdem ministrare. D. Anton. *in tract. de irregul. Cap. 1. num. 1.* Covar. *in Clem. si furiosus*, in princ. *de homicid.* & alii, quos recenset, & sequitur Intrigiol. *in tract. de casib. conscien. cas. 10. n. 1.*

6 Notandum sextò, nunquam irregularitatem contrahi per solum actum mentalem, *Cap. fin. causa 15. q. 1. Cap. Sicut sentina, causa 32. q. 2. Cap. Cogitationis, de pœnit. Dist. 1.* Quod etiam procedit quoad excommunicationis, vel alias censuræ Ecclesiasticæ pœnas, ut notat Graff, *p. 1. decis. lib. 2. cap. 62. n. 5.*

7 His adnotatis, ad difficultatem propositam, an incurrat irregularitatem Clericus, vel Prælatus, qui dat arma, quæ apud se habet, Militibus, ut in bello justo pugnent, si sequatur homicidium ab ipso non intentum, negativè respondent plures, quos recenset, & sequitur Leander *par. 5. quæst. moral. tract. 2. disp. 7. quæst. 123.* & videntur probare *arg. in Cap. Joannes, Cap. Quidam, Cap. Ad Audientiam, de homicid.* ubi habetur, Clericos dantes operam rei licitæ, ex qua sequitur præter eorum intentionem homicidium, non esse irregulares. Præterea, Clericus non ministrat arma Militibus, ut occidant, sed ut se, & sua defendat: undè si aliquis moritur, hujusmodi concessio non est propinqua & proxima causa mortis illius: adeoque Clericus ministrans non est dicendus irregularis.

8 Fateor hanc opinionem esse probabilem, quam probabiliorem vocat Leander loc. cit. contrariæ tamen, quam tutiorem esse arbitor, libenter adhæreo cum D. Anton. *3. p. tit. 29. cap. 2. §. ult.* Sylvest. *v. homicidium 3. q. 6. §. Quintum.* Astensis, *p. 2. lib. 6. tit. 14. art 8. q. 14.* Angelica, *v. irregularitas, num. 15.* Navar. *in Manual. cap. 27. num. 212. vers Tertiò*, & aliis, quos producit, & sequitur Sayr. *in suo Thesauro, lib. 6. cap. 17. n. 14.*

9 Moveor primò juribus, *arg. in Clem. Cap. si furiosus, de homic. & in Cap Presbyterum, & Cap. Continebatur, & Cap. Ad Audientiam, eodem tit.* ex quibus habetur, quòd qui dat operam rei licitæ, non adhibitâ diligentiâ debitâ, tenetur de casu fortuito sequuti. Quâ autem diligentia possimus præsumere Clericum, dantem arma Militibus, uti, ne sequantur homicidia, si arma dat, ut procedant ad pugnam, ex quâ ferè necessariò homicidia, & mutilationes oriuntur? Et moveor pariter argumento à verisimili, quod in jure probatissimum est, *l. ult.* Glos. & DD. *ff. quod metus causa*, & tradit Everard. *in Gent. Legali*, in loco, à verisimili. Est autem maximè verisimile, quod Pontifex per jura imponentia irregularitatem homicidiis, voluerit etiam includere dantes operam rei licitæ, ex quâ homicidia, aut mutilationes sequuntur.

10 Moveor secundò rationibus: nam Clerico nefas est in mortem proximi immediatè influere; deindè arma Militi dat non ad necessariam sui defensionem, prout requiritur in Clem. *de. Cap. si furiosus, de homic. volunt.* & sic dando illi arma est justa causa mortis: atque adeò irregularis efficitur.

11 Moveor tertiò exemplo, seu praxi: scimus enim non paucos Clericos, qui tempore aut rixæ privatæ, aut publici belli, arma rixantibus, & bellantibus præbuere; cùm exindè ortæ fuerint interneciones, aut mutilationes, Romam venisse, aut misisse pro dispensatione ab irregularitate, quamvis dubia; hoc mihi testantibus pluribus hujus Romanæ Curiæ Officialibus.

12 Concludimus igitur indistinctè, Clericum, vel Prælatum dantem arma offensiva, quæ apud se habet, Militibus, ut pugnent, sivè bellum sit justum, sive sit injustum, esse irregularem, si ex hujusmodi bello aliqua accisio, aut mutilatio sequatur, sive intenta, sive non.

13 Ad jura, & ad rationes in contrarium patet responsio ex dictis.

14 Infero primò ex dictis, esse irregularem Clericum, qui præparat arma apta ad occidendum, ut sunt bombardæ, sclopi, enses, &c. quamvis cum protestatione, nè adhibeantur adversus homines; si verè ad talem usum deveniant, & occisiones sequantur, vel mutilationes. Contrarium tamen est probabile.

15 Infero secundò, fieri irregularem Clericum ministrantem arma, quæ non erant apta ad occidendum; nihilominus ex auxilio taliter præstito alter homicidium fecit; quia ipse fuit causa causæ; unde illi adscribitur causatum.

16 Infero tertiò, incurri à Clerico irregularitatem arma ministrante alicui pro defensione rerum, si ex tali auxilio prævideat mortem secuturam, sive illam intendat, sive non intendat.

17 Infero quartò, incurrere in irregularitatem Clericum, qui hortatur Milites ad currendum post Adversarios, ut illos cogant ad relinquendum captivos, aut prædam, si inde mors sequatur, licet illam non intendat. Contrarium tenet Archid. *in causa 23. q. 8. cap. fin.*

18 Infero quintò, Clericum esse irregularem, qui, existens in bello sive justo, sive injusto, si valet se defendere ab iniquo invasore, dat alteri arma, ut illum adjuvet ad se defendendum, si defensor occidat invasorem. Secus verò si aliter non posset se defendere, & mortam evitare; cùm tunc illi faveat moderamen inculpatæ tutelæ.

19 Infero sextò, in datione armorum, ex quâ sequitur homicidium, ad incurrendam irregularitatem sufficere intentionem interiorem, quamvis exterius non exprimatur. Contrarium tenet Suarez, *tract. de censuris, disp. 47. sect. 6. num. 11.*

20 Infero septimo, vendentem arma, vel tribuentem, vel mutuantem illa id bellum justum gerendum, quando judicatur prudenter futurum homicidium, fieri irregularem; siva hæ actiones fiant in ipso conflictu belli, sive extra; quia ex se, seu ex sua natura, dum ordinantur ad bellum, ordinantur determinatè ad occidendum. Contrarium tanquam probabile tenet Avila, *part. 7. disp. 5. sect. 3. dub. 2. conclus. 1.* Turrianus, quem citat, & sequitur Diana, *p. 4. tract. 2. de irregul. Res. 28.*

21 Infero octavò, incurrere irregularitatem Clericum accusatorem, vel criminis delatorem, pro quo pœna sanguinis irrogatur. Covar *in Clem. si furiosus, p. 2. §. 4. num. 1 de homic.* Secus, si in querelis expressè protestetur, quòd vindictum, sive pœnam sanguinis non intendit. *Cap. Prelatis, de homicid. lib. 6.* S. Anton. *in tract. de irregul. cap. 2. num. 8 in fin.* Tibet. Decian. *in tract. crimin. lib. 3. cap. 10. num. 3.* Abbas, Marian. Felin. & alii, quos recenset, & sequitur Intrigliol. *in tract de casib. conscien. cas. 10. num. 27.*

22 Infero nonò, esse irregularem illum, qui cultellum, vel ensem, vel pugionem, vel telum infixum in corpore alicujus extraxerit, propter quod vulnerato mors citiùs obvenerit. *Cap. Tua, extrà, de homicid.* Specul. *tit. de dispensatio. §. juxta, sub. num. 12. per l. quamvis, & l. culpa, ff. de reg. jur.* Joann à Capestrano, *in Specul. conscientiæ, par. 3. n. 280.*

Infero decimò esse irregularem eum, c
stodiens Infirmum daderit ei bibere vinum
aliud imperitè fecerit ex inexperientia, &
gentia dissoluta contra consilium medicorum
quo mors secuta est. Specul. *tit. de dispen*
§. juxta, num. 13. Secus verò, si error fuit
missus ex bona fide. Rain *in cap. hi, qui*
vem, & cap. sæpè, Dist. 50. Cùm nemo e
asse facilis ad formandam in se conscientiam
pulosam, ut advertit Joan. à Capestrano, *i*
cul. conscien. §. restat, sub. num. 278.

Infero undecimò, ad evitandum irreg
tatem, & alia inconvenientia arma, quæ
Clericus præstare pugnantibus in bello, d
esse, non gladium non sclopum, non en
non lapides, non alia instrumenta offensiv
preces & aleemosynas, nec non jejunia, &
pœnitentias, quibus possint se defendere a
ste tartareo, & à peccato læthali, quod ad p
tuas strages Animam deducit; & Regnum
lorum expugnare, & in eo in perpetuum
ter Beatorum, & Angelorum plausus t
phare.

Infero duodecimò, irregularem non es
non impedit, nè quis occidatur à Consang
suis; esto eos possit impedire, dummodò
compellat ad mortem inferendam, *Cap. Petr*
homicid. volunt.

Infero decimotertiò incidenter, Cleric
xosos, & Monachos esse per Prælatum corr
dos juxta mensuram peccati, ut per Tex. *i*
quis Monachus, Dist. 90. Rixa enim semp
peccatum. Galat. *cap. 5.* ubi rixæ ponuntur
opera carnis, quæ qui agunt Regnum DE
consequuntur. Prov. *cap. 10.* Odium s
rixas; & esse peccatum omne, quod ori
odio, manifestum est. Præterquam quòd
est quoddam privatum bellum, ut notat T
crem. *in d. cap. Si quis Monachus, §. ad*
dum, quod inter personas privatas agitur
ex aliqua publica authoritate, sed ex inor
voluntata; & bellum privatum non pota
absque peccato extra casum justæ defension
moderaminis inculpatæ tutelæ.

XIV. DIFFICULTAS

An Clericus, qui pulsat,
facit pulsari Campanas in sign
quod ad bellum est procedendum, si
mors, vel mutilatio sequatur, sit irregularis.

NOtandum primò, Campanam à Can
dici, ubi primus usus ejus fuit Inve
Fertur enim, quòd Paulinus, Nolæ Urbis
paniæ Episcopus, primus in sua Ecclesia
panæ usum invenerit, ut ejus sono vocar
pulos vicinos, & distantes ad conciones
cationes, aliaque pia munia, Gilbertus C
tus *lib. 3.* Strab. *lib. de reb. Ecclesiast. cap. 1*
ton. Butr. in *cap. 1. num. 10. de offic. custo.* &
Campanæ ad exercendum hujusmodi
stare debent intra Campanile, quod dicitu
Ecclesiæ, Card. da Luc. *tom. 3. de jurisd. de*
num. 10. Qui verò de rebus Venetis scribu

ferunt anno Domini Octingentesimo sexagesimo quinto, ænea instrumenta, quæ Campanæ nuncupantur, usui esse cœpisse Græcis, missis ipsis à Duce Venetorum Urso Patriciaco ad Michaëlem Imperatorem, Baron. *tom. 10. Annal. anno Christi 865. litt. D. §. Ad hunc quoque.*

2 Notandum secundò, antiquum satis esse morem æris sonitu, aut tubæ populum convocandi. Apud Hebræos Sacerdotes ex eminenti turri sonitu tubæ populo Sabbata indicare consuevisse, Josephus scribit *de bello Jud. lib. 5. cap. 9.* Gentiles verò sonitu tintinnabuli ad thermas, & operas consuevisse homine, convocare certum est. Unde Martialis, *lib. 14. Epigr. 163.*

Redde pilam, sonat æs thermarum, ludere pergis?

Juvenalis *sat. 6.*

Tot pariter pelves; & tintinnabula dicas
Pulsari; jam nemo tubas, atque æra fatiget.

Refert Baronius, *tom. 1. Annal. Anno Christi 58.* „§. *Cæterum reddita:* Apud Syros quoque in Sacris adhiberi solita tintinnabula, Lucianus in „dea Syria auctor est, eorumque pulsatione excitari consuevisse, tradit, servos, & mercenarios „ad opera exhibenda. Quibus persuademur eadem tintinnabula etiam à Gentilibus solita fieri „grandiora: In Ecclesiâ verò maxima, editoque „loco ad Popolum convocandum, & ad divina „obeunda opera excitandum exposita, usu profano in sacrum ritè converso. Ita Baron, *in suis* „*Annalib. tom. 1. anno 58. §. Qui primus.*

3 Notandum tertiò, antiquum esse usum, seu ritum Campanas benedicendi, & ungendi, eisque nomen imponendi, quod testantur veteres Codices rituales, licet errore vulgi pro arbitrio utentis vocibus, dicantur baptizari Campanæ, cùm ita ab Episcopo benedicuntur. Baron. *tom. 10. Annal. ad annum 968* refert, Joannem XIII. Pontificem primum fuisse, qui Campanis baptizatis, hoc est consecratis nomina imponere cœperit, ipsumque majori Lateranensis Ecclesiæ Campanæ suum communicasse nomen tempore, quo Otho Imp. Romæ adhuc morabatur. Qui Sacer Ritus in Ecclesia perseveravit, dicens, „Quam, idest Campanam, prius idem Pontifex „Sacris Ritibus DEO consecravit, atque Joannis „nomine, puto Baptistæ, cujus Ecclesiæ usui nun„cupavit.

4 Notandum quartò, Campanæ sonum esse aliquando signum congregandi Populum; aliquando signum horarum; aliquando signum actionis gratiarum; quandoque subtractionis alicujus ab hac vita; quandoque excommunicationis; quandoque salutandi Beatissimam Virginem; quandoque honorandi Corpus Christi; & quandoque etiam signum exeundi ad bellum. Butrius in *cap. 1, de off. Custo. n. 10.*

5 Notandum quintò, fuisse, Suida Auctore, Tympani genus veteribus usitatum, quod introrsum multa tintinnabula complectebatur, quæ sonum ederent: quodammodo nunc penè Crotala apud Turcas reperiuntur; & in castris, & exercitu tintinnabula adhibita esse, quibus ad arma Miles vocabatur, cùm erat in hostem eundum, aut coeundum.

Notandum sextò, Victorias celebriores, præcipuè de Infidelibus reportatas publicis lætitiæ signis honestari, inter quæ etiam reputatur festivus Campanarum sonus. Sic anno 1683. Innocentius XI. Pontifex Opt. Max. ob celebrandum Victorias insignes, ab armis Austriacis contra Turcas pugnantibus sub Vienna, Buda, & alibi reportatas, jussit omnes Urbis Campanas eodem tempore inter ignes lætitiæ pulsari. Ob memorabilem Victoriam, quam Arma Imperialia, Duce Principe Eugenio à Sabaudia, inter alios etiam bellici hujus Sæculi Gloriâ, in Hungaria obtinuere contra Turcas, 26. mil. extinctis, partim ferro, partim flumine; Sultano fugato, Magno Visir interfecto, Armis, rebusque omnibus acquisitis, mense septembris, die 11. 1697. Innocentius XII. tunc feliciter regnans, die 4. Octobris eodem anno per omnes Urbis Ecclesias cantari solemniter jussit *Te Deum Laudamus*, & per tres dies manè, & serò pulsari Campanas per unam horam continuam! cantato priùs in Capella Pontificia, Sacro Collegio existente, Hymno eodem *Te Deum.* 6

His adnotatis; ad difficultatem propositam, an Clericus, qui pulsat, aut facit pulsari Campanas in signum, quòd ad bellum est procedendum, si ibi mors, vel mutilatio sequatur, sit irregularis, negativè videtur respondendum, ex *cap. Ex litteris 2. & cap. Joannes de homicid.* & ratio est, quia dat operam rei licitæ. Præterea, licet Clericis absque metu irregularitatis hortari Milites in bello justo ad pugnam in universum. Pulsare autem Campanas, ut procedere ad bellum, nihil aliud est, quam Milites facto notari ad pugnandum; & ideò si exhortatio verbalis non inducit irregularitatem; neque videtur inducere irregularitatem exhortatio facti, seu Campanæ. 7

Veritas tamen est, Clericum pulsantem Campanas ad bellum, seu ad arma, si exinde in illa pugna quis occidatur, aut mutiletur, fieri irregularem: Covar. in *Clem. si furiosus p. 2. §. 4. num. 5. v. 3. de homicid.* Anton. Butrius in *cap. Ioannes, num. 8. eodem tit.* Navar. *in Manual. cap. 27. num. 235. vers. 23.* Præpos. in *Cap. Ius Militare, 1. dist num. 3.* Sylv. *v. homicidium 2. q. 10.* Tabiena, Philarchus, & alii plures, quos recenset, & sequitur Sayr. in *suo thesauro, lib. 7. cap. 6. n. 3.* 8

Moveor primò juribus, *arg. in l. Item mela, §. Item & cum eo, ff. ad leg. Aquil.* ubi habetur, quod lege Aquiliâ tenetur, qui causam mortis præbuit. *Et in Cap. Quod in dubiis, de pœnis,* ubi Innocentius Tertius dicit, Clericum causam, seu operam præbentem bello, seu incitantem ad pugnandum, peccare, & esse deponendum. *Et in Cap. Petitio tua, Cap. Lator, Cap. Ad Audientiam, de homic.* ubi dicitur, quòd propter homicidium casuale efficitur irregularis, qui fuit in culpa, vel operam rei licitæ dedit, non adhibitâ diligentiâ, quam debuit; vel qui dat operam rei illicitæ, etiamsi adhibeat omnem diligentiam, quam potest. 9

Moveor secundò rationibus: Ad bellum pertinet, quòd per certum signum tubæ, vel alterius instrumenti Milites procedant ad bellum. Item quòd debeat fieri aliquod signum, quando 10

est in hostes committendum. Cùm igitur sonus Campanarum possit esse signum belli, ut adnotatum est, & ad bellum pertineat, sequitur irregularem esse dicendum Presbyterum, qui Campanas pulsavit, vel jussit pulsari in signum, quòd ad bellum erat procedendum, si exindè occisio, aut mutilatio fuerit sequuta. Tùm etiam, quia Presbyter suâ pulsatione Campanæ verè fuit causa homicidii, & bellum aliàs in se justum, ei erat illicitum, cùm bellum sit Clericis interdictum, ut per Sacros Canones à nobis toties allegatos; unde nihil poterat ad bellum conferre: quomodo igitur præfatus presbyter ab irregularitate liberatur?

11 Moveor tertiò exemplo, in quodam Presbytero, relato ab Antonio Butrio in *cap. Ioannes num. 8. de homicid.* qui videns à longè accedere homines armatos ad devastandam Villam, pulsavit Campanas, vel jussit pulsari, hac intentione, ut illi aufugerent; at multis concurrentibus, facta fuit pugna, & aliqui occisi fuere; ex quo idem Butrius judicavit hujusmodi Presbyterum fuisse irregularem, cùm pulsare Campanas ei non fuerit licitum, si hoc fecit ad defensionem tantùm bonorum rusticorum.

12 Concludimus igitur, fieri irregularem, sive sit Clericus, sive Laicus, eum, qui, ut procedatur ab bellum, dat signa Campanæ, aut tubæ, sive de mandato Magisteriæ potestatis, ut in *l. Magisteria, Cod. de jur. om. jud.* ut vult Host. *in summa, de ff. ord.* sive jussu Ducis belli, ut tenet Præpos. in *cap. Ius militare, 1. dist. sub num. 3.* sive sponte, ut nos credimus, dummodò occisiones, aut mutilationes sequantur; quia ista signa sunt de pertinentibus ad bellum, quod Clericis, ut sæpe diximus, interdicitur.

13 Ad jura, & rationes in contrarium respondemus; ad jura dicimus, intelligi de Clerico pulsante Campanas pro Divinis ex officio, vel permissione, aut consuetudine, & adhibitâ diligentiâ si casu absque ejus culpa aliquis occidatur, ut videre est in Tex. & notat Sayr. *in suo thesaur. lib. 7. cap. 6. num. 3.* Sylvest. *verb. homicidium 2. quæst.* 10. non verò de Clerico Campanas pulsante in signum belli.

14 Ad rationes, ad primam, nempe quòd dat operam rei licitæ, patet responsio ex dictis.

15 Ad Secundam, tranamisso, citra veri præjudicium, quod Clericis liceat Milites hortari ad pugnandum, negamus eis licere Campanas pulsare, ut procedatur ad bellum; & assignamus disparitatem: nam hortari Milites ad strenuè pugnandum est illos hortari ad ostendendam fortitudinem animi, scilicet ut tempore pugnæ non fugiant, fideliter serviant Principi, non verò Campanas, ut Milites procedant ad bellum, est inducere eos, seu eos excitare ad occasiones, & mutilationes; & proptereà, si hæ non sequantur, diximus, Clericum pulsantem Campanas, quamvis peccet, cùm faciat id, quod non debet nec potest, irregularitatem non incurrere.

16 Infero primò ex dictis, incurrere irregularitatem eum, sive Clericus sit, sive Laicus, qui facit aliquod signum ad convocandum homines armatos, ut defendant, aut domum à furibus, aut castrum ab hostibus, dummodo sequatur vel mors, vel mutilatio; secùs verò, si nullus moriatur, aut mutiletur: aut si hoc faciat ad se defendendum per inevitabilem necessitatem, ut constat ex *Clem. 1. de homicid.*

Infero secundò, esse irregularem eum, quo pulsante Campanas, malleus cecidit, & occidit hominem, si pulsavit non ex officio, vel permissione, aut consuetudine, ut in *cap. Ioannes, de homicid.* vel si pulsavit ex officio, non adhibuit diligentiam, putà, si fuit Sacrista, tintinnabulum diligenter non ligavit; Sylv. *in verb. homicidium, d. quæst. 10.* 17

Infero tertiò, esse irregularem Clericum, qui pulsat Campanas, ut capiatur fur, vel alius malefactor; si reo capto, sequatur mors, cùm hoc non liceat Clerico pro justitiâ; secùs verò, si pulsat Campanas ad defensionem inevitabilem suæ personæ, cùm alios liceat convocare ad sui defensionem. Ita ut Glass in *cap. Significasti 2. de homic.* Graff. *part. 1. decis. lib. 2. c. 66. n. 19.* 18

Infero quartò, esse irregularem illum, qui Campanam pulsat ad arengam, ubi publicè Senatus judicat malefactorem ad mortem, vel mutilationem, Butr. in *cap. Ioannes num. 9. de homicidio*: Secùs verò, qui Campanam pulsat in signum, quòd sit aliquis furcâ suspendendus. Ita communiter DD. in d. *cap. Ioannes.* 19

Infero quintò, esse irregularem illum, qui ligna dederit ad comburendum hæreticum vivum, utpote in suis erroribus pertinaciter existentem. Ita tenet etiam Felin. in *cap. Sicut, §. Hi quoque, de homicidio*, quia præbuit causam propinquam mortis; secùs verò, si ligna dedisset, ut combureretur hæreticus mortuus, cùm non præbeat causam proximam, neque remotam mortis Graff. loc. cit. 20

Infero sextò, teneri de omni casu fortuito eum, qui dat operam rei illicitæ, quamvis adhibeat omnem diligentiam, quam potest: ut etiam per *cap. Suscepimus, & cap. De cætero, cap. Tua, cap. Sicut ex litterarum, de homicidio vol.* 21

Infero septimò, teneri de casu fortuito illum, qui dat operam rei licitæ, si non adhibuit diligentiam debitam; habetur etiam per *cap. Presbyterum, & cap. Continebatur, de homicidio*, secundum unum intellectum. 22

Infero octavò, non fieri irregularem, sed tamen peccare Clericum, qui Campanam pulsaverit in signum, quòd aliquis sit à Ministro justitiæ occidendus, si Campana sit consecrata, & constat ex Concilio Mediolaneu. 1. sub Pio IV. per S. Carolum Borromæum celebrato *p. 1. instit. lib. 4. tit. de Campanis num. 9.* & tenet Sayr. loc. cit. *n. 5.* 23

Infero nonò, fieri irregulares Buccinatores, qui sonitu tubæ Milites vocant ad conflictum, eosque excitant ad invadendum, & occidendum, si indè occisiones sequantur. 24

Infero decimò incidenter, esse irregularem illum, qui auctoritate publicâ, vel privatâ Campanas pulsat, vel januas Ecclesiæ aperit, ut ab alio, tempore interdicti, celebrentur Divina Officia, cùm ipse quasi auctoritatem præbeat tempore interdicti Divinorum Officiorum celebrationi. Et est communis Doctorum opinio, 25

quos

quos recenset, & sequitur Sayr. in *suo Thesauro, lib. 5. cap. 14. n. 53.*

26 Infero undecimò, plurimùm juvare pulsum Campanarum per Ecclesiam benedictarum ad repellendum grandines, fulmina, tempestates, & alias aereas impressiones. Concil. Colon. *2. part. 9. c. 14.* & ad dissolvendas dæmonum machinationes, Ita docet Petrus Cluniacens. *lib. 1. de miracul. cap 13.* Baron. *tom. 1. Annal. anno Christi 58.* & alii, quos sequitur Jodoc. in *verb. Campana*, ubi plura recenser de pio, & & sancto usu Campanarum, Molf. *in sua summa, p. 1. tract. 11. cap. 7. n. 218.* ubi §. *De remediis maleficiorum, n. 195.* multa remedia docet contra maleficia.

27 Infero duodecimò, Campanarum Curam administrationem, & jurisdictionem spectare ad Episcopum, cujus est Ecclesia, cùm ipse debeat curam spiritualem populi habere, pro quâ hujusmodi usus in Ecclesiâ est introductus. Sunt enim Campanæ species Concionatorum, Populum ad Fidem, & Divina vocantium, & invitantium, Lapus, *alleg. 12. n. 4. ubi adden. lit. E.* verbo, *Campana.*

28 Infero decimotertiò incidenter, irregularem non fieri, qui dat Judici insignia soris, ut cultrum, calceos, &c. præsertim præmissâ protestatione, &c. licet hic postea à Judice damnetur ad mortem, *cap. Tua nos, de homicid. volunt, §. ad ultimum.*

29 Infero decimoquartò pariter incidenter, tempore interdicti, generatim loquendo, non esse pulsandas Campanas alicujus Terræ, Civitatis, &c. nisi Loca illa ad id faciendum speciale habeant privilegium. *cap. Quòd nonnullis, de privilegiis, & cap. Alma Mater de sent. excomm. in 6.*

30 Infero decimoquintò etiam incidenter, non posse à Clericis, sive secularibus, sive Regularibus in Sabbato Sancto pulsari Campanas antè Ecclesiam Majorem, sub pœna ducatorum centum, Concil. General. Later. V. *Sess. 11. Const. 4.* circa medium: quæ pœna non videtur in praxi.

31 Infero decimosextò, principaliorem Ecclesiæ universalis finem in Campanarum usu esse, Fidelium animos ad devotionem excitare, eosque in precibus unire ad Divinam opem in necessitatibus non tam spiritualibus, quàm temporalibus implorandam. Hinc CLEMENS XI. Pontifex Optimus Maximus, sanctè & feliciter regnans, jussit mense Decembris anni elapsi 1702. per quindecim dies, post secundam noctis horam, in omnibus, & singulis Urbis Ecclesiis unam ex Campanis per dimidium horæ quadrantem pulsari; durante Campanarum sonitu, quinque Pater, & quinque Ave Maria devotè recitantibus Indulgentiam septem annorum pro singula vice concedendo; & semel Indulgentiam Plenariam omnibus uno ex præfatis quindecim diebus contritis, & confessis, ac Sacrâ Communione refectis; Et hoc quidem, ut eredimus, ad cælitùs impetrandam Gregi sibi commisso, in tot & tantis adversitatibus prosperitatem: potissimum verò pacem toti Orbi, bellorum cruentorum pondere presso, lacrymis, & suspiriis diù ab omnibus exoptatam. Idemque fieri jussit hoc anno 1703. mense Januarii, videlicet pulsari per duas hebdomadas Campanas post primam horam & dimidiam noctis per octavam horæ partem, ad placandam iram DEI, ostensam in terræ motu non parvo, qui hic Romæ die 14. hujus mensis, circa duas horas noctis; & die 16. ejusdem mensis, circa horam 21. contigit, absque tamen ulla ædificiorum ruina, septem annos Indulgentiæ, & totidem Quadragenas pro singula vice largiendo quinquies orationem Dominicam, & Salutationem Angelicam devotè flexis genibus, durante Campanarum sonitu, recitantibus; & semel intra præfatum tempus Indulgentiam Plenariam in forma Jubilæi; ad quam facilius consequendam mediâ exactiori Animæ dispositione, mandavit in variis Urbis Ecclesiis bis in diem Missiones fieri; è quibus exoptatos Animarum fructus ubertim inspeximus congerminare. Quam devotionem, nempe Campanarum sonitum, & recitationem quinque Pater, & totidem Ave Maria, cum largitione præfatæ Indulgentiæ septem annorum terribili terræmotu contingente circa horam 18. in die Purificationis Beatissimæ Virginis Mariæ, cujus Patrocinio ruinarum reparatio fuit ab omnibus constanter adscripta; quam, inquam devotionem, universaliter acceptam, Summus Pontifex postea extendit usque ad Feriam quartam inclusive Majoris hebdomadæ; Et alio quamvis levi, supetveniente in Dominica Resurrectionis ejusdem anni, circa horam 13. terræ motu, eadem devotio cum eâdem Indulgentiâ fuit per Summum Pontificem ab Octava Paschæ usque ad Festum S.S. Apostolorum Petri, & Pauli, cum gaudio totius Populi prorogata.

XV. DIFFICULTAS.

An Infideles possint per Summum Pontificem, aut per Principes Christianos, armorum violentiâ rebus suis spoliari.

Notandum primò, Infideles esse in triplici differentia quoad Christianorum Principum imperium, nempe subditos Principibus Christianis, jure, sed non facto; de jure, & de facto; nec de jure, nec de facto subditos. Infideles, qui de jure, sed non de facto, Principibus Christianis subduntur, sunt omnes illi, qui occupant Terras aliquando recognoscentes Christianorum ditionem, puta Afri, Saraceni, Turcæ & similes. Infideles, qui Principibus Christianis de jure, & de facto subduntur sunt Hebræi in Italiâ, Hæretici in Germaniâ, vel in Valle Lucernæ; ditione Ducis Sabaudiæ, vel Mauri in Terris Christianorum degentes. Infideles verò, qui nec de jure, nec de facto Principibus Christianis subduntur, secundùm jurisdictionem temporalem, sunt Pagani, qui nunquam subditi fuerunt Imperio Romano, nec Terras Christianorum habitant. 1

Notandum secundò, Imperatorem non esse Dominum totius Orbis, cùm dominium non possit 2

possit esse, nisi vel jure naturali, vel Divino, vel humano, quo nemo est Dominus totius Orbis, ut optimè probat ex D. Tho. Fran. de Victor, *Relect. 5. de Indis. n. 1.*

3 Notandum tertiò, Summum Pontificem non esse Dominum Civilem, aut temporalem totius Orbis, si dominium, & potestas civilis propriè intelligatur. ita tradunt Turrecrem. *lib. 2. cap. 113.* Joannes Andrea, & Hugo, 96. *dist. cap. Cùm ad verum;* Innoc. *in cap. Per venerabilem, qui filii sint legit.* & Glos. *in cap. Venerabilem de elect.* Tradit. Victor. *Relect. 5. de Indis n. 3.*

4 Notandum quartò, Principem, qui superiorem non recognoscit, posse ex causâ rem suam alteri auferre. Ita Glos. pen. *in l. Barbarius, ff. de Off. Praf. Prat.* not Bar. *in proœ. ff in 2. colum & in l. Quicumque, in fin. Cod. de fide inst. lib. 10.* Bal. *in l. rescripta, col. fin. cod. de precib. Imper. off.* & alii, quos recenset, & sequitur Graff *p. 1. decis. lib. 2. cap. 113. num. 2.* ubi limitat, dummodò pretium solvatur illi, cui dominium rei aufertur, ut per Tex. *in l. Servi, cod. pro quib. caus. servi. liber. accip.* Arch. *in cap. Per principalem, caus. 9. qu. 3.* Dec. *cons. 498. col. fin.* excepto casu delicti ejus, qui jure suo privatur: aut quando per viam legis generalis dominium rei tollitur, ut declarat Alex. *in Cons. 212.*

5 Notandum quintò, Principem non posse sine causa etiam utile dominium alicui auferre, ut notat Bart. *in l. 1. cod. defun. patri. l. 11.* Paul. de Castr. *in Cons. 159.* & alii, quos refert, & sequitur Dec. *in Cons. 606. n. 8.*

6 His adnotatis: ad difficultatem propositam, an Infideles possint per Summum Pontificem, vel per Principes Christianos, armorum violentiâ rebus suis spoliari, videtur absolutè negativè respondendum, quia dominium rerum privatarum, quæ olim concessæ fuerunt occupantibus, est de jure gentium, ut notant Doctores *in cap. Qua in Ecclesiarum, de constitut.* & contra ea, quæ sunt de jure naturali, vel gentium, Princeps non potest statuere. Præterea, omnis contrectatio rei alienæ invito Dominio est prohibita ex illo Exod. 20. *Non furtum facies:* quid autem est Infideles spoliare, nisi eorum res contrectare eis invitis? Præterea, DEUS prohibuit cuilibet repetere sua, S. Matth. *cap. 5.* multo magis prohibuit repetere aliena; & ideò nullo modo fas esse videtur Summo Pontifici, aut aliis Principibus Infideles rebus suis spoliare.

7 Video hanc sententiam absolutè, & universaliter sumptam, prout extenditur ad omnes Infideles, non subsistere; atque adeò, seclusis infidelibus, qui nunquam subditi fuerunt Principibus Christianis, & nihil de Terris Christianorum occupaverunt, nec fuerunt, nec sunt infesti Christianis, asserimus, Papæ, & Principibus Christianis licitum esse spoliare cum causâ rebus suis Infideles, qui de jure, & de facto, vel de jure, quamvis non de facto; subsunt secundum jurisdictionem temporalem Principibus Christianis. D. Tho. 2. 2. *q. 66. art. 8. ad secundum.* Host. *in cap. Quod super his, de voe.* Sylv. *in sum.* verb. *Infidelibus, q. 7. num. 8.* Turrecrem. *in cap. Nunc autem, num. 2. causa 23,*

q. 7. Gregor de Valent. *tom. 3. disp 5.*
punct. 6. & alii, quos recenset, & seq
Sayr. *in sua Clavi Regia, lib. 9. cap. 14. n*

Moveor primò juribus, *in cap. Quod a*
& cap. Dispar, ead. caus. q. 8. cap. Vergenti
baret. quæ facilè possunt videri, & aliis jur
tit. de Judais, & Saracenis, ubi habetur,
deles justè spoliari rebus suis, quando ad
sa, authoritate Principis, vel Ecclesiæ: &
in l. 1. & 2. feud. tit. quibus mod. amit. feu
dicitur, Feudatarium, qui negat Domin
feudo privari; DEUS autem omnium Do
est, & infideles eum negant.

Moveor secundò rationibus: Infideles,
Turcæ, sive Judæi, sive Hæretici non
subduntur Principum Christianorum dir
quàm alii Cives, & propter infidelitatem
lioris conditionis esse non debent. Certu
autem alios Cives posse ex causa per suum
cipem rebus suis spoliari, ut alibi à nobis de
stratum est. Tùm quia, quando justum
bellum, fas est Principi justè bellanti omn
stes suis rebus spoliare. Experientia verò
Turcas, Hæreticos, aliosque infideles, host
Christi, & Christianorum, inimicos Ec
Catholicæ, diabolicumque contra nos
um nutrire, res nostras auferre, nostra
evertere Religionem actu, vel habitu deside
& bellum contra eos à justitia minimè de
re: atque adeò licet Summo Pontifici,
que Principibus Christianis eos rebus sui
liare.

Moveor tertiò exemplo, jam tacto in f
do motu, in Vassallo, qui exigente, Do
obsequia si negaverit se Vassallum ejus esse,
men committit feudi privatione dignum,
feud. tit. 26. § Vasallus, & tit. 34. §. ultim
not. per Azor. *instit. moral. p. 3. lib. 10. ca*
Exigit quidem ab omnibus hominibus Re
gum vera obsequia: & Infideles veram
nolentes amplecti, negant se esse Christi V
los: unde possunt rebus suis per Principes
stianos, servato ordine spoliari. Additâ
per praxi; videmus enim Turcas, Hæret
aliosque Infideles à Principibus etiam tim
conscientiæ, titulo belli, aut aliâ justâ ratio
rebus suis privari.

Concludimus igitur, Infideles, qui
sunt Christianis, posse authoritate Princ
vel Ecclesiæ, servato ordine, nempe, si
sit probata, non ex odio, aut cupiditate
zelo justitiæ, alioque justo titulo, rebus su
Christianos armorum violentiâ spoliari.

Ad rationes in contrarium respondem
primam, quòd jus gentium favet Infidelibus
Principum Christianorum, nec de jure, n
facto imperium recognoscunt; quos & no
mur, non posse à Pontifice, vel alio Prin
Christiano rebus suis spoliari; non verò inf
bus, qui Christianæ potestati de jure, & d
cto, aut saltem de jure, si non de facto,
duntur. Hos enim, si delinquunt, nullu
potest defendere à privatione non tantùm re
sed & vitæ.

Ad secundam, admissâ majori proposit
negando minorem; quia spoliare Turcas, H
ticos, aliosque Infideles, juxta notata, ex e

Pr

Principis, habentis legitimam potestatem, non est contrectare rem alienam, nec rapere, ut ostendit D. Aug. relatus, *in d. cap. Quicunque causa 23. q. 7.*

14 Ad tertiam, eodem modo respondet Turrecrem. loc. cit. *sub n. 6.* dicendo, quòd in hoc casu Christiani spoliantes rebus suis Infideles, non rapiunt aliena, sed sua.

15 Infero primò ex dictis, bona Laici condemnati de hæresi, ipso jure esse confiscata, ut patet *ex cap. Vergentis, extrà, de hæret.* quamvis executio confiscationis, vel occupatio bonorum locum non possit habere in favorem Principis sæcularis, nisi priùs sententia Judicis Ecclesiastici super eodem crimine sit promulgata, ut notat Turrecrem. *ex cap. Nunc autem, num. 3. causa 23. quæst. 7.*

16 Infero secundò, bona Clerici condemnati de hæresi esse Ecclesiæ applicanda, ut patet ex *cap. Ad abolendam, extrà de hæret.* & tenet Turrecrem. loc. cit. *num. 5.*

17 Infero tertiò, bona ablata Hæreticis jure belli, vel alio justo titulo, si reversi fuerint ad fidem, eis restitui, non ex justitia, sed ex misericordia.

18 Infero quartò, injustè conqueri hæreticos, cæterosque Infideles de Christianis; eò quòd possideant bona, quæ ipsi priùs tenebant. Ita D. August. relatus *in cap. Si de rebus, de causa 23. quæst. 7.*

19 Infero quintò, non solum Principes, sed etiam inferiores Dominos, si habeant jure proprio potestatem faciendi statuta, *l. omnes populi, ff. de just. & jur.* posse ex causa justa, & condigna res suas alteri sive fideli, sive infideli auferre. Bar. *in l. toties, ff. de pollicit.* Alleg. Tex. *in l. venditor. §. si constat, ff. commun. præd.* Graff. *p. 1. decis. lib. 2. cap. 113. n. 6.* ubi limitat, dicendo, pretio soluto, quando non adest delictum.

20 Infero sextò, licitum esse Principi Infideles sibi subditos de jure, & de facto, non solùm bonis, sed etiam vitâ privare, vel propter eorum delicta, vel ob bonum commune; sicut iisdem de causis etiam alios quoscumque suum imperium recognoscentes. Ita etiam Sayr. loc. cit.

21 Infero septimò, Turcas, aliosque Infideles non solùm posse per vim, & bellum, spoliari Terris à Principe, ad quem jure pertinent, sed etiam à quolibet Principe Christiano, ex tacito consensu Sedis Apostolicæ, & totius Christianismi, qui consensus sufficienter exprimitur per solemnitatem, quâ Romana Ecclesia solet victorias de ejusmodi Infidelibus à quibuscunque Christianis auctoritate publicâ partes celebrare, ut notatur per Cajet. *2. 2. q. 66. art. 8.* Greg. de Valent. loc. cit.

22 Infero octavò, illos, qui nec de jure, nec de facto subjecti sunt Christianis, non posse aut privatâ, aut publicâ auctoritate in bonis, tùm corporis, tùm fortunæ molestari, nisi justa adsit causa; puta, si impedirent Evangelii prædicationem, aut aliorum conversionem, aut molestiam conversis Fidelibus inferrent, aut Fidelibus eò pacificè euntibus transitum denegarent, aut eos injuriis lacesserent, aut eos sine causa interficerent. Sic etiam tradunt Cajet *2. 2. q. 66. art. 8.* Sot. *lib. 5. de just. & jure, q. 3. art. 5. in fin.* Franc. à Victor. *in Relect. de Indis, & relect. 6. de jure belli,* & alii; cùm extra hos casus Principes Christiani nullum habeant super hos Infideles jus, aut dominium.

Infero nonò, licitum esse unicuique, sive 23
Princeps sit, sive privata Persona, furari, aut per vim rapere Christianum Servum, in captivitate detentum apud Turcam, aut alium Infidelem: quia Christiani, cùm injustam patiantur oppressionem, & captivitatem, semper habent bellum justum defensivum contra Dominos Infideles; & sic successivè fas est unicuique eos juvare, & vim inferre Infideli detinenti. Ita docent etiam Cajet. Valent. loc. cit. & alii.

Infero decimò, Principes Christianos habe- 24
re jus in totam Græciam, & alias Terras, & Provincias, quæ aliquando fuerunt Christianorum, quamvis de facto ab Afris, Saracenis, & aliis Infidelibus possideantur, Sayr. *in Clavi Regia, lib. 9. cap. 14. num. 26. in fin.*

XVI. DIFFICULTAS.

An deferentes ad Turcas, Hæreticos, aliosque Christiani nominis hostes, venas ferri, aut aliorum metallorum, ex quibus arma, aut alia instrumenta bellica efficiuntur, incidant in excommunicationem Bullæ Cœnæ.

NOtandum primò, venam ferri, non esse 1
ferrum actu, seu ferrum purum & mundum, sed ferrum mixtum; quòd postquam igne purgatum est, jam est purum: Filliuc. *tom. 1. qq. moral. tract. 16. cap. 6. n. 138.* Bonac. *in Bullam Cœn. disp. 1. q. 8 punct. 2. n. 5.*

Notandum secundò, posse metallarios, pu- 2
blicè ad tale munus electos, ingredi fundos alienos, & perquirere metalla, invitis Dominis, quod probat ex pluribus juribus, & DD. auctoritatibus Ægydius Bossius *in tit. de metallis; & argenti fodinis, n. 1. fin.*

Notandum tertiò, quòd Fiscus habet jus in 3
fundis privatorum, in venis metallorum, scilicet dandi facultatem has venas inveniendi: & habet aliud jus, quia decima metalli inventi sibi debetur, ut *in l. cunctis, cod. de metallariis:* quod jus est inter redditus Principis, & inter sua vectigalia, *l. inter publica. in fin.* & ibi Glos. *ff. de verborum signif.* & tradit Boss. loc. cit. ubi plura de venis, & metallis distinctè, & doctè refert.

Notandum quartò, metalli appellatione ve- 4
nire aurum, argentum, electrum, æs, stannum, plumbum, & ferrum, ut tradit Rebuff. *in explicatione Can. sept. Bull. Cœn.* ex Isid. *lib. 16. Etymolog. cap. 16,* Lucas de Penna *in rub. cod. de metall. lib. 11.*

Notandum quintò, metallum esse corpus 5
fossile, quod liquescere potest, & cum redit, durescit; & esse solidum, solo argento vivo excepto, quod est fluidum, & mobile.

Notandum sextò, prædicta metalla inveniri 6
in venis, nunc pura, & sincera; nunc alterius speciei metallis confusa; & nunc quidem natura duo admiscet, ut aurum, & argentum; aliàs

tria, ut aurum, argentum, æs; aliàs plura, idque vario pondere.

7 Notandum septimò, in Canone septimo Bullæ Cœnæ, inter metalla, quæ nominatim prohibentur, primo loco prohiberi ferrum, tanquàm præcipuam materiam armorum, & rem valdè utilem, & necessariam ad bellum gerendum, & ad actiones bellicas exercendas; unde dicitur, ferro omnia domari.

8 His adnotatis: ad difficultatem propositam, an deferentes ad Turcas, Hæreticos, aliosque Christiani nominis hostes venam ferri, aliorumque metallorum prohibitorum, ex quibus arma, aut alia bellica instrumenta efficiuntur, incidant in excommunicationem Bullæ Cœnæ, negativè respondet Navar. *in Manual. cap. 27. num. 63. vers. Quinto, quod per ferrum, & in cap. Ita quorundam, notab. 6. num. 9. de Iudæ.* cujus fundamentum est, quia vena ferri nullatenus potest dici formaliter ferrum, sed tantùm in potentia: Est enim vena ferri quædam terra; ex qua arte, & industriâ humanâ educitur ferrum: & nomine ferri intelligitur id, quod actu, & formaliter est ferrum, sive sit infectum, scilicet, massa, vel virga ferrea; sive sit in aliquod instrumentum bellicum elaboratum. Cùm igitur vi Canonis prohibeatur ferri delatio ad infideles, non est dicendum, prohibitionem ad venæ ferri delationem extendi.

9 Fatemur, hanc opinionem probabilitate non carere; nihilominus oppositam, quàm veriorem, & probabiliorem esse arbitramur, constanter sustinemus, cum Sylvest. *in summa, in verb. excommunicatio 7. §. 59. v. Et secundo, quia nomine ferri venit ferrum factum, & infectum, id est vena ferri.* Alter. *in Bulla Cœna, disp. 8. lib. 5. cap. 6. col. 5.* princ. Durad. hic, *quæst. 21. conclus. 3.* Filliuc. *tract. 16. cap. 6. de censur. num. 138.* Ugol. *in explicatione hujus Canonis, verb. ferrum.* Bonac. hic, *disp. 1. quæst. 8. punct. 2. n. 5.* ubi citat Suarez, & alios.

10 Moveor primò juribus, *in l. 2. cod. quæ res expor. non deb.* ubi apparet, nomine ferri venire ferrum factum, & infectum, id est venam ferri, & *in l. cum quid, ff. si cert. pet.* ubi habetur, quòd par est virtus taciti, & expressi, undè dùm Legislator prohibet expressè ferrum ad Infideles deferri, ex ejus præsumpta voluntate censetur prohibita delatio venæ ferri, ex qua ferrum conficitur.

11 Moveor secundò rationibus; nàm venâ ferri solent uti Infideles ad impugnandum Christianos; etenim quoad usum æque inservit ferrum, ac ipsa vena ferri, cùm vena ferri alium non habeat usum, quàm ut ex ea conficetur ferrum, quamvis non ita immediatè deserviat ad bellum, sicut ferrum. Præterquam quòd, vena ferri verè, & propriè est ferrum, non purum, & mundum, sicut est, postquam igne purgatum est, sed mixtum: atque adeò in prohibitione delationis ferri censetur comprehendi delatio venæ ferri.

12 Moveor tertiò exemplo, saltem possibili in his, qui secundùm communem opinionem essent excommunicati, deferendo segetes non purgatas, si lata esset excommunicatio contra deferentes triticum. Ita excommunicati censendi

sunt deferentes ad Turcas, aliosque Infidel[...] nam ferri; cùm Bulla prohibeat sub pœ[...] communicationis ad eos deferre ferrum: [...] enim eadem ratio; nàm tritico assimilat[...] rum purum; segetibus verò vena ferri, [...] ferrum nondum purgatum; quemadmodù[...] ticum non purgatum sunt segetes.

Concludimus igitur, excommunicati[...] Bullæ Cœnæ incurrere eum, qui ad Turcas, [...] que Christiani nominis hostes defert non [...] ferrum actu, seu ferrum purum, & mun[...] & factum, sed etiam ferrum infectum, id [...] nam ferri, seu ferrum mixtum, sive terra[...] qua ars, & industria hominis potest educe[...] rum; & ex hujusmodi ferro arma, aut alia b[...] instrumenta efficere.

Ad rationem in contrariam respondeo [...] ex dictis: parum enim refert, quòd ven[...] non possit dici formaliter ferrum; sufficit [...] eâ Infideles utantur, aut possint uti, siv[...] diatè, sive immediatè, ad impugnandum [...] stianos; quæ est causa finalis prohibition[...]

Infero primò ex dictis, eandem esse [...] nem de terra, vel lapide minerali cujusc[...] metalli, quamvis non sit metallum colatu[...] ideò incurrere excommunicationem de[...] tes ad Turcas, aliosque Infideles hanc te[...] hosque lapides minerales, si aliquo mod[...] diatè, aut immediatè possint deservire in [...] bus ad impugnandos Christianos. Tradit [...] Alter loc. cit.

Infero secundò, incidere in Bullam [...] Asportantem ad Turcas, aliosque Infideles [...] adamanti, & argenti præcipuè si hoc facia[...] mo adjuvandi Infideles in bello contra Ch[...] nos.

Infero tertiò, immunem non esse à c[...] Bullæ Cœnæ Asportantem ad Infideles qua[...] que materiam, ex qua fabricantur arma a[...] lum necessaria.

Infero quartò à fortiori, esse excomm[...] tum in Bullâ Cœnæ Deferentem ad Infidel[...] gas, laminas, & globos ferri. Bonac. loc. ci[...]

Infero quintò, incidere in Bullam Cœn[...] ferentem ad Infideles venas stamni, cha[...] aliorumque metallorum; cùm per has ver[...] tem mediatè possint impugnari Christiani [...] adeò hæ venæ, si non in specie, in genere [...] jus Canonis deferri prohibentur.

Infero sextò, non liberari ab excomm[...] tione Bullæ Cœnæ eum, qui defertet ad I[...] les quemdam lapidem, circa Audita Phry[...] pettum, qui combustus ferrum fit; deind[...] terra quadam in fornace excoctus pseu[...] rum exsudat terra: quæ terra, si æs acc[...] sit mixtura, quæ quidem orichalcum nu[...] tur. Pseudargyrum etiam circa Tmolum [...] tur. Habetur ex Strab. *lib. 13.*

Infero septimò, incidere in Bullam [...] Deferentes ad Infideles, pugnantes contra [...] stianos, quamdam aquam, quæ genera[...] Hispania; quâque ferrum actiùs temperat[...] fesque fiunt aptiores ad feriendum; pr[...] enim per hanc aquam Infidelibus auxilium [...] mnum seu perniciem Christianorum; quo[...] hibetur expressè in Bullâ Cœnæ.

22 Infero octavò, nemini licere inquirere in fundo alieno, aut proprio venas ferri, auri, argenti, aliorumque metallorum, cum animo eas deferendi ad infideles: secùs verò absque tali animo, etiam invito domino fundi; dummodò fiat ob publicam utilitatem, & sine læsione superficiei. Ita sentit Paulus de Castro in *l. divortio*, §. *si vir*, *ff. solut. matrim.* & allegat Text. cum Gloss. in *l. quosdam*, *& metall. & procuratoribus eorum, lib. 11.*

23 Infero nonò, venas metallorum eorum esse, quorum sunt fundi; easque posse fodere sine privilegio Principis, locare, & disponere de eis: dummodò non adsit in contrarium aut consuetudo, aut justa lex. Ita Joannes de Plat. in *d. l. cuncti.* Bossius *in tit. de metallis, num. 4.* ubi asserit, hanc conclusionem procedere non solum à principio fundi acquisiti, sed etiam, si posteà inveniantur, quia adhuc sunt domini, sicut quælibet alia pars, *l. fin. ff. de fund. dotal. l. item si fundum*, §. *1. ff. de usufruct.*

24 Infero decimò, domino fundi nolente fodere ad inveniendam venam metalli, à Tertio jam detectam, posse Principem mittere metallarios expertos ad opus perficiendum, tum propter publicam utilitatem, tum etiam pro interesse suæ decimæ; secùs verò, si dominus fundi invenit venam, & vult fodere, nisi aliter se habeat consuetudo. Sic censet Boss. loc. cit. *num. 5. & 7.* ubi plura circa dominos fundi, & hæredes dominorum tradit; aliasque res curiosas, & scitu dignas inserit, à nobis omissas, utpote extra rem nostram.

25 Infero undecimò, venas auri, argenti, aut alterius metalli, quæ inveniuntur in locis privatorum, ad ipsos privatos spectare; quæ verò inveniuntur in locis publicis ad Principem pertinere. Ita Audt. de Isernia, & alii, quos recenset, & sequitur Boss. loc. cit. *num. 10. 11. 12.* ubi explicat, & resolvit illam celebrem quæstionem; nempe, quando Vassallus invenit venam argenti, vel ab alio invenitur; vel quæritur in suo territorio, an sit sua; & an jus quærendi sit suum, vel Principis, qui illum infeudavit. Tu illum vide, & considera, dum nos ad alia procedimus.

XVII. DIFFICULTAS.

Titius defert arma, & alia in Canone septimo Bullæ Cœnæ prohibita ad Infideles, non pro Christianorum impugnatione, sed ob recuperanda bona sua à Christianis indebitè occupata. Dubitatur, an incurrat excommunicationem hujus Canonis.

1 Notandum primò; Infideles in duplici esse differentia. Alii enim sunt Christiani nominis hostes, & cum Christianis bellum gerunt aut actu, aut habitu. Alii verò Christianorum non sunt inimici, nec illos impugnant, neque unquam impugnaverunt; ut alibi à nobis notatum est.

Notandum secundò, in Canone septimo multa prohiberi ad Infideles deferri, quæ per se ordinantur ad bellum, & pugnam; & secundum leges etiam civiles ad hostes transferri non debent, *l. 2. Cod. quæ res exportari non debent*, *l. Mercatores*, *Cod. de Commer. & merca. l. Cotem*, *ff. de publ. & vect.* 2

Notandum tertiò, quæ in Canone septimo Bullæ Cœnæ interdicuntur, simpliciter & absolutè interdici, sine ulla temporis distinctione, eoque modo etiam jure antiquo fuisse prohibita, *Cap. Ita quorumdam*, *cap. ad liberandam*, *de Judæ.* & sic omni tempore incurritur excommunicatio, quando deferuntur hæc simpliciter prohibita: quod placet Abb. *in cap. Quod olim*, *num. 1.* in fine, *de Juda.* quamvis fateatur contrarium sentire Glos. *in cap. Significavit.* 3

Notandum quartò, quòd nemo ex delicto suo debet lucrum aliquod reportare, §. *furtivæ*, ubi omnes, *Instit. de usucap.* Medin. Sylv. Lopez. Molin. & alii, quos producit Sayr. *in Clavi Reg. lib. 9. cap. 12. n. 6.* 4

His adnotatis: ad difficultatem propositam; an Titius deferens arma, & alia vi Canonis septimi Bullæ Cœnæ prohibita ad Infideles, non pro impugnatione Christianorum, sed ob recuperanda bona sua à Christianis indebitè occupata, incurrat excommunicationem hujus Canonis, negativè videtur respondendum; quia Deferens arma, & alia prohibita in Bulla ad Infideles, qui nullatenus sunt Christiani nominis hostes, hac excommunicatione minimè ligatur: Unde si Infideles, qui bellant contra Christianos, nec quidquam occupent, aut occupare curent Reipub. Christianæ, neque pugnent odio Religionis, sed solum procurent recuperare res suas à Christianis indebitè occupatas, in tali casu Deferens ad hujusmodi Infideles res, in Bulla prohibitas immunis censetur ab excommunicatione, ut probat Navar. *in cap. Ita quorumdam*, *not. 4. num. 13. 15. 16. de Juda.* Atque adeò neque vinculis hujus excommunicationis innodari debet Titius, si ad Infideles deferat res, in Bulla prohibitas, non ad impugnandum Christianos, sed ad recuperandum duntaxat res suas, indebitè occupatas à Christianis. 5

Veritas tamen est, Titium prohibita sic deferentem in dictam excommunicationem incidere. Bonac. *de Censur. Bull. Can. disp. 1. q. 8. punct. 4.* Alter hic, *disp. 8. lib. 5. cap. 4. vers. Duodecimò*, Ugolin. hic in princ. *num. 8.* Durandus hic, *Can. 2. q. 14. num. 3.* Ita sentire videntur Sylvest. *in verb. Excommunicatio 7. n. 63. & 64.* Gofre. *in sua summa, tit. de Iuda. n. 21.* 6

Moveor primò juribus, *in l. 1.* § *generaliter*, *ff. de leg. præsta. l. 2.* §. *Prætor*, *ff. de in jus voc. & l. 2.* §. *homines*, *ff. de vi bon. rap.* ubi habetur, quòd lex generaliter loquens, generaliter debet intelligi, & quando non distinguit, nec nos distinguere debemus. Lex autem Bullæ, prohibens tales res ad infideles deferri, generaliter loquitur, nec ullam facit distinctionem: Undè Titius ex vi hujus Canonis excommunicatur. 7

8 Moveor secundò rationibus; nam Infideles, licet actu non sint Christiani nominis hostes, nec Christianos impugnent, nec rebus delatis contra ipsos utantur, possunt nihilominus Christianorum evadere inimici, eosque rebus delatis impugnare. Tum quia, in legibus Ecclesiasticis plus est spectanda materia, seu actio ipsa prohibita, quàm finis præcepti, qui non cadit sub præceptum; hic autem prohibentur arma, & alia; Ergò ob quemcunque finem hæc deferat Titius ad Infideles, excommunicationem non aufugit. Præterquam quòd, iis, qui fidem non habent, fides non est adhibenda; undè quamvis Infideles pacem habeant cum Christianis, potest aliqua enasci causa, aut imaginaria, aut realis, bellum Christianis indicendi; & sic contra eos rebus utendi à Titio delatis.

9 Moveor tertiò exemplo, non solùm præterito, & antiquo, sed præsenti, & moderno Turcarum, qui pacem habebant cum Piissimo Leopoldo Primo, Imperatore electo; nihilominus, arreptâ occasione, arma contra eum inopinatè verterunt, & Viennam; terrore totius Reipublicæ Christianæ expugnare tentaverunt; Et ideò si quis tempore pacis ad Turcas res prohibitas detulisset non ad impugnandos Christianos, sed ex alia causa, verè diceretur Turcarum potentiam augere contra Christianos; qui est finis prohibitionis, & consequenter censuram Bullæ incurrere.

10 Concludimus igitur, Titium esse in Bulla Cœnæ excommunicatum, ad infideles arma, aliaque prohibita deferendo, non cum intentione damnum inferendi Christianis, sed ad recuperanda bona, à Christianis indebitè occupata.

11 Ad rationem in contrarium patet responsio ex dictis. Addo, quòd si darentur infideles nullatenus Christianorum Inimici nec actu, nec potentiâ, res in Bulla contentæ non dicerentur prohibitæ quoad eas deferentem ad hujusmodi Infideles; quia Bulla specificat, dicens: *Et alios Christiani nominis inimicos:* Et sic cessaret pro eo & ratio prohibitionis, & Bulla; & consequenter in tali casu Titius propter talem delationem non esset excommunicatus; Sed quia casus iste videtur metaphysicus, cùm infidelibus nulla sit præstanda fides, & nemo tam pacificus reperiatur, qui non possit ob aliquam injuriam, aut solum apprehensam, aut realem, vel ob alium politicum finem, arma sumere, & pugnare; ideò contrarium tenendum est, videlicet Titium, simpliciter deferentem res in Bulla prohibitas ad infideles ob quamcumque causam, censuram Bullæ incurrere; præsertim si infideles, ad quos hujusmodi fit delatio, non pugnant contra alios infideles, gerentes bellum cum Fidelibus, uti potest contingere apud Indos Orientales.

12 Infero primò; in Bullam Cœnæ incidere eum, qui donat, permutat, vendit, & quovis alio titulo subministrat Infidelibus res in Bullâ prohibitas; quamvis bellum non habeant cum Christianis, nec cum intentione, ut ab illis Christiani impugnentur; quia Constitutio loquitur generaliter, absque alicujus particularis tituli expressione; unde generaliter est intelligenda. Ita sentit Rebuff. hic, verb. *Deferunt.* Navar. *in cap. Ita quorumdam, ne num. 18.*

Infero secundò, non effugere excomm cationem Bullæ Cœnæ Tradentes res in prohibitas Christianis Mercatoribus, qui eas venditori Saracenis, sive Turris, bellum actu, aut habitu cum Christianis gerentil quia ad ipsos Saracenos, sive Turcas eas me deferunt, quod vitium est, *arg. l. qui sic solvi de solut.*

Infero tertiò, incidere in Bullam Cœnæ incurrere excommunicationem hujus Bullæ qui defert arma, & alia in hac Bullâ prohi ad Hæretico; non solùm ad impugnandos tholicos, sed etiam præcisè ad recuperan bona à Catholicis indebitè occupata; ad H ticos, inquam, sive per sententiam Sedis stolicæ nominatim promulgatos, ut vult di *Hæreticos*, secundùm sensum communem noniftarum; sive actu, vel habitu Ca corum Inimicos, ut continetur sub illa sula; *Et alios Christiani nominis hostes, & micos*, ut insinuare videtur Navar. *in Ma cap. 27. num. 63.* & ut clarè exponit Alter *plicatione hujus Canonis, disp. 8. lib. 5. cap. 2 ult.* in fine.

Infero quartò, non esse facile à Princi Catholicis fidem præstandam Infidelibus pacem, aut auxilium ab eis petentibus, au dus cum eis percutiendum postulantibus: dum DEO infideles sunt, quomodò possu minibus fidem servare? Possunt enim bel repentè movere, dum pacem simulant c nuare.

Infero quintò, deferentem arma, an prohibita in hac Bullâ ad Turcas, Hæreticos, que Christiani nominis hostes, ob recuper sua bona, à Catholicis indebitè occupata, posse à quovis Confessario absolvi, sed ab tionem esse à Sanctâ Sede petendam, cui ex municatio est reservata; excepto articulo m in quo cessat omnis reservatio.

XVIII. DIFFICULTA

Quidam Fideles deferunt a bellica ex uno loco Infidelium, Hæreticorum ad alium locum eorum

Dubitatur, num sint obnoxii Canoni septime Cænæ, seu ejusdem excommunicationem incurrunt.

NOtandum primò, arma bellica, qu uno loco ad alium deferuntur, pos pliciter ordinari ad pugnam, scilicet per sunt bombardæ, galeæ, scuta, & hujus & ex intentione deferentis, ut quando in ma, quâ deferuntur, non sunt ad pugnan sed fieri possunt. Navar. *cap. 27. n. 63.*

Notandum secundò, duplicem posse e tentionem ordinandi, seu destinandi ar pugnam in Deferente illa, actualem nemp expliciram; ut si adducat arma per se ot ad pugnam ad Infideles, ut iis utantur guandum; & virtualem, seu interpretat

ut si deferat arma lucri causâ; scit tamen, vel scire debet, illis Infideles ad pugnandum usuros, ut per Navar. *in cap. Ita quorundam, de Juda. not. 5.*

3 Notandum tertiò, per Canonem septimum Bullæ Cœnæ non tolli excommunicationes aliorum jurium, imò confirmari: nam per pœnas impositas à lege, aut statuto posteriori non auferuntur pœnæ legis anterioris, nisi ex ejus verbis oppositum constet. *arg.* Tex. *in l. quoties, ff. de act. & obligat.* & ita docet Felin. *in cap Quod olim, de Juda. n. 4.*

4 His adnotis; ad difficultatem propositam, an deferentes arma bellica de uno loco Infidelium ad alium locum eorundem incurrant excommunicationem Bullæ Cœnæ, aut aliorum jurium, negativè respondet Sylv. *v. excommunicatio 7. num. 64. fin.* Summa Angel. *v. excommunicatio 5. casu 2. num. 11.* & alii, quorum fundamentum est, quia, ut ipsi dicunt, Gregorius IX. in Extrav. *Postulastis*, sic declaravit. Præterea, hujusmodi prohibitio non extenditur ad subditos Infidelium, sed ad Principes Christianos, & ejus subditos. Insuper Christiani existentes in loco Infidelium, aut hæreticorum, si deferant ad ipsos arma, non dicuntur propriè deferre ad Infideles, cùm ea arma jam existant in Territorio, ac Dominio Principis Infidelis; ut enim quis dicatur propriè deferre arma, aut alia prohibita ad Infideles, debet commorari in Terris Christianorum, & esse subditus Principis Christiani, non verò habitare apud Infideles; atque adeò Christiani, existentes in Terris Turcarum, Hæreticorum, aliorumque Infidelium, si ad illos deferant arma, vi Canonis septimi Bull. Cœnæ prohibita, illius censuram minimè incurrunt.

5 His tamen minimè refragantibus, contrarium verius esse in praxi arbitramur, nempe Christianos, commorantes in Terris Infidelium, seu Hæreticorum, si deferant arma prohibita de uno loco Infidelium ad alium eorundem, cum intentione sive explicitâ, sivè virtuali, ut impugnentur Catholici, incurrere excommunicationem Bullæ Cœnæ. Tolet. *in Explicat. Bullæ Cœnæ num. 6.* Reginal. *lib. 9. suæ praxis, cap. 18. num. 30.* Sayr. *in suo Thesaur. lib. 3. cap. 11. num. 19* Bonac. *de censur. Bullæ Cœnæ disp. 1. q. 8. punct. 2. sub, num. 17.* verb. *mihi probabilis.* Duardus, *in Bull. Cœn. lib. 2. Can. 7. q. 8. num. 2.*

6 Moveor primò juribus, *in l. in fraudem, §. ult. ff. de milit. testamen.* ubi habetur, quòd lex generaliter loquens, generaliter debet intelligi, & ita Jas. *in l. 1. num 12. ff. sol. matri.* Menoch. *Cons. 47. num. 21.* lex autem prohibens delationem armorum est generalis, & generaliter loquitur, & successivè omnes deferentes arma bellica ad Infideles comprehendit, sive existant in Terris Infidelium, sivè ex loco Fidelium, & *in 1. §. Quòd autem, ff. de aleator.* ubi habetur, quòd dispositio generalis omnes casus includit, licet major ratio in uno casu, quàm in alio videatur, ut notat Dec. *cons. 5. num. 2.* & facit Tex. *in l. fin. §. uxori, ff. de aur. & argen. le, in l. 1 §. & generaliter, ff. de leg. præst.* unde in dispositione Bullæ Cœnæ, quæ est generalis, vetante arma deferre ad Infideles sub pœnâ excommunicationis Pontifici reservatæ, includuntur etiam deferentes arma de una Terra Infidelium ad aliam Terram eorumdem.

Moveor secundò rationibus; nam tota ratio, 7
cur Christiani prohibentur ad hostes arma deferre, hæc est, ne scilicet illis armis Christiani impugnentur, ut sonant verba Bullæ: *Quibus Christianos, & Catholicos impugnant*, Atqui hujusmodi impugnatio Christianorum non impeditur per hoc, quòd Christiani, deferentes arma, in Terris Infidelium commorentur, & illa de uno loco Infidelium deferant ad alium locum pariter Infidelium; & ideò hujusmodi armorum delatio vi Canonis septimi censetur prohibita, & sic excommunicationi obnoxia. Tum quia, in hoc casu semper viget ratio prohibitionis; cùm per hujusmodi armorum delationem Infideles fiant potentiores contra Christianos; nam si non haberent arma, nempe bombardas, machinas, & alia instrumenta bellica, quæ deferuntur, minùs valerent ad impugnandum Catholicos; atque adeò censuram Canonis incurrunt illa deferendo, aut existant in Terris Infidelium, aut non existant.

Moveor tertiò exemplo, in quodam, qui 8
Romam venit, ut absolveretur à pluribus casibus, Summo Pontifici reservatis, & præcipuè ob delationem armorum de una Civitate Infidelium ad Arcem eorundem, dum erat subditus Principis infidelis; & cùm fuerit ad me missus à quodam Amico meo, ut illi in hoc pietatis opere inservirem, supplicem libellum Sanctæ Memoriæ Innocentii XI. humillimè pro facultate absolvendi illum obtinenda præsentavi, & favorabile rescriptum benignè, & promptè obtinui. Ex quo apparet, hunc pœnitentem, qui in Terris hæreticorum commorabatur, censuram Bullæ Cœnæ, ob delationem præfatam armorum, incurrisse.

Concludimus igitur, Christianos, in Terris 9
Infidelium commorantes, excommunicationem Bullæ Cœnæ incurrere, si deferant arma, aut alia prohibita de uno loco Infidelium ad alium locum eorundem Infidelium, si illis armis Christiani impugnentur, vel habeant intentionem sive explicitam, sive tacitam, seu virtualem, ut Infideles illos impugnent: Secùs verò, si hujusmodi delatio fieret adversus alios Infideles, vel esset talis, ut per illam nullatenus Infideles fierent validiores contra Christianos, ut puta, si deferrent arma ex unâ Civitate, quæ neque Christianos impugnat, neque ab eis impetitur bello, ad aliam, quæ videtur nullatenus velle Christianos impetere; nec constat, Christianos velle illam bello impetere. In tali enim casu cessat ratio prohibitionis: Et in hoc sensu crederem cum Navar. *in cap. Ita quorundam, notab. 8. n. 27. vers. Decimoquartò, de Juda.* sententiam nobis contrariam esse intelligendam.

Ad rationes in contrarium respondetur; & 10
ad primam respondet Duardus mox citandus, quòd declaratio Greg. IX. si est, *in Extrav. Postulastis*, nobis favet, vel saltem non obstat; quia talis Extravagans dicitur revocata quantum ad excommunicationem tantùm, non quoad alia. Unde sequitur, hac novâ excommunicatione Bullæ Cœnæ illos esse comprehensos. Ita Duardus

dus, *in Bullam Cæn. lib. 2. q. 8. sub num. 2.* Ego verò præfatam Gregorii Constitutionem censeo malè ab Adversariis allegari, quia eam nullibi reperi.

11 Ad secundam, & tertiam, patet responsio ex dictis.

12 Infero primò ex dictis, censuram Bullam Cœnæ incurrere omnes, qui res prohibitas in dicta Bulla, ut ferrum, stamnum, chalybem, & alia metalla transferunt de una Terra Saracenorum ad aliam, si verisimile est, oblatâ occasione, Infideles eisdem contra Christianos usuros.

13 Infero secundò, incurrere censuram Bullæ Cœnæ omnes, qui transportant Turcas cum suis armis de uno loco in alium, puta de Insula Chio Constantinopolim, Bonac. supra citatus, *num. 18.* Contrarium tenent Angel. Sylvest. Tabien. & alii apud Sayr. *in suo Thesauro, lib. 3. cap. 11. num. 20.*

14 Infero tertiò, incurrere censuram Bullæ Cœnæ Oratorem apud Turcarum Tyrannum, vel apud alium Principem infidelem; qui ob negotia benè transacta, ei donaret aliqua arma singularia, aliundè quæsita à Turcis, ut Christianos impugnarent: & præsertim si adesset præsumptio, quòd alia similia in Turcarum Officini, fabricarentur ad Christianos impugnandum; cùm ex hujusmodi donatione crescat Infidelium potentia.

15 Infero quartò, Christianos existentes in Terris Turcarum, si fabricent arma bellica, & Turcis vendant, scientes probabiliter, Turcas illis usuros ad impugnandum Christianos, vinculo dictæ excommunicationis innodari.

16 Infero quintò, dictam excommunicationem contrahi ab illis Christianis, qui ex uno loco ad alium locum Infidelium transferunt res prohibitas, effectas meliores, & aptiores ad bellum contra Christianos; cùm dicantur auxilium quodam modo ferre Christiani nominis inimicis. Hoc etiam docet Alter. *in explicatione Bullæ Cæn. cap. 5. vers. Ad hanc dubitationem, &c.*

17 Infero sextò, Christianos, habitantes in Terris Saracenorum, aut Hæreticorum, incidere in excommunicationem Bull. Cœn. *Can. 7.* cum Saracenis, aut Hæreticis permutando arma cum armis; quando ex tali permutatione detrimentum Christianis oritur; quod evenit, quando Christiani dant arma meliora, & utilia pro inutilibus, & pejoribus: Secùs verò, si è contra. Hoc docet etiam Sayr. *in suo Thesauro*, loc. cit. *sub. num. 17.*

18 Infero septimò, Christianis, sub Turcarum, & Hæreticorum dominio existentibus, magis convenire paupertatem, quàm divitias, cùm eorum divitiis Infideles fieri possint potentiores: quò enim Princeps ditioribus, & potentioribus præest, eò potentior redditur, ut in §. *Nos igitur, in Auth. de defe. Civit.* Ament igitur Christiani, in Terris Infidelium commorantes, ob inopiam plangere, si Christianos amant, nè in perniciem Christianorum redeant Infideles.

XIX. DIFFICULTAS.

An liceat Christianis, Turcarum captivis, metu mortis, aut amissionis membri, ad suos dominos arma, ab eis petita, ad bellandum contra Christianos deferre.

Notandum primò, metum esse instantis, vel futuri periculi causâ mentis trepidationem, *ff. quod metus causa, l. 1.* & esse duplicem; unum levem, quo timetur leve malum, aut etiam grave malum, sed ex causa levi, & improbabili; & est metus cadens in virum levem, timentem; ubi non oportet timere & dicitur metus meticulosus, *ff. eodem, l. metum:* Alterum, quo timetur malum grave, & graviter, id est ex causa probabili; & qui secundum jura dicitur metus justus, sive cadens in constantem virum. Habetur hæc Distinctio ex D. Tho. *in 4. Dist. 29. q. 1. art. 2. in corpore.* 1

Notandum secundò, quòd metus conjecturis, & indiciis probari potest, & solet: Cyous *in l. carcerem, cod. de his, quæ vi, metusve causa*, Anch. *in cons. 299. num. 1.* Bar. *in l. si ob turpem, num. 5. & 7. ff. de cond. ob turpem causam*, Dec. *in l. in omnibus causis pro facto, num. 6. & 7. ff. de reg. jur.* Ale. *in cons. 98. num. 6. lib. 3.* & alii. 2

Notandum tertiò, armorum appellatione, prout arma continentur sub canone septimo Bullæ Cœnæ, venire ea omnia, quæ ad usum bellicum assumuntur, sive sint offensiva, ut sunt lanceæ claves ferreæ, arcus, enses, pilæ ferreæ, pilæ lapideæ ad bombardas accommodatæ, & ipsæ bombardæ, & alia his similia, de quibus in *l. 2. cod. quæ res export. non deb.* & Gloss. *in cap. Ita quorundam, de Juda. in* verbo, *ferrum;* sive sint defensiva; ut sunt galeæ, scuta, loricæ, ocreæ, chirothecæ ferreæ, alia: sive sint mixta, videlicet offensiva, ac defensiva, ut sunt turres quædam ligneæ, de quibus loquitur Ugolinus *in explicatione Bullæ Cæn.* verbo *arma, sub num. 3.* & aliæ turres ligneæ, & terreæ, quæ vulgo dicuntur *Gabbioni*, quæ componuntur ex palis, virgis grandiusculis, & terra implentur, & à latere bombardarum collocantur. 3

Notandum quartò, armorum nomine, prout arma continentur in *d. Can. 7* venire etiam alia instrumenta, quæ per se ordinantur ad terram excolendam; & bellica non sunt, sed ex intentione assumentis possunt ad usum bellicum inservire; ut sunt ligones, rastra, secures, & etiam fustes, lapides, & alia, quæ possunt arma nuncupari; cùm his possit uti miles ad pugnandam: & facit Tex. *in l. armorum appellatio, ff. de verb. signif.* 4

Notandum quintò, jure communi esse prohibitum arma bellica deferre ad Infideles in Bulla Cœnæ, & aliis juribus Canonicis, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ: & *in l. 1. & 2. cod. quæ res export. non deb. l. cæteri, ff. de publ. & vectigal. & l. fin. cod. de pæn.* sub pœna ultimi supplicii, & confiscationis bonorum. 5

6. His

6 His adnotatis; ad difficultatem propositam, an liceat Christianis, Turcarum captivis, metu mortis, aut amissionis membri, ad ipsos arma deferre, si illa petant ad bellandum contra Christianos, negativè videtur respondendum: nam hujusmodi Christianis captivis constat de injustitia belli Turcarum, & Saracenorum adversus Christianos, & sic de injustitia mortis ipsis inferendæ: atque adeò non possunt licitè Christiani captivi arma illis præbere, quoniam cooperantur ad lethale peccatum hanc delationem armorum imperantium, quod metus mortis excusare non valet; cùm debeat quis potius quælibet mala tolerare, quàm malo consentire, *causa 32. q. 5. cap. Ita nè.*

7 Veritas tamen est, his Christianis captivis nefas non esse tradere metu mortis arma Turcis contra Christianos bellaturis. Tabien. *v. excommunicatio 6. num. 12. vers. 11.* Navar. *in cap. Ita quorundam, notab. 8. num. 26. vers. 13.* Molina, *tom. 1 de just. disp. 125. conclus. 5.* Turrianus, *in 2. 2. disp. 96. dub. 3.* Reginal. *tom. 2. lib. 21. num.* 119. & alii plures, quos recenset, & sequitur Diana; *p. 3. num. 6. & miscell. 2. res. 48.* & in hanc sententiam videtur inclinare doctus Menoch. *cons. 732. n. 60.*

8 Moveor primò juribus, in *l. metum*, in princip. *ff. de eo, quod metus causa*, ubi habetur, instantis mortis metum justum à culpâ excusare, ut tradit Glos. *in l. si quæcunque, ff. ad leg. Aquil. in l. 3. §. Armis, ff. de vi, & vi arma, & in §. Recuperandæ, instit. de interdict.* Et facit Tex. *in cap. Sacris, de his, quæ vi met. causa fiunt*, ibi: *Licet metus attenuet culpam:* ubi apparet, metum mortis, & cujuslibet gravis damni culpam diminuere.

9 Moveor secundò rationibus; nam metus justus extenuat libertatem ad peccatum requisitam: Tùm quia tradere arma Turcis non est intrinsecè malum: est enim malum, quia prohibitum: & ideò peccatum non est præferendo legem naturæ de se conservando legi humanæ de non deferendo arma Saracenis. Tùm etiam, quia, attento periculo mortis, aut saltem gravis nocumenti, in quo reperiuntur Christiani captivi, pia Mater Ecclesia non videtur eos in hoc casu excommunicare, *arg. cap. Si verò, de sent. excommunic.* Ergò neque supponuntur peccare: in his enim, quæ non sunt mortalia de se, timor justus excusat à mortali.

10 Moveor tertiò exemplo, in tot Christianis, Turcarum captivis, qui tempore belli tam maritimi, tam terrestris, metu mortis, aut alterius gravis nocumenti, asportant sarcinas, & necessaria ad bellum; admovent scalas, & machinas ad muros; porrigunt Turcis ab eis petita ad bellandum contra Christianos: & hæc omnia faciunt sine scrupulo peccati, aut excommunicationis, testantibus pluribus Patribus Religionis de Redemptione captivorum testibus de auditu, à me pluries circa hanc materiam consultis, utpotè mihi longâ, & cordiali amicitiâ conjunctis.

11 Concludimus igitur, nè addatur afflictis afflictio, Christianis Turcarum, aliorumque Infidelium captivis, ob metum cadentem in virum constantem, licere suis Dominis arma, jure communi prohibita, tradere, licèt sciant iis Turcas usuros ad bellandum contrà Christianos; dummodo hoc minimè intendant, & consequenter non incurrere excommunicationem, latam contra arma deferentes ad Infideles, neque teneri restituere damna, quæ ita agendo dedere: cùm videatur credibile, Christianos ab illis damnificatos non expectare ab illis restitutionem, neque illam velle; cùm non voluntariè, nec in commodum proprium, sed mortis metu, aut amissionis membri id effecerint.

12 Ad rationem in contrarium respondemus, admisso, citrà veri præjudicium, constare Christianis Turcarum captivis, Turcas bellare contra Christianos; non tamen per hoc deduci, nefas illis esse arma eis metu mortis tradere; nam verum est nunquam licere cooperari ad peccatum proximi aliquid faciendo, quod sit intrinsecè malum; At quando id, quod fit à cooperante, est de se indifferens, cur non licebit ad illud cooperari, si adest justa causa, & finis bonus, & nullo modo intendatur ipsum peccatum: & licet Ecclesia damnaverit opinionem, asserentem non peccare famulum, scienter adjuvantem herum suum ad peccandum, deferendo scalam, aperiendo januam, & quid simile cooperando, si id faciat metu notabilis detrimenti: nihilominus nostra doctrina in hujusmodi damnatione minimè comprehenditur: Primò, quia famulus est liber ad herum deserendum; quâ libertate carent Christiani captivi: Secundò, detrimentum, cujus metu famulus agit, est leve; nè scilicet à domino malè tractetur, nè domo expellatur: detrimentum verò, cujus timore Christiani captivi agunt, est mors, aut amissio membri: Tertiò denique, id, ad quod famulus cooperatur, est intrinsecè malum, est enim stuprare virginem: at bellare contra Christianos est quid indifferens; cùm bellare simpliciter non sit intrinsecè malum, & est de fide ut notat Suarez, *tract. 3. disp. 13. de bello, sect. 1. num. 2.* & exprimitur in Sacrâ Scripturâ, *Gen. 14.* ubi laudantur bella facta à sanctissimis Viris: Ex quibus constat, multum ab opinione damnata nostram doctrinam differre.

13 Infero primò ex dictis, metum mortis non excusare in his, quæ sunt intrinsecè mala, & quæ nullo modo, seu nullâ ratione honestari possunt; undè nunquam licet adulterari, aut fornicari, aut pollutionem procurare, aut mentiri; cùm enim hæ actiones sint intrinsecè malæ, & metus libertatem non adimat, earum malitia auferri non potest.

14 Infero secundò, non Christianis, Turcarum captivis, pugnare in bello injusto metu mortis adversus Christianos quemquam interficiendo, vulnerando, aut percutiendo. Ita Molina, *tom. 1. de justitia, tract. 2. disp. 115.* cùm id sit intrinsecè malum.

15 Infero tertiò, peccare mortaliter Christianos, captivos Turcarum, si periculo mortis non imminente, aut alteriùs notabilis damni, aliquid agunt contra Christianos, cùm non possint sinè justâ causa inferre proximis innocentibus aliqua detrimenta, quæ si commodè possunt, debent vi charitatis impedire.

Infero

16 Infero quartò, servum, qui obedit Domino illicita jubenti, addisis impesio aliquibus minis, delinquere quidem, quia in rebus illicitis gravibus non est parendum *l. final. in fin. de hom. damna*; & facit Tex. *in l. servus, ff. de actio. & obligatio*, ei tamen pœnam esse misigandam; ut pœnam mortis in minorem pœnam, putà in exilium, esse commutandam; Salic. *in l. servos, cod. de vi publi. in sexto nota.*

17 Infero quintò, illum, qui occidit aliquem metu Tyranni, non debere mori, cùm pœna debeat mitigari per supradictum Text. Gloss. ibid. & docet Dec. *cons. 536. num. 4.* ubi citat pro se Bald. Bartho. Veronen. Secùs verò, si hic homicida illas operas præstare solitus erat. Dec. ibid. *in addit.*

18 Infero sextò, delinquere quidem filium obedientem parentibus in rebus illicitis, attamen propter obedientiam, quæ Parentibus debetur, esse mitiori pœnâ puniendum, ut exilio, loco pœnæ mortis: *arg.* Text. nota. *in d. l. servos, cod. de vi publ.* & etiam docet Dec. loc. cit.

19 Infero septimò, excusari quidem Christianos captivos, metu mortis compulsos, deferentes arma ad Infideles, bellantes contra Christianos; non verò excusari Christianos, viventes in captivitate peccati, juxta illud Jo. *cap. 8. num. 34. Qui facit peccatum, servus est peccati*; nolenses, etiam metu mortis perpetuæ compulsi, pœnitentiæ arma rationi tradere ad sensum debellan„dum, contra ipsam semper pugnantem; Caro „enim concupiscis adversus spiritum, spiritus an„tem adversus carnem. Hæc enim sibi invicem „adversantur, Gal. *cap. 5. n. 17.*

XX. DIFFICULTAS.

An Miles, qui metu mortis fugit, & arma Infidelibus relinquit, præcisè, ut sit velocior ad fugam, incidat in excommunicationem Bullæ Cœnæ.

1 NOtandum primò, justum metum, ut supra tetigimus, illum dici, qui cadit in virum constantem; ut per Tex. *in cap. Cum dilectus, quod met. caus. & in cap. consultationi*; in virum constantissimum, inquit Cajus Jurisconsul. *in l. metum autem, ff. de eo, quod metus causa.* Esse verò idem cadere in virum constantem, & constantissimum arbitramur, cum hic superlativus, *d. l. metum autem*, resolvatur in comparativum, seu positivum; ut docuit Dec. *in l. in omnibus causis per facto, num. 6. versic. & generaliter, de reg. jur.*

2 Notandum secundò, metum absolutè, & generaliter sumptum, esse mentis concussionem, seu trepidationem, provenientem ex aliquo accidenti terribili, sive in proprio corpore, sive conjunctis personis usque ad septimum gradum, pro quibus possumus sumere defensionem armorum. Ita docet Tiraq. *causa 51. de pæn. temper.* & metum justum, juxta sensum magis communem, judicari Judicis arbitrio, & probat *l. metus autem causa, ff. ex quibus caus. majo.*

Notandum tertiò, casus aliquos esse, qui 3 in omnibus personis æquè justum metum causant; ut est metus amissionis omnium bonorum, qui justus est, ut per Tex. *in cap. 2. de iis, quæ in metusve caus.* & tenet. Bar. *in l si ob turpem, num. 6. de cond. ob turpem causam*, asserens, hunc timorem æquiparari timori mortis; ut est metus mortis; cum nemo sit ex hominibus, sive masculus sit, sive fœmina, qui illam non vereatur ut est metus amissionis filiorum, aut affinium, qui justus est, ut optimè probat Menoch. *lib 2. de arbitr. jud. Cent. 2. Cas. 135. n. 6.*

Notandum quartò, Regem, & Ducem 4 belli justè præcipere Militibus, ut tempore belli pugnent contra hostes, custodiant arces, & loca designata, quamvis adsit periculum mortis; cùm loca prædicta custodire respiciat bonum communitatis, quod præferendum est vitæ Militum: ut docet Molfesius, *in sum. p. 1. tract. 9. cap. 9. n. 65.*

Notandum quintò, teneri quidem Milites 5 stipendiatos, etiam cum periculo vitæ, servare stationem, & quodvis aliud sibi commissum, sub reatu culpæ mortalis, ut alibi probavimus, & favet *l. 3. ff ad Leg. jul. Majest.* sed non teneri mortem expectare, quando nulla adest spes prævalendi; cùm ad id minimè se adstrinxerint, nec tutâ conscientiâ potuerint se adstringere, ut docet Molina, *tom. 1. de justitia, tract. 2. disp. 116. §. Miles.*

Notandum sextò, armorum appellatione in- 6 numera ferè instrumenta compræhendi, ut notat Navar. *in cap. Ita quorumdam, not. 5. de Iudæis* & at in Canone septimo bullæ Cœnæ illa solum continetl, quæ ad usum bellicum assumuntur, ut docet Sayr. *in suo Thesauro, lib 3. cap. 11. n. 28.* & alii, ut nos supra demonstravimus.

Notandum septimò, vi præfati Canonis Bul- 7 læ Cœnæ, & aliorum jurium, quæ alibi sunt à nobis allegata, excommunicari deferens arma, & illa omnia, quibus Catholici impugnantur, ad Infideles, Hæreticos, & omnes Christiani nominis hostes; ut rectè probat Duardus, *in Bulla Cœn. lib. 2. in Can. 7. quæst. 1.*

His adnotatis; ad difficultatem propositam, 8 an Miles, qui metu mortis fugit, & fugiendo arma Infidelibus relinquit, præcisè ut sit velocior ad fugam, incidat in excommunicationem Bullæ Cœnæ; affirmativè videtur respondere Azor. *lib. 8. instit. moral. p. 1. cap. 23. q. 13.* circa princ. quando Milites ex vi muneris dimicare tenentur, asserens, sub dispositione hujus Canonis comprehendi non solùm deferentes arma ad Infideles, sed etiam ea permittentes deferri, cùm ratione sui officii id impedire tenerentur; quando autem Milites metu mortis aufugiunt, & terga vertunt, & arma, ut velocior sit fuga, dimittunt; propter quod ab Infidelibus capiuntur, permittere videntur arma ad Infideles deferri, & sic Bullæ Cœnæ excommunicatione ligantur. Præterea, incidere in excommunicationem Bullæ Cœnæ tradentes Infidelibus arcem, aut navim armis onustam, certum est apud omnes, & à nobis infra demonstrabitur; Ergò eâdem Bullæ censurâ feriuntur arma Infidelibus dimittentes, metu mortis aufugiendo; cùm militet eadem ratio,

Con-

9 Contrarium tanquàm verius sustinendum esse arbitramur, nempe nostrum Militem, metu mortis aufugientem, & arma ob fugam Infidelibus relinquentem, non incidere in excommunicationem Bullæ Cœnæ, Reginal. *in praxi, lib. 9. cap. 18. num. 300.* Filliuc. *tom. 1. qq. moral. tract. 16. num 142.* Bonac. *de censur. Bull. Cœn. disp. 1. q 8 punct. num. 16.* qui tamen volunt incurrere hanc censuram tradentes, vel consulentes tradi Infidelibus arcem, vel navim armis onustam. Duardus, *in Bull. Cœn. in Can. 7. lib 2. q. 13. n. 2.* ubi in *addit.* citat. Abb. Alex. Cesped. *in dub. militar. dub. 93.*

10 Moveor primò juribus, *arg in cap. Sacris, de his, quæ vi, metusve caus. fi. cap Presbyteros, 50. Dist. cap. In primis, vers. Episcopi verò, causa 2. quæst. 1. & cap. Eos, de consc. dist. 4* ubi habetur, quod qui inviti, ac coacti delinquunt, utpote vi, metúve compulsi, nè vitam, aut bona amittant, sunt leviùs puniendi. Excommunicatio autem Bull. Cœn. reservata Pontifici, est punitio, seu pœna gravissima. *Et in l. cum autem § excipitur, ff. de adil. edict,* ubi dicitur Constitutionem, punientem capitaliter, seu gravissimè homicidium, aut aliud delictum, intelligi, si dolo fuerit commissum, non casu, non errore, non metu justo, non vi, etiam si culpa intervenerit, ut voluit Jo. And. *in cap. Pro possessore, col. 2. de reg. jur. lib. 6. in merc.* Cy. Bal. Angel. & alii, quos recenset Tiraq. *de pœn. temper. causa 13. num. 10.* Eodem modo videtur procedere Constitutio Pontificia in puniendis delictis; cùm non possit præsumi velle punire pœnâ gravissimâ, ut est excommunicatio reservata, illa delicta, quæ committuntur, non dolo, sed aut errore, aut metu mortis; ut in casu nostro.

11 Moveor secundò rationibus; nam excommunicatio Bullæ fertur in deferentes, aut transmittentes arma ad Infideles. At Miles, metu mortis aufugiendo, non defert, nec transmittit arma ad Infideles, sed solùm ea relinquit in eorum potestate. Tùm quia, Miles fugiendo, & arma dimittendo, intendit directè, & per se favere propriæ vitæ, non reddere potentiores in damnum Christianorum Infideles; quod si eveniat, per accidens, & præter intentionem, imò contra suam voluntatem, si bonus Catholicus est, evenit. Quis autem dixerit, Ecclesiam piam Matrem punire excommunicatione, quæ est summa pœna spiritualis, delicta involuntaria, & indirectè commissa à suis filiis? Tùm etiam, quia qui vi, metúve compulsus est, is dolo caret, *l. imò, ff. de lib. cau.* Qui autem citrà dolum peccat, mitiùs puniendus est: ubi verò intervenit excommunicatio, nòn mitior, sed rigorosior, & sævior punitio intelligitur.

12 Moveor tertiò exemplo à simili, in Lucullo, qui Mitylineos, quoniam non spontè à Romania defecerant, sed metu, mitiori supplicio affecit; ità tradit Plutarchus *in Lucullo.* Deindè in tot Militibus Christianis, qui in bello contrà Turcas, mortis metu fugientes, arma, nè fugam impedirent, dimiserunt capta à Turcis; nec tamen excommunicati à sapientioribus Theologis judicantur.

13 Concludimus igitur, excommunicationem Bullæ Cœnæ minimè incurri ab illis Militibus, qui in bello contrà Infideles metu mortis aufugiunt, armaque, ut sint velociores ad fugam, dimittunt, illa Infidelibus relinquentes, quamvis peccaverint, si ex vi sui muneris tenebantur non fugere, sed fortiter dimicare, & stationem, & quodvis aliud sibi assignatum etiam cum periculo vitæ servare.

14 Ad rationes in contrarium respondemus: ad primam, quòd Azorius loquitur de permittentibus deferri arma ad Infideles, nullo metu mortis interveniente, cùm possint, & debeant ratione officii prohibere, nè deferantur: hos nempe excommunicationem bullæ Cœnæ incurrere tradit; non verò quando adest justus metus mortis, ut etiam nos arbitramur.

15 Ad secundam, quod pariter fatemur & nos, incurrere dictam excommunicationem spontè tradentes, ut intelligit Azorius, Infidelibus Arcem, aut navem armis instructam; sed negamus, si hoc faciant metu mortis coacti, qui metus aut reum omnino excusat, aut mitiori pœnâ illum dignum constituit.

16 Infero primò ex dictis, à pœnâ saltem ordinariâ homicidii illum excusari, licèt non excusetur à peccato, qui alium occidit ex mandato alicujus Potentis, ei mortem minantis, si non occidat. Ita docet etiam Bal. *in §. injuria,* in verbo, *seu furtum, tit. de pac. jura. fir.* Cy. & alii plures Jurisconsulti, quos recenset, & sequitur Tiraq. *de pœn. temper. causa 38. n. 2.*

17 Infero secundò, coactos absolutè, sive præcisè, ut alii loquuntur, ad aliquod malum faciendum, eos scilicet, qui nihil conferunt secundùm proprium motum, nullatenus peccare, & nullam punitionem mereri, cùm potiùs pati, quàm agere videantur, ut habetur in juribus allegatis.

18 Infero tertiò, coactos conditionaliter, nempe metu majorum malorum, ad aliquod malum faciendum esse puniendos; quia peccant, & præter jura allegata, habetur *in cap. Quisquis, causa 11. quæst. 3. & cap Si quis coactus, causa 22. q. 5. & in cap. Potest,* in verb. *neget. de pœnit. Dist. 1.* sed mitiorem esse debere punitionem; cùm coactio minuat libertatem, & dolum excludat.

19 Infero quartò, negantes verbis tantùm mortis metu Christum peccare quidem gravissimè; cùm debeant Fideles potiùs quælibet mala pati, quàm malo consentire, *l isti quidem, ff. quod met cau. & cap Ita nè, causa 32. q. 3.* non tamen puniendos pœnis à jure statutis contra negantes absolùtè verbis, factis Christum Dominum; cùm sit coacta voluntas; ut habetur *in l. si mulier, § si metum, & l. metum autem, §. sed quod prætor. ff. quod met. caus.* & docet Arist. *lib. 3. ethic. c. 1.* Greg. Niss. *lib. Philosophiæ 5.*

20 Infero quintò, nos posse ob metum mortis, vel alterius gravis nocumenti, communicare in humanis cum excommunicato non tolerato, id est nominatim denunciato, vel publico Clerici percussore. Ita Sayr. *in suo Thesau. de censur. lib. 2. cap. 14. n. 40.* Sot. *in 4 dist. 22. q. 1. art. 4.* Suarez, *de censur. disp. 6. sect. 3. num. 4.* Vasquez, & alii. Contrarium tenet Ugolinus, *de Censur.* Cajet.

Cajet. *in* 1. 2. *quaest.*125. *art.* 3. Alens. *memb.* 1. *art.*6. §. 2.

21 Infero sextò, ob metum mortis non peccare mortaliter contrahentes matrimonium cum impedimento dirimente; secundùm leges tantùm humanas; dummodò habeant animum contrahendi solùm exteriùs, non consummandi: Sot. *in* 4. *dist.* 22. *quaest.* 1. *art.* 4. *& lib.* 1. *de just. & jure*, *quaest.* 6. *art.* 4. Vasq *in* 1. 2. *disp.* 161. *cap.* 3. *num.* 17. Suarez, *de legib lib.* 3. *cap.* 30. *num.* 13. Becanus, *p.* 2. *tract.* 3. *cap* 6. *quaest.* 4. *num.* 9. Sanchez, *in summa tom.* 1. *lib.* 1. *cap.*18. *num.* 7. Contrarium tenet Navarr. *cap.*17.*n.*14. Cajet. *in* 1. 2. *q.* 96. *art.* 4.

22 Infero septimò, omnes Milites, qui habent stipendium; licèt ob metum mortis fugientes, & arma in potestate Infidelium relinquentes, nön incurrant excommunicationem Bullae Coenae; teneri tamen sub poena peccati mortalis fortiter dimicare, ut hostes vincere possint; & etiam teneri ad restitutionem damnorum, si relinquunt arcem, quam custodiebant, aut alia signa. Ut igitur evitetur peccatum, & restitutio, non timeant Milites Exercitum inimicorum firmiorem in aliqua parte conspiciendo, sed illum aggrediantur, & pugnent moriendo, ut Milites virtuosi; vives enim eorum gloria, ut legimus de Juda, & caeteris ejus Fratribus Machabaeis, 1. *Machab.* 9. & aeternam capient vitam.

XXI. DIFFICULTAS.

Aliqui Christiani detulerunt arma ad Saracenos, Haereticos, & alios Christiani Nominis Hostes, jussu, & mandato sui Principis, mortem illis minantis, ei non parendo. Dubitatur, num peccaverint, & excommunicationem jurium inciderint.

1 NOtandum primò, plures adesse Summorum Pontificum Constitutiones, quibus excommunicantur deferentes arma, & alias res ad Infideles bellantes contrà Christianos; sed praecipuè quatuor, quae Bullae Coenae conformes sunt; quarum prima est Alexandri III. *in cap. Ita quorundam, de Judaeis:* Secunda, est Clementis III. *in cap. Quod olim tit. eod.* Tertia est Innocentii III. *in cap. Ad liberandam, tit. eod.* Quarta est Clementis V. *in Extrav. Multa mentis, tit. eod.* quas Bullas egregiè declarat Sayr. mox citandus.

2 Notandum secundò, dari inter has Constitutiones, & Bullam Coenae aliquas differentias, quas notat distinctè Sayr. *in suo Thesauro, lib.* 3. *cap.* 11. praecipuam verò, saltem quoad nostrum propositum, esse; quia in praefatis Constitutionibus excommunicantur deferentes arma, & alias res ad Saracenos, & Turcas: at in Bulla Coenae comprehenduntur non solùm qui deferunt arma ad Saracenos, sed etiam deferentes ea ad Judaeos, & Paganos, ex Navar. *in cap. Ita quorundam, notab.* 4. *n* 17. *de Judaeis*, & deferentes ea ad Haereticos à Sede Apostolica expressè, vel nominatim declaratos, ut patet ex Bulla Clem. VIII. sub anno 1592. & 1598.

Notandum tertiò, nomine Saracenorum, & Turcarum venire omnes Mahometicae perfidiae sectatores, Christianae Ecclesiae res occupantes, vel impugnantes actu, aut habitu; & appellatione Inimicorum Christiani nominis venire, primò Judaeos, qui nobis non nocent, quia non possunt; secundò Paganos, qui non profitentur Sectam Mahometi, sed odio habent Christianos; & nomine haereticorum illos solos venire, qui expressè, & nominatim à Sanctâ Sede Apostolicâ declarantur. Ita notat Sayr. loc. cit. *num.* 16. 3

Notandum quartò, quòd nulla poena major est in Ecclesia quàm excommunicatio, ut per Tex. *cap. Corripiantur, causa* 24. *quaest.* 3. Est enim animadversio gladii spiritualis, qui magis timendus est, quàm gladius temporalis, de quibus duobus dicitur Luc. 22. *Ecce duo gladii hic* Afferit propterea S. Aug. relatus à Turrecrem. *in d. cap. Corripiantur, num.* 2. magis esse timendam à Fideli excommunicationem, quàm si ferietur gladio, vel si à feris devoraretur, vel si à flammis exureretur: scinditur enim per excommunicationem membrum à Corpore Christi; & membrum separatum à Christo non vegetatur spiritu ejus; efficiturque membrum aridum nullius virtutis, quod summopere est timendum; unde S. Aug. *Tract.* 27. *in Ioan. ante med.* Nihil „ enim sic debet formidare Christianus, quàm se „ parari à Corpore Christi; si enim separatur à „ Corpore Christi, non est membrum ejus: si non „ est membrum ejus, non vegetatur spiritu ejus. Et, „ ideò justè fuerunt inter caeteros in Constitutione Leonis X. hi duo articuli Lutheranae malitiae damnati. *Excommunicationes sunt tantùm externa poena, nec privant hominem communionibus spiritualibus, Ecclesiae orationibus*, qui est 23. in ordine. *Docendi sunt Christiani plùs diligere excommunicationem, quàm timere* 24. in ordine. Et in Concilio Constan. *Sess.* 8 fuit pariter justè damnata doctrina Joan. Wicleff. asserentis, *excommunicationem Papae, vel cujuscumque Praelati non esse timendam, utpotè Censuram Antichristi*, quae est Propositio 30. in ordine. 4

Notandum quintò, excommunicationem, & interdictum ad alligandos contravenientes exigere culpam mortalem; cùm omnis poena, quatenùs poena est, punitio dicatur, & vindicta culpae: & ideò gravis poena non fertur, nisi ob gravem culpam; quia poena debet commensurari delicto. *Cap. Non afferimus, causa* 24. *quaest.* 3. *cap. Quaesivit, de his, quae fiunt à major. part. Capit. & Panor. in cap. Si quis, num.* 6. *de simon.* & alii. 5

Notandum sextò, vim, quae secundùm Paul. Castrens. *cons.* 27. differt à violentia, & secundùm alios cum violentia confunditur, esse majoris rei impetum, cui resisti non potest; quiquè voluntatem cogit invitam, ut probatur, quoad primam partem, per Text. *in l.* 2. *ff quod met. caus.* & quoad secundam partem, ex *l.* 1. *vers. vis enim*; & notat Decian. *in tract. crimin. lib.* 5. *cap.* 7. ubi circà vim, & violentiam multa refert, praecipuè auctoritatem Tull. pro Caecina dicentis, Juri nil tam inimicum, quamvis „ nec aequitati quidquam tam infestum, quàm „ convocati homines, & armati. 6

His

7 His adnotatis, ad difficultatem propositam, an Christiani deferentes arma ad Saracenos, Turcas, Hæreticos, aliosque Christiani nominis hostes, mandato, & jussu sui Principis, mortem eis minantis, ei non parendo, incurrant censuras jurium, affirmativè videtur respondendum; quia coacta voluntas in malefactis non excusat à peccato, nec rursus à pœnâ peccati, *causa 2. q. 1. cap. In primis, cap. Ita nè, causa 23. q. 5.* ubi dicitur, quòd quis debet potius omnia mala pati, quàm malo consentire: Et ratio est, quia jus conditionale pœnale non tollit consensum, *cap. Majores de bapd. & cap. Meritò, causa 15. quæst. 1. & l. si mulier, ff. quod met. caus.* Et ideò obediens Principi, mandanti arma deferri ad Infideles, cui contra jus nullatenus est obediendum, peccat & pœnam jurium, seu censuras incurrit.

8 Video hanc sententiam suam habere probabilitatem; oppositæ tamen, quæ mihi verior videtur, libentiùs adhæreo, cùm Tab. in verb. *excommunicatio 6, num. 15, §. Undecimo.* Navar. *in cap. Ita quorundam, not. 8. num. 26.* verb. *Decimotertio, de Judæis.* Duard. *in Bull. Cœn. lib. 2. in Can. 7. q. 12.* & aliis.

9 Moveor primò juribus, *in cap. Proposito, caus. 32. q. 5, & in l. vim passam, & l. Si uxor, §. Si quis planè, ff. ad leg. Jul. de adulter. & l. fœdissimam, cod. eodem tit.* ubi dicitur, delicti pœnam non infligi illi, qui coactè delinquit. Coactè sanè delinquit, qui mandato, & jussu sui Principis, mortem non parenti minantis, facit quod aliàs non faceret; & facit Tex. *in cap. De rebus, causa 12. q. 2. & in l. quod Principis, ff. de aqua plu. arcen. & in l. Aut Prætor, §. Quod tamen, ff. de minor.* & in aliis juribus, ubi ostenditur, jussum Judicis, aut Principis excusare, facereque licitum quod aliàs esset licitum; & dolo malo non fieri quod jussu Judicis, aut Principis fit

10 Moveor secundò rationibus; nam armorum delatio non est intrinsecè mala; & sic mala est, si finis est malus, bona, si bonus est finis; qui autem defert arma ad Infideles ob mortem comminatam, defert non ad Christianos impugnandum, qui esset finis malus, sed ad propriam mortem effugiendam, qui est finis bonus. Tùm quia, qui coactè delinquit, atque ità dolum non habet: cogenti igitur crimen adscribitur, non aliquid contra proprium animum agenti. Delinquens autem, si non est criminosus, neque dolosus, quo modo pœnâ delicto impositâ punietur? Præterquam quod, duobus juribus concurrentibus, naturali altero, altero positivo, sed utrumque simul observari non potest, naturale præferendum esse positivo; communis est sensus: conservare autem propriam vitam est de jure naturæ: & prohibitio delationis armorum ad Infideles est de jure positivo. Atque adeò si Deferens arma ad Infideles sit metu mortis coactus, non peccat, præciso omni pravo fine, neque excommunicatione ligatur; cùm excommunicatio, quæ inter pœnas ecclesiasticas est major, exigat culpam lethalem, ut diximus in quinto not.

11 Moveor tertiò exemplo notissimo, in Lucretiâ Romanâ, relato *in d. cap. Proposito, causa 32,* quæ quia coactè cognita fuit à Filio Tarquinii Regis, nec adultera fuit judicata à S. Aug. Ecclesiæ Doctore; imò de castitate mentis impensè commendata; & quamvis quoad DEUM non fuerit immaculata ab adulterio per jura allegata, quibus opinio nobis contraria fulcitur; nihilominus, quoad pœnam legis fuit ab adulterio excusata, cùm non committatur sine dolo. Si ergò Sanctus Augustinus vindicavit Lucretiam Romanam ob perpetratum coactum adulterium, & dixit, pœnam legis non meruisse; licebit sanè nobis à pœnâ jurium, quæ est excommunicatio, immunem reddere arma ad Infideles deferentem, ut coactum ob mandatum sui Principis, mortem minantis, ei non parendo.

Concludimus igitur, deferentem arma ad 12
Saracenos, Turcas, Hæreticos, aliosque Christiani nominis Hostes, ex mandato Principis sui, mortem minantis, non esse jurium censuris obnoxium. Ubi enim peccatum non committitur, censura non contrahitur: & licèt aliquod peccatum contraxerit ratione aliqualis consensus, quod nos negamus, adhuc vinculum excommunicationis non deberet sentire; nam ubi ad incurrendam pœnam requiritur dolus, non sufficit quævis culpa, ut notat Abb. *in cons. 4. num. 3.* & probatur per Text. *in l. 1. cod. ad leg. Cornel. de sic.* qui dolus excluditur per metum, ut suprà, & alibi diximus, & probavimus.

Ad rationem, & jura in contrarium respon- 13
demus: Ad rationem negando, coactum voluntatem in malefactis non excusare à peccato in his, quæ non sunt intrinsecè mala, ut constat ex dictis: armorum autem delatio ad Infideles non est intrinsecè mala, ut patet.

Ad jura, negando suppositum: jura enim in 14
contrarium allegata intelliguntur in his, quæ sunt intrinsecè mala; & talis non est nostra armorum delatio: & quamvis aliqua culpa in eâ reperiretur, adhuc jura præfata nobis non obstarent, ut in nostrâ conclusione sufficienter per jura probatur.

Infero primò ex dictis, deferentes arma, 15
aut alia prohibita ad Infideles, vi aliundè procedente, aut famæ coactos, jurium Ecclesiasticorum censuras non incurrere, quia non peccant. Ita etiam tenet Tabiena, Navar. quos citat, & sequitur Sayr. in suo thesaur. *lib. 3. cap. 11. num. 18.* Duardus, loc. cit. *n. 2.*

Infero secundò, non incurrere excommuni- 16
cationem Bullæ Cœnæ, aut aliorum jurium illam, qui arma deferret ad Infideles ob metum mortis, suis filiis comminatæ, juxta *l. isti quidem, in fi. de eo, quod met. caus.* cùm tantus sit filiorum amor, ut æquè eos diligat Pater, ac seipsum, ut Aristot. *8. ethic. cap. 12.* docet. Undè pia Mater Ecclesia non videtur hunc patrem excommunicare, *arg.* Tex. *in cap. Si verò, il. primo, de sent. excomm.*

Infero tertiò, probaliter non peccare come- 17
dentem carnes humanas, sic imperante Principe, vel Tyranno; cùm probaliùs sit, hujusmodi comestionem non esse ita malam, quin ea gravissimâ necessitate honestari possit, quod rectè probat Navar. *cap. 23. num. 122.* Emanuel Sà, *v. comedere, num. 1. in edit. complut. & Roman.*

Less. *lib. 4. cap. 3. dub. 2. num. 10.* Cajet. *q. 148. art. 2. ad 2.* Tolet, Sanchez, Castropalaus, & alii.

18 Infero quartò, delinquentem gravi crimine mandato, quod evitare non potest, sui Principis, à pœnâ illius delicti ordinariâ excusari. Ita censuit Bal. *in cap. 1. §. Injuria, de pac. jur. firm. in usib. feud.* Cynus, Florianus, Decius, Marsilius, & alii, quos producit, & sequitur Tirsq. *in tract. de pœn. leg. causa 34.*

19 Infero quintò, filios, servos subditos delinquentes ob mandatum Patris, Domini, Magistratus, Judicis, excusari à pœnis ordinariis, delicto patrato impositis: quia majorum auctoritas subjectos excusat, ut per Text. *in l. quod Principi, ff. de aqua plu. arcend.*

20 Infero sextò, mulierem ab alio vi cognitam non esse obnoxiam pœnæ legis, adulterio impositæ, quæ est amissio dotis, & divortium faciendum; quia agenti contrà suam voluntatem crimen non adscribitur, sed cogenti, *cap. 1. & 2. cap. 3. causa 32. q. 5.*

21 Infero septimò, excusari à pœnâ ordinariâ delinquentem ob preces sui Principis, & Tyranni: nullum enim discrimen in hoc casu apparet inter preces, & mandatum, cùm Principum preces sint mandata, *l. 1. ff. quod jussu* & per alia jura relata a Tiraq *tract. de pœn. leg. causa 35.* & tenet Afflict. *deci. 69. n. 5.*

22 Infero octavò, occidentes timore mortis adversarium excusari à pœnâ ordinariâ, non tamen extraordinariâ. Ita etiam Didacus, & alii, quos recenset, & sequitur Menochius, *lib. 2. de arbitr. jud. cent. 4. cas. 344. n. 19.*

23 Infero nonò, militem furantem, aut alios occidentem de mandato Ducis sui, vel Capitanei, excusari à pœnâ ordinariâ, non tamen à pœnâ extraordinariâ; sic etiam Menochius, loc. cit. *n. 22.* ubi explicat *l. 1. cod. de commen. lib. 12.* quæ adversari videtur.

24 Infero decimò, delinquentem cum culpa, dolo tamen non interveniente, esse quidem puniendum, sed mitiùs; Ut per Tex. *in l. leg. §. 1. & l. in lege, ff. ad leg. Cornel. de sicar.* & tenet Petr. Anch. *conf. 283. in fi.*

25 Infero undecimò, delinquentem aut casu, aut imprudentiâ, sive facti ignorantiâ, non de industriâ, aut dolosè, aut nullo modo puniri, aut levius, *l. 1. §. Divus, ff. ad leg. Cornel. de Sicar. & l. absentem, §. ult. & l. metrodorum, & l. respiciendum, §. Delinquunt,* & ibi Glos. not. *ff. de pœn.*

26 Infero duodecimò, delinquentem ob mandatum Judicis, vexationem comminantis in literis Consanguineis, excusari à pœnâ ordinariâ; Sic etiam sentire videtur Bal. *in l. 1. Cod. de Ind. vid.* ubi dicit, paria esse committere in aliquem, „vel in illos de sanguine suo, & parem esse metum „in se, & in suis, juxtà *d. l. isti quidam, ff. quod „met caus.*

27 Infero decimotertiò, delinquentem aut per errorem, aut per ignorantiam, aut per imprudentiam, aut per coactionem; quamvis sit aliquo modo excusandus; debere tamen veniam petere, & pœnitere. Sic etiam sentire M. Cato in responsione data Posthumo Albino, qui Consul cum Lucullo fuit, se excusanti si quid erroneè in scriptione cujusdam Historiæ græcæ, cùm ipse esset de Latio, commisisset, dicens: Nam petere veniam solemus, aut cùm imprudenter erravimus, aut cùm compulsi peccavimus: Plinius est auctor, aut quisquis est, in libro de illustribus viris. Plutarchus in *Catone Uticensi*, Gellius, *lib. 11. Noct. Attic. cap. 8.* & Macrobius apud Tyraq. *de pœn. temper. causa 36. num. 6.*

XXII. DIFFICULTAS.

An vendere arma bellica Christiani Nominis Hostibus in Terris Christianorum sit actio prohibita sub pœnâ excommunicationis Bulla Cœna, vel aliorum jurium.

1 NOtandum primò, venditionem dici à vendendo merces, vel rem aliquam; emptionem dici ab emendo, nempe mediante pretio aliquid, & habetur *in l. veteres, ff de action. empt.* & notat Salas, *tract. de empt. & vendit. dub 1. num. 1.* Emptio enim, & venditio includit omnem alienationem, sive conventionem, ex qua transfertur dominium, *l ficut. §. Venditionis. ff. quibus modis pign. vel. hypothec. solvat,* & Doctores cumulati per Mantic. *lib. 4. de tacit. & ambig. convent. tit. 1. n. 5.*

2 Notandum secundò, venditionem, & emptionem esse contractum nominatum, bonæ fidei, juris gentium, ultrò, citroque obligatorium, qui consensu perficitur, re tamen, & pretio certo interveniente. Ita Fabian de Monte *tract. de empt. & vendit. q. 1.* & plures alii quos recenset Salas, loc. cit. *n. 4.*

3 Notandum tertiò, ad substantiam emptionis, & venditionis tria requiri, nempe res ex parte vendentis, pretium ex parte ementis, & denique consensum ex parte utriusque, qui debet esse simultaneus in omni contractu, ut notat Bald. communiter receptus, *in cap. Cùm consuetudinis, num. 6. de consuetud. & in l Labeo, n. 2. cod. Quomodo & quando Iudex.*

4 Notandum quartò, in contractu venditionis, & emptionis requiri justum pretium, quod, secundùm Aristotelem *5. Ethic. cap. 7.* & alios, est duplex, unum quod vocatur legitimum, & est illud, quod lege Principis, seu Superioris, vel ejus auctoritate taxatum est; alterum verò naturale, seu vulgare, aut fori, quod non taxatur per legem, vel Decretum Judicis, sed per Expertos.

5 Notandum quintò, quòd omnes Domini rerum suarum possunt vendere, qui à jure, vel per Decretum Judicis non sunt prohibiti, seu impediti, ut *in l. dudum proximis, cod. de contrah. empt.*

6 Notandum sextò, quòd venditio non censetur verè perfecta, nisi re ipsâ traditâ, dominioque translato, ut scribunt Bald *in l. 1. cod. de peric. & commodo rei vendit.* Dec. *in conf. 179. n. 3.* Paris *in conf. 59. n. 3 lib. 1.* Menoch. *conf 838. num. 15.* & alii.

Notan-

7 Notandum septimò, armorum appellatione, ut alibi à nobis explicatum est, venire omnia arma, tam offensiva, quàm defensiva, fabricata principaliter ad usum bellicum; unde etiam ferrum, fustes, glandes, pilas, lapides, & alia ad pugnandum præparata comprehendi ex *l. armorum, ff. de verb & rerum signif.* & tradit Card. Albanus *in Lucubrat. in Bart. in l. 1, ff. ad leg. jul. de vi publ. n. 6.*

8 His adnotatis, ad difficultatem propositam, an vendere arma bellica Christiani nominis Hostibus in Terris Christianorum sit actio prohibita sub pœna excommunicationis Bullæ Cœnæ; & aliorum jurium; negativè respondet Cardinal Toletus in *explicat. Can. 7. Bull. Cœn. v. primum dubium*, & hanc sententiam videtur tenere Cajet. *in summ. in verb. excommunicatio, cap. 20, in fine*; & fundamentum hujus opinionis videtur esse; quia vendere, ac tradere, non est deferre, nec transmittere; quæ est actio prohibita in Pontificia Constitutione, quæ cum sit pœnalis, verba sunt intelligenda in propriâ significatione: atque adeò vendens in terris Christianorum arma Christiani nominis hostibus nullam excommunicationem contrahit. Itam etiam docet Navarr. *in cap. Ita quorundam, de Iudæ. not. 10. num. 41*, ibi asserens, vendentem tantùm, & non deferentem naves, vel galeas Saracenis non incurrere censuram dicti *cap. Ita, quorundam*, cùm ibi excommunicentur deferentes lignamina galearum: undè debet idem asserere de excommunicatione *Can. 7. Bull. Cœn.*

9 Fateor in hac opinione adesse probabilitatem: Contrariæ tamen, quàm arbitror probabiliorem, libentiùs adhæreo cum Sylv. *v. excommunicatio 7. 58. 64.* Angel. *v. excomm. 5. cas. 21. num. 6.* Filliuc. *tom. 1. tract. 16. de censur. cap. 6. q. 6. q. 7. n. 143.* Duard. *in Bull. Cœn. lib. 2. in Can. 7. quæst. 18. n. 1.* & aliis.

10 Moveor primò juribus, *in l. 1. § generaliter, ff. de lega. præstan. l. Prospexit 12. ff. qui, & à quib. manumiss. & l. de pretio. § de Publica.* cum vulgatis similibus, ubi habetur, quòd lex generalis debet generaliter intelligi. Lex verò prohibet indistinctè deferri arma ad Infideles generaliter, non loquendo in terris, vel extrà Terras Christianorum. Præterquam quòd, venditio, juxtà notata, non potest sequi absque delatione: quòd enim venditur defertur ad emptorem: atque adeò venditio, sive fiat in terris, sive extrà terras Christianorum, semper intelligitur à lege generali sub pœna excommunicationis prohibita. *Et in cap. ad liberandam, extrà, de Iuda.* ubi non tantùm deferre, sed & vendere est prohibitum.

11 Moveor secundò rationibus: nam delatio non videtur prohibita, nisi gratiâ venditionis, aut donationis, vel cujuscumque traditionis: & ideò si deferens in excommunicationem incidit, à fortiori debet incidere vendens. Tùm etiam, quia causa finalis prohibendi arma deferri ad Infideles est, nè reipsâ tradantur, & ipsorum traditione illi fiant validiores contrà Principatum Christianum; & successivè ubicumque sequatur traditio, quæ necessaria est in venditione; quamvis non fiat delatio, actio erit sufficiens pro inducendâ censurâ, & sic vendens erit excommunicatus.

12 Moveor tertiò exemplo, in Januensibus, qui, ut refert Tabie. apud Filliuc. loc. cit. obtinuerunt à Sixto IV. privilegium vivæ vocis oraculo, ut in Terris suis arma, & alia possent Infidelibus vendere; quod privilegium nunc est revocatum, nè prohibitio generalis eludatur, admonitis secretò Infidelibus de adventu ad portus Fidelium, ut illis vendi & tradi possint prohibita. Ex quo patet, vendere, & quocumque alio titulo tradere Infidelibus arma in Terris Christianorum à juribus, inducentibus excommunicationem, prohiberi; cùm privilegium Pontificium fuerit necessarium, ut posset licitè fieri.

13 Concludimus igitur, incurrere excommunicationem, non solùm ex vi Bullæ Cœnæ, sed etiam aliorum jurium, vendentem in Terris Christianorum arma bellica Christiani nominis hostibus; nisi ad vendendum cogeret famis necessitas; aut hujusmodi venditio esset necessaria ad mortem effugiendam, qui finis bonus est, atque adeò delatio, quæ non est intrinsecè mala, ob eundem finem erit bona, & sic incapax excommunicationis, quæ fertur in actionem non bonam, sed malam, & peccaminosam.

14 Ad rationem in contrarium respondemus, quòd verba legis debent intelligi secundùm terminos suæ rationis, quæ dicitur legis anima. *cap. ratio nulla, de preben. l. cum pater, § dulcissimis, ff. de leg. 2.* & idcò in quavis lege magis debemus attendere quæ comprehendis mens Legislatoris, quàm ea, quæ comprehuntur ex verbis. Ita Bal. *in l. scire leges, ff. de legib.* & à verbis recedimus, quando apparet de mente disponentis, *l. Non aliter, ff. de leg. & fid. com. 3.* Quænam fuit mens in lege, vetante arma deferri ad infideles? Non alia sanè, nisi impedire illis vires validiores contrà Christianos, quod fit armorum multiplicitate, seu numero majori. Sive ergo illis arma vendantur, sive deferantur; dum illa Infideles habent, validiores evadunt ad impugnandum Principatum Christianum. Ergo Legislatoris mens est etiam prohibere armorum venditionem; quamvis verba legis non sonent, nisi delationem.

15 Infero primò ex dictis, incidere in excommunicationem vendentem lignamina galearum, ferrum, victualia, & alia in juribus prohibita, Christiani nominis hostibus in Terris Christianorum; quamvis ad illas non deferantur.

16 Infero secundò, locum habere excommunicationem, quando arma venduntur, vel quocumque alio titulo traduntur Christianis, & vendens certo scit, vel scire tenetur, emptorem, arma illa emere, ut ad Turcas, Hæreticos, aliosque Infideles deferat; quia saltem mediatè ea transmittuntur contrà jurium prohibitionem.

17 Infero tertiò, non incurrere excommunicationem illum, qui vendit Infidelibus arma metu mortis; aut famis necessitate compulsus, Necessitas enim legem non recognoscit, & sic hujusmodi venditio non erit peccaminosa, cùm nulli repugnet legi: Ubi autem peccatum non committitur, censura non contrahitur,

18 Infero quartò, non incurrere excommunicationem illum, qui venderet Infidelibus pugionem parvum gladium, aliamque rem unam, & parvæ quantitatis, vel potiùs parvæ utilitatis contrà Christianos; cum parvitas materiæ excuset à culpa lethali, & consequenter ab incursu censuræ. Secùs verò, si venderet unum navigium, unam triremem, vel quid simile valdè utile Infidelibus ad pugnandum contrà Fideles, & ad ipsos expugnandum. Ita etiam Filliuc. loc. cit. *n. 146.*

19 Infero quintò, vinculo excommunicationis illum innodari, qui portat arma ad sui defensionem, deindè non coactus, sed pro habendâ pecuniâ illa vendit Infidelibus, vel transfugit cum armis ad Infideles. Sic etiam Sayr. Sylvest. Navar. & alii, quos recenset Filliuc. loc. cit. *num. 140.*

20 Infero sextò, incurrere excommunicationem eum, qui venderet, seu pecuniâ, aut alio titulo injusto traderet aliquam Arcem, aut Civitatem Christianorum, etiam in Regione Christiana, Christiani nominis hostibus; cùm quælibet Arx, aut Civitas semper arma, & alia bellica instrumenta contineat.

21 Infero septimò obiter, peccare mortaliter Fidelem, qui vendit idolum Infideli, vel alia ad cultum idololatriæ spectantia; cùm illis præbeant materiam ad complendum suum peccatum. Ita communiter DD. quamvis in vendente non adsit intentio cooperandi ad peccatum alterius, ut notat doctus Molfesius, *in sum. p. 1. tract. 8. cap. 10. n. 66.* ubi alios citat.

22 Infero octavò etiam obiter, peccare graviter vendentem fucos mulieribus, ut pulchriores fiant, & ut tali pulchritudine alios inducant ad peccandum, quia cooperatur ad peccatum. Secùs verò, seclusâ tali intentione; qui fucus ex se est quid indifferens, undè peccatum illo malè utentis non tribuitur vendenti: ut probat Navar. *in summa, cap. 9. n. 16.* & alibi.

23 Infero nonò pariter obiter, peccare mortaliter illum, qui vendit, vel alio modo concedit Infidelibus carnes, olivas, & alia, quibus ad eorum ritum utuntur, si cum tali intentione venderet; quia ad illorum peccatum cooperatur. Secùs verò, secluso tali fine, aut si nesciret, aut non crederet, illos usuros ad hujusmodi finem. Ita Sylvest. in verb. *Infidelitas, quæst. 4.* cùm hujusmodi res sint ex se indifferentes; & ideò peccatum illis malè utentis non adscribitur venditori; quamvis speculativè tantùm dubitet de illorum mala operatione: quia nemo præsumitur in dubio quod velit delinquere, *l. meritò, ff. pro socio*, & notat Graff. *in addit. ad primam part. decis. in lib. 2. cap. 64. n. 8.*

24 Infero decimò, non peccare, & sic non incurrere censuram, vendentem in Terris Christianorum arma Infidelibus, aut Christianis mercatoribus, si prudenter credat, non esse illa deferenda ad Christiani nominis hostes, vel si deferantur, rationaliter existimet nihil, aut parum eis prodesse, vel ex parvitate materiæ, vel ex genere armorum, aut aliis ex causis, pro validiori pugnâ contrà Christianos; quia cessat ratio prohibitionis, quæ est ne infideles fiant potentiores ad impugnandum Christianos.

Infero undecimò, arma portantes ad Christiani nominis hostes, non solùm esse excommunicatos ipso facto, *Extrà de Iuda. cap. Multa, Bulla Cœna, Pauli V. Const. 64. Pastoralis,* Urbanus VIII. *Const. 62. Pastoralis,* Innoc. III. *Const. Ad liberandam,* Nicol. I. *Const. 3. Olim*, sed etiam esse infames, & non posse testari; ut *in d. cap. Multa, extrà de Iuda.* 25

XXIII. DIFFICULTAS.

An pro redimendis captivis Catholicis liceat Arma, in Canone Bullæ Cœnæ prohibita, ad Catholici nominis hostes deferre.

Notandum primò, Christianos captivos sub potestate Paganorum non solùm multa pati, & miseram vitam semper degere, sed etiam in proximo periculo fidei abnegandæ vivere; undè magnum esse charitatis actum illos à captivitate redimere; quod sanè docuit exemplo S. Raymundus Nonnatus, qui, ut captivos Christianos redimeret, in Africam missus, & cùm jam multos à servitute liberasset, nè consumpta pecunia aliis item in proximo abnegandæ fidei discrimine constitutis deesset, seipsum pignori dedit. Ita habetur in lect. Off. hujus Sancti ad secundum Nocturnum. 1

Notandum secundò, discrimen esse inter tempus actualis belli, & tempus belli simpliciter; nam bellum actuale illud nuncupatur, quod actu committitur: per tempus verò belli simpliciter intelligimus etiam tempus treugæ; quia treuga bellum non tollit, sed solùm illud suspendit. Ita Azor. *lib. 8. instit. moral. p. 1. cap. 25. q. 16.* & clarè colligitur *ex cap. Significavit, extrà, de Iudæis.* 2

Notandum tertiò, tempus treugæ differre à tempore pacis: nam per treugam bellum intermittitur; per pacem bellum tollitur, & omninò cessat. 3

Notandum quartò, duplex esse remedium ad redimendos captivos, ordinarium scilicet, & extraordinarium; ordinarium est, quando captivi aliter redimi possunt; extraordinarium, quando aliter non possunt redimi: undè extraordinarium non esse adhibendum putant aliqui, ubi ordinatio locus est, ut per Tex. *arg. in l. in causa,* la seconda, *ff. de minor.* 4

Notandum quintò, captivos Christianos, utplurimùm esse viros fortes, præstantes, & tempore belli magnum juvamen deferre Paganis, sub quorum captivitate vitam degunt, & hoc metu mortis, quam illis minantur, si fortiter non pugnent, si validè non remigent, si promptè, & constanter non se gerant. 5

His adnotatis: ad difficultatem propositam, an pro redimendis captivis Catholicis liceat arma, in Canone septimo Bullæ Cœnæ prohibita, ad Hæreticos, Turcas, aliosque Christiani nominis hostes deferre, negativè respondet cum Glos. Panormitanus, *in cap. Significavit, extrà, de Iude.* fundamentum videtur esse; quia Infideles ob arma acquisita pro pretio captivorum, fierent valdio- 6

validiores contrà Christianos: & hoc perpendentes, possent pro captivis velle solùm arma, & alia prohibita. Deindè aditus aperiretur delictis, & fraudibus: nam quisque deferens ad Christianorum hostes arma, & alia prohibita, posset delictum operire excusatione redemptionis; & sic Judices, & Principes decipere. Præterea, deferre ad hostes arma prohibita pro redimendis captivis, est facere malum, ut eveniat bonum: non sunt autem facienda mala, ut eveniant bona, ut per Tex. *in cap. Super eo, de usur.*

7 His tamen, & aliis minimè testagantibus, contrarium verius esse existimo, nempe pro captivis redimendis licitum esse, citrà ullam pœnam, arma prohibita in dicto Canone ad Christiani nominis inimicos deferre; extrà tamen tempus belli actualis, & quando alio medio captivi redimi non possent: Innoc. *in d. cap. Significavit, de Juda.* Navar. *in cap Ita quorumdam, not. 8. num. 26. eod. tit.* Ugolin. *in explicatione d. Can. septimi, §. 1. sub num. 11.* Host. *in d cap. Significavit.* Filliuc. *tom. 1. qq. moral. tract. 16. cap. 6. q. 7. num. 145.* Reginal. *lib. 9. sua praxis, num 299.* in quam opinionem etiam inclinare videtur Sylvest, in verb. *excommunicatio 7. num. 61.*

8 Moveor primò juribus, *arg. inl. sancimus 15. Cod. de sacrosan. Eccles. & in cap. 1. de pign.* ubi habetur, res sacras, quæ prohibeotur alio tempore vendi, posse distrahi ob aliquam necessitatem, & pro redemptione captivorum: *& in cap. Aurum, causa 12. quæst. 2.* ubi habetur, res ecclesiasticas, & etiam vasa sacra posse in aliquibus casibus alienari, & præcipuè pro redemptione captivorum. Quare igitur non licebit pro redimendis captivis ad Paganos arma prohibita, excepto tempore actualis belli, deferre, & quando aliter redimi non possunt; cùm Ecclesia teneatur illos redimere, ubi timetur periculum mortis animæ? Sic notat Turrecrem. *in d. cap. Aurum 12. q. 2.* & per Tex. *arg. in cap. Quoniam, causa 11. q. 3.* ubi ab excommunicatione excusatur, qui ob necessitatem aliquid facit. Si igitur captivi aliter redimi non possunt, nisi armorum delatione ad Paganos, non possum, necessitate inspectâ, tantæ charitatis actum, ut malum ratione excommunicationis recognoscere, & declarare.

9 Moveor secundò rationibus; nam *in d. cap. Significavit, de Juda.* dicitur, quòd delatio rerum prohibitarum ad hostem Christianorum, post treugam, causâ lucrandi, obnoxia est excommunicationi; ex quo deducitur, vinculum excommunicationis evadere arma deferentes, non causâ lucrandi, sed captivos redimendi; cùm valeat argumentum à contrario sensu, ut per Tex. *in l. 1.* & ibi Doct. *de off. ejus.* Deindè charitas, quæ proximum diligit, eum ab oppressione Infidelium odientium liberat; quis. 1. *ad Cor. 13.* dicitur: *Charitas benigna est, &c. non æmulatur, non agit perperàm*, id est, pervertè, ut explicat Turrecrem. *in cap. Ipsa pietas, causa 23. q. 4.* Perversè autem agitur, cùm innocentes Christiani à Pagsnis molestantur, quod charitas non permittit. Tùm etiam, quia Pietas Christiana cogit extraordinarium remedium adhibere ubi timetur periculum, seu mors Animæ; ut tùm Fideles cogerentur adorare idola, ut *de cap. Ipsa pietas, causa 23. q 4.* Notum sanè est, Christianos Infidelium captivos sæpè ab infidelibus rogi fidem veram, & Christum delinquere, falsam sectam amplecti. Nobis igitur licebit remedio extraordinario uti in armorum delatione ad Infideles, nè Fides in Christianis oppugnetur, & expugnetur; præsertim cum in dicto *cap. Significavit*, permittatur, licitè posse aliquid ad Saracenos deferri, undè aliquod commodum, & subsidium ipsis veniat in articulo redemptionis, cæteris remotis, quæ eorum utilitatem respicerent.

Moveor tertiò exemplo, in S. Paulino, Nolæ Episcopo, cujus charitas summopere ab Ecclesia celebratur, prætigue quòd, vastatâ à Gothis Campaniâ, omnem facultatem, nec relictis quidem sibi rebus ad vitam necessariis, in alendo pauperes, & captivos redimendo contulerit. Ita Ecclesia recitat in Lectionibus in ejus Officio. Ex quo patet, charitatem arma deferentum ad Infideles pro redimendis captivis esse relebrandam, non censurandam. 10

Concludimus igitur, licitum esse citrà ullam pœnam, extrà tempus belli actualis, & tempore pacis, deferre arma, & alia prohibita ad Christianorum hostes pro redimendis captivis, quando in magno copia non deferrentur extrà tempus actualis belli, & captivi aliâ viâ redimi non possent. 11

Ad rationes in contrarium respondemus: ad primam negando, Infideles fieri validiores ex pretio redemptionis: primò, quia supponimus arma deferri in parva quantitate; Secundò, quia si fiunt aliquantisper fortiores armis acquisitis, debiliores evadunt, hominibus redemptis. 12

Ad secundam, negando suppositum; nam qui arma deferunt ad Infideles, vel agunt fine redimendi, vel alio fine: si fine redimendi, non delinquunt, fraus non insurgit: si alio fine, vinculum excommunicationis non evadunt. Nostra autem difficultas respicit solùm illos, qui ob captivos tantùm redimendos, arma ad hostes deferunt. 13

Ad tertiam, negando patitet esse per se malum arma deferre pro captivis redimendis; hoc enim bonum est ex optimo fine, quo præciso est tantùm malum, quia prohibitum, ob rationem supradictam. 14

Infero primò ex dictis, licere indigenti, & in necessitate posito accipere eleemosynam ab excommunicato indigenti. Ita etiam docet Turrecrem. *in cap. Quoniam multos, causa 11. q. 3. num. 3.* 15

Infero secundò, nobis licere hospitati excommunicatum, qui Romam venit à Summo Pontifice absolvendus, eique vendere, & præbere necessaria taotùm, & quidem in necessitate, ut advertit Turrecrem. loc. proximè cit. 16

Infero tertiò, non obstante quavis prohibitione Ecclesiæ, posse res ecclesiasticas, & vasa sacra alienari alii Ecclesiæ in eâdem formâ; laicis verò confracta, & conflata tempore necessitatis; servato tamen Decreto *de reb. non alienandis*; dummodò necessitas possit admittere hujusmodi obser- 17

obfervantiam. Videatur circa hanc rem Turrecrem. *in cap. Aurum, causa 12. q. 2.*

18 Infero quartò, res Ecclesiæ esse distribuendas juxta proximorum indigentiam: undè D. Hieronymus ad Nepotianum, qui refertur *in cap. Gloria, causa 12. q. 2.* ardenter invehitur contra Episcopos avaros erga pauperes, & indigentes, sed superfluos, & prodigos circa se, & suos, & circa ornatum Ecclesiæ.

19 Infero quintò, quòd, causâ cessante, cessare debet quod propter causam introductum est, & quod mutatio temporis rerum mutationem inducit; *ut causa 32. q. 1. cap. Quod autem;* & in aliis juribus.

20 Infero sextò, valere regulam communem, ut captivus, sive Christianus sit, sive non; sive sit captus in bello, sive non, sive bellum fuerit justum, sive injustum, possit aufugere, & ad suos redire: ut docent etiam Sotus, *lib. 4 de just. & jur. quæst. 2. art. 2.* Regival. *lib. 21. sub num. 118.* Megal. *lib. 2. cap. 191. num. 24.* Malder. Molf. & alii. Nec obstat Glos *in cap. Jusgentium,* in verb. *servitutes, Dist. 1.* asserens, servum non posse aufugere à Domino; quia intelligitur de servis emptitiis, qui scilicet seipsos vendiderunt pro habenda pecunia; non de servis captis in bello; vel contra bellum, qui semper possunt aufugere, & in pristinam se recipere libertatem; si tamen fidem non dederint non aufugiendi; cùm tunc teneantur fidem servare, & juramentum, quo violato, non tenentur redire ad hostes, sed Prælatus tenetur illis dispensare circa violationem hujusmodi juramenti; ut ex reg Tex. *in cap. Si verò, de jur. jurand.* & hoc præcipuè, quando aufugientes sunt Christiani, in captivitate existentes apud Paganos. Ita Reginal. Sayr. & alii, quos recenset, & sequitur Molfesius, *in summa, par. 2, tract. 12. cap. 3. num. 193.*

21 Infero septimò, nefas esse Christiano Animam suam captivam sensus, & dæmonis habere, dum ei licet arma Infidelibus deferre ad captivos redimendos; & ideò debere arma pœnitentiæ sensui, in cujus captivitate miserè degit, deferre, ut à peccatorum vinculis absoluta, quæ DEO sunt placita, libera mente exequatur.

XXIV. DIFFICULTAS.

An deferentes arma ad Turcas, aut Hæreticos, aliósque Christiani nominis Hostes, non animo illos adjuvandi in bello contrà Christianos, sed lucrandi, & negotiandi causâ, si per annum insordescant in excommunicatione, pertineant ad Forum Inquisitorum.

1 Notandum primò, deferentes arma adChristianis nominis Hostes, & Hæreticos declaratos excommunicari excommunicatione Bullæ Cœnæ, in Canon, ut optimè explicant Ugolinus Sayr, Duardus, Bonacina, Naldus, Scortia, & alii plures, quos recenset Catena, *tract. de offic. S. Inq. p. 2. §. 20. n. 64.*

Notandum secundò, ut possit procedi contrà excommunicatum, requiri, ut annus completus sit: & colligitur ex *cap. Cùm contumacia, de hæret. lib. 6,* ponderando dictionem, *ex tunc,* quæ ipsum terminum designant, juxta ea, quæ notat Glos. *in cap. Capientes, §. Cæterum, v ex tunc, de elect. lib. 6.* & Clem. 1. *v. ex tunc, de jure patron. & l. 4. in fin. ff. de cond. & demonstrat.* Et ita fuit decisum à Sacra Congregatione Concilii in *una Bonon. insordescentia,* ut refert Rot. Rom. *decis. 195.* in impressis post secundum volumen Consil. Farinac. & latè probat Seraphio. *dec. 128. num. 5.* 2

Notandum tertiò, ad incurrendas pœnas canonicas requiri in excommunicato, præter annum completum, & continuum in excommunicatione, animom pertinacem, ut habetur ex *d. cap. Cum contumacia, de hæret. lib 6.* undè peritâ intrà annom absolutione, & ob aliorum malitiam, aut aliud impedimentum ex parte excommunicati non proveniens, si non obtineatur, nullam pœnam habere locum, ut notat Rebuff. *repet. in cap. Postulastis, n. 25. & 158. de Cler. excomm dep. vel int minist.* Franc. *in d. cap. Cum contumacia, de hæret. lib. 6.* Ugo. Tab. & alii. 3

Notandum quartò; ad incurrendas pœnas excommunicationis requiri, præter annum completum, & animum pertinacem, etiam sententiam declaratoriam: *arg.* not per Text *in l. ejus, ff. de jure fisci,* per Bart. *in cap. Cum secundum leges, de hæret. lib. 6.* & Felin. *in cap. Rudolphus, de rescript. vers. sed, & declaratoria; & in cap. Cùm non ab homine, volum. 4 de judic.* 4

Notandum quintò, annum, de quo loquimur, incipere non à die incursus excommunicationis, ut volunt aliqui, sed à die, quo quis fuit nominatim communicatus, denunciatus, Albertin. *in Rub. de hæret. in 6. q 13. num. 35.* Aloy. Ricc. *in praxi vaxiar. resolut. tom. 3. resolut. 216.* & alii apud Sayr. *in suo Thesauro, lib. 2. cap. 10. n. 12.* ubi hanc conclusionem doctissimè probat. 5

Notandum sextò, si quis est suspectus leviter de fide, & ob eam causam citatus, ut respondeat, si intrà terminum assignatum negligit respondere, illam levem suspicionem transire in vehementem; si verò in illâ negligentiâ per annum perseverat, suspicionem vehementem: si verò in illâ negligentiâ per annum perseverat, suspicionem vehementem transire in violentam: ex *d. cap. Cum contumacia, de hæret in 6.* & docet Eymericus *in Direct. Inquisit. p. 3. q. 47.* 6

His adnotatis ad difficultatem propositam, an deferentes arma ad Infideles, non animo illos adjuvandi in bello contrà Christianos, sed lucrandi, & negotiandi causâ, si per annum insordescant in excommunicatione, pertineant ad Forum Inquisitorum, negative videtur respondendum; cùm Summus Pontifex *in cap. Cum bona, de ætat. & qualitate,* narrando factum, loquatur de sustinentibus excommunicationem per triennium; ex quo constat, non annum, sed triennium requiri ad insordescentiam in excommunicatione incurrendam, & sic ad suspicionem de hæresi fundandam, sine quâ Sacrum Tribunal Inquisitionis non movetur. 7

Veri-

8 Veritas tamen est, contrà Excommunicatos ob delationem armorum ad infideles, vel ob aliam causam, si permanserint per annum completum in excommunicatione, junctis aliis conditionibus, posse inquisitores procedere, Gutierrez *in Can. qq. lib. 1. cap.* 12. *n.* 20. Barbosa, *in Collect. doct. tom.* 2. *lib.* 5. *tit,* 7. *cap* 15. *num.* 12. Pan. *in cap. Postulasti, n.* 4. *de homic.* Sayr. *in suo Thesaur. lib.* 2. *cap.* 10. *n.*10. ubi plures recenset Diana, *p.* 4. *tract.* 7. *ref.* 18. ubi alios citat.

9 Moveor primò juribus, in Trid. *sess.* 25. *de reformat. cap.* 3. ubi statuitur, inquiri posse in quemcunque per annum in excommunicatione persistentem, tanquam suspectum de hæresi; & *in cap. Gravem, de pœnis.* & *in d. cap. Non bona, de ætat. & qualitat.* & tradunt communiter Doctores, ut notat Thomas Del Bene *tract. de S. Off. tom* 1. *dubit.* 30. *n.*40.

10 Moveor secundò rationibus; nam excommunicatus perseverans contumaciter per annum in excommunicatione præsumitur suspectus de hæresi, non solùm secundùm jus novum, sed etiam secundùm jus antiquum, ut notat Sayr. loc. cit. undè cùm censeatur malè sentire de fide, ex potestate Ecclesiæ debet interrogari quid sentiat; atque adeò est Sancto Officio denunciandus, & quidem ex vi Bullæ Alex. VII. quæ incipit: *Licet alias* 96. Tùm etiam, quia suspicio levis de hæresi, quamvis non sufficiat ad torturam, sufficiens tamen est ad indicendam purgationem, & cogendum excommunicatum, ut respondeat, ut advertit, & sentit Castropalaus, *tract.* 4. *disp.* 4. *punct.* 2. *n.*6. atque adeò contra ipsum potest procedere Tribunal. S. Inq. Insuper hìc agitur de excommunicatione latâ contrà deferentes arma ad Turcas, ad Hæreticos, aliosque Infideles, bellantes contrà Christianos; undè quamvis sub prætextu negotiationis arma deferant, possunt tamen præsumi favere Hæreticis, seu Infidelibus, ut tales sunt, & sic etiam excommunicari causâ fidei. Communis autem Doctorùm sensus est, contrà excommunicatos ex causâ fidei, si in excommunicatione per annum insorduerint, posse Inquisitores procedere.

11 Moveor tertiò exemplo, seu praxi communiter receptâ, in quâ hoc solet observari, ut notat Menochius, *lib.* 2. *de arbitr. jud. cas.* 347. *n.* 8. quòd quandò quis est de hæresi suspectus, quamvis ob solam suspicionem non puniatur, solet tamen ei mandari, ut suspicionem suam purget, & propriam innocentiam congruè probet. Atqui excommunicatus, & in excommunicatione contumaciter perseverans per annum, præsumitur suspectus de hæresi; atque adeò contrà ipsum possunt inquisitores procedere.

12 Concludimus igitur, posse Inquisitores citare deferentes arma ad Infideles, post annum completum à delatione sub excommunicatione ipso facto incurrendâ, ut suspicionem purgent; & si intrà terminum assignatum neglexerint respondere, & in illâ negligentiâ per annum perseveraverint, posse illos, ut veros hæreticos, condemnare. Ita probat *cap. Excommunicamus,* il primo, §. *Qui autem inventi, de hæret.* & docet Menoch. loc. proximè cit. ubi plures pro se allegat, Diana, loc. cit.

13 Ad rationem in contrarium respondemus, quòd eadem dispositio allegata habet etiam locum in sustinentibus excommunicationem per annum, ita ut etiam hi dicantur in excommunicatione insordescere. Ita explicat Glos. ibi in verb. *spoliare,* Host. *num.* 7 Jo: Andr. *n.* 10. Abb. *n.* 7. Ricciullus, de *jure personarum extrà Ecclesiæ gremium existentium,* Bellarm. *lib.* 4 *cap.* 7. *nis. in suis notis ad Trid. sess.* 25 *de reform cap.* 2. *in fine.* Marius Alterius, de *Censur lib* 2. *disp.*6 *cap.* 1 *vers. de secund. dub.*

14 Infero primò, ex dictis excommunicatum ex quâvis causâ criminali, vel civili, & in eâ censurâ per annum perseverantem, absolutionem non procurando, præsumi suspectum de hæresi secundùm jura antiqua, & nova: ut notat Sayr. in *suo Thes. lib.* 7. *cap.* 10. *n.*10. Castropalaus, *in summ. tom.* 1. *tract.* 4. *disp* 4 *punct.* 2. *n.* 5. Farin, Menoch. quia contumacia est uniformis.

15 Infero secundò, juxtà sententiam aliquorum deferentes arma, quibus Catholici impugnantur, ad hæreticos in excommunicationem incidere; quamvis nominatim non sint declarati hæretici, ut tenet Duardus *in Bullam Can. lib.* 2. *in Can.* 7. *q.* 4. *n.* 2. Vivaldus ibidem, *n* 1. Ugolinus in eodem Can. *num* 6. & sic Inquisitorum judicio esse obnoxios: Contrarium tamen tenent alii cum Bonac. de *cens. in Bullâ Can disp.*1 *cap.*8 *punct.* 3. *num* 4.

16 Infero tertiò, purgationem quoad suspicionem de hæresi, aliquandò majorem, aliquandò minorem requiri, secundùm suspicionis qualitatem, undè hujusmodi purgationem esse ad arbitrium Judicis remittendam; ut ex *cap. Ad abolendam,* §. *qui verò inventi, & d. cap. Excommunicamus,* il secondo, §. *Si qui autem, de hæret.* & docet Simanca, *lib. Cath. Instit. de purg. Canonic. tit.* 56. *n.* 8. & alii.

17 Infero quartò, hos excommunicatos, nempe deferentes arma ad Infideles, ut tanquam hæretici condemnentur, si facilè capi non possunt, esse specificè citandos ad respondendum de fide, & ad se purgandum de suspicione ex insordescentiâ ortâ; & unam sufficere citationem; quamvis tutius sit triplicem præmittere. Ita sentit quoque Diana loc. cit.

18 Infero quintò, suspectum de hæresi, vel quia stetit in excommunicatione per annum, vel ex aliâ causâ, citatum ab inquisitoribus, & non comparentem; & propterea iterum ob contumaciam excommunicatum, & in eâ per annum perseverantem, posse tanquam de hæresi convictum, vel ut hæreticum, elapso anno, condemnari. Colligitur *ex cap. cum contumacia, de hæret. in* 6. *& de. cap Excommunicamus,* il primo, §. *Qui autem,* & ibi Glos. Felin. & alii, quos citat, & sequitur Sayr. loc. cit *n.*11.

19 Infero sextò, non posse procedi contrà eum, qui per tres annos stetit in excommunicatione latâ ab Auditore Cameræ Apostolicæ, tanquam suspectum de hæresi; si singulis annis, in Festis Paschalibus, ab eodem Apostolicæ Cameræ Auditore absolutionem obtinuit. Ita decidisse Sacram Congregationem Concilii, refert Cardinal Bellarm. *in suis notis ad Trid. sess* 25. *de reformat. cap.* 3. *n.* 8 *in addit.*

20 Infero septimò obiter, perseverantem in excommunicatione, incursâ ob contumaciam levis criminis, per annum, non esse privatum beneficio, sed haberi pro confesso. Ita docet, & probat egregiè Sayr. loc. cit *n 9.* qui circà hanc materiam videndus est, & etiam *eod. cap. n 8.*

21 Infero octavò, sustinentem excommunicationem per semestre, & posteà iterùm per aliud semestre aliam excommunicationem contemnentem, non dici insurduisse per annum in excommunicatione; quia tempora nunquam conjunguntur in pœnalibus, & sic non posse tanquam suspectum de hæresi ab Inquisitoribus Sanctæ Fdei citari. Ita Doctores supra citati, & Naldus, *in qq. pract. v. excommunicatio*, ad finem, & verb. *tempus, n 13.*

22 Infero nonò, resolutionem hujus difficultatis non extendi ad Christianos subditos Turcarum, vel Hæreticorum, aliorumque Infidelium, fabricantes arma in Terris ipsorum Infidelium, eaque illis vendentes, non ut impugnent Christianos, sed ut illis ad licitos usus utantur; ut putà ad bellandum contrà alios Infideles; aut si illa arma fabricarent, & venderent metu mortis compulsi; in quo casu cessat excommunicatio, & omnis suspicio hæresis. Secùs verò, si fabricarent, & venderent, expressè, vel tacitè scientes, vel credentes, armorum usum futurum esse ad bellum injustum contrà Christianos; & sanè absque ulla coactione, aut ullo metu. Nald. *v. Bulla Cœna, num. 35.*

XXV. DIFFICULTAS.

An lucrum acquisitum ex Armorum delatione ad Infideles sit restitutioni obnoxium.

1 Notandum primò, excommunicatione septimâ Bulæ Cœnæ innodari omnes illos, qui ad Saracenos, Turcas, & alios Christiani nominis inimicos, vel Hæreticos per Sanctæ Sedis sententiam expressè, vel nominatim declaratos, deferunt arma ad usum bellicum aliquo modo ordinata etiam ab intentione vel deferentis, vel acceptantis. Ita Canonistæ.

2 Notandum secundò, restitutionem, quæ dicitur quasi iterata statutio, sive situatio; eò quòd importet quamdam reintegritatem, seu renovationem prioris situs quoad locum, esse in pristinum statum repositionem, *l. restituere, ff. de verb. Signif.* quod etiam notat Tabien. *in sum. v. Restitutio, n. 1.*

3 Notandum tertiò, duplicem esse restitutionem; unam, quâ prior status totaliter innovatur, & sic dicitur restitutio in integrum, quâ redditur possessio rei, aut æquivalentis, & fructus, pristinum jus, & audientia ad omnia quàm Juristæ dicunt esse prioris status, vel juris reintegrationem, per quam subvenitur minoribus, & Ecclesiis *ut in l. 1. Cod. de senten. pas.* Alteram verò, quâ prior status non renovatur in totum, sed solùm rei possessio, vel æquivalentis, per quam satisfit de re ablatâ, & injustè acquisitâ; & ideò, restitutio rectè à D, Th. 2. 2. *q.* 62. *art. 1.* sic definitur. Est actus commutativæ justitiæ, „ quando scilicet res unius ab alio habetur, vel per „ voluntatem ejus, sicut in mutuo, vel deposito; „ vel contrà voluntatem ejus, sicut in rapinâ, vel „ furtu: Nam restituere nihil aliud esse videtur „ quàm iterùm alicui conferre possessionem, vel dominium rei quocumque titulo illi debeatur sive ex contractu, vel quasi; ex maleficio, vel quasi; vel ex quacumque aliâ causâ.

Notandum quartò, justitiam duplicem esse, particularem nempe, & generalem. Particularis est una ex quatuor virtutibus Cardinalibus, cujus proprium est reddere cuique ad æqualitatem, quod ei debetur. Generalis verò, seu legalis duo importat, unum in Principe, qui legem condit; alterum in subditis, Principi subjectis: in Principe importat jus condendi leges ob bonum commune: in subditis verò importat obligationem reddendi debitam obedientiam. Ita docente D, Tho. 2. 2. *q.* 61. *art* 1. Molin. *tom* 1. *de just. tract.* 1. *disp.* 12. Undè justitia legalis respicit commune bonum Reipublicæ: justitia verò particularis versatur circà bonum particulare personale. 4

Notandum quintò, lucrum ab Excommunicato, durante excommunicatione acquisitum ex damnatâ negotiatione, non esse restitutioni obnoxium; dummodò nullam prorsus contineat alterius injuriam, & præjudicium, nec in ullo prorsus modo contra justitiam. Sic videtur docere Innoc. *in cap. Quia plerique, de immunit. Eccles,* Panorm. *in cap. Cum sit, num.* 2. *de Juda.* contrà Anch. *in cap. Ad liberandam eod. tit. num. 3.* 5

Notandum sextò, Ecclesiam potuisse condere legem obligantem Excommunicatum restituere lucrum ex damnato commercio acquisitum, & hoc in pœnam criminis tàm execrandi, ut saltem multiplicitas, & gravitas pœnarum coerceat, quos à malè, & impiè operando Christianæ Religionis pietas revocare valet. 6

His adnotatis; ad difficultatem propositam, an lucrum ex Armorum delatione ad Infideles acquisitum, sit restitutioni obnoxium, videtur negativè respondendum; quamvis ferentes ad Infideles arma mortaliter peccent; nam hujusmodi arma tradendo Infidelibus, aut vendendo, aut commutando, seclusâ fraude, & supposito justo pretio, non violant justitiam commutativam, sed generalem, seu legalem Cæsaream, *l.* 1. *& 2. Cod. quæ res export. non deb. l. fin. Cod. de pœnis, & l. Cotem, ff. d. publi,* ubi prohibetur ad Infideles deferri arma, & alia ad usum bellicum conferentia; & Canonicam. *cap. Ita quorumdam, de Juda. cap. Ad liberandam, eod. tit. & Extrav. cap multa mentis, tit. eod.* ubi sub pœna excommunicationis prohibetur deferri arma, & alia ad Infideles. Obligatio verò restituendi non oritur ex violatione justitiæ legalis, seu generalis, sed particularis, & commutativæ, ut notant Canonistæ, & Theologi, inter quos Bonacina, *de restitut. disp. 1. q 1. punct. 1. n. 10. & de contractibus, disp. 3. q. 2. punct. 5. n. 6.* 7.

Veritas tamen est, lucrum acquisitum ex armorum delatione ad infideles, tempore sive belli, sive pacis, restitutioni esse obnoxium, & ita videntur sentire Glos. *in d. cap. Ad liberandam.* 8

Alteri [illegible] *Can. 7.* [illegible], 7 verb[illegible] Syt. [illegible] *lib.* [illegible], & Duard. *Bull. Can. lib. 2. in Can. 7. q.* [illegible] hanc opinione[m] expressè docet.

9 Moveor primò juribus, *in d. cap. Ad liberandam, extra, de Iuda.* ubi excommunicantur vendentes arma infidelibus; & additur pœna illis imponenda tempore absolutionis; nempe, ut tales excommunicati non absolvantur ab excommunicatione, nisi totum ex damnata negotiatione perceptum, & tantundem de suo in subsidium Terræ Sanctæ transmiserint; quæ pœnæ impositio manifestè declarat, lucrum ex armorum [illegible] ad Infideles acquisitum restitutioni esse [illegible].

10 Mo[illegible]ibus; nam lucrum, quod [illegible]tione ad Infideles acquiritur ex [illegible]to, est injustum; Armis [illegible] fiunt Infideles ipsi valid[illegible]ros; atque adeò, qui tradunt [illegible] ex quovis titulo tradant [illegible] inferre Fidelibus, seu Chr[illegible] obligationem contrahun[illegible]. Tùm etiam quia, qui In[illegible] tenetur non solùm d[illegible] sed etiam restituere quod ex o[illegible] percepit; Contrà autem præ[illegible]endo, & non fugando [illegible]llantes adjuvat, *arg. Tex in cap.* [illegible]*p. Militare, causa 23. q. 1* [illegible] *q. 5.* Quid est arma Infid[illegible] per venditionem, vel per comm[illegible] nisi injustè Bellantes contrà Christianos adjuvare? & ideò hujusmodi armorum delatio onus restitutionis importat.

11 Moveor tertiò exemplo, in simoniaco reali, qui vendens beneficium ecclesiasticum, aut aliam rem spiritualem, tenetur ad restitutionem eorum, quæ accepit. *Cap Si quis dator, causa 1, quæst. 3.* ubi dicitur „Nam qui sub Religionis „obtentu DEO famulari voluerit, quid accipit, „& meritò perdit, & beneficio accepto frustra„tur. Rationis ergò vigore cogitur quod inju„stè receperit restituere, & quidquid turpis lu„cri gratiâ receperat non tenere. Quæ pœna statuitur, ut suâ gravitate valeat impios à voluntate peccandi arcere, quando amor DEI ab eis illam non retrahit, ex 1. *Extrav. Cum detestabile, de simonia*; quamvis in simoniâ illicitè acquisita non sint ex se restitutioni obnoxia, ut *in cap fin. de simonia*; & notat Duardus, *in Bullam Cœna, Can 7. q. 1. n. 5.*

12 Concludimus igitur, Deferentes arma ad Infideles teneri lucrum, quod acquirunt, restituere, præter excommunicationem in Bulla Cœnæ Pontifici reservatam, quam incurrunt, à quâ absolvi non possunt, nisi præstitâ satisfactione.

13 Ad rationem in contrarium patet responsio ex dictis.

14 Infero primò ex dictis, lucrum acquisitum ex armorum delatione ad Infideles, & quod restitutioni est obnoxium, esse transmittendum, si fieri potest in subsidium Terræ Sanctæ, aliàs distribuendum pauperibus, vel ad alia opera pia destinandum.

Infero secundò, acquirentes lucrum modo [illegible] non esse absolvendos, nisi priùs factâ satisfactione, & si absolvantur, non valere [illegible]onem. Pan. *in Clem. 1. sepul.* Sylvest. *in* 15
sum. v. Excommunicatio 7. §. Decimò dubitatur, num. 65. cùm fiat contrà prohibitionem, & formam mandati; *arg. de Rescript. Cum delicta.* Idem docet Arch *in cap. Quoniam, de Immunit. Eccles in 6.* Gem. ibi, qui tamen in hac materia cum distinctione procedendo dicit, non valere absolutionem, quando prohibitio fit non habenti potestatem absolvendi: Secùs verò, quando habenti potestatem à lege absolvendi fit prohibitio, licèt non servetur forma, esse validam absolutionem, etiam non factâ satisfactione, tradunt Jo. And. Petr. de Anchat. & alii, quos recenset, & sequitur S. Anton *3. p. tit. 25. cap. 30.* Syyr. *in Thesaur. lib. 3. c. 11. n. 10.*

Infero tertiò, absolutos valide in sententia S. Antonini, & aliorum, ab excommunicatione, non præcedente satisfactione, reducendos esse ad pristinam sententiam, cùm supponantur absoluti sub conditione, si satisfactionem debitam præstabunt, Et habetur ex eodem D. Anton. *3. p. sum. tit. 24. cap. 30. v. Notandum,* Sylvest. loc. cit. 16

Infero quartò, deferre arma ad Infideles, sive ea vendendo, sive commutando, sive dando, esse crimen sacrilegum contrà Catholicam Religionem, & contrà primum præceptum, quo præcipitur Religio erga DEUM, *l. veluti, ff. de just. & jur,* Navar. *in cap. Ita quorumdam, extrà, de Iuda.* Syyt. *in suo Thesaur. lib. 3. cap. 11. num. 15.* Et præcipuè, quando ex hujusmodi delatione Christiani nominis hostes fiunt potentiores in bello contrà Christianos. 17

Infero quintò, quamvis contrà deferentes arma ad Infideles, sive venditione, sive commutatione, sint multæ excommunicationes, in variis juribus contentæ, non tamen illas multiplicari secundùm numerum Constitutionum, quæ pro eodem opere excommunicationem infligiunt; cùm Summus Pontifex non multiplicet pro eodem opere excommunicationes, nisi ad majorem timorem hominibus injiciendum, ut dicunt Doctores agentes de censuris. Contrarium sentit Glos. *in cap. Quod olim, v. supponimus, de Judæis.* 18

Infero sextò, violantem plures excommunicationes, faciendo illud scelus, quod plures Pontifices prohibuerunt sub pœnâ excommunicationis, cui scilicet annexæ sunt plures excommunicationes, unâ tantùm absolutione indigere. Ita docet etiam Duardus loc. cit. *n. 20.* 19

Infero septimò obiter, transferentem arma, triticum, vinum, & alia extrà territorium ad Fideles contrà voluntatem, & edictum Principis, graviter peccare; cùm violet legem obligantem sub mortali, saltem quando Publicum bonum pariter pateretur; & exponat se periculo vitæ corporalis cum voluntate præsumpta vulnerandi, occidendi publicos justitiæ Ministros, si illos obvios habuerit. Reginal, Arragon, Victoria, Sotus, & alii plures, quos recenset, & sequitur Bonacin. *de precept. Eccles. disp. 1. q. 1. punct. 1. num. 6.* 20

21 Infero octavò pariter incidenter, [illegible] rem arma, triticum, vinum, & alia [illegible] ritorium contrà edictum Principis, [illegible] non esse, per se loquendo, obnoxium [illegible] non violet justitiam particularem, & commutativam, ut suppono; sed tantùm publicam & generalem, seu legalem: obligatio enim constituendi, ut notavimus, non oritur ex violatione justitiæ legalis, sed commutativæ. Ita etiam Bonac. *de contractib. disp. 3. quæst. 2. punct. 5. num. 6.*

22 Infero nonò, vendenti, aut deferenti arma ad Infideles, vel transferenti arma, triticum, vinum, oleum, & alia ad Fideles extrà territorium contrà edictum Principis, esse ab habente authoritatem absolvendi absolutionem denegandam; nisi proponat in futurum abstinere; saltem quando ei, vel aliis ex hujusmodi translatione immineat mortis periculum, vel Reipub. sequitur grave detrimentum. Bon. *de restit. disp. 1. quæst. 1. punct. 1, num. 7.*

XXVI. DIFFICULTAS.

An deferens sive scienter, sivè ignoranter Arma in Bullâ Cœnæ prohibita ad Christiani nominis Hostes; sed pœnitentiâ posteà ductus, ea illis posteà non tradens, incurrat excommun. Bullæ.

1 NOtandum primò, transmissionem armorum, & aliarum rerum, quibus Catholici impugnari possunt, esse prohibitam, nè Infideles fiant validiores contrà Catholicos, ut alibi demonstravimus, & notant communiter Canonistæ *in d. Can. 7.* qui convenit cum illa egregia Constitutione Imperatoris Martiani *in l. 2. Cod. quæ res expor. non poss.* vi cujus fuerant arma excepta, nè hostis validior redderetur.

2 Notandum secundò, licèt in dubiis tutior pars sit eligenda, quando dubium est facti; ut *in cap. Iuvenis de sponsal. & in cap. Cùm desideres; §. Secundæ quæstioni, de sent. excomm.* interiori tamen foro, quando dubium est juris, benigniorem partem esse eligendam, vel saltem posse eligi, ut optimè probat Suarez, *tract. de censur. disp. 40. sect. 5 num. 16. & sect. 6.* idemque dicendum esse ostendit etiam quando tractatur de dubiis facti.

3 Notandum tertiò, Regulam generalem, quòd in dubiis tutior pars sit eligenda, valere tam quoad forum externum, quàm quoad forum conscientiæ, in casibus tantùm à jure expressis: putà, *in cap. Ad audientiam, & in cap. Significasti 2. extrà de homicidio:* ubi habetur, induci irregularitatem, licèt factum sit dubium; ita ut teneatur qui dubitat, abstinere, donec dispensetur. Quod fusè explicat Suarez, *tract. de censur. disp. 40. sect. 6.*

4 His adnotatis; ad difficultatem propositam, an deferens scienter, aut ignoranter arma prohibita in Bullâ Cœnæ ad Hæreticos, Turcas, aliosque Christiani nominis hostes, sed pœnitent [illegible] commu[illegible] x, a[illegible] respondeatum aliis U[illegible] nus *in expli[illegible] Can. 7. Bullæ Cœnæ:* nam Bullæ plectendo ex[illegible]nicatio[illegible] arma deferentes ad Infideles, u[illegible]tur his verbis *deferunt, seu transmittunt*, & ideò ubi adest actus delationis, seu transmissionis, locum habet excommunicatio; quamvis Arma ad Hostes nondùm pervenerint. Præterea, si simplex delatio armorum ad hostes, absque actuali traditione, non induceret excommunicationem, neque ligaret hæc excommunicatio nautiones, & Magistros navium, qui arma prohibita ad hostes deferunt; cùm non ipsi sed Domini arm[illegible]m hostibus ea tradant.

5 Fateor, hanc se[illegible] pro-babilitatem; contraria[illegible]mmunis, libentiùs adhæreo [illegible]plicat. *bujus Can, in fin.* An[illegible]atio 5. *casu 21. num. 6.* T[illegible]atio 6. *§. Decimò*, Sylvest. [illegible]num 64. Navarr. *in cap. Ita qu*[illegible]num. 29. *vers. decimoquinto* [illegible] *lib. 3. cap. 11. num. 21.* F[illegible]p. 6. q. 7. *n. 143.* Duard. *in* [illegible] *q. 10. n. 6.* & alii.

6 Moveor primò [illegible] *l. 1. Cod. de peric. & comm. rei* [illegible]phyteutam, & vasallum [illegible]missionis emphyteusis, & [illegible] translatum non fuit dominiu[illegible]m alienatio non cens[illegible]omodo ergò pœnâ excommuni[illegible]t deferens arma prohibita in Bullâ ad hostes, sed illa minimè tradens; cum pœna locum non habeat juxtà leges civiles, nisi delicto consummato? Et *in cap. Perpetuò, de elect. in 6.* ubi dicitur; ferentem suffragium pro indigno, si non sortitur effectum, non incurrere pœnas; ex quo apparet, leges Ecclesiasticas delictum non punire antè consummationem: & *in l. At si quis, § Divus, ff. de religio. & sump. fune.* Ubi constat, pœnam non esse pro aliquo facto inducendam, nisi expressâ lege sit cautum; cùm verba legis propriè intelligenda sint, & strictè præsertim in materiâ odiosâ, quæ restringenda est, juxtà regulam juris, *Odia restringi. 15. de reg. juri in 6.* lex verò Bullæ non expressit excommunicationem inducendam etiam armis non traditis: & ideò illam ad non tradentes arma, quamvis deferant, nos non debemus extendere.

7 Moveor secundò rationibus: nam censura cùm sit pœna, ejus verba sunt strictè, & propriè intelligenda juxta d. regulam juris; adeoque, quando censura imponitur pro aliquo facto, non contrahitur, nisi factum illud perficiatur. Ergò actiones deferendi & transmittendi arma ad Infideles, si non sunt consummatæ, obnoxiæ excommunicationi non sunt. Deindè causa finalis prohibitionis est, nè Infideles armis delatis fiant validiores contrà Catholicos, illisque majus detrimentum inferant. Ergò, armis non traditis, cessat ratio prohibitionis. Ergò cessat in hoc casu hujus Canonis dispositio.

8 Moveor tertiò exemplo, in illis, qui saltem secundùm plures Canonistas, non incurrunt irre-

[illegible] ob simoniam etiam conventio- [illegible] perfectionem actus, si non per- [illegible] um, seu traditionem rei ex [illegible] Navarr. *in sum. cap. 23. num. 104.* [illegible] *tract. de censur. disp. 4. sect. 3. num. 5.* & [illegible] numeri, asserentes, pœnas Ecclesiasticas non infligi, nisi ubi delictum, pro quo imponun- [illegible] consummatum.

9 Concludimus igitur, non incurrere excommunicationem Bullæ Cœnæ eos, qui arma, & alia in eâdem Bullâ prohibita deferre, sive scienter, sive ignoranter incipiunt ad Christiani nominis Hostes, sed postea pœnitentiâ ducti, ad hostes non perveniunt; vel si pervenerint, ea illis non tradunt; cum pœnæ locum non habeant, nisi delictum sit perfectum, & consummatum, ut etiam tradunt Glos. *in cap. 1. in verb. contrahere de consang. & affin.* Bal. *in l. pen. §. pen. ff. nè quis eum, qui in jus vocatus est vi eximat.* Alex. *in cons. 194. col. ult. lib. 2. com. 147. col. ult. lib. 2. com. 147. col. ult.* Jas. *in l. 2. col. ult. ff. de jurisd. om. jud.* & alii, quos recenset, & sequitur Menochius, *cons. 1089 n 18.*

10 Ad rationes in contrarium respondemus: ad primam, verba, *deferunt*, & *transmittunt*, simpliciter prolata importare, seu includere rei delatæ actualem traditionem hostibus, ad quos res defertur, vel transmittitur, juxtà à nobis dicta.

11 Ad secundam, respondetur, muliones, navium magistros, seu Nautas, & dominos armorum cooperari simul ad idem crimen, & concurrere ad perfectionem actus; atque adeò omnes incidere in excommunicationem, si arma hostibus traduntur; & neminem illâ ligari, si non sequatur traditio.

12 Infero primò ex dictis, censuram non incurrere illum, qui electionem inchoat, non tamen perficit, contra legem sub censura prohibentem eligere; quia verba cum effectu intelligenda sunt, *arg. l. 1. § Hæc verba, ff. quod quisque jur. cap. Relatum, de Cler. non residen.* & tradit Suarez, loc. cit. Ugol. *de censur. p. 2. cap. 9. num. 2.* Contrarium tenent alii.

13 Infero secundò, impediri censuram impositam actioni, quæ ex parte delinquentis perfecta, & consummata est, si effectus impediatur, aut naturaliter, aut supernaturaliter; aut potâ, si excommunicatio esset lata contrà homicidam, & vulnus mortale alicui daretur; ita ut naturaliter desperetur vulnerati vita, si supernaturaliter mors impediatur: vulnerans non manet excommunicatus, donec vulneratus vi vulneris è vita decedat. Ita Suarez, loc. cit.

14 Infero tertiò, non esse obnoxium Canoni *Si quis, caus. 17. quæst. 4.* illum, qui volens percutere Clericum, vel Monachum, casu illum non attingit, quamvis ictum in illum dirigat; cùm in effectu, & reipsâ manus violentes illi non imponat, prout verba legis præseferunt. Circà hanc rem potest videri Covarruvias *in cap. Alma, p. 2.* §. 10. *n. 15.* Navarr. *de datis, & promiss. n. 13. vers. octavò noto.*

15 Infero quartò, non incurrere excommunicationes illos, qui ignoranter portant arma vendenda, vel donanda Hæreticis, Turcis, aliisque Infidelibus, & quàm citò sciunt hoc ab Ecclesiâ suis Fidelibus prohiberi, antequam quidquam vendant, ea reportant. Sic etiam docet Sylvest. *v. excommunicatio 7. n. 64. in fine.*

Infero quintò, Mercatores deferentes ad fines Æthiopiæ, vel alterius Regionis à Bellis Christianorum longè remotos, ferrum, non incurrere excommunicationem, si illud Infideli non vendant; aut si vendant, prudenter credunt, infidelem emptorem ferro illo non usurum ad arma fabricanda, sed ad clavos domus jam cœptæ perficiendi necessarios. Quod etiam tradit Sayr. *in suo Thesaur. lib. 3. cap. 11. num 23.* 16

Infero sextò, deferentem arma ad Infideles, sed illa eis non tradentem, si dubitet speculativè de excommunicatione, non teneri se habere excommunicationis vinculo innodatum in foro conscientiæ, præciso omni scandalo attentâ probabilitate nostræ opinionis in hac difficultate; nec moltò minùs posse in foro judiciali declarari excommunicatum, ut habetur ex Dec. *in cap. Præterea, il* secondo, *n. 13. v. & ista opinio, de appell.* Contrarium quoad forum conscientiæ tenent Auctores contrariæ sententiæ. 17

XXVII. DIFFICULTAS.

An feriatur excommunicatione Bullæ Cœnæ Deferens Arma ad Turcas, Hæreticos, aliosque Christianorum Hostes tempore pacis.

Notandum primò, quòd pax est discordiæ finis, quæ debet haberi in voluntate, bellum verò in necessitate; unde bellatur, ut pax habeatur. Ita per Tex. *in cap. Nisi bella, & cap. Noli existimare causa 23. q. 1.* & differt à treuga, quæ est securitas præstita personis, & rebus ad tempus, discordiâ nondùm finitâ, Glos. *in cap. de treu. & pac.* quæ securitas à lege appellatur fœdus, *l. non dubito, ff. de capt.* aliquando induciæ, *l. postliminium, §. inducias, ff. eod tit.* 1

Notandum secundò, quòd pax Principum publicam respicit utilitatem, Menoch. *cons. 103. num. 44.* & facta pro se, & suis subditis comprehendit, & subditos futuros. Ita rectè docuit, Castr. *in l. qui adificium*, in fin. *ff. de serv. urba. præd. post.* Jo: Andr. *in annotat. ad specul. tit. de treuga, & pace.* 2

Notandum tertiò, quòd major observantia requiritur in pace, quæ in cautione præstitâ de non offendendo, ut notat Octavian. Ulpejus, *in tract. de pac. & promission. de non offend. q. 102.* qui in cod. tract. *q. 44.* dicit, quòd pax jam facta non potest dici rupta, supervenienti novâ causâ, ut etiam scribit Nicolaus Meroous, *in tract. de fide, tren. & pac. p. 2. q. 9.* 3

Notandum quartò, ex vi Can. septimi Bullæ Cœnæ apertè colligi, quod prohibentur ea, quæ pertinent ad arma, tam defensiva, quàm offensiva: nam generale verbum *Arma*, utraque comprehendit, necnon & quidquid ad bellicas actiones confert, seu ordinatur, ut notat Rebuffus apud Suarez, *in tract. de Censur disp. 22. sect. 2. n. 53.* 4

5 Notandum quintò, pacem inter Infideles, & Christianos posse dupliciter considerari, universaliter nempe, & particulariter; universaliter, quando pax est, aut fit cum omnibus Christianis; particulariter verò, quando pax est, aut fit cum aliqua gente tantummodò, ait putà inter Venetos, & Turcas.

6 Notandum sextò, Armorum delationem, quibus Hostes Christianorum, & Catholicorum impugnare, & infestare possunt, non solùm prohiberi in Bullâ Cœnæ à primâ ejus Institutione, ut patet ex Gloss. *in Clem. 1. v. generales, de judiciis*, & Bullâ Martini Quinti apud S. Anton. *p. 3. tit. 23. cap. 2.* & aliis omnibus Bullis Pontificum modernorum, sed etiam triplici jure, Civili, Canonico, Divino saltem naturali, ut docet Navarr. *in cap. Ita quorumdam, Notab. 1. n. 8. de Iuda.* & alibi nos docuimus.

7 His adnotatis; ad difficultatem propositam, an feriatur excommunicatione Bullæ Cœnæ deferens arma ad Turcas, Hæreticos, cæterosque Christiani nominis hostes tempore pacis; negativè respondet Glos. *in cap. Significavit, de Iudæis*, ut dicit Abbas, *in cap. Quòd olim, eod. tit. num. 1.* in fine: & ratio videtur esse; quia tota ratio, quæ prohibetur tam à Bullâ, quàm ab aliis juribus armorum delatio ad Saracenos, aliosque Infideles, est, nè, impugnent Catholicos; quæ impugnatio tempore pacis, præcipuè universalis, seu cum omnibus Catholicis non supponitur.

8 Contrarium tamen verius esse existimo; nempe arma deferentes, etiam tempore pacis, ad Infideles censuram Bullæ Cœnæ incurrere, necnon & aliorum jurium. *Pan. in cap. Quod olim, de Iuda.* Abbas, t. loc. cit. Godefredus. *in sua sum. tit. de Iudæis, num. 21.* Alterius, *lib. 5. disp. 8. cap. 3.* in fin Sylvest. in verb. *excommunicatio 7. num. 52. & 64.* ubi allegat Jo. Andr. & alios. Angel. *excomm. 5. cas. 21. num. 4* Filliuc. *tom. 1. tract. 16. cap. 6. q. 7. num. 148.* ubi allegat pro se Cajet. Leander, *tract. 3. de Bull. Cœn. disp. 7. q. 10.* & alii.

9 Moveor primò juribus, *in l. 1. §. Generaliter, ff. de lega. præstan. l. 2. §. Prætor, ff. de in jus voc. & l. 2. §. homines, de vi bon. rap. l. Prospexit 12. ff. Qui, & à quib. manumis.* ubi habetur, quòd lex, quæ generaliter loquitur, generaliter intelligitur; & ubi lex non distinguit, nec nos debemus distinguere, ut clarè ostendit Duard, *in Bull. Cœn lib. 2. Can. 4. num. 5.* Jura autem loquuntur generaliter, & indistrictè; & ideò debent intelligi etiam de tempore pacis; scilicet quòd voluerint extendere excommunicationem ad deferentes arma ad Infideles etiam tempore pacis. Et ratio videtur esse, quia cùm leges hujusmodi prohibitionis factæ sint propter utilitatem publicam; & cùm multùm intersit Reipublicæ Christianæ, ut obvietur, quantùm possibile sit, impugnationibus, violentiis, aliisque malis, quæ solet bellum Infidelium Christianis afferre, debent istè intelligi, & interpretari, ut notat Bar, *in l. quemadmodum, cod. de Agric. & Censi. lib. 11. in l. 2. §. exercitum, ff. de de his, qui not. infam.* & omnis lex, facta in utilitatem publicam, dicitur favorabilis, ut docet Paul. de Castr. *in cons. 23.*

Moveor secundò ratione [illegible] Turcæ, 10 Hæretici, aliique Infideles semper sunt Christiani nominis hostes, saltem habitualiter, & cum his semper est bellum, saltem habitu[illegible]. Deinde Infideles possunt fraudulenter facere pacem; & sic uti armis, ad ipsos delatis tempore pacis simulatæ, ad bellandum contrà Christianos. Præterquam quòd, quamvis Infideles [illegible] rè, & sincere pacem faciant cum animo illam servandi, undè nullatenus armis delatis sint contrà Christianos usuri; possunt tamen postea, superveniente novâ causâ, aut ab illis quæsitâ, aut à Christianis justè datâ, illis armis ut in Christianorum perniciem: quæ ratio videtur sufficere pro extensione prohibitionis etiam ad tempus pacis.

Moveor tertiò exemplo, seu potiùs praxi: 11 scimus enim, nec Principes Catholicos timoratæ conscientiæ delationem permittere armorum ad Turcas, aliosque infideles tempore pacis; nec alios arma eodem tempore ad illos deferre, nisi præhabitâ à Summo Pontifice facultate hujusmodi delationem exequendi,

Concludimus igitur, omni tempore con- 12 trahi excommunicationem, quando ad Turcas, Hæreticos, aliosque Christiani nominis Hostes, arma, cæteraque in Bullâ prohibita deferuntur; etiam non eâ intentione, ut impugnentur Christiani; sufficit enim præsumptio, quòd possint impugnari; cùm ignoretur, an hi, qui fidem non habent, fidem sint servaturi, ut pacem observent.

Ad fundamentum in contrarium negamus, 13 quòd Glossa tenuit sententiam negativam, cùm oppositum expressè dixerit *in d. cap. Significavit; in fine casus enarrati per hæc verba.* „ Nota quòd qui portant merces prohibitas Saracenis, sunt „ ipso jure excommunicati; & nullo tempore „ pacis, vel trengæ excusantur. „

Infero primò ex dictis, non effugere censuram 14 Bulla Cœnæ deferentes tempore pacis, ad Turcas, Hæreticos, aliosque Infideles, ferrum, stamnum, chalybem, aliaque metalla, ex quibus possunt arma bellica fabricari.

Infero secundò, Bullæ Cœnæ, aliorumque 15 jurium prohibitioni obnoxium esse eum, qui tempore pacis, sive universalis cum omnibus Christianis, sive particularis, seu cum aliqua Regione Christiana, defert ad Infideles quidquid ad bellicas actiones confert, seu ordinatur, sive proximè, sive remotè, ut sunt currus, naves, triremes, alia numerata in aliis juribus, & in clausulâ Bullæ Cœnæ omissa in specie.

Infero tertiò, esse excommunicatos ipso jure 16 omnes, qui tempore non solùm belli, sed etiam pacis, transferunt ad Infideles ea, quæ ad usum bellicum necessaria sunt, quamvis neque in Bullâ Cœnæ, neque in aliis juribus speciatim numerentur; cùm militet eadem ratio. Hoc etiam docet Suarez, in *tract. de censur. disp. 22. sect. 2. n. 53.* Quidquid dicant alii.

Infero quartò, feriri censurâ Bullæ Cœnæ 17 illum, qui arma empta ab Infidelibus tempore belli, aut pacis, defere deindè ad Infideles, Turcas, Hæreticos, non solùm tempore belli, sed etiam tempore pacis; quia arma capta ab Infidelibus emptione, aut donatione, abierunt extrà

domi-

dominium eorum, & transferunt in dominium Christianorum, qui ea emèrunt, aut alio titulo receperunt: Et ideò qui ea defert ad Infideles, ac si empta, vel donata non fuissent, defert: Et sic eamdem censuram incurrit; quâ ligantur absolutè arma deferentes ad infideles, qui possunt semper uti contrà Christianos armis emptis: undè per eorum emptionem efficiuntur potentiores ad impugnandum Christianos, quod est contrà rationem prohibitionis in Bullâ Cœnæ, & aliis juribus contentæ.

18 Infero qointò, incurrere præfatam excommunicationem illos, qui deferunt arma tempore, sive belli, sive pacis, Infidelibus contrà alios Infideles pugnantibus; cùm apud Infideles remaneant hujusmodi arma, quibus postea, bello finito cum Infidelibus, possint incipere bellare, & impugnare ipsos Christianos, & ita docet etiam Toletus *lib. 1. cap. 23. num. 11.* Luysins, *lib. 3. disp. 28. dub. 3. vers. Item dubitatur.* Undè non mihi placet distinctio, quam ponit circa hanc rem Leander loc. cit. *quæst. 12.* „dicens, non incurrere casu, quo arma deferant Infidelibus, v. g. Saracenis pugnantibus „contrà alios Saracenos, bellum gerentes con„tra Christianos: secùs verò, si deferant Sarace„nis, impugnantibna alios Saracenos, qui non „impugnant actu Christianos. Non inquam, mihi placet hæc distinctio: Nam sive Saraceni impugnent actu Christianos, sive non, semper remanent arma à Christianis delata apud Infideles, qui semper possunt bellare contrà Christianos; quamvis bellum gerant cum Infidelibus; & & si contingat hos vincere, fiunt contrà illos ratione victoriæ audaciores, validiores, & sic victores.

19 Infero sextò, ad Principes Catholicos spectare suis subditis rigorosè prohibere armorum delationem, etiam tempore pacis, ad Turcas, ad Hæreticos, aliosque Christiani nominis Hostes; non solùm, ut ab eorum Provinciis arceant excommunicationem, quæ secum tot mala fert; sed etiam nè, Infidelibus bellum inopinatum contrà Christianos movere tentantibus, deficiant in Republica Christiana arma ad illam defendendam, & ad hostilem impetum reprimendum, & ad alia, quæ necessitas postulaverit, peragendum.

20 Infero septimò, meritò dici proditorem, qui arma defert ad hostes Patriæ, vel ad eos mittit. Bal. *in l. 2. Cod quæ res export.* vide Glos *in cap. Ita quorumdam, de Iuda. & in l. Mercatores, Cod. de commer. in l. cotem, ff. de public.*

21 Infero octavò, pœnas deferentium arma, & alias res prohibitas ad Saracenos, præter excommunicationem Bullæ Cœnæ, esse nonnullas alias, quas congerit Card. Albanus, *in Lucubrat. in Bart. in lib. 1. ff. ad leg. jul. de vi publ, num. 8.* ubi dicit, hujusmodi delinquentes, præter d. censuram, esse privandos omnibus bonis; deindè effici etiam servos capientium, & de jure civili capite puniri cum publicatione bonorum, & ad hoc probandum adducit d. Tex. *in l. 2. Cod. quæ res export. non deb. & in cap. Ita quorumdam, de juda.*

XXVIII. DIFFICULTAS.

An qui mandant deferri, seu transmitti Arma ad Christiani nominis Hostes, dicantur deferentes, seu transmittentes; ita ut incurrant excommunicationem Bulla Cœna Domini.

Notandum primò, mandatum, seu mandare dici à *manu danda*, & habetur in ultimo lexico juris, verb. *mandatum*, ubi refertur, quòd mos erat antiquitùs, ut in mandatis, dandis, & accipiendis manus sibi invicem darent: qui mos adhuc viget in mundo: videmus etiam in mutuis promissionibus, inter promittentes manus invicem dari: undè mandatum rectè componitur *à manu danda.* 1

Notandum secundò, mandatum, quod, secundùm alios, generaliter significat aliquid committere gerendum, ac exequendum certæ personæ, ut in *lib. 1. ff. mandati*, varias habere acceptiones, hoc est significare modò præceptum Superiorum, & præcipuè Pontificis, ut *in Clem. 1. de judiciis:* Modò Constitutionem Principis, seu legem, ut *tot. tit. Cod de mand. princip. & in lib. 3. ff. de offic præsid.* modò Decreta Judicum, ut *Cod. de præd. minor.* modò munus delegationis, quandò alicui mandatur jurisdictio, ut *toto tit. ff. de off. ejus:* modò rogationem hominis privati, committentis aliis negotium aliquod exequendum; & est contractus bonæ fidei, qui solo consensu perficitur, ut *tot. tit. ff. & Cod. mandati.* 2

Notandum tertiò, mandantem, seu mandatorem illum dici, qui aliquid agendum promittit; & mandatarium illum nuncupari, qui mandatum suscipit adimplendum. 3

Notandum quartò, favorem, auxilium, consilium præstantes Turcis, Hæreticis, aliisque Christiani nominis Hostibus ex vi Canonis septimi Bullæ Cœnæ excommunicari, ut constat ex illis verbis, *Ad id auxilium*, & tenent Alier, in hoc loco, *cap. 10. v. illis q.* Suarez, de *censuris, disp. 21. sect. 2. num. 59.* Filliuc, *tom. 1. qq. moral. tract. 16. q. 10. n. 153.* & alii. 4

Notandum quintò, illos dici mediatè opem ferre Christiani nominis Hostibus, qui alicui Christiano suadent, consulunt, favent, auxiliantur, eumque protegunt, defendunt hac intentione, sive explicitâ, sive tacitâ, ut ipse Christianus faveat, auxilietur, consulat in damnum Reipub. Christianæ; Duard, *in Bull Cœn. lib. 2. q. 16. Can. 7. sub. n. 9.* 5

His adnotatis: ad difficultatem propositam, an qui mandant deferri, seu transmitti arma ad Christiani nominis Hostes, dicantur deferentes, seu transmittentes; ita ut incurrant excommunicationem Bullæ Cœnæ; negativè respondent Tabienna, *v. excommunicatio 5. casu 40. num. 6. §. 5.* Cajet. *v. excommunicatio*, in princ. Navarr. *in Manual. cap. 21. num. 51. vers. 3.* Sayr. *in suo Thesaur. lib. 3. cap. 11. num. 25.* ubi alios recenset: quorum fundamentum est; quia in censuris, cùm sint pœnæ, verba sunt potiùs [illegible] restrin- 6

restringenda, quàm amplianda, *cap. Pœna, de pœnit. dist.* 1. & *cap. Odia*, & *cap. In pœnis, de reg. jur. in 6.* unde excommunicatio contrà agentes lata, non comprehendit mandantes; quamvis ipsi graviter peccent mandando.

7 Fateor, hanc opinionem magnam habere probabilitatem, & non esse censurandos eos, qui illam, sivè speculativè, sivè practicè, præciso peccato, tenent: Contrariæ tamen, quam veriorem arbitror, utpotè Reipublicæ Christianæ magis favorabilem, libentius adhæreo cum Pan. *in cap. Mulieres, num. 5. 6. 10. 11. & 15. de sent. excomm.* Sylvest. *verb. excommunicatio 7. num. 24.* Bonac. *de Cens. in Bulla Cœnæ, disp. 1. quæst. 8. punct. 2. num* 22. Ugol. *in explicatione Bull Cœn. Can. 7.* in princ. *num. 3. & 7.* Azor *lib. 8. inst. moral. p. 1. q. 13.* in princ. Rebuff. hic, *art. 5. v. deferunt.* Alter. & aliis, quos recenset, & sequitur Duardus, *in Bullam Cœn.* loc. cit. *n. 2.*

8 Moveor primò juribus, *in l. 1. §. dejecisse, de vi, & vi arm. in l. is damnum, de reg. jur.* & *in l. hac edictali, §. si verò plùs, Cod. de secund. nupt.* & *in l. via, Cod. de donat.* ubi habetur, paria esse aliquid facere, vel per se, vel per alium; & *in cap. Mulieres, de sent. excomm.* ubi habetur, eum verè committere, seu facere, cujus authoritate, vel mandato delictum committi probatur: Et quidem quando Mandatarius cogitur exequi mandatum, tunc mandans verè facere dicitur, ut per Bart. *in l. sed & si unius, §. servus, ff. de injur.* Dec. *in l. is damnum dat. num. 5. de reg. jur.* Ang. Aret. *in tract. maleficiorum*, in verb. & *Sempronius, num. 32.* Atque adeò, cùm Mandatarius, ob delationem armorum ad Infideles, incurrat excommunicationem Bullæ Cœnæ, dicendum est etiam incurrere Mandantem, præcipuè si in mandato aliqua interveniat coactio.

9 Moveor secundò rationibus; nam Bullæ Cœnæ excommunicationi obnoxii sunt Transmittentes arma ad Infideles, ut sonat verbum, *transmittunt*: verbum autem *transmittere* significat aliquid per alios mittere, ut me docent Grammatici. Addo, quòd illa duo verba, *deferunt, transmittunt*, non sunt synonyma; quia Ecclesia, quæ sequitur dictamen Sapientiæ Incarnatæ, non utitur in suis Constitutionibus verbis superfluis. Cùm igitur verbum *deferunt* significet eos, qui per se portant, verbum *transmittunt* debet significare eos, qui per alios id agunt; alias hoc verbum *deferunt* esset superfluum, contrà Text. *in cap. Si Papa, de privil. in 6.* & *l. quoties, ff. de reb. dub.* Tùm quia, in omni lege non minùs est consideranda mens Legislatoris, quàm sint ejus verba consideranda, ut alibi per jura demonstravimus. Intentio autem, seu mens Ecclesiæ in hac suâ lege est, nè Infideles per armorum delationem fiant validiores contrà Christianos; ex quo patet, intentionem Ecclesiæ esse censurâ punire mandantes: alioquin si diceremus, mandantes non esse censuratos, seu excommunicationis pœnâ punitos, sequeretur illud iniquum, & absurdum, quòd is sit impunitus, qui mali causa fuit contrà *l. Ita vulneratus, in fin ff. ad leg. Aquil.* Tùm etiam, quia Mandantes favent Infidelibus; & ideò saltem ut facientes incidunt in excommunicationem, quæ extenditur ad Faventes, ut est notatum.

10 Moveor tertiò exemplo, in pluribus, & præcipuè omnibus aliis, brevitati consulens, omissa; in mandante homicidium datâ, vel promissâ pecuniâ, qui quidem eadem pœnâ ordinaria punitur, si Mandatarius ad homicidium consummatum, & etiam ad actum homicidio proximum devenit. Ita communiter Doctores, quos recenset, & sequitur Menochius, *lib 2. de arbitr. jud. Cent. 4. casu 360. num. 43.* Cur igitur obnoxius non erit Mandans deferri arma Infidelibus, pœnæ excommunicationis, quâ plectitur Mandatarius?

11 Concludimus igitur, armorum delationem ad Infideles secùm ferre excommunicationem incurrendam, tam à mandantibus, quàm à mandatariis; atque adeò omnes, ex vi Canonis septimi Bullæ Cœnæ, esse ipso facto excommunicatos, si sequatur effectus. Secùs verò effectu non sequuto, cum verba, ut notat Abb. *in Clem. cap. Si qui suadente, de pœn. num. 6.* sint cum effectu intelligenda; nec esse verisimile, quòd ex solo mandato, & actu inchoato pœnâ tam gravi, ut est excommunicatio Pontifici reservata, mandans involvatur, & mandatarius; & ita sentit Sylv. in verb. *excommunicatio 7 q. 2. num. 24.* ubi plures recenset. Contrarium tenent alii apud Duardum, loc. cit. *q 16.*

12 Ad jura, & rationes in contrarium patet responsio ex dictis, & etiam hìc dicendis.

13 Infero primò ex dictis, peccare mortaliter, non solùm mandantem deferri arma ad Infideles, sed etiam eum, qui consentit, qui dat favorem, aut consilium. Sayr. loc. cit. *sub num. 25.* & etiam per Bart. *in l. sed si unus, ff. de injur.* quem refert Pan. *in cap. Mulieres, de sent. excommun. num. 11.*

14 Infero secundò, peccare mortaliter, & incurrere excommunicationem Bullæ Cœnæ, tanquàm opem Infidelibus deferentem, eum, qui defendit volentes adjuvare Infideles, aut Hæreticos factis eos scilicet protegendo, ut tutò, & absque periculo vitæ, aut bonorum, ad praxim deducant quod machinati sunt.

15 Infero tertiò, peccare mortaliter, & censuris esse obnoxium illum, qui alios inducit ad arma deferenda ad Infideles verbis; eos nempe excitando, laudando, aut commendando tale opus, dicendo esse licitum.

16 Infero quartò, à peccato mortali non esse immunem, neque ab excommunicatione illum, qui Christianos instruit de modo deferendi arma, aut alia prohibita ad Christiani nominis hostes; cum talis dicatur ferre opem ad Infideles.

17 Infero quintò, mandantem deferri arma ad Infideles, & mandatarium vinculo excommunicationis alligari, si ad ipsos Infideles arma perveniant; quamvis ipsi Infideles ex hujusmodi armorum delatione non moveantur ad bellandum contrà Christianos, nec ad aliquod damnum illis inferendum. Ita etiam docet Duardus, loc. cit. *num. 15.*

18 Infero sextò, peccare mortaliter, & censuram Bullæ Cœnæ incurrere non solùm consentientem, authorizantem, consulentem, sed

etiam

etiam negligentem, seu non impedientem, cùm possit, arma deferri ad Turcas, Hæreticos, aliosque Infideles Christianorum inimicos; quia agens, & consentiens pari pœnâ punitur: *ut in cap. 1. de off. delega. cap. Notum*, in fine, *causa 2. quæst. 1. cap. Facientis, 86. Dist. & cap. Quanta, de sent. excomm.* Ita aliqui cum Reginaldo, *lib. 9. cap. 18.* contrà alios, qui non impedientem dicunt non incurrere dictam censuram, nisi teneatur ex justitia impedire damnum Christianorum, ut tenet Bonac. loc. cit *n. 20.*

19 Infero septimò, mandatorem teneri ad damna & interesse, quæ ejus causâ passus est mandatarius. Ita per Tex. *in l. inter causas, §. sed cum servus, ff. mandat.* & notat Menoch. *cons. 244. num. 60.*

20 Infero octavò, excommunicato Domino, aut Principe, aut Rege, mandante deferri arma, aut alia prohibita ad Infideles, subditos, & vasallos à juramento fidelitatis liberati, donec absolvatur *cap. final. de pœnis: & cap. Nos sanctorum; & cap. Juratos, causa 15. q. 6.* & ita tenent Palud. Richard. Navar. & alii innumeri, quos recenset, & sequitur Sayr. *in suo Thesaur. lib. 2. cap. 10. n. 14.*

21 Infero nonò, mandantem, qui tentavit mandatarium, ut pecuniam acciperet, & delictum committeret; & mandatarius recusavit, puniri quidem, sed extrà ordinem Judicis arbitrio. Ita Menochius, *lib. 2. de arbitr. Jud. cas. 360. n. 44.* ubi addit, mandatarium, qui ad actum duntaxat remotum processit, esse quidem puniendum, sed mitiùs.

22 Infero decimò, in armis, aut aliis rebus specialiter prohibitis, non incidere in excommunicationem mandantem deferri in parva quantitate; neque mandatarium illam parvam quantitatem deferentem ad Infideles; nisi mandans, aut mandatarius probabiliter suspicaretur, arma, in parva quantitate delata posse plurimùm juvare Infideles; vel quia similia ibi fabricarentur; vel quia illa in tali circumstantia temporis forent perutilia ad impugnandos Christianos. Et hoc etiam docet Duardus, *in Bull. Cæn. lib. 2. q. 15. num 8.*

23 Infero undecimò, mandanti aliquod delictum committi; si pœnitentiâ ductus mandatum revocet, antequam sequatur delictum, non esse hoc adscribendum, si sequatur. Pœniteat igitur eum, qui mandaverit aliquod crimen committi, ut possit à DEO remissionem peccati obtinere.

XXIX. DIFFICULTAS.

An S. Officium procedere possit contrà deferentes arma ad Turcas, Hæreticos, aliosque Christiani nominis hostes, tanquàm Hæreticorum Fautores; præsertim si hoc facerent animo illos adjuvandi in bello ad impugnandum Christianos.

1 Notandum primò, antiquum satis esse S. Inquisitionis initium ut notat Ludovicus à Paramo, *de orig. S. Inquisit. lib. 2. cap. 1.* & Paulum Tertium Romanum Pontificem primum fuisse, qui anno 1542. Congregationem S. Officii supremorum Inquisitorum de Urbe instituit, & habetur ejus *Constit.* incip. *Licèt ab initio*, in ordine 34. edita anno 1542 die 2. Kal. Aug. in Bullario novo, *tom. 2. fol. mihi 756.* in quâ sex Eminentissimos ac Reverendissimos Cardinales deputavit supremos Inquisitores; cum facultate procedendi contrà quoscumque Hæreticos, de hæresi suspectos, fautores, & complices, cum facultate & eos, cujuscumque sint conditionis, præeminentiæ, etiam absque Ordinariis Locorum, puniendi, & eorum bona confiscandi, ut notat Carena, *in tract. de S. Off. tit. 2. §. unic.* Quæ Congregatio fuit in majori vigore à Paulo IV. Confundatore Religionis Clericorum Regularium firmata: & postea à Sixto V. cum omnibus suis privilegiis confirmata, ut patet in ejus Const. 74. in Bullario novo, *tom. 2.* incipiente. *Immensa Æterni DEI*, edita anno 1588.

Notandum secundò, Inquisitores esse delegatos ad universitatem causarum. Ita Abbas, *cap. ult. colum. pen. de re judi.* quem secutus est Alciatus, *in Rub. de Offic. Ordinarii, num. 19.* Menochius, *de arbitr. jud. lib. 1. quæst. 54. num. 41.* 2

Notandum tertiò, Inquisitores posse procedere contrà Fautores, Defensores, Receptatores hæreticorum. Ita Diana, *p. 4. tract. 7. Ref. 21.* ubi citat pro se Duardum *in Bull. Cæna, lib. 2. Can. 1. q. 33. n. 4.* 3

Notandum quartò, Inquisitores in reorum causis teneri sequi opinionem probabiliorem, quando ex jure sunt diversæ opiniones; & teneri sequi opinionem, quæ magis favet Reo, quando ex parte juris sunt opiniones æquè probabiles; cùm in dubio favorabiliores sint partes Rei. Ita Tho. Del Bene, *de Off. S. Inquis. par. 1 dubit. 194. num. 8.* 4

His adnotatis; ad difficultatem propositam; an S. Officium Inq. possit procedere contrà deferentes arma ad Turcas, Hæreticos, aliosque Christiani nominis hostes, tanquàm Hæreticorum fautores, aut suspectos de hæresi videtur negativè respondendum: nam Inquisitores in causis usurarum non possunt se intromittere, etiam contrà illos, quibus pro pœnitentia injunctum est in crimine, ut usuras restituant; nisi quis dixerit, usuram non esse peccatum, Tex. est *in cap. Accusatus, §. de quæstionibus, de hæret. in 6.* & Glos. ibi, *vers. Item non possunt Inquisitores cognoscere*: cùm igitur valeat argumentum à simili, secundùm sensum communem, & tàm delatio armorum, quàm usura fiat causâ lucri indebiti: videtur dicendum nullatenus posse Inquisitores procedere contrà deferentes arma ad Infideles, tanquàm Hæreticorum Fautores. 5

Veritas tamen est, Inquisitores posse cognoscere, & procedere contrà deportantes arma Infidelibus, præcipuè animo adjuvandi illos in bello ad impugnandum Christianos. Cantera, *in suis quæst. crimin. cap. 1. de hæret. num. 68.* in fine Bobadilla, *in sua politica, tom. 1. lib 2. cap. 17. num 69.* Castropalaus, *in summa, tom. 1. tract. 4. disp. 8. punct. 16, §. 10.* Diana, *p. 4. tract. 7.* 6

tract. 7. Ref. 19. Catena, *de S. Off. p. 2. tit. 17. §. 20.* Tho. Del. Bene, *tract. de S. Off p. 2. dubit. 216. n. 1.*

7 Moveor primò juribus, *in d. cap. Accusatus, de haeret. in 6.* ubi habetur, Inquisitores facultatem habere non solùm cognoscendi de haereticis, sed etiam de omnibus criminibus, quae suspicionem praebent haeresis, *in l. 2.* circa fin. *Cod. de haereticis: & in cap. Sicut, de simonia*, & aliis juribus, ex quibus deducitur, quòd in favorem fidei praesumptiones, & Indicia sufficiunt ad condemnandum, quando dictae praesumptiones, & indicia plenè probantur. Dum videmus arma deferri ad Turcas aut Haereticos, adversùs Christianam Rempublicam bello injusto saevientes, non nè sufficientes praesumere possumus favorem Haereticis, quà tales sunt, in odium fidei praestari? Ex hujusmodi igitur praesumptione, & indicio fieri potest una plena, integra, & perfecta probatio contrà arma deferentes ad Infideles.

8 Moveor secundò rationibus; nam hujusmodi armorum delatio ad Infideles verè tendit in damnum Christianae Reipublicae; vires enim Infidelium auget, Fidelium minuit. Auctis autem Infidelium viribus, pugnando vincunt: vincendo, eorum dilatatur imperium: Imperio Infidelium dilatato, Status Christianae Religionis restringitur. En Christianae Reipub. detrimentum ex prohibitâ armorum delatione. Ergò sic delinquentes, fautores haereticorum videntur esse. Ergò justè Foro, & Judicio Inquisitorum subduntur. Tùm etiam, quia certum est, cognitionem Confessariorum, ad turpia Poenitentes solicitantium, ad Inquisitores haereticae pravitatis spectare, ut habetur in Constit. XXXI. Pii IV. editâ sub die 16. mensis Aprilis 1561. & ex Decreto Sac. Congreg. de mandato Summi Pontificis, lato die 15. Decemb. 1613. & Constit. XXXIV. Gregorii XV. latâ die 30. Augusti. 1622. Confessarii autem solicitantes ideò sunt suspecti de haeresi, & spectant ad forum Inquisitorum, quia per actum solicitationis inferunt injuriam Sacramento Confessionis, à Christo institutio; ut Paulus V. & Gregorius XV. in suis Constitutionibus clarè exprimunt. Non nè fuit instituta à Christo Domino Christiana Respublica? Dum ergò arma ad Infideles deferri non possunt, quia injuria Christianae Reipublicae infertur, ut probatum est, dicendum est, deferentes, tanquàm suspectos de haeresi, ad Forum Inquisitorum spectare.

9 Moveor tertiò exemplo, in supremo Consilio Inquisitionis Hispaniae, quod hanc nostram opinionem approbavit, & in praxim deducit, ut refert Cantera *in suis quaest. criminal. in 4. parte*, concernente punitionem delictorum, *cap. 12 de haeret. num. 67. & 68.* nec non, & in quodam Religioso, qui ob hoc crimen fuit à supremo Hispaniarum Inquisitionum Consilio judicatus, & condemnatus in sexcentis scutis, & in annua in suo Monasterio reclusione, & suspensione interim à Divinis. Teste Castropal. in *oper. moral. tract. 4. disp. 8. punct. 16. §. 10.*

10 Concludimus igitur, Inquisitores haereticae pravitatis posse procedere contrà transmittentes, vel transferentes arma nostrae Religionis Hostibus; praecipuè si hoc facerent animo illos adjuvandi in bello ad impugnandum Christianos; & maximè, quandò transferentes essent personae aliundè de haeresi suspectae, vel de genere Hebraeorum, Haereticorum, Maurorum, Turcarum, aliarumque sectarum.

Ad rationem in contrarium respondent Lupus, Abbas, Butrius, Joann. de Imola, quos recenset, & sequitur Farinac. *tract. de haeresi, quaest. 186. §. 2. num. 43.* asserendo, posse de haeresi procedi contrà eum, qui licèt verbis asserat, esse peccatum usuram exercere, ipse tamen inhumaniter tractat eos, quibus pecunias mutuat, & de hoc sit diffamatus; plùs enim facto, quàm verbis declarat, usuram non esse peccatum. Et Idem docet Umbertus Locatus, *in judicial. Inquisitor. v. Haereticus, num. 22. & v. usura, num. 2.* Praeterquam quod, argumentum à simili, & ab aequiparatis tunc habet locum, quando ipsa similitudo, & aequiparatio est in puncto, & casu, de quo agitur: secùs verò, si adest differentia, & dissimilitudo, ut post Abb. Imol. & alios *in cap. 4. de solu.* tradit. Evet. *in Centur. legali, in loco à simili, num. 11.* Inter casum autem usurarum, & nostrum casum adest differentia, ut consideranti patebit. 11

Infero primò ex dictis, obnoxios esse Foro Inquisitorum omnes illos, qui deferunt ad Turcas, Haereticos, aliosque Christiani nominis hostes, ferrum, equos, victualia, machinas incendiarias, pulverem, stamnum, aliaque in Canone septimo Bullae Coenae prohibita. 12

Infero secundò, Judicio Inquisitorum subjacere Christianos subditos Turcarum, aut Haereticorum, fabricantes arma in Terris ipsorum Infidelium, & Infidelibus vendentes, vel dono tradentes; expressè, vel tacitè scientes, aut credentes eorum usum futurum esse ad bellum injustum contrà Rempublicam Christianam: Secùs verò, si hoc facerent coactè metu mortis; aut arma illis venderent, ut ad usus licitos utantur; quia iis in casibus non potest esse haeresis suspicio. 13

Infero tertiò, posse Inquisitores procedere contrà Christianos illos, qui Infidelibus in Terris Fidelium commorantibus, arma vendunt, nisi parvitas materiae eos excuset; facilè advertentes, eos ad regiones suas redeuntes, omnia secùm asportaturos esse. Hi enim etiam censuram Bullae Coenae incurrunt, ut tenet Ugolin. *in explicatione hujus Bullae, n. 9.* 14

Infero quartò, poenam deferentium arma ad Infideles lucrandi & negotiandi causâ, esse, si viles personae sunt, verberationem; sin minùs, esse exilium, aut pecuniam in eâ quantitate, quam arma valebant: & insuper omnia illa confiscantur; quòd si jam fuerint transmissa, poena pecuniaria duplicatur. Castropalaus, Diana, loc. cit. 15

Infero quintò, ex transportatione armorum ad Infideles, si transferentes sint de haeresi suspecti, vel de genere Hebraeorum, Maurorum, vel ex aliqua Provincia, & Civitate invecta, oriri suspi- 16

suspicionem fautoriæ, & sic hæresis per abjurationem tollendæ, si probetur, ut jura volunt.

17 Infero sextò, transferentes arma, aut alia prohibita in juribus ad Infideles; si appareat causam hujusmodi transmissionis fuisse odium Catholicæ Religionis, seu animum adjuvandi Infideles, & Hæreticos in bello ad impugnandum Christianos; posse ab Inquisitoribus, secundum circumstantias delicti, & qualitatem personarum, tanquam Fautores, & defensores Hæreticorum, judicari, & juxtà gradum suspicionis torqueri, ad abjurationem publicam, & alias pœnas damnari. Ita sentit etiam Diana loc. cit. Secùs verò, si constaret, causam transmissionis fuisse solum lucrum, & negotiationem; tunc enim putarem, omnem suspicionem fautoriæ, & hæresis cessare, ut etiam tenet Catena, *tract. de S. Off. part. 2. tit. 17. §. 20. sub num. 67.* nec abjurare debere, sicut olim hoc facientes abjurabant de levi; quod hodiè non est in usu, ut notant Catena, Diana, loc. cit.

18 Infero septimò, Deferentes arma ad Infideles animo illos adjuvandi contrà Christianos, tanquam fautores, defensores hæreticorum, si per annum in excommunicatione per hujusmodi delationem incursâ, & declaratâ insorduerint, effici infames; privari omnibus dignitatibus, & honoribus; privari testamenti factione, tùm activâ, tùm etiam passivâ; non valere eorum sententias, si sunt Judices; amittere patrocinandi facultatem, si sunt Advocati; reddi invalida instrumenta ab ipsis confecta, si sunt Notarii, seu Tabelliones, & hoc etiam de jure civili, ut patet ex Const. Frider. Imper. *Credentes, Cod. de hæret.*

19 Infero octavò, Deferentes arma Infidelibus, bellantibus contrà Christianos, esse denunciandos, tanquam suspectos de hæresi, Inquisitoribus; ad quos spectat cognoscere de causis Fidei, vel de habentibus connexionem cum Fide, Tho. Del Bene, *de S. Off. p. 2. dubit. 273. sect. 44. num. 11.*

20 Infero nonò, attentâ nostrâ primâ responsione ad opposita, posse Inquisitores mandare usurario pœnitenti, & ad fidem reverso, ut restituat usuras; & pœnitentiâ injunctâ minimè peractâ, posse contrà eum, tanquam deficientem in purgatione procedere; & favet Constitutio Alex. IV. incip. *Quod super*, vers. *Injungitur*, edita anno 1258. relata per Franc. Pegnam inter literas Apostolicas, *pag. mihi 30.* Et tradunt Zanch. *tract. de hæreticis cap. 23. num. 2* in fin. *& num. 3.* Calderin. *tract. de hæret. Rub. 2. de authoritate Inquisitorum, num. 9.* vers. *sed in consultationibus.* Franc. Squillacen. *tract. de fide Catholica, cap. 51.* & alii.

21 Infero decimò, posse Inquisitores procedere contrà sponte, & non coactè conversantes cum hæreticis, & cum illis familiaritatem habentes; conversatio enim cum hæreticis, & communicatio cum illis, necnon familiaritas prohibita est, ut docet Armilla, *in sum. verb. hæresis, n. 4.* vers. *Cum hæreticis nullus debet commercium habere.* S. Anton. *p. 2. tit. 12. §. 3. Rub. de conversatione fidelium*; in princ. Jacob. Simanca, *lib. de Catholic. Instit. tit. 11. Rubr de communi. hæreti. vitanda.* Tholos. *Syntag. jur. lib. 33. cap. 9. n. 3.* vers. *Prohibentur & colloquia, & consortia cum hæreticis:* Et successivè, qui habet familiaritatem cum hæreticis, & cum illis conversatur, censetur de hæresi suspectus, & dicitur eorum fautor, ut in Conc. Tarracon. registrato per Pegnam, *in Director. Inquisit. p. 2. pag. mihi 234. & seqq.* vers. *Item quæritur:* quod tenet, & declarat Mandos. *in Repet. Inquisit. lit. D.* verb. *Detegitur*, vers. *Item detegitur hæreticus*, ubi dicit, insurgere vehementem suspicionem contrà conversantem, cum hæreticis; & in vers. *Item si nunquam*, addit, hanc vehementem suspicionem sufficere ad indicendam purgationem. Imò Eymericus, *in Direct. Inquisit p. 2. q. 56. num. 7.* putat ex hujusmodi suspicione procedente contrà conversantem cum hæreticis oriri indicium ad torturam, ibi addens, Clericum infamatum de hæresi propter hæreticorum familiaritatem, & conversationem non solùm esse de hæresi vehementer suspectum, sed etiam propter scandalum posse Beneficio privari, quousque scandalum cesset, cui favet Tex. *in cap. Inter sollicitudines, extrà, de purgat. canonica.* Esse verò plùs, minusvè suspectos conversantes cum hæreticis, seu hujusmodi suspicionem esse vehementem, vel levem, secundùm qualitatem personarum, & loci, ac temporis circumstantias, tradit Umbertus Locatus, *in Praxi judic. Inquis.* vers. *Credentes, n. 2.* Siman. loc. cit. & quidem rectè, cum aliquandò nobis liceat cum hæreticis communicare, putà, cum agitur de salute spirituali, & conversione illorum, quod fieri debet, servatis debitis personarum, temporum, & locorum circumstantiis; vel quando adest necessitas, secluso tamen periculo eorum erroribus consentiendi, D. Th. *2. 2. q. 10. art. 9.* prout contingit in iis, qui in locis hæreticorum commorantur, & vivunt. Farin. *de hæret. q. 182. §. 10. n. 177.* ubi dicit, hos fideles in tali conversatione excusari, cùm eos expellere nequeant.

Infero undecimò, Inquisitorum jurisdictioni 22 esse obnoxios mittentes munera hæreticis, cùm & ipsi dicantur de hæresi suspecti; nisi hæreseos suspicio tollatur à circumstantiis personarum, loci, aut temporis: quod etiam tenet Umbertus Locatus, *in Praxi judicial. Inquisit.* vers. *suspicio, num. 30.* Eymericus, *in Direct. Inquisitor. p. 2. q. 56. num. 8.* & esse vehementer de hæresi suspectos, tradit Ugolinus, *in tract. de censuris Pontifici reservatis p. 2. in Glossa Fautores*, in princ. *num. 15.* ubi loquitur ad effectum incurrendi excommunicationem Bullæ Cœnæ; & alii afferentes, in hoc casu locum non habere pœnas, de quibus *in cap. Excommunicamus, §. Credentes, de hæresi, & in Authen. Credentes, cod. tit.* si mittentes sint Consanguinei hæreticorum, ad quos dona mittuntur, cùm ratione sanguinis, & affectionis, non fidei contemptu, aut hæreseos amore id facere videantur: Sic etiam sentit ducò Graff. *p. 1. decis. lib. 4. cap. 18. n. 35.* Siman. *Tit. 15. de creden. defen. fauto. & recepta. n. 21.* ubi loquitur de iis, qui hæreticum consanguineum, receptant, addentes, hos non excusari à totâ pœnâ; & successivè non esse penitus immunes à delicto, quibus favet Tex. *in l. 2. ff. de recep.*

Infero duodecimò, esse pariter obnoxios in- 23 quisitorum jurisdictioni tradentes extrà casum consanguinitatis, necessitatis, aut coactionis,

hæreticis arma, aliasque res prohibitas in parva quantitate; si constaret habuisse animum ulterius progrediendi; tunc enim traditio esset gravis: & ita sentire videtur Castropalaus, *p. 1. tract. 4. disp 9. punct. 3. num. 3.* dùm asserit, Confessarium solicitantem fœminam, vel virum ad actus solùm venialiter inhonestos, esse S. Officio sub gravi culpa denunciandum, si ex circumstantiis colligeretur animus Sacerdotis ulteriùs progrediendi; cùm hujusmodi solicitatio sit gravis censenda.

24 Infero decimotertiò, delatione armorum non probatâ, Reos esse absolvendos; cùm sit commune axioma: Actore non probante, reus absolvi debet; & est Tex. Clar. *in l. absentem, ff. de pæn.* ubi sic. ,, Sed nec de suspicionibus ,, debere aliquem damnari divus Trajanus Assidio Severo rescripsit. Satius enim esse impunitum relinqui facinus nocentis, quàm innocentem damnari. Ubi Petr. Anch. *Conclus. 283. num. 5.* Nam sanctius est nocentem absolvere, ,, quàm innocentem damnare: *& l. qui accusare, Cod. de eden.* & probat Abb. *in cap. Ex litteris, num. 10. de probat.* Card. Albanus, *in Lucubrat. in Bart. in l. 1. ff. nè quis eum, qui in jus voc. est, vi exim. num. 1.* ubi addit, talem ac tantum esse Rei favorem, ut sit absolvendus; etiamsi Actor esset persona valdè honesta, & legalis, & Reus malæ conditionis, & famæ. Favet etiam *cap. Cum sunt 11. de regul. jur. in 6.* ubi dicitur, ,, Cùm ,, sunt partium jura obscura, Reo favendum est ,, potius, quàm Actori; præsertim verò, si is, de quo orta est suspicio, emendationem ostendit; ut tradit, & clarè explicat etiam S. Aug. in Epistola responsiva ad Macedonium, *tom. 2. Epist. 54.* post initium, *col. 1.* in med.

25 Infero decimoquartò, teneri Inquisitores non solùm officium exercere omni carnali amore, odio vel timore, & cujuslibet commodi temporalis affectione semotis, ut habetur in Clem. *1. §. Propter quod, de hæret.* sed etiam summo studio, ac diligentiâ, omnia perpendere, antequàm ad condemnationem procedant; nè ut hæretici damnantur, qui tales non sunt; ut contigit Humiliatis, qui fuerunt damnati, tanquam hæretici, & tamen Clemens III. cognovit eos non fuisse hæreticos, ut refert Glos. *in cap. Olim*, il primo, *de resti. spo.* estò aliqui dubitent, & quidem non sinè fundamento, de hujus veritate, opinantes non fuisse damnatum verum Ordinem Humiliatorum, sed illos, qui se humiliatos, vel pauperes de Lugduno falso nomine appellabant. Circa hoc factum consule historias: Quod si adhuc dubium appareret, illud certissimum S. Aug. adducam, *lib. de hæresib. cap. 86.* non statim damnantis, sed potiùs defendentis, licèt levi, & vix admissibili excusatione, Tertullianum dicentem, DEUM esse corporeum; considerabat enim nullo graviori crimine posse Christianum infamari, quàm hæresis. Discant igitur Inquisitores ab Augustino summo Fidei Zelatore, nè leviter aliquandò de hæresi pronuncient; & semper in mente, & corde habeant verba Summi Pontificis Clementis V. *in d. sua Clem. de hæret.* dicentis; ,, Propter quod, ad DEI gloriam, & augmentum ejusdem Fidei, ut negocium inquisitionis hujusmodi eò prosperetur feliciùs, quò deindè ejusdem labis indago solemniùs, diligentiùs, & cautiùs peragetur; ipsum tam per Diœcesanos Episcopos, quàm per Inquisitores à Sede Apostolica deputatos, omni carnali amore, odio, vel timore, ac cujuslibet commodi temporalis affectione semotis, decernimus exerceri. ,,

❦):(o):(❦

FINIS LIBRI QUINTI.



THEOLOGIA BELLICA,

LIBER SEXTUS.

Difficultates pertinentes ad Loca.

I. DIFFICULTAS.

Quidam Princeps denegavit transitum per Terras suas alterius Principis exercitui, illum petentis: Dubitatur, num hujusmodi denegatio sit justa causa ei bellum inferendi.

1 Notandum primò, Principem, qui Superiorem non habet, non per accidens, sed per se, jus habere vindicandi injuriam sibi, aut suæ Reipublicæ ab alio Principe, aut Reipublicâ illatam. Diana Coordin. *tom. 7. tract. 7. de bello, res. 11. num. 4.*

2 Notandum secundò, ejusmodi transitum sæpè justè negari Copiis armatis; nisi præstent sufficientem cautionem, eum fore omninò innoxium. Coninch. in 2. 2. *disp. 31. dub. 2. n 52.*

3 Notandum tertiò, causam justam belli esse injuriam impediendam, reparandam, vel vindicandam; cum bellum sit actus justitiæ, quo Bellans intendit jus suum servare; & ideò ubi nullum jus læditur, nulla est occasio bellandi. Molina, *tom. 1. de justitia, tract. 2. disp* 104. *&* 105. Suarez, de *charit. disp. 13. sect. 4. n. 3. & sect. 5. n. 6.* & alii.

4 Notandum quartò, causam justi belli necessariò debere esse gravem; cùm gravia sint incommoda, quæ necessariò secum infert bellum. Coninch. *disp. 31. de bello, dub. 2. n. 53.*

5 His adnotatis: ad difficultatem propositam, an si Princeps denegaret transitum per Terras suas exercitui illum petenti, ejusmodi denegatio esset justa causa ei bellum inferendi, negativè videtur respondendum; quia talis Princeps potest habere justas causas factam petitionem non admittendi. Præterea, nullo jure videtur Princeps obstrictus transitum petitum aut solum tentatum concedere.

6 Fateor hanc sententiam, sicuti & oppositam suos habere Sectatores, & suam probabilitatem: nos verò mediâ viâ procedentes asserimus, postulandum priùs esse transitum: qui si negetur, & absque negantis detrimento exigitur, posse justè bellum adversùs Principem negantem moveri. Turrecrem. *in cap. Notandum, causa 23. q. 2.* Petrus Lorca, *in 2. 2. D. Tho q 4. art. 1. sect. 3. disp. 52. num. 7.* Vict. *relect. 5. de Indis, p. 3. num. 6.* Diana Coordin. *tract. 7. de bello, res. 13. n. 3.*

7 Moveor primò juribus, *in d. cap. Notandum, causa 23. q. 2.* ubi habetur, transitum postulatum, & denegatum sufficientem esse causam bellandi in eo, qui habet potestatem bellandi; vel licentiam ab illo, qui talem habet potestatem; & *in l. ut vim, ff. de justitia, & jure:* ubi apparet, quòd juri naturæ convenit propulsare injuriam. Injuria sanè est id denegare, quod jure gentium debetur.

8 Moveor secundò rationibus; nam denegatio transitus est injuriosa illum justè petenti juxtà illud præceptum. *Non facies alteri, quod tibi fieri non vis.* Tùm etiam, quia jure gentium transitus videtur deberi, si sit innoxius: undè transitus injustè negatur iis, qui, absque aliquo nocumento concedentis, illum expetunt. Cùm igitur causa justi belli sit ad propulsandam, & vindicandam injuriam, ut habetur ex D. Th. 2. 2. q. 40. & tradit Francis. à Victoriâ, *Relect. 5. de Indis, num. 6.* & transitum negans faciat injuriam petenti, Petens transitum potest ei licitè bellum indicere; & si necessitas postulaverit, pro jure suo obtinendo bellare.

9 Moveor tertiò exemplo, primò in Agesilao, qui ex Asia rediens, cùm à Rege Macedonum transitum postulasset, atque is consultaturum se respondisset. Consultet, inquit; nos interea „ transibimus: jus enim meum metu tuo non „ tollitur. Secundò, in Filiis Israel, qui, cùm transire deberent per alienos fines, miserunt Nuncios suos ad Regem Seon Amorrhæorum, ut ei transitum per Patriam suam concederet, asserentes, ituros se viâ regiâ, nec deflexuros ad possessiones privatas; & si quâ re ipsorum haberent

berent opus, justum pretium eia persoluturos. Quæ conditiones cùm repudiarentur, justo eo nomine bellum intulerunt Amorrhæis. *num.* 20. *& 21.* & refertur *in d. cap. Notandum, causa* 23. *q.* 2. ubi D. Aug. *q.* 44. inquit; Innoxius enim transitus denegabatur, qui jure humanæ societatis æquissimo patere debebat: Et ideò justa bella fecerunt Filii Israël contra Amorrhæos; cùm ingressum, sive transitum per suam patriam denegaverint.

10 Concludimus igitur, si negetur transitus exercitui, qui absque negantis detrimento postulatur, posse Principem, qui Superiorem non recognoscit, & successivè potestatem habet belli indicendi, adversus alium Principem, Rempublicam, Regem, & quemcunque petitionem non auscultantem, bellum movere.

11 Ad rationes in contrarium respondemus, negando suppositum. Præsumi enim non valet, adesse Principi justas causas transitum denegandi, quando penitus transitus est necessarius; & promittitur fore innoxium; quoniam de jure gentium hujusmodi transitus omnibus conceditur.

12 Infero primò ex dictis, ad bellum justè inferendum non sufficere qualemcunque injuriam, sed eam requiri, quæ vel absolutè, vel ob aliquam circumstantiam sit vel major, vel saltem non minor, quàm damna, quæ solent à bello provenire. Valentia, 2. 2. *disp.* 3. *q.* 16. *p.* 2. *vers. tertiò.*

13 Infero secundò, Principi, neganti negotiationem, & mercaturam in portubus, vel Civitatibus alienæ regionis, peregrinationem, hospitium, & alia, quæ jure gentium indigenis, & advenis communia sunt, posse indici justum bellum, si injustè negentur. Vict. Dian. loc. cit.

14 Infero tertiò, Hispanos, volentes peregrinari ad Indorum Barbarorum Provincias, illicque degere, absquè tamen eorum detrimento aliquo; si inveniant impedimentum, seu resistentiam; posse eis, prævia petitione, indicere justum bellum; quia Hispani habent jus Indos versus peregrinandi, ut probat Victoria, *Relect.* 5. *de Indis.*

15 Infero quartò, Principi, qui prohibet tali Nationi ea, quæ tam Civibus, quàm Hospitibus communia sunt, posse licitè à Principe talis nationis bellum indici; dummodò illa petantur, & possint obtineri absque ullo Principis negantis detrimento. Vict. loc. cit. *num.* 4.

16 Infero quintò, Principi, qui exigit transitum, & omnibus tentatis, non potest illum obtinere, nec securitatem consequi cum illum negante, nisi occupando illius Civitates, populosque subjiciendo, hoc totum licere: quia finis belli est pax, & securitas, ut dicit D. Aug. ad Bonifacium; justusque titulus bellandi est injuriam imminentem impedire, illatam resarcire, & illam vindicare; sic idem Aug. relatus *in cap. Dominus, causa* 23. *q.* 2. atque adeò si petenti, & non obtinenti transitum licet bellum inferre, ei etiam licebit omnia facere, quæ necessaria sunt ad finem belli.

17 Infero sextò; ad damnorum restitutionem, si quæ data sunt à transeuntibus, illum teneri, qui innoxium transitum promisit: Ita præstiterunt laudati Græci, qui cùm Clearcho Persis promiserint nullo se damno iter facturos, & si venales commeatus præberentur, neque esculanta se, neque poculenta cuiquam erepturos, apud Xenophontem.

Infero septimò, rem esse à Principibus maturè considerandam, antequàm negent transitum his, qui eo opus habent ad justas causas; ut bello aditus præcludatur; *Quidni*, inquit Cicero *de Off.* 1. Quando sinè detrimento suo potest, alteri ,, communicet in iis, quæ sunt accipienti utilia, ,, danti non molesta? ,, 18

Infero octavò, obtentâ transitus permissione per fines alienos, teneri Duces summo rigore suis copiis prohibere, nè locis, per quæ transeunt, ullum damnum inferant; atque transgressores impositâ pœnâ mulctare, ad exemplum non solùm Ducum Regis Christianissimi, & Regis Catholici, sed etiam eorum, quibus veritas Evangelica minime illuxit. Per Phthiotidem Achajam, Thessaliamque sinè damno, injuriâque agrorum, per quos iter fecit in regnum rediit, ita scribit Lucius de Perseo Rege. Spectaculum erant ,, Civitatibus clementer, ac sinè noxa, & pene si- ,, nè strepitu peragrantes Peloponnensium. Ita ,, narrat Plutarchus de Agidis Spartani exercitu. Dercylides copias duxit per fines pacatos, ita ne nullo detrimenti socii afficerentur, Xenophon, est Auctor. 19

Infero nonò, nemini licere per fundum vicini transire, eo invito; & favet quoque Text. *in l. per agrum*, & ibi communiter D.D. *Cod. de servit. & aqua.* & multò minùs rumpere sepem agri vicini; cùm idem sit judicium de sepe, ac de arbore: Florian. de Sancto Petro, *in l. servitutes*, §. *Traditio*, *sub num.* 6. *ff. de servit. rustic. præd.* Paschcli. *de distant. cap.* 4. *memb.* 1 *num.* 4. quos producit, & sequitur Episcopos Vetulanus, *ad Statuta Faventia*, *tom.* 2. *ad Rubr.* 6. *lib.* 5. *num.* 1. *&* 2. ubi casus adducit, in quibus transitus per fundum alienum est licitus. 20

Infero decimò, licere emptori fundi transire per agrum vicini venditoris, si aliâ viâ ad fundum emptum ire non potest; & hoc quidem absquè obligatione solvendi pretii servitutis, ut per Text. *in l. item sic*, § *Qui habet haustum*, *& in l. via*, §. *Quæcunque servitus*, *ff. de servit. rustic. præd.* secùs verò, si vicinus non sit venditor, ut tradunt Mantic. *de tacit. lib.* 4 *tit.* 9. *num.* 20. Pech. *de Aquaduct. cap.* 11. *quæst.* 12. *num.* 4. *lib.* 2. asserentes, venditorem fundi non teneri tradere emptori transitus servitutem, nisi in contractu venditionis sit expressum; vel nisi fundus vendita sit cum accessibus, & egressibus suis, ut explicat Mantic. *de tacit. lib.* 4. *tit.* 16. *num.* 24. 21

Infero undecimò, cuilibet esse permissum transire per fundum alienum, eumque redigere in viam publicam, propter publicam utilitatem, quando via publica perpetuò est destructa. Textus est expressus *in l. si locus*, *ff. quemadmodùm servit. amit.* & tradit post Bald. Scyaluja, *de foro compet. cap.* 26. *num.* 121. ubi affirmat, idem procedere, si sit lutosa, hac fretus ratione; quia publica utilitas magis debet attendi, quàm damnum 22

damnum privatum; & publica utilitas æquiparatur necessitati, quæ multa, aliàs illicita, licita facit; ut probat, & exemplificat Graff. *p.1. decis, lib. 2. cap. 94. num.1.*

23 Infero duodecimò, non habenti viam ad proprium fundum eundi teneri vicinum, qui non est venditor, illam concedere saltem de æquitate, justo tamen soluto pretio. Bover, *decis. 322. num. 11. cum seq.* Abb. *Cons. 403. num. 7. vol. 2.* & determinatu per Judicem loco opportuno, addit Possent. *Singular. Centur. 3. singul. 298. num. 1.* Secùs verò, si ex alio loco possit per viam, quamvis longiorem, ad suum fundum accedere, Antonell, de *loco legal. lib. 2. cap. 23. num. 13.*

24 Infero decimotertiò incidenter, transeuntem per vadum fluminis, & non per pontem, teneri ad solutionem gabellæ impositæ, & solvendæ pro transitu pontis; cùm transeuntes teneantur consuetudinem servare, & per viam rectam, non obliquam incedere. Sic etiam Bald. *in lib 3. num. 4. Cod. de privileg. Fisci.* Juan. de Platea, *1. Præsidibus, num. 2. Cod. de cursu publico, lib. 12.* quos producit, & sequitur Episc. Verulan. *ad Statuta Faventia, tom. 1. ad Rubr. 6. lib. 2. num. 14.*

25 Infero decimoquartò pariter incidenter, mercium vectorem per Civitates, Oppida, & alia Loca transeuntem, in pœnam fraudatæ gabellæ minimè incidere, si non solvat gabellam pro hujusmodi transitu ex defectu Gabellarii absentis; cùm non teneatur iter suum retardare, ut Gabellarium expectet. Guazzin. *de confiscat. ampliat. 82. num. 3. vers. quam sub ampliationem.* Cobell. *ab Bullam boni Regim. cap. 47. num. 45.* & alii asserentes, in hoc casu non sufficere protestationem, & oblationem pecuniæ pro solutione gabellæ, sed requiri depositum, ut tradit, Alex. relatus à Cobell. loc. cit. *d. 5. num. 45.*

26 Infero decimoquintò, transeuntem per loca cum rebus gabellæ subjectis, tunc solum incidere in pœnam fraudatæ gabellæ, quando transiens cum hujusmodi rebus egressus est de Loco, ubi gabella solvitur, eâ non solutâ; quia tunc solùm fraus præsumitur consummata, & non antea; estò ipse reliquerit post se domum Gabellarii.

II. DIFFICULTAS.

An una Civitas possit licitè movere bellum contrà aliam Civitatem, inscio Principe, cui subjicitur.

1 NOtandum primò, nomine Civitatis intelligi Ancianos, & Priores, & Decuriones ipsius Civitatis, ut vult Bartolus, *in l. Principalibus, num. 3. ff. si certum petat.* Decius, *in Cons. 404. num. 3.* aut Concilium generale Civitatis, quo tota Civitas repræsentatur, ut notat per Glos. *in rub C. qua sit longa.* Bar. *in l. Civitas*, in princ. *ff. si cer. pet* Auge. *in Cons. 63.* Dec. *in Cons. alleg. & Cons. 407. col 3. & cons. 328. num. 1.* Menoch. *Cons. 134. n. 14.*

Notandum secundò, bellum esse duplex, unum aggressivum, alterum defensivum, quod suscipitur ab aliquo ad se, vel suum honorem, vel res suas defendendum. Azor. *instit. moral. p. 3. lib. 2. cap. 7. vers. Tertiò notandum.* 2

Notandum tertiò, ut bellum sit justum, plura requiri, & præcipuè authoritatem Principis, superiorem in sua ditione, & imperio non recognoscentis. Covar. *in cap. Peccatum, p. 2. §. 9. num. 1. & 2. de reg. jur in 6.* Franc. Arias, *in tract. de bello, num. 18. & 24.* Et est communis opinio, ut nos *tom. 1. lic. 1.* demonstravimus. 3

Notandum quartò, ut bellum dicatur justum, requiri justam causam; & justam esse, quando quis pro suis, rerumque suarum defensione, bellum indicit, aut suscipit, *l. ut vim. ff. de just. & jur. & cap. 1. de homicid.* & tradunt Franc. Arias, loc. cit. *num. 24.* Soc. jun. *in cons. 77. num. 30. lib 2.* D. Tho. Petrin, Bell. & alii, quos recenset, & sequitur Menochius, *in Cons. 702. num. 86.* 4

Notandum quintò, cuilibet licere, etiam privato, & sine authoritate cujuscumque alterius, bellum defensivum suscipere, & gerere, non solùm pro defensione suæ personæ, sed etiam rerum, & bonorum; nam vim vi repellere licet, ut alibi dictum est, *& l. ut vim, de just. & jur.* & tradit Franc. à Vict. *Relect. 6. de jure belli, num. 2.* 5

His adnotatis; ad difficultatem propositam, an una Civitas possit licitè movere bellum contrà aliam Civitatem, inscio Principe, cui subjicitur, affirmativè videtur respondendum cum Bart. *in tract. de repræsal. num 6.* Intrigliol. *tract. de casib. conscien. cas. 110. num. 15.* & facit Tex. *in l. si alius, §. bellissimè, ff. quod vi. aut clam,* & Authen. *si verò Dominus temporalis, Cod. de haret.* ubi habetur, deficiente superioris copiâ, aut alio remedio; vel existente delicto Domini, negligentis facere justitiam, licere Civitati, & cuilibet particulari ob justam causam bellum indicere. 6

Veritas tamen est, Civitati, superiorem recognoscenti, absque ejus authoritate, non licere bellum offensivum, seu aggressivum contrà aliam Civitatem movere. D. Tho. & Cajet. 2. 2. *q. 40. art. 1.* Vict. *Relect. 6. d. jur. bell. num. 9.* Covar. *reg. peccatum, p. 2. §. 9. num 1.* Pan. *in cap. Sicut 3. de jurjur.* Bart. *in l. Hostes, ff. de Capt. & postlim. reverf.* Sot. Gabriel, & alii, quos recenset, & sequitur Molin. *tom. 1. de just. tract. 2. disp. 100.* 7

Moveor primò juribus, *in Cap. 1. causa 23. q. 2. & cap. Quid culpatur, ead. causa, quæst. 1.* ubi Isidur. & Aug. asserunt ab Ordine naturali, mortalium paci accommodato, postulari, ut indicendi belli authoritas, atque consilium apud Principem sit, *& l. 3. ff. ad leg. Jul. Majest.* ubi dicitur, injussu Principis non licere subdito bellum denunciare, atque gerere. Et meritò, cùm jus armorum sit apud solum Principem, ut in Authen *de armis, & in l. 1. Cod. ut armor. usus, lib. 11.* ubi Imperator dicit. „Nulli prorsùs nobis inscils, atque inconsultis, quorumlibet armorum movendorum copia tribuatur. 8

Mo-

9 Moveor secundò rationibus; nam Civitas, recognoscens superiorem, se habet ut persona privata. Persona verò privata habet quidem jus defendendi se, & sua, sed non habet jus vindicandi injuriam. Tùm etiam, quia jus belli indicendi, ut alibi à nobis probatum est, competit tantùm Principi supremo, seu non habenti superiorem; Civitas, utpote subjecta Principi, hoc jure omninò caret, cùm possit suum jus prosequi in judicio Superioris. Deindè, in bello duo tanquam necessaria requiruntur; convocare nempe multitudinem, & concedere usum armorum; quæ Civitas facere nequit; non primum; quia multitudo authoritate privatâ convocata censetur tumultus, & rebellio; vel saltem principium rebellionis: non secundum; quia, inconsulto Principe, armorum usus non conceditur: ut probat Tex. allegatus, *in l. 1. Cod. ut armorum usus*, & docet Turrecrem. *in d. cap. Quid culpatur, n. 2. causa 23. q. 2.*

10 Moveor tertiò exemplo, seu potiùs praxi: videmus enim ex Civitatibus subjectis, seu Superiorem habentibus, nullam audere bellum offensivum alteri Civitati indicere absque authoritate Principis, cui subjicitur.

11 Concludimus igitur, Civitates, sive Principes Supremo Imperio carentes, aut Reipublicæ perfectè non præsidentes, sed partes alterius Reipublicæ, nullatenùs posse bellum inferre, aut gerere, nisi obtinuissent antiquâ consuetudine, legitimè introductâ jus gerendi per se bellum, ut tenet Vict. loc. cit. *num. 9.* aut necessitas hanc licentiam, & authoritatem illis concederet: ut si in eodem Principatu una Civitas aliam oppugnaret, & Princeps negligeret facere justitiam, aut non posset, aut non auderet injurias illatas vindicare, Intriglio, loc. cit. *num. 16.* Vict. loc. pariter cit.

12 Ad rationem in contrarium respondemus, jura allegata, & Doctores loqui in dictis casibus; videlicèt ab una Civitate posse alteri Civitati bellum indici ratione juris, antiquâ consuetudine acquisiti, aut ob necessitatem, aut saltem ex præsumpta voluntate Principis, cui subjicitur, ut tenet Molina, *tom. 1. de just. tract. 2. disp. 101.*

13 Infero primò ex dictis, graviter peccare eos, qui extrà casus, in conclusione, & in responsione ad objecta expressos, bellum offensivum movent; cùm id efficiant absque legitima authoritate. Tenet etiam Molina, loc. proximè cit.

14 Infero secundò, Milites bellantes in bello, quod ab una Civitate indicitur alteri sinè Principis authoritate, dici Latrunculos: & ideò capta ab eis subjacere restitutioni, probat Tex. *in l. qui à latronibus, ff. de testa.* & docet Sylvest. *in sum. verb. bellum 1. q. 1.*

15 Infero tertiò, committentes homicidia in bello, absque legitima authoritate indicto, esse pœnis comicidarum obnoxios.

16 Infero quartò, in bello, absque authoritate legitimâ indicto, cùm sit injustum, non teneri Cives arma sumere ad mandatum indicentis, imò peccare, si sumunt, cum onere restitutionis damnorum.

17 Infero quintò, non licere Civitatibus, aut Principibus Superiorem habentibus, sine ejus facultate, sumere arma, & bellare pro sociis, & fœderatis. Secùs verò, concedente Principe Supremo; cùm jure sit permissum pro sociis, & fœderatis, à supremum habente imperium arma sumere, & bellum gerere, *l. non dubito, ff. de capti. & postlim. reversi.* & docet Bal. *in l. executorem, num. 38. Cod. de execut. rei. judi.* Angel. *in lib. 1. §. excusantur, ff. ad Sena. Consul. Syllania.* & alii.

Infero sextò, in casibus supra relatis posse unam Civitatem alteri se submittere, ut ab eâ defendatur. Tenent etiam Bald. Brun. quos recenset, & sequitur Menochius, *in Cons. 32. num. 3. & 4.* 18

Infero septimò, Civitatem, aut Principem Superiorem habentem, si ab hostibus oppugnetur, aut Princeps Supremus negligat, aut recuset, aut non possit ei auxilium præstare, posse non solùm se defendere, sed etiam bellum inferre, hostes invadere & malefactores etiam occidere, cùm aliàs se defendere nequeat. Docet etiam Victor. loc. cit. 19

Infero octavò, licere Dominis Feudorum auferre arma suis vassallis, & subditis; cùm in Urbe, & Oppido sui Principis non sit permissum subditis ferre arma absque authoritate Principis Supremi. Cravet. *in Cons. 314.* Menochius, *in Cons. 301. num. 26. & tract. de arbitr. jud. cas. 394. num. 25.* ubi addit aliam rationem ex Bart. *in lib. 1. ff. ad leg. jul. de vi pub.* nempe, quia armorum delatio malum animum gerentis arguit. 20

Infero nonò, posse quidem consuetudinem dare Civitatibus, Magnatibus, Principibus Superiorem habentibus, facultatem indicendi bellum offensivum alteri, ut diximus suprà in conclusione; dummodò tamen consuetudo sit introducta non per vim, aut rebellionem, aut alio modo rationi dissono, sed bonâ fide. Ita Cajetanus, quem refert, & sequitur Cespedes, *in dub. milit. dub. 4. vers. sed notat.* 21

III. DIFFICULTAS.

An Episcopus, habens jurisdictionem temporalem, possit pro defensione Castri, ad ejusmodi jurisdictionem attinentis, bellum, illud Invadentibus, indicere.

Notandum primò, Episcopum esse personam egregiam. Glos. *in l. ad personas egregias, ff. de injur.* idem Roma. & alii; undè Episcopus in Civitate dicitur Caput Civitatis. Aut. Butr. *in cap. Quoniam, n. 8. de Off. Ordin.* atque adeò Episcopus sedere debet cum Imperatore, ut tradit idem Aut. Butr. *in cap. Solitæ, num. 18. de majo. & obed.* & meritò: nam Episcopi, Romani Pontificis authoritate assumpti, in locum Apostolorum surrexerunt, & tenent vices eorum, *cap. In novo, 21. Dist. cap. Ecclesia 35. Dist. cap. Quorum vices, 68. Dist.* Proptereà id Trid. *Sess. 23. de Sacram. Ordin. Can. 8.* damnatur, qui dicit, Episcopos, qui authoritate Romani Pontificis assumuntur, non esse legitimos, & veros Episcopos, sed figmentum humanum. 1

Nota-

2 Notandum secundò, jurisdictionem Ecclesiasticam esse quidem distinctam à jurisdictione temporali, ut in Authen. *Quomodo opor. Episc.* circa princ. *& in cap. Novit, de jud.* & tradit Tiber. Decian. *in tract. crim. p. 1. lib. 4. cap. 11. n. 1.* sed aliquando posse esse simul; & tunc dicitur mixta, ut est in Summo Pontifice quoad omnes Terras Ecclesiæ dominio subjectas, & etiam in aliquibus Episcopis, qui Castella, Villas, & Civitates possident.

3 Notandum tertiò, pro rerum defensione, licitum esse etiam cum armis resistere, ut optimè probat ex pluribus juribus Sylv. *in summa*, in verb. *bellum* 2. n. 4.

4 His adnotatis, ad difficultatem propositam, an Episcopus, habens jurisdictionem temporalem, possit pro defensione Castri, ad ejusmodi jurisdictionem attinentis, bellum, illud invadentibus, indicere, negativè respondet cum pluribus Turrecrem. *in cap. Reprehensibile, num. 3. causa 23. q. 8.* si bellum ad sanguinis effusionem ordinatur; & fundamentum, cui innititur, est, quia Clericis interdictum est bellare, *causa 23. q. 8.* per totam. Præterea negotia Episcopatus, & negotia belli non possunt simul convenienter exerceri, utpotè repugnantia. Præterea, omnes Clericorum Ordines ad Altaris ministerium ordinantur, in quo Sacrificium incruentum celebratur: propterea Clericos dedecet effundere sanguinem. Deindè, Militibus interdicuntur negotiationes, ut ex juribus alibi à nobis demonstratum est; quia militaris muneris exercitatio nem impediunt. Ergò interdictum videtur bellare, seu bellum indicere Episcopis, tanquam muneris Episcopalis impeditivum.

5 Video, huic opinioni magnam inesse probabilitatem; cui propterea adhærere firmiter cogitabam; sed re diligentissimo studio examinatâ, contrarium placet; dummodò Episcopus, qui ad Castrum defendendum bellum indicit in sua persona non pugnet. Innoc. *in cap. Quod in dubiis, de pœn.* Sylv. *in summa*, verb. *bellum 3. n. 2.* Graff. *p. 2. decis. lib. 2. cap. 10. n. 36.*

6 Moveor primò juribus, *in cap. Igitur, causa 23. q. 8.* ubi patet, quòd licet Episcopis hortari Fideles ad bellandum contrà Infideles; *Et cap. Scire, ead. caus. & q.* ubi Prælati admonentur à Leone Papa IV. nè subditos suos pro sua potestate sinant opprimi. Et *arg. in l. Cui jurisdictio 2. ff. de jurisdict. omn. jud. & l. 3. cod.* ff. ubi habetur, quòd quando alicui jurisdictio data est, ea quoque concessa esse videntur, sine quibus jurisdictio esset inutilis.

7 Moveor secundò rationibus: nam cuilibet sive Laico, sive Clerico competit jure naturæ defendere se, & sua, ut optimè probat Jo: de Ligna, quem refert, & sequitur Sylv. *in sum.* v. *bellum 2. num. 5.* Et ideò Episcopus ad se, & sua defendendum potest licitè indicere bellum. Deindè, D. Gregorius, *in homilia 14.* sub parabola *lupi, & ovis*, reprehendit Prælatum, qui, videns ab injusto Raptore Fideles opprimi, fugit, & ei non resisti vult: ergò intendit quòd debeat injustæ violentiæ resistat: Bellum autem opportunum est medium pro validiori resistentia. Deindè, bella sunt licita, & justa, quia publicam rem ab hostium injuriis defendunt, eorumque in pa-ces oppressionem impediunt. Cuinam præcipuè inter cæteros competit hoc præstare? Principi sanè, & Prælato, ut vult D. Greg. loc. cit. Additur, fas esse Episcopis, & Clericis alios ad bellandum in causa aliena hortari, ut per Tex. *in cap. Hortatu, d. causa, & q.* A fortiori fas erit Episcopo in causa sua movere bellum, & alios ad bellandum movere.

8 Moveor tertiò exemplo, relato à Glos. *in cap. Episcopus, ut Cleric. vel Monach. lib. 6.* in Episcopo Pictaviensi, jurisdictionem temporalem habente, qui quamvis bellum non indixerit; mandavit tamen justitiam fieri de homicidio, in sua jurisdictione patrato; & cùm non mandaverit homicidam ultimo supplicio condemnari, licitè se gessit, nec irregularitate fuit notatus, ut testatur Glos. ibi.

9 Concludimus igitur, Episcopum, aut alium Prælatum, qui habet jurisdictionem temporalem, si videt Castrum, ad suam jurisdictionem spectans, invadi, & oppugnari, posse bello resistere, & posse clamare: capite, & pugnate, & defendite; quamvis non possit dicere: occidite, ut notat Innoc. *in cap. Olim, de restit. spoliat. num. 8.*

10 Ad rationes in contrarium respondemus; ad primam, quod jura allegata debent intelligi de Clericis jurisdictionem temporalem non habentibus, & extrà casum justæ defensionis.

11 Ad cæteras respondetur, bellum in tali occasione ab Episcopo indictum non repugnare officio Pastoris; quia ordinatur ad ipsius Ecclesiæ jura tuendum; undè hujusmodi bellum propriùs nuncuparetur defensio, quàm bellum.

12 Infero primò, licitum esse Pontifici, & Prælatis exercitum convocare, illum mittere ad bellum, ut generosè agat contrà Turcas, aliosque Infideles, injustè occupantes, aut tentantes occupare Terras ad Rempub. Christianam & Catholicam Ecclesiam spectantes.

13 Infero secundò, licere Episcopo, omnibusque Prælatis jurisdictionem temporalem habentibus, mandare suis Judicibus fieri justitiam contrà Malefactores; dummodò non mandent consultimo condemnari supplicio; aliàs incurrerent irregularitatem, si mors sequeretur.

14 Infero tertiò, licere Episcopo movere bellum contrà justè Excommunicatos, ei nolentes parere; aut contrà injuriantem, & opprimentem suos subditos, de quâ injuriâ, & oppressione nemo ex Judicibus audet loqui, aut amore, aut timore Præpotentis, ut not. Inn. *in cap. Dilectus, de app. & cap. Sicut de jurjur.*

15 Infero quartò, Episcopum habentem jurisdictionem temporalem, & quemlibet alium, qui habet eandem jurisdictionem, si egerit bellum justum, non ex edicto Principis, sed ad res suas defendendas; aut pro executione juris sui, posse statuere, quòd si quicumque invaserit aliquem, liceat invaso bona invasoris capere, & sua facere, & etiam invasorem detinere, quousque Domino eum assignet. Ita tradit Graff. loc. cit. *num. 12.* & not. *in cap. A nobis, de sent. excomm.*

16 Infero quintò, justè bellanti, sed non ex edicto Principis, sed ad seipsum, & res suas defendendum ab injusto invasore, licere vim vi repellere, & in repellendo, homines vulnerare, & occi-

occidere; dummodò servetur moderamen inculpatæ tutelæ, ut not. *in cap. Olim, de restit. spoliat. fin.* non tamen licere ejus bona capere,& capiendo sua facere, aut invasorem detinere.

17 Infero sextò, Episcopo, jurisdictionem temporalem habenti, licere bellum movere contrà suos subditos, nolentes ei obedire, ut per Tex. *in cap. Nos Sanctorum, causa 15. quæst. 6. & cap. Authoritatem, ead. causa, & q.* & hoc intelligitur de Prælato habente mixtum imperium, ut habetur *in l. 2. & 3. ff. de jurisd. omn. jud.*

18 Infero septimò, Episcopum, qui bellum gerit justum, & impotens reperitur absque suâ culpâ ad impensas belli faciendum, posse à suis subditis exigere charitativum subsidium. Sic tradit etiam Menochius, *de Arbitr. jud. cas. 187. num. 13.*

19 Infero octavò, Episcopum, qui habet jurisdictionem temporalem, posse portare arma, & ducere suam familiam armatam Bald. *in lib. 3. §. ult. ff. de Off. Præfect. vigil.* Abb. *in cap. Significasti, de Off. Deleg.* Amed. *in tract. de Syndicat. num. 91.* & alii, quos recenset, & sequitur Tiber. Decian. *in tract. criminal. lib. 8. cap. 3. n. 47.*

20 Infero nonò, illum, qui promisit Castrum defendere, teneri defendere, quando Castrum bello injusto oppugnatur, ut esset Castrum præfati Episcopi. Secùs verò, quando bellum contrà Castrum esset justum. Ita docuit Bart. *in l. quidem cum filium, num. 5. de verb. obligat.* Imola, ibi Alex. *in cons. 124, num. 3. lib. 3.* Dec. *in l. non defendere videtur,* in fin. *ff. de reg. jur.* quia obligatus aliquem, vel aliquid defendere, intelligitur pro justa defensione. Ita censuit Glos. *in l. 1. §. Divus, ff. de variis, & extraord. cogn.*

21 Infero decimò incidenter, Advocatum teneri defendere Clientem suum; dummodò causa Clientis sit justa; sic dicitur, quando Princeps recipit aliquem sub protectione, & defensione; intelligitur, inquam, sub defensione justa, ut tradit Abb. *in cap. Recepimus, num. 3. de privileg. in cons. 11. col. 13. num. 32. lib. 2.* Felin. *in cap. Causam, quæ, num. 23. de rescript.* Cagnol. *in Proœmio Digestorum,* in princ. *num. 47.* & alii, quos recenset,& sequitur Menochius, *in cons. 281. num. 29.*

22 Infero undecimò, non repugnare Dignitati Papali, aut Episcopali, neque statui Clericali possessiones terrenas habere; cùm debeant Pontifices, & Episcopi de earum redditibus non solùm Pauperibus subvenire, Ecclesias restaurare, aliaque agere, juxtà Sacrorum Canonum dispositionem, sed etiam bellum gerere, id, juxtà dicta, necessitate exigente; undè meritò fuit in Concilio Constantiensi, *Sess. 8. & 15.* damnata malitiosa doctrina Joannis Wicleff,& Joannis Hutz, asserentium, *ditare Clerum esse contrà regulam Christi,* qui est articulus 32. in ordine; *Papam cum omnibus Clericis suis possessionem habentibus, esse hæreticos; eò quòd possessiones habeant, & consentientes eis, omnes videlicet Dominos sæculares, & cæteros laicos:* qui est articulus 36. in ordine.

✠

IV. DIFFICULTAS.

An peccet, & teneatur damna reparare qui Castrum defendendum suscepit, si prætermissis necessariis diligentiis, illud, quod adhuc posset sustinere, facilè inimicis aggredientibus remittit.

Notandum primò, Milites, omnes Officiales teneri defendere Castra, & omnia loca, sibi demandata, aliàs obligari ad reparationem damnorum, quæ indè proveniunt, & capitali pœnâ mulctari, ut habetur *ex l. 3. ff. ad leg. jul.* cessante tamen omni spe prævalendi, ut limitat Diana Coordin. *tract. 7. de bello, Res. 31.* 1

Notandum secundò, Milites omnes, & singulos, præsertim illos, qui aliis præsunt, teneri majorem animi constantiam, & intrepidationem, atque fortitudinem ostendere, quàm cæteri homines, ut notat Menochius, *tract. de arbitr. jud. lib. 2. Cent. 3. cas. 284. num. 24.* 2

Notandum tertiò, Gerentes officia, præsumi esse diligentes, & observare ea, quæ ad suum spectant munus, ut tradit idem Menochius, *lib. 2. de præsumptionibus, præsump. 85. num. 1. & in cons. 622. n. 17.* 3

Notandum quartò, illum, qui Castrum suscipit custodiendum, esse debere prudentem, fidelem, diligentem; ita ut omnia consideret, præterita, præsentia, & futura. 4

Notandum quintò, negligentia Castrum Gubernantis, aut justitiam administrantis, ut puniatur, undè proveniat, priùs esse diligenter considerandum, nam si per dolum, aut Castrum, custodire, & defendere, aut justitiam administrare neglexerit, absque controversia, peccat graviter, & in solidum tenetur, ut per Tex *in l. si filius, ff. de jud.* Alex. *§. in eum, n. 5.* 5

His adnotatis: ad difficultatem propositam, quam à nemine, quod sciam, in terminis vidi pertractatam; an scilicet peccet, & teneatur damna reparare qui Castrũ suscipit custodiendum, si prætermissit necessariis diligentiis, illud, quod adhuc posset defendere, & sustinere, facilè inimicis aggredientibus remittit, negativè videtur respondendum; quia præsumitur pro his, qui officium aliquod administrant; adeò ut, si quid neglectum reperiatur, præsumptio est, id culpâ partis, non autem officialis contigisse. *l. 1. Cod. de susceptorib. Præpos. & Arcar. lib. 10.* & ideò Castri Gubernator, qui illud facilè inimicis aggredientibus remittit, non censetur peccare, & successivè nec teneri ad damna. 6

Veritas tamen est, & peccare, & teneri damna reparari castri Gubernatorem, si prætermissis necessariis diligentiis, illud hostibus aggredientibus facilè remittit. Ita videntur sentire Bart. *in l. quod Nerva, num. 17.* Salycet. *in. l. n. 5. Cod. Cod. deposit, vers. fallit. ratione officii.* Gram. *in voto 21. num. 25.* Rebuff *in l. cedere, §. lata. & in lata culpa, de verb. signif.* Crav. *in cons. 132. num. 13.* Card. Albanus, *in Lucubrat. in Bart. in l. Nulli, ff. quod cujusq. univers. nom. num. 5.* ubi dicit, negligentiam grave esse peccatum, & ad probandum, adducit *cap. Officii, causa 24. qu. 1.* 7

osten-

ostendens graviter culpabilem eum, qui negligens est in arte sua, & non facit id, quod alii solent facere.

8 Moveor primò juribus, *in l. ex duobus, in fin. ff. de neg. gest. lib. 1.* in princ. *ff. de alien. jud. mut. cau. fact. l. si quis in suo, §. legis in suo, §. legis, Cod. de inoff. test.* ubi habetur, Iniquissimum ex facto unius alterum prægravari. Quis autem non videt ex facili remissione Castri Principem, cujus est, prægravari? *& l. sive hereditaria, ff. de neg. gest.* ubi dicitur, quod culpa unius non debet alteri nocere: *& l. 3. ad l. jul.* quæ pœnam capitalem imponit non defendenti Castrum. & locum sibi demandatum.

9 Moveor secundò rationibus; nam Gubernatores Castrorum tenentur ratione sui muneris ea defendere, nè hostes eis potiantur: & defensionem omittunt, si facilè ea Inimicis remittunt. Tùm etiam, quia Gubernator Arcis, qui facilè, & per vim non coactus, eam armis instructam temitit Turcis obsidentibus, incurrit excommunicationem Bullæ Cœnæ, ut suprà probatum est. Excommunicatio supponit peccatum grave. Ergò facilis remissio Arcis hostibus, ex sui naturâ, est graviter peccaminosa. Tùm denique, quia qui rem suscepit custodiendam, tenetur eam custodire, tanquàm suam: atque adeò is dolo facere dicitur, qui in re alterius facit, quod in re propriâ non fecisset, ut probat Menochius, *in Conf. 1194. num. 9.* ubi citat Bart. *in l. quod Nerva, num. 13. ff. depositi.* Nemo autem rem suam facilè suis tradit Inimicis; eam enim defendit usque ad ultimos terminos defensionis.

10 Moveor tertiò exemplo, in tot Arcium Gubernatoribus, & præsertim in Domino Carolo Hieronymo, ex nobilissima, & antiquissima Carrettorum Familia, ex Marchionibus Savonæ, & Cevæ, Marchione Bachuaschi, & Salicetti, Comite Turris, & Niellæ, Domino Paroldi, & Murialdi, Condomino Sertavallis, & Sanctæ Juliæ, Barditnetti, Bosciæ, Magno Tormentorum Militarium Magistro, Armorum Regalis Celsitudinis Ducis Sabaudiæ Locum tenente Generali, Ordinis SS. Annunciationis Equite, Monmelianæ Arcis permunitæ in Sabaudia ad Isaram fluvium Gubernatore qui per 16. menses, & ultrà, valore Martis, Gallorum fortiter pugnantium obsidionem sustinuit, quibus tandem Arce, ex Militum defectu occisorum, aliisque necessitatibus, coactè remisâ anno 1694. Gubernator intrepidus, à quibusdam Victoribus interrogatus, quarè non priùs, ad tot incommoda evitanda, Arcem remisetit, re„spondet, Nè quid contrà DEUM, Princi„pem, & honorem meum committerem, fa„cilè eam remittendo: Motus forsitan exemplo strenuissimi Capitanei Staremberg, Gubernatoris Viennæ, quam acerrimè defendendo, eam à Turcarum obsidione, summâ totius Christiani Orbis alacritate, anno 1683. liberavit.

11 Concludimus igitur, Gubernatorem Arcis, aut Urbis, peccare, & teneri damna reparare, si hostibus illam, necessariis diligentiis prætermissis, tradiderit; casu quo eam commodè potuerit tueri; aut habuerit spem tuendi illam; aut spetaverit, eam constanter defendendo, hostium vires ita labefactare, ut obsidionem cogerentur desetere.

Ad jura in contrarium allegata respondemus valere, quando agitur de foro contentioso, & externo: undè & nos fatemur, præsumptionem favere iis, qui officium aliquod administraut: imò & subdimus, ut contrà aliquem agatur criminaliter, requiri, quòd is dolo manifesto deliquerit; cùm non sufficiat præsumptus, sicut Bart. *in l. Nerva, num. 13. ff. depositi.* Ægydius Bossius, *in tract. causarum criminalium, in titulo, Quomodò procedatur per actionem in delictis, num. 35.* & alii, quos recenset, & sequitur Menochius, in *conf. 1194. num. 3.* Nos verò sumus in foro conscientiæ, in quo procedit nostra difficultas; an scilicet peccet, & teneatur ad damna Gubernator Arcis, eam facilè Inimicis aggredientibus remittens. Quod verò spectat ad forum contentiosum, videant Jurisperiti. 12

Infero primò ex dictis, obligati Milites sub mortali in Arce, & pugnâ constanter consistere, & non facilè fugere, & locum sibi demandatum defendere. Diana Coordin. *tract. 7. de bello, Ref. 45. num. 7.* ubi limitat, quamdiù spes defendendi superest, ut alibi tetigimus. 13

Infero secundò, non licere Arcium Præfectis pauciores Milites in Arce ponere, quàm à Principe constitutum fuerit; nè, omissis aliis rationibus, ex defectu Militum facilis Arcis remissio procedat in damnum Principis. 14

Infero tertiò, teneri de damnis Gubernatorem Arcis, qui eam custodiendam assumpsit, si illius culpâ Arcem adoriantur hostes; ut putà, quòd non vigilaverit; aut non pugnaverit, aut Principem de necessitatis ad Arcem muniendam non certioraverit. Secùs verò si ex illius culpâ id non procedat, ut non tarò contingit; quia à Principe vel arma, vel Milites, vel alia necessaria non ministrentur. Ita Tullius Crispoldus, *in Casib. militar. cas. 25.* 15

Infero quartò, Officialem in suo Officio negligentem ab officio esse removendum, ut etiam habetur *ex l. Carceri, ff. de custod. reo. l. ult ff ubi pupil. educa. deb. l. si quos, Cod. de Offi. Præfect. Præto.* & tradit Roma. *Conf. 464.* Menochius. *Conf. 263. n. 14.* 16

Infero quintò, peccare, & teneri de damnis Gubernatorem navis, eam facilè remittendo Piratis, aut aliis illam oppugnantibus; nisi eum excusaret timor mortis cadens in virum constantem, ex majori resistentia proveniens. 17

Infero sextò, Magistratum etiam teneri de negligentia, Bal. *in cap. 1. §. judices, de pace jur. firm & in l. mancipia, n. 1. Cod. de serv. fug.* ubi dicit, quòd si Judex negligit furtum restitui, ipse de proprio tenetur. 18

Infero septimò, Judicem teneri qualibet negligentia, quæ parti nocumentum parit, Bal. *in cap. ult. de elect.* Barbosa, *in Conf. 76, col. 5. vers. Et clarum est, quod negligentia, lib 4.* 19

Infero octavò, Gerentes officium publicum, de dolo, & latâ culpâ teneri, etiam erga privatos læsos, *lib. 1. Cod. ut omnes jud. tam civil. quàm criminal.* ubi Bar. & alii, *& in §. illud, in Authen. Ut judices sinè quoquo suffragio.* 20


21 Infero nonò, Officiales suum munus rectè minimè exercendo cum detrimento justitiæ, non posse à Confessariis absolvi, si in eis non adsit firmum propositum damna illata reparandi.

22 Infero decimò, Officialium Confessarios cautos debere esse, & doctos, ut valeant discernere ea, quæ restitutioni obnoxia sunt, & quæ minimè sunt restituenda; nè id prætermittant, ad quod debent obligare; nevè obligent ad id, quod erat prætermittendum.

23 Infero undecimò incidenter, Milites, qui Arcem custodiunt, aut in Præsidio morantur, gaudere quoad consecutionem Jubilæi Anni Sancti privilegio à Summo Pontifice Carceratis concesso. Hi enim Milites, quamvis Carcerati non sint, habent nihilominus Carceratorum impedimentum, privationem nempe libertatis ad voluntarium iter aggrediendum; cùm ab Arce, aut Præsidio discedere nequeant; ut alibi diximus, Sic etiam sentit Jacob. Pignatellus, *Tract. de Anno Sancto, cap 15. Dub. 15.* ubi hoc privilegium extendit etiam ad Milites, quando licentiam deserendi signa militaria non habent; dummodò tamen tempore Jubilæi militiam voluntariè non suscipiant.

24 Infero duodecimò, Advocatum, qui sicut ratione officii sui tenetur defendere, ita si negligentiâ, aut si dolo amittit causam Clientuli sui, teneri ad damnum resarciendum. Felin. *in cap. Tua nos, de homic.* Card. Alban. *in Lucubrat. in Bart. in l. si mora, ff. sol. matri n. 2.*

25 Infero decimotertiò incidenter, negligentiam in omnibus esse grave peccatum, sed in Prælato gravissimum, ut tradit Hilarius, *in cap. Nulli fas, causa 25. quæst. 1.* Ideòque delictum hoc non minori pœnâ dignum esse, quàm si dolo perpetratum foret, habetur in Legibus Canonicis, ut cerni potest, *in cap. Dictum, 81. Dist.* ubi Glos. ibi addens, Prælatum æquè pro negligentiâ, ac pro dolo esse deponendum; adducens ad hoc probandum plures Canones idem statuentes: quodque Sancti Hieronymi testimonio comprobatur, qui, ad Heliodorum scribens, hæc dicit. „Infatuatum sal ad nihilum „prodest, nisi ut projiciatur foras, & conculcetur à porcis; quæ verba, subdit Card. Alb., „loc. cit. nihil aliud indicant, quàm Prælatum negligentem esse dignitate spoliandum. Idemque colligitur ex iis, quæ DEUS negligenti Speculatori comminatur, Ezech *cap. 33. num. 6. Quod si Speculator viderit gladium venientem, & non insonuerit buccinâ, & populus se non custodierit, veneritque gladius, & tulerit de eis animam: ille quidem in iniquitate sua captus est; sanguinem autem ejus de manu Speculatoris requiram.* Et facit Glos. *in cap. Non omnes, causa 2, quæst. 7* Circa hoc videndus est etiam Felin. *in cap. 1. col. 3. de Off. Deleg, & in Rubr. & in cap. 1. de treug. & pace.*





V. DIFFICULTAS.

Princeps recusat solvere pretium pro domibus dirutis ad defendendam Arcem ab hostibus. Dubitatur, num sit tutus in conscientiâ.

Notandum primò, stando in jure communi, fas esse unicuique ædificare in suo proprio loco, in suâve areâ propriâ pro suo placito, atque in altum se extollere usque ad Cœlum in lineam directam, illam non egrediendo; nisi obstet aliquod statutum particulare, aut consuetudo legitimè introducta; aut nisi alteri servitus in contrarium debeatur, ut optimè probat variis juribus, & plurium DD. auctoritatibus, Molina, de *just. & jur. p. post. tom. 3. de delictis tract. 2 disp. 709.* 1

Notandum secundò, non posse ædificari, aut altiùs ædificium extolli in loco, quandò aut consuetudo, aut statutum, aut aliud legitimum jus vult, vel ibi nihil ædificetur, vel non tollatur altiùs, quàm usque ad certam distantiam. Molina, loc. cit. *n. 2.* 2

Notandum tertiò, instar Sacrilegii esse de potestate Principis, qui dicitur lex animata in terris, *§. ult. in Authen. de Consulibus*, disputare, *lib. 2. Cod. de crimine Sacrilegii.* 3

Notandum quartò, Principum esse propriam æquitatem sequi, juris rigore omisso, Menoch. *cons. 606 n. 18.* 4

Notandum quintò, Principem teneri rependere damnum, quando pro bono pacis alicui particulari personæ specialiter jus suum tollit. Secus verò, si generaliter factum est per legem generalem; quia tunc recompensatio non requiritur. Alex. *in cons. 190. lib. 2.* Dec. *in cons 520. num 10.* Quidquid dicat Jas. *in l. Barbar. n. 39. ff. de off. Prætor.* 5

Notandum sextò, de Principe dici, omnia jura in scrinio pectoris habere; idest habere omnium jurium notitiam, *l. omnium, Cod. de testam, & in cap. 1 de Constit. in 6*, ubi Scribentes omnes. 6

His adnotatis; ad difficultatem propositam, an Princeps sit tutus in conscientiâ, si recusat solvere pretium pro domibus dirutis ob Arcem muniendam, & defendendam ab hostibus; negativè respondent Glos. *in l. Barbarius* in fin, *ff. de off. Prætor. Roman. cons. 310. vers. secundò probatur.* Dec. *cons. 520.* Ruin. Jas. & alii; quorum fundamentum est *l. item si, verb. rutum, ff. de rei vindic.* Princeps enim quamvis ratione publicæ utilitatis pro supereminens dominium possit auferre rem alienam, tenetur nihilominùs solvere pretium, & compensare damnum; atque adeò si pro muniendâ Arce, aut defendendâ ab hostibus, diruere jubet alienas domos, tenetur solvere pretium juxtà æstimationem ipsarum factam à Peritis. Præterea; praxis huic favet opinioni, solent enim Principes in hujusmodi casibus damna compensare. 7

Fateor, hanc opinionem suam habere probabilitatem. Contrariam tamen, quam puto veriorem, & probabiliorem, libenter amplector, & con- 8

& constanter sustineo cum Petro Pechino *in cap. Sine culpâ, num.* 11. & *in cap. Nemo potest*, *n.3.* & *in cap. Damnum, quod quis, num. 4. de reg. jur. in 6.* Pasqualig. *in qq. moral. Canon. cent. 1. quaest. 46.* Thom. Del Bene, de *immunit. Eccles. p. 1. cap. 5. dubit. 25.* & ita sentire videntur Soc. *in l. item, qua nobis, ff. de acquir. possess.* Ripa *in cap. Sapè num. 27. de restit. spoliat.* Rum. *cons. 47. lib. 4.* & alii, asserentes, quòd qui proprio facto rei possessionem amisit, non aliis, sed sibi imputare debet privationem remedii redintegrationis.

9 Moveor primò juribus, *in l. si cui loci, Cod. de aedif. privatis*, ubi aedificia propè Arcem prohibentur, & *in l. aedificia, Cod. de publicis operibus:* ubi hujusmodi aedificia omninò prohibentur, & dirui praecipiuntur. Undè si aedificia, ut Arx muniatur, & defendantur ab hostibus, diruantur, non est culpa Principis dirutionem praecipientis, sed aedificantium.

10 Moveor secundò rationibus, in jure fundantis; nam qui fabricat propè Arcem; voluntariè se exponit periculo dirutionis; & ideò si damnum aliquandò patiatur, sibi imputare debet, juxtà regulam *Damnum, de regulis juris, in 6.* Tùm quia damna sunt compensanda abeo, qui est in culpâ. Non culpatur profectò Princeps, dùm facit diruere domos, aut Arcem ab inimicis defendat; sed culpa tota fuit ibi domos fabricantium; undè illis damnum est imputandum, non Principi, cui favet, *l. quod quis ex culpâ, ff. de reg. jur.* ubi habetur, quod qui ex culpâ suâ damnum sentit, non intelligitur damnum sentire. Deindè, qui fabricat, vel emit aedificata in locis periculosis, tenetur praevidere casum, qui potest evenire; cùm jus non assistat pro compensatione damni ei, qui illud ex propriâ culpâ, negligentiâ, vel inconsideratione patitur; undè si non advertit, sibi imputare debet; atque adeò cùm ex propriâ culpâ damnum patiatur, nullam habet Princeps obligationem illud resarciendi. Tùm etiam, quia defensio Arcis, aut Civitatis respicit bonum publicum, cui nullum praejudicium debet à bono privato inferri.

11 Moveor tertiò exemplo, in Civitate Antuerpiensi, quae cùm plures fecerit diruere domos ob aliqua loca munienda ad defendendum à Gallis hostibus in eam irruentibus, gravibus consultis Theologis, & Jurisperitis, solvere pro domibus dirutis pretium recusavit. Refert Pasqualig. loc. cit.

12 Concludimus igitur, Principem minimè teneri solvere pretium pro domibus dirutis ad Arcem, aut Urbem muniendam, vel ab hostibus defendendam; extrà casum tamen Arcis de novo extructae in locis Civitatis, in quibus non potuit praevideri illius extructio, ut infrà explicabitur.

13 Ad opposita respondemus; ad primum, quòd Doctores, & jura, si quae sunt, quibus Princeps, quando aliquem privat rebus suis, obstringitur compensare, debent intelligi, nisi is, qui damnum patitur, seu cui res perit, fuerit in culpâ, ut egregiè explicant Doctores, *in l. item si, verb. ratum, ff. de rei vindic.* & Felin. *in cap. Ecclesiarum, de Constitut,* ubi, & alii plures doctissimi Canonistae,

Ad secundum, quòd quando Principes, aut Reges in hisce casibus compensant damna, non ex justitiâ id faciunt; cùm ex rigore justitiae non teneantur, ut constat ex dictis, sed ex quadam aequitate; vel quia sequuntur opinionem contrariam. 14

Infero primò ex dictis, Principem, si contingat Oppida muniri, non teneri solvere pretium pro illis aedificiis dirutis, quae sunt in extremitatibus Oppidorum, quae nondum sunt muris munita, & circumscripta, quia militat eadem ratio: Et ita etiam tradunt Pasqualig. Del Bene, loc. cit. 15

Infero secundò, injustè conqueri de domibus dirutis, aut de pretio pro eis non soluto, eos, qui in tali loco aedificaverunt, aut aedificata emerunt; cùm debuerint praevidere ab hujusmodi aedificiis potuisse Oppidi munitionem impediri. 16

Infero tertiò, teneri Principem damnum compensare pro domibus dirutis, si excitat de novo fortalitium in loco insolito, putà, in partibus interioribus Civitatis; cùm tunc esset ratio legis; non enim tunc potuit praevideri nova extructio Arcis in tali loco: Et nemo censetur in culpâ in iis, quae praevideri non possunt: Et cessante ratione legis, debet lex quoque cessare, ut per Tex. *in l. Adigere, §. Quamvis, ff. de jure patronatus, & cap. Cùm cessante, de appellationibus.* 17

Infero quartò, Principem non teneri compensare damnum, vel solvere pretium rei, quam pro communi bono pacis abstulit à Domino; & Hosti, cum quo pacem inivit, tradidit, si hoc generaliter fecit per legem generalem. Alex. *in cons. 94. col. 6. in 5. volum.* Secùs verò, si alicui personae particulari specialiter jus suum abstulit. Ita etiam tradunt Dec. Jas. Felin. quos allegat Cad. Albanus, *in Lucubrat in Bart. in l. item si verberatum, §. Si quis, ff. de rei vind. num. 4.* ubi ait, eos, qui hoc modo jura alterius nanciscuntur, tutos non esse in foro conscientiae: Et alii quos recenset, & sequitur Menochius, *in cons. 702. num 88.* 18

Infero quintò, Principem, cui permissum est auferre jus tertii, eique praejudicium inferre publicae utilitatis causâ, Bald. *in l. si ità, §. Dominus, ff. de usu, & habita,* teneri ex proprio resarcire damnum, quando damnificatus non est in culpâ in re ablatâ. Ita docuit Glos. *in l. Barbarius, in gloss. magna*, in fin. *ff. de offic. Praet.* Roma. *in cons. 310. col. 1.* Goz. *in cons. 15. n. 12.* Bald. *in l. venditor, §. si constat, ff. communia praedior.* ubi dixit, quòd si quis tenetur praestare commeatum societati militum pertransfeuoti, intelligitur; dummodò pretium ei solvatur. Et sententiam Bald. amplexus est Natt. *in cons. 554. lib. 3.* Secùs verò, si damnum passus fuerit in culpâ. 19

Infero sextò obiter, eum, qui init societatem cum socio parùm perito, aut diligenti, sibi debere imputare damnum, quod passus est ob talem societatem, *§. fin. instit. de societate.* 20

Infero septimò pariter obiter, providendum de prima praebenda vacatura ex rescripto, si negligat petere primam, quae vacat, ex vi talis rescri- 21

rescripti, non posse provideri de secunda. *Cap. Si Clericus, de praebendis in 6.*

22 Infero octavò, ad evitandum damnum ex novâ Arcis constructione, aut munitione, aut reparatione, actum esse prudentiae consulere Peritos, antequàm in Civitate domus aedificentur, aut aedificatae emanent; nè qualitas situs, seu loci possit, superveniente casu dirutionis, Principem à solutione pretii pro domibus dirutis excusare.

23 Infero nonò, rem summoperè esse laudabilem in Principe, si pro domibus dirutis ad Urbem, aut Arcem muniendam, aut ab hostibus defendendam, domuum dirutarum solvat valorem, quando à justitia minimè obstringitur; praecipuè quando aedificia diruta sunt aut pia, aut pauperum: Princeps enim subditorum Pater nuncupatur; & ad Patrem spectat commodis filiorum consulere; atque adeò Princeps habere debet commodum subditorum perindè ac si esset proprium ipsius Principis, *l. unic.* propè fin. *Cod. de cadu. toll. & l. si quis filium, Cod de inoff. testa,* ubi habetur, ut notat Card. Albanus, loc. cit. *num, 10,* quòd Princeps debet tractare subditos suos tanquàm filios & nepotes. Ita etiam Bal. in *cons. 460.*

24 Infero decimò, Principem teneri solvere pretium pro domibus dirutis subditorum, si fuerit circa hoc inter ipsum & subditos aliquod pactum; cùm pacta semper sint servanda à quocumque, praelertim à Principe, ut egregiè habetur *in cons. 12. col. 5. & 6.* inter consilia Albert. Brun. ubi dicitur, hoc ab ore DEI provenisse, & citat Scotum dicentem, etiam Daemones, quamvis alioqui sint mendaces, servare pactiones, quas cum hominibus habent.

25 Infero undecimò, teneri Principem solvere pretium pro domibus dirutis, aut aliis rebus; si absque pacto, tantummodò promisit hujusmodi solutionem: Principi enim potissimum illud *Psal. 88. num. 35.* convenit: *Quae procedunt à labiis meis non faciam irrita*: & illud Joann. *cap. 19. num. 22. Quod scripsi, scripsi*: Debet enim Princeps in hujusmodi rebus esse immobilis, sicut lapis angularis, & sicut Polus in Coelo, ut dicit Dec. *in cons. 286.* & fusiùs in *cons. 580. & in l. nemo potest mutare, ff. de regul. jur.* Quodque etiam egregiè tradit Card. Alban. *in Lucubrat. in Bart. in rubr. prima Const. digestorum, num. 47.*

26 Infero duodecimò, eum, qui negotia aliena gerens indebitum solvit, sibi imputare debere, & non aliis, & hoc pariter juxtà Tex. *in l. si quis negotia 24. ff. de negotiis gestis*, & facit Tex. clarissimus *in reg. damnum 86. de reg. jur. in 6.* En verba Textus „ Damnum, quod quis „ suâ culpâ sentit, sibi debet, non aliis imputate; & tradit novissimè Aurelius Augustinus, *tract. de div. reg. juris antiqui, in lib. 203. litt. a.*

VI. DIFFICULTAS.

Data fuit tempore Treugae fides inter Exercitum Christianum, & Turcas, de sola violentia non inferenda. Milites Christiani tunc furati sunt Arces, quas Turca injustè occupaverunt de Terris Christianorum. Dubitatur, num hoc licitum fuerit?

Notandum primò, treugam esse securitatem praestitam Personis, & rebus ad tempus, discordiâ nondum finitâ. Glos. *in cap. 1. de treg. & pac.* & hanc securitatem à lege aliquandò foedus nuncupari, *l. non dubito, ff. de capt.* aliquandò inducias dici, *l. postlim. §. inducias, eod. tit.* Et ita alibi à nobis fuit ostensum. 1

Notandum secundò, furtum esse contrectationem rei alienae mobilis fraudulentam, invito Domino, lucri faciendi gratiâ, ut habetur *in l. 1. ff. de furtis, & in §. 1. Instit. de obligat. quae ex delicto nascuntur.* Est communis Legistarum, Canonistarum, & plurium Theologorum sensus. 2

Notandum tertiò, furtum, quod secundùm Labeonem, *in l. 1. ff. de furtis*, dicitur à *furvo*, id est nigro, quia clàm fit, & obscurè, & plerumque de nocte, esse ex se peccatum mortale, nisi parva materia, aut alia justa causa excuset illam exceptionem, ut latè probat D. Tho. 2. *q. 66. art. 5.* uterque Navarr. & alii, quos recenset, & sequitur Sayr, *in suâ Clavi Regiâ, lib. 9. cap. 14.* 3

Notandum quartò, violentiam, seu vim posse definiri, quòd sit majoris rei impetus, cui resisti non potest, voluntatem cogens invitam; quod probatur *ex l. 2. ff. quod met. cau.* ut fusè explicat. Tiber. Decian. *in Tract. crimin. p. 2. lib. 8. cap. 1.* 4

Notandum quintò, multis modis violentiam committi, sive vim. Glos. *in l. Cod. quod met. cau.* & latè explicant Bossius, *Tit. de plurib. violen. num. 1.* Menochius, *Tract. de recuperand. possess. in prælud. num. 21. & 39.* ibi asserentes, duplicem esse violentiam, seu vim; compulsivam nempe, & expulsivam. Prima est, quando Possessor coactus consentit, & possessionem tradit sibi merum inferenti. Secunda verò, scilicet expulsiva, est, quando Possessor spoliatur, praecipuè armatâ manu, possessiune castri, aut domus, vel alterius rei immobilis. 5

Notandum sextò, in promissionibus, & pactis utplurimum intervenire juramentum, ut habetur *toto tit. ff. & Cod. de jurejurando*, & in jure Canonico, *eod. tit.* & ideò tunc juramentum promissorium nuncupatur; & est, cùm quis jurat de futuro se aliquid daturum, vel facturum, aut non daturum, vel non facturum, ut explicat Molf. *in sum. p. 1. Tract. 11. cap. 8. num. 24.* 6

Notandum septimò, Arcem esse locum, qui arcere hostilem Exercitum ad tempus possit, ita scribit Hugo Grotius, qui est damnatus, *de jure belli, lib. 2. cap. 16. num. 3.* 7

His

8 His adnotatis, ad difficultatem propositam, an data fide tempore treugæ inter Exercitum Christianum, & Turcas de sola violentia non inferenda, liceat tunc Militibus Christianis furari Arces, quas Turcæ injustè occupaverunt de Terris Christianorum, affirmativè respondent non pauci, & præsertim Alex. *in l. si de eo, §. si fortè, ff. de acquir. possess.* Felin. *in cap. 1. de judic. col. 6. in fin.* Graff. *in sum. Confess. lib. 2. tit. 6. q. 9. & 10. & p. 2. decis. lib. 2. cap. 21. num. 25.* Nam mala & incauta promissio non est servanda; ut per Tex. *in cap. In malis, causa 22. quæst. 4.* dum autem agitur de Castris, quæ à Turcis injustè occupantur, censetur malum & incautum illis fidem dare de violentia minime inferenda. Deinde, Bannitum nulliter à Judice restitutum, & cancellatum de banno, posse impunè à quolibet privato occidi, tenent communiter DD. ut notat Farin. *cons. 53. num. 35.* quæ summa est violentia. Ergò ob paritatem rationis dicendum est, non obstante fide datâ, posse licitè inferri Turcis violentiam in furtivâ occupatione Arcis, quam ipsi injustè possident: Fides enim dari non potest, ubi agitur de aliorum præjudicio, ut esset in hoc casu: nam Arces injustè occupando præjudicium inferunt Domino, ad quem justè pertinent: præterea Turcæ has Arces possidendo, his abutuntur contrà Christianos, cum quibus semper actu, vel habitu bellum gerunt; hisque Arcibus Reipub. Christianæ plurimùm nocent, quia impediunt Sanctorum Locorum recuperationem, Evangelii prædicationem, &c.

9 Hanc opinionem, quæ primâ facie aliquam videtur habere probabilitatem, esse omninò rejiciendam; & successivè contrariam, quæ verior est, sustinendam firmiter arbitramur. Ita videntur sentire Bart. *in l. si quis reus, num. 12 ff. de public. judic.* Surd. *cons. 298 num 22.* Menoch. *de arbitr jud. lib. 2. cas. 336.* Farin. *cons. 59. n. 16.* ubi alios producit: Molf. *in sum. p. 2. tract. 12. de contractibus, cap. 20. num. 19.* ubi pariter plures allegat.

10 Moveor primò juribus, *in l. 1. Cod. de his qui veniam æt. impet.* quæ vult, neminem sub fide publica decipi debere. *l. conventionum, ubi omnes, ff. de pactis, & cap. Innocens, causa 22. q. 4.* ubi dicitur, quòd publica fides data & hosti servanda est, *l. 1. ff. de pactis*, ubi habetur, grave esse crimen fidem fallere: Et ideò pacta omninò sunt servanda, *l. jurisgentium, §. Prætor ait, ff. eod.*

11 Moveor secundò rationibus. Scimus enim, fidem esse fundamentum justitiæ, & sub fide legem, & justitiam contineri, §. *Festinabis in authen. de mand. Princip.* atque adeò ubi fides non servatur, justitia & lex deficit. Tùm quia Militibus illicitum omninò est honori Principis præjudicium inferre. Honor verò Principis postulat fidem datam seu securitatem, à suis subditis illæsam servari; aliter, ut inquit Molf. loc. cit. tota machina Universi subverteretur, si quis sub fide publica deciperetur. Insuper hujusmodi furtum non differt à rapinâ, quæ fieri potest absque violentiâ, aut compulsivâ, aut saltem turbativâ, & inquietativâ, ut tradunt Doctores *in §. 1. Instit. de bonor. raptor*: quod naturæ treugæ repugnat. Addo, nemini licere rem suam, quæ penes alium injusto titulo reperitur, clam per furtum, rapinam, & alio modo violento, & injusto accipere; cùm viâ juris res illa sit recuperanda, nisi aliqua justa causa id faciendi intervenerit, ut tradunt communiter DD.

Moveor tertiò exemplo, in Josue, qui Gabaonitis fingentibus se de longa terra venire, credidit, & cum eis pacem firmavit, & securitatem. Post tertium verò diem, cùm Populus Israel ad Gabaon Civitatem venisset, & se circumscriptum esse indignaretur, non permisit Josue pacem revocari nec ullam violentiam eis fieri; quia pax firmata erat religione juramenti. Hæc Glos. *in d. cap. Innocens, causa 22. q. 4.* sub verbo *ostendit*. 12

Magis in terminis facit illa nota historia de Uladislao Rege Hungariæ, qui insignibus contrà Amurathem Turcarum Imperatorem potitus victoriis, cùm inducias quas solemniter pactus fuerat, & juramento firmaverat, violâsset, & bellum reintegrasset, aleâ prælii mutatâ, profligatis ab Amurathe hisce verbis: *Christe, si DEUS es, quem tui perhibent de te, vindica perfidiam tuorum, qui contrà pacta jurata me invadunt*, in medios Turcas impetum faciens, equo excutitur, & capite truncatus non servatæ fidei pœnam habuit. Ita refert Georg. Scheidius in *suis ad Tornovianam disputationem notis*. 13

Concludimus igitur, Militibus Christianis minime licere tempore treugæ, datâ fide, de solâ violentia non inferenda, Arces, quas Turcæ injustè occupaverunt, clam furari; quamvis ad Principem, cui in militiâ deserviunt, pertineant, & furtum sequatur sine tumultu, & armorum exercitio. 14

Ad opposita respondemus: ad primum, negando esse malam, & incautam datam fidem, seu promissionem, etiam juramento firmatam de violentia minimè inferenda; cùm id exigat publicum Bonum, & possit quilibet cedere juri suo semper, & ad tempus, id privatâ, aut publicâ utilitate postulante. 15

Ad secundum, negando pariter, posse Bannitum in tali casu impunè occidi: dicunt enim, & probant Bart. Albert. Menoch. & alii, quos producit, & sequitur Farin. *cons. 59. num 16.* Bannito esse servandam securitatem, concessam à Judice non habente facultatem assecurandi sub fide publica, at nomine regio, nè aliquis sub fide publica decipiatur. Et sic fuisse annis elapsis decisum, testatur Molf. loc. cit. *num. 19.* 16

Ad tertium, quòd licet Arx, à Turcis injustè occupata, possit Christianis pluribus modis nocere; continuatio tamen belli potest nocumentum longè majus Christianæ Reipub. inferre, ut consideranti patet; & duobus malis concurrentibus, minus debet eligi, ut per Text. *in cap. Duo mala, 13. dist.* 17

Infero primò ex dictis, delinquentem, pendente securitate, posse puniri, tam de ipso delicto, quàm de aliis; cùm recesserit à securitate, quæ intelligitur concessa, re in eodem statu permanente; quod etiam tradit Præses de Franch. *decis. 258.* 18

19 Infero secundò, non licere Christianis, tempore treugæ inter Christianos, & Turcas, furari Christianos, quos Turcæ tempore belli captivos fecerunt.

20 Infero tertiò, furantem homines tempore treugæ, non solùm peccare, sed etiam teneri illos restituere; estò dicat Graff. *p. 2. decis. lib. 2. cap. 21. num. 25.* non peccare eum, qui tempore treugæ rectâ intentione furatur hominem; addens eo casu teneri tantùm restituere, non hominem propter animæ periculum, sed æstimationem hominis, vel alteriùs rei sublatæ, & damni dati.

21 Infero quartò, fidem minimè servari ab eo, qui pacem cum Adversario firmavit, & deindè furtum in ejus domo fecit, vel adulterium cum ejus uxore commisit. Contrarium tamen tenet Bart *in l. verum, ff. de furt.* ibi asserens, id fecisse gratiâ lucrandi, vel causâ libidinis, non animo vindicandi.

22 Infero quintò, salvumconductum hosti à Duce belli concessum, esse illi servandum; nam Dux locum Principis obtinet; & salvi conductus ab eo concessi eandem vim habent, ac si ab ipso Principe concessi fuissent. Ita consuluit Paul. Cast. *in cons. 422.*

23 Infero sextò, nullam esse injuriam inferendam Judæo habenti salvumconductum; cùm etiam Judæus debeat esse tutus sub hac securitate. Sic etiam tradunt Angel. Bar Cors. & alii plurimi, quos producit, & sequitur Menoch. *tract. de arb. jud. cas. 336. n. 4.*

24 Infero septimò, non posse offendi socios, ac mulierem illius, qui obtinuit salvumconductum pro se unâ cum septem navibus, & totidem personis, ac rebus suis, sed ipse domi permansit; mittens solùm uxorem cum sociis; ac bonis; nam mulier unâ cum sociis, ac rebus debet esse tuta sub illa securitate, viro suo concessa. Bald. *cons. 409.* Petrinus Bellus, *tit. de salvisconductibus, n. 12. 13.*

25 Infero octavò, esse Judicis arbitrio pro qualitate offensæ puniendum eum, qui offendit, sed non occidit habentem salvumconductum. Ita quoque sentit Gigas, *in tract. de crim. las. majest. lib. 1. q. 33.* Bovet. *q. 179. num. 2.* cum aliis.

26 Infero nonò, nunquam esse fidem fallendam, licet magna invitet utilitas; nam cùm Græci nollent rescindere pacta, quæ cum Antigono, & Cratero pepigerant, & amplecti libertatem, quam offerebat Archidamus, veriti, nè graviores essent habituri Lacedæmonios, quàm Macedones, *Ovis*, inquit ille, *semper eandem edit vocem; cæterum homo multas, ac varias emittit voces, donec quod decrevit confecerit*; hoc dicto significans, fallendam esse fidem, quandò utilitas ita exigit. Quod apophthegma, tanquàm homine indignum, reprobatur à Plut. *in Lac.* & ut tale ab omnibus debet explodi.

VII. DIFFICULTAS.

An immunitas Ecclesiæ violetur, si Princeps, aut Dux in eam milites, aut satellites immittat, ut ab eâ milites confugæ ob metum indè discedant, & capiantur.

NOtandum primò, immunitatem Ecclesiæ esse privilegium Ecclesiæ, quo gaudet Ecclesia, ut circa Ecclesiam in ambitu non fiat pugna, vel insultus, vel rapina, aut alia violentia per 40. vel 30. passus, ut per Tex. *in cap. Sicut antiquitùs causa 17. q. 4.* & notat Turrecrem. *in cap. Cum devotissimam, causa 12. q. 2. num. 4.* 1

Notandum secundò, passum esse mensuram quinque pedum; pedem verò 16. digitorum; Ita Isidorus, quem refert, & sequitur Turrecrem. *in d. cap. Sicut antiquitùs, n. 2.* 2

Notandum tertiò, immunitatem Ecclesiæ esse secundùm aliquos de jure Divino, Exod. 21. *Num. 35.* ubi à DEO constituitur locus refugii; & Jos. *cap. 20.* & in aliis locis Sacræ Scripturæ, relatis à Decian. *in tract. crim. p. 2. lib. 6. cap. 25. num. 2.* & secundùm alios esse tantùm de jure positivo, seu canonico, & civili, ut infrà in illationibus patebit. 3

Notandum quartò, nemini ex Laicis licere, quamvis sit Princeps, Rex, Imperator, confugientem ad Ecclesiam indè extrahere, ut per Tex. *in cap. Miror, causa 17. q. 4.* qui tex. est S. Aug. in Epistola 187. ad Bonifacium, ut notat Gratianus *in Tex. alleg.* & est in appendice secundi tomi. 4

Notandum quintò, non licere Clericis, neque Episcopis confugientes ad Ecclesiam extrahere, ut corporaliter puniantur; etiam confugientes sint Clerici, & tradit Joan. And. *in cap. Inter alia, de immunit. Eccles.* 5

Notandum sextò, quòd Summus Pontifex potest jubere, ut confugiens ad Ecclesiam extrahatur, etiam in casibus non exceptuatis; & probat Tex. secundùm unum intellectum, *in cap. Uxor. Felicis, caus. 17. q. 4.* & tradit Joan. de Visch, *in tract. de immunit. Eccles. num. 14* quia Summus Pontifex est suprà jus, *cap. Proposuit, de concess. prabend.* 6

Notandum septimò, neminem invitum posse ab Ecclesia extrahi, & extractum de facto esse eidem Ecclesiæ restituendum; ut per Tex. *in l. Præsenti, Cod. de iis, qui ad Eccles. confug. cap. Inter alia, cap. pen. & fin. de immunit. Eccles. cap. Id constituimus, & de cap. Sicut antiquitùs, causa 17. quæst. 4. cap. de raptorib. caus. 36. quæst. 1.* 7

His adnotatis: ad difficultatem propositam, an immunitas Ecclesiæ violetur, si Princeps, aut Dux ad eam Milites immittat, ut ab eâ Milites confugæ ob metum indè discedant, & capiantur; negativè videtur respondendum: nam his Militibus confugis nulla vis infertur; neque prohibetur, quo minùs fruantur Ecclesiæ immunitate; neque ab Ecclesia extrahuntur. Quòd autem ex Militum, aut satellitum immissione sumant 8

occa-

occasionem ab Ecclesia egrediendi, eorum timori est adscribendum; onde culpatur timor, non verò Princeps, aut Dux.

9 Vetitas tamen est, violari Ecclesiæ immunitatem per hujusmodi Militum immissionem à Duce ordinatam, ut Milites confugæ ob metum inde discedant. Abb. *in Cap. Inter alia, num 13. de immunit. Eccles.* Guido Papa, *quæst. 121.* Joan. Igneus, *in l. 1. ff. ad Senatus Consult. Syllan.* Ant. Gomez, *tom. 3. var. res. cap. 1. tit. quando reus gaudeat, num. 1* Covar *resol. lib. 2. cap. 20 n. 17. vers. 31.* Bossius, *tit. de captura, num. 24.* Farin. *p. 1. pract crimin. q. 28. num. 9.* Pasqualigus. *in decis moral, decis. 485. num. 4.* & alii, dum asserunt, Reos confugientes ad Ecclesiam non posse obsideri.

10 Moveor primò juribus, *in Cap. Definivit, causa 17. q. 4.* ubi apparet, personis, aut rebus fugientium ad Ecclesiam, nollam esse injuriam inferendam intra 30. passus Ecclesiæ in circuitu; *& in l. Præsenti, Cod. de his, qui ad Ecclesiam confugiunt*, ubi habetur, ut notat ibi Glos. quòd confugientes ad Ecclesiam non solùm non debent extrahi inviti, sed neque debent malè tractari. Profectò dùm Dux immittit Milites, aut Satellites ad locum immunem propter confugientes ad ipsum, non eis favet, neque eos benè tractat.

11 Moveor secundò rationibus; nam hujusmodi Milites confugæ non possunt in Ecclesia carcerari absque immunitatis violatione, ut certum est apud omnes: Ergò neque possunt in Ecclesia obsideri; cùm obsidio sit quædam species carcerationis. Quid autem est Milites, aut satellites in Ecclesiam, vel ad Ecclesiam intra 30. aut 40. passus Ecclesiæ in ambitu immittere, nisi obsidere, & arctiùs obsidere? præsertim si obsidio ejusmodi talem pariat, seu incutiat timorem, ut Milites confugæ ab Ecclesia, in qua obsidentur, arripiant fugam. Tùm quia Dux, aut Princeps, dùm immittit Milites ad Ecclesiam, ut inde Milites confugæ aufugiant, valdè eis nocet, quod expressè prohibet Concilium Toletanum 12. *Cap. 20.* nocet, inquam, quia hoc modo eos cogit indirectè ad deserendum locum, in quo sunt tuti, & ad eum accedendum, ubi capiuntur.

12 Moveor tertiò exemplo, seu praxi. Scimus enim, Principes, & Duces timoratæ conscientiæ nullatenùs audere in similibus casibus, quo tempore belli frequentes sunt, Milites, aut satellites immittere ad locum immunem, ut Milites confugæ indè ob metum exeant, quia indirectè eos cogerent egredi; & sic successivè beneficio immunitatis eos privarent: atque adeò peccatum, & censuram incurrerent Bonifacii Principis, qui, cùm vim confugienti ad Ecclesiam intulerit, fuit à S. Aug. excommunicatus, nec absolutus, nisi priùs hominem restituisset Ecclesiæ, ut refertur *in d. Epist. D. Aug. & epistola seq & in Annal. Ecclesiast.* ab Odorico Rinaldo, *anno Christi 422. num. 11.* & idem probatur *in Cap. Frater, causa 17. q. 4.*

13 Concludimus igitur, nefas esse Principi, aut Duci Milites, aut satellites ad locum immunem immittere, ut ibi commorentur, & Milites confugæ ibi existentes ob metum indè exeant, & exeundo capiantur; & propter ejusmodi immissionem incurrere pœnas canonicas, latas contrà violatores immunitatis Ecclesiasticæ.

Ad rationes in contrarium patet sufficientissimè responsio ex dictis; nec non & ex dicendis patebit. 14

Infero primò ex dictis, quemlibet reum, confugientem ad Ecclesiam, in Ecclesia ipsa tutum esse, neque indè posse extrahi extrà casus exceptuatos; & extrahentes committere sacrilegium, ut per Text. *in d. Cap. Sicut antiquitùs, causa 17. qu. 4. & Cap. Si quis, Cap. Reum, de Cap. Frater, Cap. Miror, Cap. Quisquis, ead. cau. & q. Cap. Inter alia, & Cap. fin. de immunit. Eccles. & l. Præsenti, & toto tit. Cod. de his, qui ad Eccles. confug. & omnes in l. Pleriq ff. de in jus voc.* 15

Infero secundò, confugientem ad Ecclesiam interdictam gaudere immunitate intrà tempus interdicti, ex quo non desinat esse sacra. Ita etiam Tiber. Decian. *in tract. crimin. p. 2. lib. 6. cap 15. n. 20.* ubi limitat; dummodò non sit interdicta Ecclesia propter delictum, vel contumaciam illius, qui ad eam confugit. 16

Infero tertiò, Milites, aut alios captos, ab Ecclesiâ egressos ob metum incussum ex immissione Militum, vel satellitum, esse Ecclesiæ restituendos; aliàs capientes, & mandantes capi non posse absolvi. 17

Infero quartò, nullo interveniente dubio, an confugiens ad Ecclesiam gaudeat immunitate, non posse detineri in vinculis, & compedibus, nè aufugiat. Farin. *p. 1. pract. crimin. q. 28. num. 9.* Secùs verò, asserit Clar. *in pract. q. 30. vers. Quæro modo:* Ibi dicens, Reos de consuetudine ad Ecclesiam confugientes poni in compedibus, vel cum bona custodia, donec cognitum fuerit, an gaudere debeant privilegio immunitatis, nec nè. Sed circa hoc videnda est Bulla Gregorii XIV. 7. *Cum aliàs, vers. Quodque delinquentes.* 18

Infero quintò, non licere Judici extrahere confugientem ad Ecclesiam per hoc, quòd dicat, notorium esse, eum esse publicum latronem, vel piratam, si ille neget se talem esse; quia multa dicuntur esse notoria, quæ non sunt, ut dicit Tex. *in cap. Consuluit*, il primo, *de appellat.* & tradit Tiber. Decian. *in tract. crimin. p. 2. lib. 6. cap. 28. sub num. 2. fin.* 19

Infero sextò, quod punitur non solùm, qui vi extrahit ab Ecclesia confugientem, sed etiam qui attentat extrahere, ut est Glos. ult. *in l. 2. Cod. de his, qui ad Eccles. confug.* quam ibi Salic. *num. 1.* sequitur, & Gigas, *in tract. de crim. læsæ Majest. lib. 1. sub tit. qualiter, & à quibus, q. 2.* punitur extrahens vi confugientem ad Ecclesiam non solùm pœnâ mortis, *l. præsenti:* quæ est lex finalis illius tituli, in princ. *Cod. de his, qui ad Ecclesiam confug.* verùm etiam & reus criminis læsæ Majestatis reputatur; & fusè tradit, & probat juribus, & DD. authoritatibus, Farin. *p. 1. prax. & Theor. q. 28. n. 2.* 20

Infero septimò, immunitate gaudentem, si libenter vult exire, posse extrahi absque sacrilegio, etiam contradicentibus Ministris, quia proprio renunciat beneficio, quod colligitur ex *Cap. Frater, causa 17. quæst. 4.* ubi tantum prohibetur abstrahere hominem in Sanctuariis con- 21

constitutum reluctantem: Et ita explicat & docet Turrecrem. in hoc *Cap. num. 2. & 3.*

12 Infero octavò, ab Ecclesiâ esse removenda omnia, quæ sæculi sunt, sanctitati repugnantia: Quia dicitur in Psalmo 91. *Decet domum tuam sanctitudo*, quod refertur *in Cap. 1. de immunit. Eccles.*

VIII. DIFFICULTAS.

An exigens, sinè licentia Summi Pontificis, universaliter ab omnibus tùm Laicis, tùm Ecclesiasticis justas gabellas, quas Princeps supremus imposuit in Terris suis tempore justi belli, & in aliis casibus à jure sibi permissis, incidat in Canonem quintum Bullæ Cœnæ?

1 NOtandum primò, quòd gabella in genere sumpta, importat exactionem publicam, cum multis aliis, quæ sunt tributum, pedagia, guidagium, vectigal, tallia, angaria, perangaria, & similia, quæ omnia clarè distinguunt Doctores, Jurisperiti, & Canonistæ, inter quos Sylvest. *in summa*, in verb. *Gabella 1. & 3. 4*

2 Notandum secundò, incidere in Canonem quintum Bullæ Cœnæ imponentes in Terris suis nova pedagia, seu gabellas, vel augentes, vel exigentes, præter quàm in casibus sibi jure, seu speciali Sedis Apostolicæ licentiâ permissis. Et est certum, ut constat ex ipsissimis Bullæ verbis.

3 Notandum tertiò, quòd hic Canon, secundùm antiquiores Bullas, scilicet Martini Quinti, Leonis Decimi, Clementis Septimi, & aliorum, latè patebat; si enim extendebat ad omnes Principes tam supremos, quàm inferiores, novs pedagia imponentes, & exigentes in quovis casu in Terris suis; sed deindè ab aliis Pontificibus posterioribus fuit coarctatus, ut includeret duntaxat Principes inferiores, non habentes ab ipso jure potestatem imponendi gabellas. Ita observat Alter. *in Bullam Cœna, disp. 6 lib 5. cap. 5*

4 Notandum quartò, eos, quibus ipso jure repetitur concessa facultas tributa, seu gabellas in Terris suis imponendi, esse Summum Pontificem; Concilium generale, Imperatores, Reges, Ducem Sabaudiæ, Magnum Ducem Etruriæ, aliosque Principes supremos, non recognoscentes in periorem; Civitates liberas merum, & mixtum imperium habentes, ut sunt Venet, Genuenses, Lucenses, &c. ut habetur *ex l. vectigalia, Cod. de vectiga. & commiss. Cap. Innovamus, & Cap. super quibusdam, de verb. sign.* & tradit Sayr. *in suo Thesauro, lib. 3. cap. 9. num. 14.* Duard. *in Bull. Cœn. lib. 2. in Can. 5. qu. 3. n. 4.*

5 Notandum quintò, finem hujus Canonis fuisse impedire oppressionem libertatis humanæ subditorum, factam à Principe per impositionem gabellarum, & pedagiorum, ut observat Alter. loc. cit. princ. & ideò nova impositio gabellarum fuit reprobata, & damnata omni jure, non solùm Pontificio, sed etiam Cæsareo, ut per Tex. *in l. 1. Cod. vectigalia*, & hujus legis violatores pœnâ centum aureorum cum infamiæ nota plectebantur, *l. unic. ff. ad leg. jul. de ambi.*

6 Notandum sextò, quamvis non sit aliquo jure scripto definitum, ut notat Suarez, *in explicatione hujus Canonis, disp. 21. de censur. sect. 2. sub. num. 36.* in quibus casibus liceat Principibus tributa imponere, fas illis minimè esse suo arbitrio id agere; sed causas requiri justas, quæ sunt publicæ necessitates, de quibus Bar. *in l. universi, Cod. de vectigal.* Sylv. loc. cit. *n. 8.*

7 Notandum septimò, appellatione exigentium venire ipsos Dominos, aliosque, quorum authoritate fit exactio; & etiam Hæredem gabellas imponentis; nec non & Conductores gabellarum, & illorum Ministros, qui ad portam Civitatis, aut alio in loco designato illas exigunt, & recipiunt, Ita Navar. & alii, quos recenset, & sequitur Sayr. loc. cit. *n 8.*

8 His adnotatis; ad difficultatem propositam; an exigens sinè licentia Summi Pontificis justas gabellas, à Principe tempore belli justi in suis Terris impositas, universaliter ab omnibus tam Laicis, quàm Ecclesiasticis, incidat in Canonem quintum Bullæ Cœnæ, negativè respondent Graff. *par. 1. decis. lib 4. cap. 18. num. 84.* Sylvest. *v. gabella 3. §. 7.* Sayr. loc. cit. *num. 5.* Altetius loc. cit. *cap. 7.* & alii asserentes, esse quidem excommunicatos imponentes, & exigentes, absque licentia Pontificis, gabellas illicitas ex parte personarum, nempe Ecclesiasticarum, sed ex Can. spectante ad libertatem Ecclesiasticam, & ex *cap. Quamquam, de censib. lib. 6.* non verò ex dispositione Can. 5. Bullæ Cœnæ; cùm Princeps gabellas imponit in suis Terris in casu sibi permisso, id est ex causa justa belli ad repellendas hostium incursiones.

9 Fateor, hanc opinionem plures habere Sectatores; nihilominus arbitror contrarium esse verum, nempe novas gabellas, aliàs justas, sed injustas ex parte Ecclesiasticorum, quibus imponuntur, & à quibus exiguntur, citrà Summi Pontificis licentiam, vi hujus quinti Canonis prohiberi; & successivè exigentes hujusmodi gabellas universaliter tàm à Laicis, quàm ab Ecclesiasticis, hujus Canonis excommunicationem incurrere, Cajet. *v. excom. cap. 71.* Tolet. *lib. 1. cap. 22. num. 2.* Bonac. *de censur. Bull. Cœn. disp. 1. q. 6. punct. 3. sub num. 7. vers. Ego verò censeo.* Duardus, *in Bullam Cœn. lib. 2. in Can. 5. qu. 7. num. 16.*

10 Moveor primò juribus, *in cap. non minùs, & cap. Adversùs, de immunit. Eccles.* ubi Laicis expressè prohibetur sinè speciali licentia Sedis Apostolicæ Ecclesiasticis tributa imponere, aut imposita ab eis exigere. Canon autem noster excommunicat exigentes novas gabellas, impositas, seu augeri prohibitas in casibus à jure non permissis.

11 Moveor secundò rationibus: nam hunc Canonem incurrunt, qui contrà hujus Canonis prohibitionem directè operantur. Quod autem prohibet Canon iste, imponere in Terris suis nova pedagia, seu gabellas, augere, vel exigere absque licentia Sedis Apostolicæ in casibus à jure non permissis. Laicis verò non solùm à jure non permittitur nova tributa ab Ecclesiasticis exigere, sed expressè damnatur: Ut, probant jura allegata: Et ideò

& ideò ejusmodi tributa qui imponit Ecclesiasticis, aut ab eis exigit, contrà dispositionem hujus Canonis agit; & sio vi ejusdem excommunicatur.

12 Moveor tertiò exemplo, in Consulibus, & Rectoribus Civitatum, relatis *in d. cap. Non minùs, & cap. Adversùs, de immunit. Eccles.* quos Concilium Lateranense voluit propter exactionem onerum Ecclesiasticis impositorum excommunicationi subjacere, sic dicens, „In diversis Mundi partibus Consules Civitatum, & Rectores, &c. Si autem Consules, aut alii de cætero ista commiserint, & commoniti desistere noluerint; tam ipsi, quàm fautores eorum excommunicationi se noverint subjacere: *In cap. Non minùs.* Adversùs Consules, & Rectores Civitatum, vel alios, qui Ecclesias, & Ecclesiasticos viros talleis, seu Collectis, & exactionibus aliis aggravare nituntur, volens immunitati Ecclesiasticæ Lateranense Concilium providere, præsumptionem hujusmodi sub anathematis districtione prohibuit, transgressores, & fautores eorum excommunicationi subjacere præcepit: *d. cap. Adversùs.* Et hanc Concilii declarationem fuisse aliquandò per Episcopos ad praxim deductam, testantur injustæ Exactorum querelæ, Romam pro absolutione delatæ.

13 Concludimus igitur, imponentes, & exigentes à Clericis gabellam, absque licentia Summi Pontificis, quamvis justa fuerit causa gabellæ imponendæ, incurrere censuram Canonis quinti Bullæ Cœnæ: Quidquid sit de oneribus, quæ accipiuntur à personis Ecclesiasticis, quantùm ad ea, quæ deferunt causâ negotiationis: circa quod videndus est Sylvest. *in summa*, in verb. *Gabella 3. n. 10.* Sayr. *in Thesauro, lib. 3. cap. 9. num. 6.*

14 Ad rationem in contrarium respondemus, negando suppositum; nempe Principem imponere præfatam gabellam in Terris suis in casu sibi permisso: casus enim, qui supponitur permissus, est omninò prohibitus in præfatis juribus, *cap. Quamquam, de censib. cap. Non minùs, & aliis tit. de Immunit. Eccles.* & cùm Summus Pontifex excommunicet imponentes gabellas absque debita licentia in casibus non permissis, sequitur tam imponentes, quàm exigentes à Clericis dictas gabellas, Canonis quinti Bullæ Cœnæ ligari excommunicatione.

15 Infero primò ex dictis, incidere in Canonem quintum Bullæ Cœnæ exigentes nova tributa, justa ex parte causæ materialis, formalis, efficientis, ac finalis, sed injusta respectu personarum, à quibus exiguntur. Contrarium tenent Ugolinus hic, in verb. *seu imponi*, §. 1. Suarez ibid. *disp. 21. de censur. sect. 2. num. 43.* & alii.

16 Infero secundò, hoc Canone ligari personas privatas, & Ministros exigentes à personis à Sanctâ Sede privilegiatis hujusmodi tributa; si eis constet de injustitia tributi ex parte personæ imponentis, & impositæ. Secùs verò, si hujusmodi injustitiam invincibiliter ignorent: quoniam inculpabilis ignorantia sive juris, sive facti facit actum involuntarium, ut tradunt communiter Theologi.

Infero tertiò, incidere in hunc Canonem imponentes in casibus non permissis pedagia in Terris suis; sive Terræ sint Civitates, sive Oppida, sive Territoria in quacumque parte, ut in flumine, in ponte, in via: si tamen absit licentia Sanctæ Sedis. 17

Infero quartò, imponentem Clericis, & aliis Ecclesiasticis personis tributa in casibus non permissis citrà Romani Pontificis licentiam, si sit Universitas, Civitas, Castrum, aut Villa, non incurrere excommunicationem cùm Communitas non excommunicetur. *Cap. Romana de sent. excomm. in 6.* sed subjici interdicto, donec restituerint extorta. Bonac. loc. cit. *n. 8.* Duard. *in Bull. Cœn. lib. 2. in Can. 5. q. 5. n. 7.* 18

Infero quintò, incidere in hunc Canonem Barones, Comites, Marchiones recognoscentes superiorem, si absque debita facultate imponant in Terris suis tributa; quia non habent facultatem ea imponendi. Ita etiam Duardus docet loc. cit. *q. 6. sub n. 1.* 19

Infero sextò, habentes facultatem imponendi pedagia nova, & gabellas graviter peccare, si absque justa causa gabellas in Terris suis imponant. Sic docet etiam Alter. *in Bullam Cœn. disp. 6. lib. 5. cap. 2.* 20

Infero septimò, Summo Pontifici, & Concilio Generali jus competere declarandi simpliciter, quæ gabellæ sint licitæ, vel illicitæ in Terris aliorum, & illas tanquàm licitas, vel illicitas permittendi, aut prohibendi. Ita etiam Alterius loc. cit. 21

Infero octavò, licere Summo Pontifici, & Concilio Generali, quod authoritatem habet à Papa, ut Jo. Andr. & Abb. *in Cap. Super quibusdam, de verb. signif.* Sylvest. in verb. *Gabella 3. §. 3.* D. Anton. *p. 2. tit. 1. cap. 13. §. 6.* concedere in casu particulari Ducibus, Principibus, aliisque superiorem recognoscentibus, facultatem imponendi gabellas in Terris suis; ut putà ad sui defensionem contrà Hæreticos, ad defendendam Civitatem; ad propugnandam, vel defendendam Fidem, ad resistendum Turcarum, aliorumque Infidelium conatibus. Sic pariter sentit Alterius loc. cit. 22

Infero nonò, imponentes in Terris suis nova pedagia, aut agentes antiqua, absque debita authoritate, aut exigentes injusta, teneri ad restitutionem Spoliatis, vel hæredibus eorum, aut pauperibus, si prædictos ignorant, & absque spe illos dignoscendi, ut per Tex. *in Cap. Si res, causa 14. quæst. 6.* & tradit Sylvest. *v. Gabella 3. num. 7.* 23

Infero decimò, Personas Ecclesiasticas occultando per se, vel per alios res sive suas, sive Ecclesiarum suarum, quas Principes, aut Exactores ab eis injustè, & indebitè quærunt, non peccare; modò à mendaciis, & à scandalo caveant. Ita etiam docet Silv. loc. cit. *num. 10.* 24

Infero undecimò, incidenter, existente justâ causâ, posse licitè Concilium Generale imponere gabellas, non solùm in Terris Ecclesiæ Romanæ subjectis, sed etiam in toto Orbe Christiano; quia Constitutio Lateranensis loquitur universaliter, & indistinctè; præterquam quod Concilium Generale repræsentat Ecclesiam universalem: 25

versalem: atque adeò jus ejus non est determinatum ad locum, aut ad certas personas, sed ubique extenditur: ut optimè observat Alter. loc. cit.

IX. DIFFICULTAS.

An Princeps, Successor dignitatis, & bonorum, teneatur solvere debita sui Prædecessoris, ab eo contracta pro Arce tempore belli ædificandâ?

1 NOtandum primò, Arces à militari politica esse inventas, ut hostes à Territorio arceantur; atque adeò in earum ædificatione cavetur, nè collis, aut jugum immineat; neve sylva densa, aut latens fossa, vel sinus occulti jaceant, unde latebræ hostium, & insidiæ parari, aut tacito speculatu pericula oriri possint. Alex. *lib. 1. cap. 12.* ubi propriè præfatas conditiones asserit esse observandas in castrorum metatione.

2 Notandum secundò, licitum esse Principibus fabricare nova castra; si hoc faciant, non ad alterius injuriam, sed ad conservationem sui status, vel honoris; nec posse prohiberi per alium, quamvis inferat alteri damnum, aut timorem, & adest Text. *in l. de meo, ff. de aqu. plu. arcen.* & tradit Sylv. *in sum. v. bellum 1. num. 15.*

3 Notandum tertiò, licere Principi justi belli ad parandum pacem, & securitatem ab hostibus, non solùm diruere Arcem hostium, sed & in hostico etiam munitionem erigere, si ità necessitas postulaverit, ad vitandum periculum ab hostibus; cùm finis belli sit pax, & securitas. Franc. à Victor. de *jure belli, relect. 6. num 18.*

4 Notandum quartò, Successorem Principis posse ei succedere in Principatu, aut jure hæreditatis, aut jure sanguinis, aut jure electionis, aut alio jure.

5 Notandum quintò, Principem esse propter utilitatem Populorum, ut docet Arist. *lib. 3. Polit. cap. 11.* & ideò teneri utilitatem publicam procurare, & conservare suum Principatum in eo statu, in quo est, *l. neminem in fine, Cod. de Decurion* & not. per Gloss *in l. moveor, Cod. de serv. export.* & per Sylva, *conf. 1. n. 27. lib. 1.*

6 His adnotatis; ad difficultatem propositam, an Princeps, Successor dignitatis, & bonorum, teneatur solvere debita sui Prædecessoris, ab eo contracta pro Arce tempore belli ædificanda, sive in proprio, sive in alieno dominio, affirmativè, absque ulla controversia, respondemus, si Arx constructa fuerit pro necessitate, & utilitate Principatus quocunque jure successerit in Principatu juxta ea, quæ tradunt Bald. in *cap. 1. verb. in perpetuum, de pace Constantien.* Igneus *in lib. donationes, num. 16. Cod. de donat. inter. vir. & uxor.* Purpurat. *cons. 17. num. 4. inter Cons. feud. divers.* Capic. *decis. 121. num 7.* & ita debent admittere omnes, qui dicunt Principem, successorem dignitatis, & bonorum, teneri servare promissa sui Prædecessoris, Soc. jun. *in cons. 66. num. 19. lib. 3.* Jas. *in l. 1. colum penult. ff. de Constit.* princ. & *in cons. 1. num. 2. lib. 1.* Natt. *in cons. 122. num. 3. lib. 2.* Card. Alban. *in Lucubrat. in Bart. in l. digna vox, Cod. de legib. num. 2.* & alii plures, loquentes de Successoribus Pontificis, Regis, Ducis, Marchionis, Comitis, quos recenset, & sequitur Menochius in *cons. 534. num. 1. & in cons. 264. n. 19. & 20.*

7 Moveor primò juribus, *in l. Cum matre, C. de rei vind.* ubi habetur, quod hæres non potest sui Antecessoris facto contravenire, & *in l. ult. ff. de donat. inter vir. & uxor, & Cap. Ex Epistola de probat.* ubi habetur, pacta emissa inter Principem Successorem, & Prædecessorem esse observanda, & in *Cap. Si ea, causa 25. quæst. 2.* ubi sic legitur; „Si ea destruerem, quæ Antecessores nostri statuerunt, non constructor, sed „eversor esse justè comprobaret.

8 Moveor secundò rationibus, quia dignitas censetur semper eadem, *Cap. Quoniam Abbas, ubi Gloss. de off deleg. Cap. Si gratiosè, rescript. in 6.* Et sicut Princeps ipse, qui mutuum accepit, contraxit, & promisit solvere, observare debet, *l. digna vox, Cod. de legib.* ubi Bald, & Zasius *in conf. 10. num. 17. lib. 2.* & alii; ita & ejus Successor, præcipuè cùm debita censeantur contracta nomine dignitatis. Præterquam quòd Princeps, contrahens debitum pro necessitate, & utilitate Principatus, se gessit ut bonus, & fidelis administrator; atque adeò justum est, succedat in onere, qui succedit in honore, & utilitate; alias si Principum Successores non tenerentur Prædecessorum debita solvere, & promissa servare, quis unquàm vellet cum Principibus contrahere, eisque pecuniam pro utilitate Principatus commodare?

9 Moveor tertiò exemplo, in Successoribus dignitatis Ducalis Philippi Mariæ Ducis Mediolani, qui ob Jurisperitorum sententiam fuerunt obstricti pacta, & contractus cum Oppido Burgi Franchi observare, ut refert Menochius *in conf. 264. n. 21.*

10 Concludimus igitur, Reges, & Principes esse obnoxios exsolvendis debitis eorum, quibus in Regno, & Principatu successerunt, sive sint Filii, sive alii Agnati; aliàs si successor Regis, aut Principis contraveniret facto sui Antecessoris, diceretur contravenire sibi ipsi cùm semper sit unum Regnum; & unus Principatus.

11 Infero primò ex dictis, nefas esse cuiquam, qui supremus Princeps non est, absque Regis, aut Principis facultate, facere castrum etiam in suo proprio solo, aut domum propriæ habitationis fortem, ut ex pluribus juribus, & Doctorum auctoritatibus probat Molina, *part. post. tom. 3. tract. 2. disp. 709.* Quidquid fuerit olim de jure communi, ut habetur *lib. 3. ff. de oper. publ.*

12 Infero secundò, Principi justi belli licere in confinio alterius Principatus, aut Regni non recognoscentis Superiorem, construere de novo Castrum in suo proprio Territorio, ut hostium arceat violentias & insidias.

13 Infero tertiò, licere Principi supremo non solùm efficere Castrum, & Fortalitium, sed à fortiori antiquum reficere, & reparare: Secùs verò alteri Superiorem recognoscenti, absque Regis facultate; & quidem si Fortalitium fuerit solo æquatum, aut ob jussum in pœnam delicti, aut conditionem infortunii, aut temporis vetustatem. Ita statuere videtur *lex sacra*, §. *Muros*, *ff. de rer. divis.* & *l.* 1. §. *penult. ff. de mortuo inferendo*: Et tradit Molina, loc. cit. asserens ibi, licere domino Fortalitii, licitè illud reficere, sive ruinam minetur, sive non.

14 Infero quartò, non licere Principi imponere suis subditis jam gravatis nova onera pro impensis fabricæ novi Fortalitii; cùm sit iniquum aliquem duplici onere gravare, *lib. navis onusta*, §. *Cùm autem*; *ff. ad leg. Rhodi an. de jactu*, & *l. Titia*, §. *Qui invità, de leg.* 2.

15 Infero quintò, à Successoribus Principum, aut Regum Antecessorum debita esse solvenda, si fuerint contracta ex ædificatione novi Fortalitii, aut ex alio commodo Principatus, aut Regni; etiam si non per Successionem sanguinis, sed per electionem Regunm ad successores pervenerit, ut etiam tradit Tiraq. loc. cit. *n.* 26.

16 Infero quintò, Principem Successorem teneri observari promissionem sui Prædecessoris de non ædificando Fortalitia, Romanus *in conf.* 52. *in quæstione Martin. de laud. in tract. de Princip. vers.* 127. *continuus*.

17 Infero sextò, Successorem Principis, qui promisit Castrum defendere, teneri servare suam promissionem, si bellum ipsum illatum esset injustum: Secùs verò quando bellum justè infertur; cùm in tali casu nec Princeps, qui promisit, teneatur ad ejusmodi defensionem. Ita Bart. *in l. quidam cùm filium*, *num.* 5. *ff. de verb. obligat.* Imola ibi Alex. *in conf.* 114. *num.* 3. Dec. *in l. non defendere videtur*, in fin. *ff. de reg. jur.*

18 Infero septimò, à fortiori illum, qui succedit tanquàm hæres in Principatu, & in Regno, teneri solvere debita sui Prædecessoris, quoquo modo contracta; cùm non possit improbare factum defuncti, nec contrà ipsum venire, *l. cùm à matre, Cod. de rei vindicat. l. pro hæreditariis, Cod. de hæredit. act.* & *l. venditrici, Cod. de reb. alien. non alien.* & *l. ex quâ personâ, ff. de reg. jur.*

19 Infero octavò, Successorem Principis, cujus non est hæres, non teneri solvere debita, contracta pro ædificatione Fortalitii, quod non est in utilitatem Principatus, sed potiùs in dispendium, utpote exigens continuas expensas pro manutentione præsidii, & aliàs minimè necessarium pro Territorio tuendo: Secùs verò, si est hæres.

20 Infero nonò, Successorem Principis non teneri stare his, quæ in detrimentum Principatus fecere Prædecessores absque sufficienti potestate illa faciendi Bart. *in l. prohibere*, §. *Planè, ff. quod vi, aut clàm*, Jas. *in conf.* 1. *num.* 5. *lib.* 1. quia Princeps cùm sit administrator, & non Dominus Principatus, non potest, ex defectu potestatis facere ea, quæ præjudicium inferunt Principatui.

Infero decimò, Successorem Prælati teneri solvere debita sui prædecessoris, contracta in utilitatem Ecclesiæ: Secùs verò si non fuerint in Ecclesiæ utilitatem Innoc. *in cap.* 1. *de solut.* Butr. *in cap. penult. n.* 9. *de fidejuss.* Castrens. *in conf.* 338. *num.* 2. *lib.* 3. 21

Infero undecimò, Successorem Principis teneri solvere expensas ab eo factas in muniendo Castro, seu Oppido alterius ad faciliùs hostes arcendum, seu propulsandum à proprio Principatu; vel ad inferendum alteri justum bellum; quia Dominus Castri, seu Oppidi, quamvis non sit subditus Principis, non tenetur aliquid restituere pro expensis munitionis. Ita etiam tradunt Bald. *in l. si in aliquam, ff. de offic. Proconsul.* Angel. *in l. turres, Cod. de oper. public.* Garcia, *de expensis*, *cap.* 21. *num.* 30. Grammat. *conf.* 13. Bossius, *tract. de Custod. clav.* & hoc valet, etiamsi finito bello Successori restituatur Castrum, ut tenet Pasqualig. *in qq. moral. jurid. q.* 164. *num.* 9. ubi alios allegat. 22

Infero duodecimò, graviter peccare cum onere restitutionis illos Consiliarios, qui & animis, & auribus Regum, & Principum suggerunt, non eos teneri antecessorum Regum, & Principum debita solvere, etiam in utilitatem Regni, & Principatus contracta; cùm suadeant id quod iniquum est, & contrà justitiam. 23

Infero decimotertiò, quòd Princeps in contractibus utitur jure communi, & consideratur ut privatus. Sic etiam egregiè tradit Dec. *in conf.* 580. & *in conf.* 689. Principi enim DEUS subjecit leges, non contractus; Bald. *in cap.* 1. *de natur. feud.* qui ibi citatur à Decio in *d. conf.* 689. 24

Infero decimoquartò, esse ad unguem observandum à Principe, quod per se, vel per suos Ministros promittit. Siquidem fides certa, & observantia promissorum præclarum reddit Principem, *l. inter claras, Cod. de Sum. Trinit.* idemque dicit Bald. *in l.* 1. *ff. de pactis*. Et ideò prudenter dixit Aristoteles, ut refert Bald. loc. cit. Alexandro Macedoni: Serva promissa, alioquin malus finis te sequetur. 25

X. DIFFICULTAS.

An liceat tradere militibus Civitatem diripiendam, seu in prædam, quando bellum est justum.

NOtandum primò, Civitatem obsessam, aliquandò ita obstinatè resistere ob imprudentiam, aut metum, aut valorem Gubernatoris, aut Militum arrogantiam, ut obsidentium Dux judicet necessarium, aut valdè expediens, ob justos fines, scilicet, ut milites spe prædæ eam ferventiùs oppugnent; ac aliæ Civitates deterreantur, nè tam obstinatam resistentiam demonstrent, illam militibus tradere diripiendam, seu in prædam. 1

Notandum secundò, plura esse in Urbium direptione inconvenientia; ut sunt cædes, cruciatus, & damna innocentum, oppressio virgi- 2

nom, matronarum violentis, Ecclesiarum spoliationes, & sæva alia, ac iniosta, ac sacrilega.

3 Notandum tertiò, obedientiam; quæ est præcipuus cardo, quo militiæ machina volvitur, ut notat Crispol. *in suis casib. milit. casu 8. num. 3.* difficilè posse in similibus evaotibus integrè servari,

4 Notandum quartò, militaris valoris, quasi dixerim, Animam præmii spem esse; unde valor in militibus quodammodò evanescit, nec non obedientia infirmatur, spe præmii laboris deficiente, Ayal. de *jur. & off. bell. & militari disciplina, lib. 3. cap. 2. de offic. legat.* Pettin. Bell. *de jur. bell. de delict. milit. n. 26.* & alii.

5 Notandum quintò, aliquando esse licitum per se, quod per accidens alteri nocet, ut putà, interficere innocentes, cùm oppugnatur Arx, aut Civitas justè, in quà constat, multos esse innocentes, opprimendos machinis bellicis, ad finem belli obtinendum solutis; alias bellum justum contrà nocentes nullatenùs posset geri; cùm ferè semper mixti sint nocentibus insontes. Ita tradit etiam Victor. *relect. 6. de jure bell. num. 35.*

6 His adnotatis; ad difficultatem propositam, an quando bellum est justum, licitum per se sit Civitatem obsessam militibus tradere diripiendam, seu in prædam, negativè videtur respondendum ob mala, & gravia scelera, quæ à militibus eâ occasione solent perpetrari. Præterea avaritia, & cupiditas deprædandi & concutiendi proximum propter prædam, quæ prohibetur, *Cap. Noli existimare, & Cap. Quid culpatur, Cap. Militare, causa 23. quæst. 1.* non potest facilè frænari; cùm obedientia juxtà notata, in similibus eventibus obtineri difficilè queat.

7 Veritas tamen est, licitum per se esse tradere Urbem militibus diripiendam, quando Dux prudens, & timoratus id judicat necessarium aut saltem expediens, si Victoria aliter obtineri non possit, Victor. *Relect. 6. de jure belli, num. 52.* Sylvest. *in summâ*, verb. *bellum 1. quæst. 10. conclus. 3.* Laym. *lib. 3. tract. 3. cap. 12. num. 13.* Regionaldus, *tom. 2. lib. 21. cap. 8. num. 115.* Molina, *tom. 1. de just. tract. 2. disp. 122.* Conioch. *de bello disp. 31. dub. 7. num 127.* Castropalaos, *tom. 1. tract. 6. disp. 6. punct. 4 num. 28.* Filliuc. *tom. 2. tract. 29. cap 9. de bello. quæst. 11. num. 198.* Valentia, *tom. 3. disp. 3. quæst. 16. punct. 3.* Diana, *p. 6. tract. 4. res. 21.* & alii communiter.

8 Moveor primò juribus, *arg in l. oratio, ff. de sponsal. l. pupillus, §. Sed & si per interpositam, ff. de auctor. tut.* ubi habetur, permissum ubi aliquid est, dici etiam permissum omne, quo ad illud pervenitur. Et tradit clarè Soc. sen. *conf. 226. col. 17. vers. amplius dico, lib. 2* Crav. *conf. 203. num. 25.* Cùm ergò justitia belli permittat Civitatis obsessionem, videtur etiam permitti, tanquam licita, Civitatis direptio; cùm aliter ad finem belli perveniri non possit, & *in Cap. Noli existimare, causa 23 quæst. 1.* ubi ostenditur, resistenti justum bellum posse inferri, & sic omnia media adhiberi, quibus ad finem pervenitur; Et *Cap. Quid culpatur, ead. causa, & q* ubi dicitur, bellum esse licitum, & sic id, quod bellum fert, quando sumitur, aut ex inspiratione divina, aut præcepto Principis propter mala puniẽda, ut fusè explicat Turrecremata *in d. Cap. Quid culpatur.*

Moveor secundò rationibus; nam quando bellum est justum, licitum quoque est omne, quod necessarium est, aut expediens videtur ad bellum gerendum, vel inimicos deterrendos, vel ad milites animandum. Tùm etiam, quia frustraretur justitia bellantium. Tùm denique, quia exercitus, qui justè bellat, damna majora pateretur ob resistentiam obstinatam Civitatis obsessæ, quibus subjici minime tenetur; atque adeò pro illis vitandis, & ut milites illam validiùs oppugnent, dicendum est, licitam esse illius traditionem in militum prædam. 9

Moveor tertiò exemplo, seu potiùs communi praxi, à Principibus, & Ducibus, sine reprehensione, usurpatâ, ut notat Diana, loc. cit. 10

Concludimus igitur, ob gravissimas causas, fas esse Civitatem etiam Christianorum tradere aliquando militibus in prædam; & si ita moralis necessitas postulaverit ad expediendum bellum, accendendum militum animos, atque hostes deterrendum; quamvis probabiliter judicetur, plura scelera esse à Bellantibus perpetranda; cùm solùm per accidens hæc flagitia committantur; nec à Principe, aut Belli Duce intendi debeant. 11

Ad rationes in contrarium respondemus; Ad primam, præfata mala in Civitatis direptione evenire non per se, sed tantùm per accidens, quod non reddit illicitam actionem, ut notavimus. 12

Ad secundam, concedendo, in similibus eventibus non posse facilè militum cupiditatem deprædandi frænari: & hoc etiam constat per accidens evenire. 13

Ad probationem respondetur, cupiditatem deprædandi esse quidem prohibitam, quando propter illam principaliter bellatur, seu quando militare fit per se, & principaliter ex avaritiâ, & causâ deprædandi, & concutiendi proximum propter prædam: Secùs verò quando militatur ex justâ causâ, & fine aut pacem acquirendi, aut hostes deterrendi, aut milites animandi; aut aliâ justâ, & rationabili causâ, ut vult S. Aug. de *verbis Domini*, relatus in *d. Cap. Militare, causa 23. q. 1.* & ibi Torrecrem. *n. 1.* 14

Infero primò ex dictis, licitam esse promissionem factam militibus de hostili Civitate tradendâ eisdem militibus in prædam, quando bellum est justum, & aliter victoria obtineri non potest. Ita etiam Filliuc. loc. cit. 15

Infero secundò, licitum esse non solùm ante victoriam, sed aliquando etiam partâ victoriâ, Civitatem justè Bellantibus tradere diripiendam, ut hostes luant in bonis temporalibus culpam injustitiæ; aut ut milites animentur ad nova bella, & fortassè duriora; aut ut cæteræ Civitates deterreantur, & animum obstinatum præstandi resistentiam deponant; quia hæ omnes sunt rationabiles, & justæ hujusmodi traditionis causæ. 16

Infero tertiò, aliquando licere rationabili, & gravissimâ ex causâ incendere Civitatem aliquam; quamvis sciatur, plures innocentes in communi incen- 17

incendio in cinerem verti, Sic etiam Molina, loc. cit.

18 Infero quartò, licitum esse in justo bello deprædari hostes, ut *in d. Cap. Militare ; & Cap. Quid prodest, dist. 61.* dummodò præda non sit causa militandi, sed solùm pax, & quies Ecclesiæ, vel alia causa justa, ut tradit Turrecrem. *in d. Cap. Militare.*

19 Infero quintò, posse quidem aliquandò ob causas gravissimas dari Urbem in prædam Militibus ; milites verò privatâ auctoritate prædas agere, aut hostibus damna inferre minimè posse; tùm sint executores tantùm, & ministri. Ita pariter docent Sà, verbo, *Bellum*, Laym. Filliuc. Diana, quos producit Herman. Busembau *in suâ Medullâ Theol. Moralis, lib. 3. tit. 4. de quinto, & sexto præcepto, cap. 1. de bello, num. 5.*

20 Infero sextò, in conflictu belli, in oppugnatione, aut defensione Civitatis, vel Arcis; & quando res est in periculo, licitum esse interficere indifferenter omnes è contratio pugnantes; cùm victoria non possit haberi, nisi tollantur impedimenta. Sic Molina, loc. cit.

21 Infero septimò, Milites, qui absque authoritate Principis, aut Ducis, prædas agunt, aut incendia faciunt, peccare mortaliter, & teneri ad restitutionem damnorum. Sic etiam docet Victor, *Relect. 6. de jure belli, n. 53.* cùm ipsi non sint Judices, sed tantùm executores.

22 Infero octavò, licere damnificare innocentes non subditos hosti, si hoc fiat præter intentionem damnificantis, & ita exigat necessitas capiendi Castrum. Ita docet etiam Sylvest. *in summa*, in verb. *bellum* 1. *quæst.* 10. *sub num.* 11.

23 Infero nonò, Civitatem, quæ nimis rebellis fuit, nec non & injuriosa Principi, posse per se tradi in prædam Militibus; & aliquando id convenite, ut aliæ Civitates à traditâ in prædam discant servare fidelitatem, & rebellionem odio habere. Castropalaus, *p. 1. de charitate, tract. 6. disp. 5. punct. 4 n. 28.*

24 Infero decimò, in direptione Urbis posse expugnari, & comburi Ecclesiam, quamvis sequantur aliqua incommoda, si hostes eâ utentur tanquàm Arce Castro ad se defendendum, aut aggressores oppugnandum ; quia hæc sunt per accidens. Secùs verò, si in Ecclesia, aut aliis Locis sacris hostes se recipiant solùm, ut evitent Victorum furorem, & crudelitatem; tunc enim & ipsi, & sua, quæ in Ecclesia reponuntur, immunitatis privilegio gaudent. Suarez, *disp. 13. de bello, sect. 7. n 14.*

25 Infero undecimò, teneri Ducem, quando, partâ victoriâ, tradit Civitatem Militibus diripiendam, eis severè præcipere, ut abstineant à direptione Ecclesiarum, ab occisione innocentium, & à patrandis iis sceleribus, quæ facilè à Militibus in dicto casu committi solent: Filliuc. loc. cit. *sub. num. 199.* Diana loc. cit.

26 Infero duodecimò, Ducem exercitus teneri omnia diligenter examinare, antequam tradat Civitatem Militibus diripiendam, ut videat, si necessaria, aut expediens sit ejusmodi traditio; & necessitate obstrictum eam in prædam Bellantibus tradere, teneri præfata scelera, quantùm potest, impedire, ea severè, & sub gravibus pœnis priùs prohibendo; & demùm eos punire, qui mandato non obediverint. Er ita censent DD. suprà citati.

XI. DIFFICULTAS.

An liceat Domino extrà casus necessitatis Fortalitium in alium transferre, invitis subditis, contrà pactum cum eis initum ab ejus Antecessoribus.

Notandum primò, conventiones, & pacta jurisgentium esse, & ideo non subjici potestati Principi, ut tradunt omnes, *in Cap. Quæ in Ecclesiarum, de Constit.* ibi Felin. *num. 66.* Dec. *num. 34* Idem tenent Afflict. *decis. 391. num. 1.* Cravet. *in Cons. 103. num. 1.* Menochius, *in Cons. 156. n. 46.* 1

Norandum secundò, alienationem dupliciter sumi; primò strictè; & tunc dicit actum, vel contractum, per quem transfertur dominium, *Cod. de fund. dotali l. 1.* & facit Tex *in l. alienationis verbum, ff. de verb. & rer. signif.* secundò largiùs; & dicitur datio in emphyteusim, & locatio ad longum tempus, & comprehendit contractus, quibus non transfertur dominium, *l. Jubemus*, il secondo, *Cod. de Sacr. Eccles. Auth. de non alien. aut. permut. §. Nos igitur*, & tradit. Jac. de Bellaper. *in Authen. de non alien.* 2

Notandum tertiò, multis modis fieri alienationem; scilicet vendendo, donando, permutando, infeudando, in emphyteusim dando. Turrecrem. *in Cap. Apostolicos, num. 1. cau. 12. q. 2.* Ant. Butr. *in Cap. Nulli, de reb. Eccles. non alien. n. 2.* 3

Notandum quartò, alienationem factam contrà formam juris non valere. Ita communiter Jurisperiti, & Canonistæ, inter quos Turrecrem. *in cap. Episcopus, n. 1. caus. 12. q 5.* 4

Notandum quintò, Principem teneri ordinariè loquendo, servare fidem datam, & eò magis, quando adest juramentum; nam illud tanquam juris Divini omninò obligat etiam Principes. Ita Crave. Nevizanus, & plures alii, quos recenset, & sequitur Menochius, *in Cons. 624. num. 17.* 5

Notandum sextò, non solùm ipsum Principem, qui promisit, sed etiam ejus Successorem, teneri observare promissa; sive successor sit, & hæres bonorum; sive successerit in sola dignitate. Soc. *in cons. 60. num. 19. lib. 3.* Jas. *in Cons. 1. num. lib. 2.* Natta, *in Cons 122 num. 3. lib. 1.* & alii innumeri; cùm non possit Hæres sui Antecessoris facto contravenire, *l. cùm à matre, Cod. de rei vend.* 6

His adnotatis; ad difficultatem propositam, an liceat Domino extrà casus necessitatis Fortalitium in alium transferre, invitis subditis, contrà pactum cum eis initum ab Antecessoribus, affirmativè videtur respondendum; nam Princeps utens plenitudine potestatis, quâ potest uti, potest alium jure suo privare. Præterea ob causam publi- 7

rescripti, non posse provideri de secunda. *Cap. Si Clericus, de prebendis in 6.*

22 Infero octavò, ad evitandum damnum ex novâ Arcis constructione, aut munitione, aut reparatione, actum esse prudentiæ consulere Peritos, antequàm in Civitate domus ædificentur, aut ædificatæ emantur; nè qualitas situs, seu loci possit, superveniente casu dirutionis, Principem à solutione pretii pro domibus dirutis excusare.

23 Infero nonò, rem summoperè esse laudabilem in Principe, si pro domibus dirutis ad Urbem, aut Arcem muniendam, aut ab hostibus defendendam, domuum dirutarum solvat valorem, quando à justitia minimè obstringitur; præcipuè quando ædificia diruta sunt aut pia, aut pauperum: Princeps enim subditorum Pater nuncupatur; & ad Patrem spectat commodis filiorum consulere: atque adeò Princeps habere debet commodum subditorum perindè ac si esset proprium ipsius Principis, *l. unic.* propè fin. *Cod. de cadu. toll.* & *l. si quis filium, Cod de inoff. testa,* ubi habetur, ut notat Card. Albanus, loc. cit. *num. 10.* quòd Princeps debet tractare subditos suos tanquàm filios & nepotes. Ita etiam Bal. in *consf. 460.*

24 Infero decimò, Principem teneri solvere pretium pro domibus dirutis subditorum, si fuerit circa hoc inter ipsum & subditos aliquod pactum; cùm pacta semper sint servanda à quocumque, præsertim à Principe, ut egregiè habetur *in cons. 12. col. 5. & 6.* inter consilia Albert. Brun. ubi dicitur, hoc ab ore DEI provenisse, & citat Scotum dicentem, etiam Dæmones, quamvis alioqui sint mendaces, servare pactiones, quas cum hominibus habent.

25 Infero undecimò, teneri Principem solvere pretium pro domibus dirutis, aut aliis rebus; si absque pacto, tantummodò promisit hujusmodi solutionem: Principi enim potissimum illud *Psal. 88. num. 35.* convenit: *Quæ procedunt à labiis meis non faciam irrita*: & illud Joann. *cap. 19. num. 22. Quod scripsi, scripsi*: Debet enim Princeps in hujusmodi rebus esse immobilis, sicut lapis angularis, & sicut Polus in Cœlo, ut dicit Dec. *in cons 286.* & fusiùs in *cons. 580. & in l. nemo potest mutare, ff. de regul. jur.* Quodque etiam egregiè tradit Card. Alban. *in Lucubrat. in Bart. in rubr. prima Const. digestorum, num. 47.*

26 Infero duodecimò, eum, qui negotia aliena gerens indebitum solvit, sibi imputare debere, & non aliis, & hoc pariter juxtà Tex. *in l. si quis negotia 24. ff. de negotiis gestis*, & facit Tex. clarissimus *in reg. damnum 86. de reg. jur. in 6.* En verba Textus „ Damnum, quod quis „ suâ culpâ sentit, sibi debet, non aliis imputare; & tradit novissimè Aurelius Augustinus, *tract. de diu. reg. juris antiqui, in lib. 203. litt. a.*



VI. DIFFICULTAS.

Data fuit tempore Treugæ fides inter Exercitum Christianum, & Turcas, de sola violentia non inferenda. Milites Christiani tunc furati sunt Arces, quas Turcæ injustè occupaverunt de Terris Christianorum. Dubitatur, num hoc licitum fuerit?

Notandum primò, treugam esse securitatem præstitam Personis, & rebus ad tempus, discordiâ nondum finitâ. Glos. *in cap. 1. de treg. & pac.* & hanc securitatem à lege aliquandò fœdus nuncupari, *l. non dubito, ff de capt.* aliquandò inducias dici, *l. postlim. §. inducias, eod. tit.* Et ita alibi à nobis fuit ostensum. 1

Notandum secundò, furtum esse contrectationem rei alienæ mobilis fraudulentam, invito Domino, lucri faciendi gratiâ, ut habetur *in l. 1. ff. de furtis, & in §. 1. Instit. de obligat. quæ ex delicto nascuntur.* Est communis Legistarum, Canonistarum, & plurium Theologorum sensus. 2

Notandum tertiò, furtum, quod secundùm Labeonem, *in l. 1. ff. de furtis*, dicitur à *furvo*, id est nigro, quia clàm fit, & obscurè, & plerumque de nocte, esse ex se peccatum mortale; nisi parva materia, aut alia justa causa excuset illam exceptionem, ut latè probat D. Tho. 2. 2. *q. 66. art. 5.* utetque Navarr. & alii, quos recenset, & sequitur Sayr. *in suâ Clavi Regiâ, lib. 9. cap. 14.* 3

Notandum quartò, violentiam, seu vim posse definiri, quòd sit majoris rei impetus, cui resisti non potest, voluntatem cogens invitam; quod probatur *ex l. 2. ff. quod met. cau.* ut fusè explicat. Tiber. Decian. *in Tract. crimin. p. 2. lib. 8. cap. 1.* 4

Notandum quintò, multis modis violentiam committi, sive vim. Glos. *in l. Cod. quod met. cau.* & latè explicant Bossius, *Tit. de plurib. violen. num. 1.* Menochius, *Tract. de recuperand. possess. in prælud. num. 21. & 39.* ibi asserentes, duplicem esse violentiam, seu vim; compulsivam nempe, & expulsivam. Prima est, quando Possessor coactus consentit, & possessionem tradit sibi metum inferenti. Secunda verò, scilicet expulsiva, est, quando Possessor spoliatur, præcipuè armatâ manu, possessione castri, aut domus, vel alterius rei immobilis. 5

Notandum sextò, in promissionibus, & pactis utplurimum intervenire juramentum, ut habetur *toto tit. ff. & Cod. de jurejurando*, & in jure Canonico, *eod. tit.* & ideò tunc juramentum promissorium nuncupatur; & est, cùm quis jurat de futuro se aliquid daturum, vel facturum, aut non daturum, vel non facturum, ut explicat Molf. *in sum. p. 1. Tract. 11. cap. 8. num. 24.* 6

Notandum septimò, Arcem esse locum, qui arcere hostilem Exercitum ad tempus possit. Ita scribit Hugo Grotius, qui est damnatus, *de jure belli, lib. 2. cap. 16. num. 3.* 7

His

8 His adnotatis, ad difficultatem propositam, an data fide tempore treugæ inter Exercitum Christianum, & Turcas de sola violentia non inferenda, liceat tunc Militibus Christianis furari Arces, quas Turcæ injustè occupaverunt de Terris Christianorum, affirmativè respondent non pauci, & præsertim Alex. *in l, si de eo, §. si fortè, ff. de acquir. possess.* Felin, *in cap. 1. de judic. col. 6. in fin.* Graff. *in sum. Confess. lib. 2. tit. 6. q. 9. & 10. & p. 2. decis. lib. 2. cap. 21. num. 25.* Nam mala & incauta promissio non est servanda, ut per Tex. *in cap. In malis, causa 22. quæst. 4.* dum autem agitur de Castris, quæ à Turcis injustè occupantur, censetur malum & incantum illis fidem dare de violentia minime inferenda. Deinde, Bannitum nulliter à Judice restitutum, & cancellatum de banno, posse impunè à quolibet privato occidi, tenent communiter DD. ut notat Farin. *cons. 53. num. 35.* quæ summa est violentia. Ergò ob paritatem rationis dicendum est, non obstante fide datâ, posse licitè inferri Turcis violentiam in furtivâ occupatione Arcis, quam ipsi injustè possident: Fides enim dari non potest, ubi agitur de aliorum præjudicio, ut esset in hoc casu: nam Arces injustè occupatæ præjudicium inferunt Domino, ad quem justè pertinent: præterea Turcæ has Arces possidendo, his abutuntur contrà Christianos, cum quibus semper actu, vel habitu bellum gerunt; hisque Arcibus Reipub. Christianæ plurimùm nocent, quia impediunt Sanctorum Locorum recuperationem, Evangelii prædicationem, &c.

9 Hanc opinionem, quæ primâ facie aliquam videtur habere probabilitatem, esse omninò rejiciendam; & successivè contrariam, quæ verior est, sustinendam firmiter arbitramur. Ita videntur sentire Bart. *in l si quis reus, num. 12 ff. de public. judic.* Surd. *cons. 298 num 22.* Menoch. *de arbitr jud. lib. 2. cas. 336.* Farin. *cons. 59. n. 16.* ubi alios producit; Molf. *in sum. p. 2. tract. 12. de contractibus, cap. 20. num. 19.* ubi pariter plures allegat.

10 Moveor primò juribus, *in l. 1. Cod. de his qui veniam ætat. impet.* quæ vult, neminem sub fide publica decipi debere. *l. conventionum, ubi omnes, ff. de pactis, & cap. Innocens, causa 22. q. 4.* ubi dicitur, quòd publica fides data & hosti servanda est, *l. 1. ff. de pactis*, ubi habetur, grave esse crimen fidem fallere: Et ideò pacta omninò sunt servanda, *l. jurisgentium, §. Prætor ait, ff. eod.*

11 Moveor secundò rationibus. Scimus enim, fidem esse fundamentum justitiæ, & sub fide legem, & justitiam contineri, §. *Festinabis in authen. de mand. Princip.* atque adeò ubi fides non servatur, justitia & lex deficit. Tùm quia Militibus illicitum omninò est bonori Principis præjudicium inferre. Honor verò Principis postulat fidem datam seu securitatem, à suis subditis illæsam servari; aliter, ut innuit Moif. loc. cit. tota machina Universi subverteretur, si quis sub fide publica deciperetur. Insuper hujusmodi furtum non differt à rapinâ, quæ fieri potest absque violentiâ, aut compulsivâ, aut saltem turbativâ, & inquietativâ, ut tradunt Doctores *in §. 1. Instit. de bonor. raptor*: quod naturæ treugæ repugnat. Addo, nemini licere rem suam, quæ penes alium injusto titulo reperitur, clam per furtum, rapinam, & alio modo violento, & injusto accipere; cùm viâ juris res illa sit recuperanda, nisi aliqua justa causa id faciendi intervenerit, ut tradunt communiter DD.

Moveor tertiò exemplo, in Josue, qui Gabaonitis fingentibus se de longa terra venire, credidit, & cum eis pacem firmavit, & securitatem. Post tertium verò diem, cùm Populus Israel ad Gabaon Civitatem venisset, & se circumscriptum esse indignaretur, non permisit Josue pacem revocari nec ullam violentiam eis fieri; quia pax firmata erat religione juramenti. Hæc Glos. *in d. cap. Innocens, causa 22. q. 4.* sub verbo *ostendis*. 12

Magis in terminis facit illa nota historia de Uladislao Rege Hungariæ, qui insignibus contrà Amurathem Turcarum Imperatorem potitus victoriis, cùm inducias quas solemniter pactus fuerat, & juramento firmaverat, violâsset, & bellum reintegrasset, aleâ prælii mutatâ, prolatis ab Amurathe hisce verbis: *Christe, si DEUS es, quem tui perhibent de te, vindica perfidiam tuorum, qui contrà pacta jurata me invadunt*, in medios Turcas impetum faciens, equo excutitur, & capite truncatus non servatæ fidei pœnam habuit, ita refert Georg. Scheidius in *suis ad Tornovianam disputationem notis*. 13

Concludimus igitur, Militibus Christianis minime licere tempore treugæ, datâ fide, de sola violentia non inferenda, Arces, quas Turcæ injustè occupaverunt, clam furari; quamvis ad Principem, cui in militiâ deserviunt, pertineant, & furtum sequatur sine tumultu, & armorum exercitio. 14

Ad opposita respondemus: ad primum, negando esse malam, & incautam datam fidem, seu promissionem, etiam juramento firmatam de violentia minimè inferenda; cùm id exigat publicum Bonum, & possit quilibet cedere juri suo semper, & ad tempus, id privatâ, aut publicâ utilitate postulante. 15

Ad secundum, negando pariter, posse Bannitum in tali casu impunè occidi: dicunt enim, & probant Bart. Albert. Menoch. & alii, quos producit, & sequitur Farin. *cons. 59. num 16.* Bannito esse servandam securitatem, concessam à Judice non habente facultatem assecurandi sub fide publica, ac nomine regio, nè aliquis sub fide publica decipiatur. Et sic fuisse annis elapsis decisum, testatur Molf. loc. cit. *num. 19.* 16

Ad tertium, quòd licet Arx, à Turcis injustè occupata, possit Christianis pluribus modis nocere; continuatio tamen belli potest nocumentum longè majus Christianæ Reipub. inferre, ut consideranti patet; & duobus malis concurrentibus, minus debet eligi, ut per Text. *in cap. Duo mala, 13. dist.* 17

Infero primò ex dictis, delinquentem, pendente securitate, posse puniri, tam de ipso delicto, quàm de aliis; cùm recesserit à securitate, quæ intelligitur concessa, re in eodem statu permanente; quod etiam tradit Præses de Franch, *decis. 258.* 18

19. In-

occasionem ab Ecclesia egrediendi, eorum timori est adscribendum; unde culpatur timor, non verò Princeps, aut Dux.

9 Veritas tamen est, violari Ecclesiæ immunitatem per hujusmodi Militum immissionem à Duce ordinatam, ut Milites confugæ ob metum inde discedant. Abb. *in Cap. Inter alia, num 13. de immunit. Eccles.* Guido Papa, *quæst. 121.* Joan. Igneus, *in l. 1. ff. ad Senatus Consult. Syllan.* Ant. Gomez, *tom. 3. var. res. cap. 1. tit. quando reus gaudeat. num. 1.* Covar *resol. lib. 2. cap. 20 n. 17. vers. 31.* Bossius, *tit. de captura, num. 24.* Farin. *p. 1. pract crimin. q. 28. num. 9.* Pasqualigus. *in decis. moral. decis. 485. num. 4.* & alii, dum asserunt, Reos confugientes ad Ecclesiam non posse obsideri.

10 Moveor primò juribus, *in Cap. Definivit, causa 17. q. 4.* ubi apparet, personis, aut rebus fugientium ad Ecclesiam, nullam esse injuriam inferendam intra 30. passus Ecclesiæ in circuitu; *& in l. Præsenti, Cod. de his, qui ad Ecclesiam confugiunt,* ubi habetur, ut notat ibi Glos. quòd confugientes ad Ecclesiam non solùm non debent extrahi inviti, sed neque debent malè tractari. Profectò dùm Dux immittit Milites, aut Satellites ad locum immunem propter confugientes ad ipsum, non eis favet, neque eos benè tractat.

11 Moveor secundò rationibus; nam hujusmodi Milites confugæ non possunt in Ecclesia carcerari absque immunitatis violatione, ut certum est apud omnes: Ergò neque possunt in Ecclesia obsideri; cùm obsidio sit quædam species carcerationis. Quid autem est Milites, aut satellites in Ecclesiam, vel ad Ecclesiam intra 30. aut 40. passus Ecclesiæ in ambitu immittere, nisi obsidere, & strictiùs obsidere? præsertim si obsidio ejusmodi talem pariat, seu incutiat timorem, ut Milites confugæ ab Ecclesia, in qua obsidentur, arripiant fugam. Tùm quia Dux, aut Princeps, dùm immittit Milites ad Ecclesiam, ut indè Milites confugæ aufugiant, valdè eis nocet, quod expressè prohibet Concilium Toletanum 12. *Cap. 20.* nocet, inquam, quia hoc modo eos cogit indirectè ad deserendum locum, in quo sunt tuti, & ad eum accedendum, ubi capiuntur.

12 Moveor tertiò exemplo, seu praxi. Scimus enim, Principes, & Duces timoratæ conscientiæ nullatenùs audere in similibus casibus, qui tempore belli frequentes sunt, Milites, aut satellites immittere ad locum immunem, ut Milites confugæ indè ob metum exeant, quia indirectè eos cogerent egredi; & sic successivè beneficio immunitatis eos privarent: atque adeò peccatum, & censuram incurrerent Bonifacii Principis, qui, cùm vim confugienti ad Ecclesiam intulerit, fuit à S. Aug. excommunicatus, nec absolutus, nisi priùs hominem restituisset Ecclesiæ, ut refertur *in d. Epist. D. Aug. & epistola seq. & in Annal. Ecclesiast.* ab Odorico Rinaldo, *anno Christi 422. num. 11.* & idem probatur *in Cap. Frater, causa 17. q. 4.*

13 Concludimus igitur, nefas esse Principi, aut Duci Milites, aut satellites ad locum immunem immittere, ut ibi commorentur, & Milites confugæ ibi existentes ob metum indè exeant, & exundo capiantur; & propter ejusmodi immissionem incurrere pœnas canonicas, latas contrà violatores immunitatis Ecclesiasticæ.

Ad rationes in contrarium patet sufficientissimè responsio ex dictis; nec non & ex dicendis patebit. 14

Infero primò ex dictis, quemlibet reum, confugientem ad Ecclesiam, in Ecclesia ipsa tutum esse, nequè indè posse extrahi extrà casus exceptuatos; & extrahentes committere sacrilegium, ut per Text. *in d. Cap. Sicut antiquitùs, causa 17. qu. 4. & Cap. Si quis. Cap. Reum, de Cap. Frater, Cap. Miror. Cap. Quisquis, ead. cau. & q. Cap. Inter alia, & Cap. fin. de immunit. Eccles. d. l. Præsenti, & toto tit. Cod. de his, qui ad Eccles. confug. & omnes in l. Pleriq. ff. de in jus voc.* 15

Infero secundò, confugientem ad Ecclesiam interdictam gaudere immunitate intrà tempus interdicti, ex quo non desinat esse sacra. Ita etiam Tiber. Decian. *in tract. crimin. p. 2. lib. 6. cap 15. n. 20.* ubi limitat; dummodò non sit interdicta Ecclesia propter delictum, vel contumaciam illius, qui ad eam confugit. 16

Infero tertiò, Milites, aut alios captos, ab Ecclesiâ egressos ob metum incussum ex immissione Militum, vel satellitum, esse Ecclesiæ restituendos; aliàs capientes, & mandantes capi non posse absolvi. 17

Infero quartò, nullo interveniente dubio, an confugiens ad Ecclesiam gaudeat immunitate, non posse detineri in vinculis, & compedibus, nè aufugiat. Farin. *p. 1. pract. crimin. q. 28. num. 9.* Secùs verò, asserit Clar. *in pract. q. 30. vers. Quæro modo:* ibi dicens, Reos de consuetudine ad Ecclesiam confugientes poni in compedibus, vel cum bona custodia, donec cognitum fuerit, an gaudere debeant privilegio immunitatis, nec nè. Sed circa hoc videnda est Bulla Gregorii XIV. 7. *Cum aliàs, vers. Quodque delinquentes.* 18

Infero quintò, non licere Judici extrahere confugientem ad Ecclesiam per hoc, quòd dicat, notorium esse, eum esse publicum latronem, vel piratam, si ille neget se talem esse; quia multa dicuntur esse notoria, quæ non sunt, ut dicit Tex. *in cap. Consuluit,* il primo, *de appellat.* & tradit Tiber. Decian. *in tract. crimin. p. 2. lib. 6. cap. 28. sub num. 2. fin.* 19

Infero sextò, quod punitur non solùm, qui vi extrahit ab Ecclesia confugientem, sed etiam qui attentat extrahere, ut est Glos. ult. *in l. 2. Cod. de his, qui ad Eccles. confug.* quam ibi Salic. *num. 1.* sequitur, & Gigas, *in tract. de crim. lesa Majest. lib. 1. sub tit. qualiter, & à quibus, q. 1.* punitur extrahens vi confugientem ad Ecclesiam non solùm pœnâ mortis, *l. præsenti:* quæ est lex finalis illius tituli, in princ. *Cod. de his, qui ad Ecclesiam confug.* verùm etiam & reus criminis læsæ Majestatis reputatur; & fusè tradit, & probat juribus, & DD. authoritatibus. Farin. *p. 1. prax. & Theor. q. 28. n. 2.* 20

Infero septimò, immunitate gaudentem, si libenter vult exire, posse extrahi absque sacrilegio, etiam contradicentibus Ministris, quia proprio renunciat beneficio, quod colligitur ex *Cap. Frater, causa 17. quæst. 4.* ubi tantum prohibetur abstrahere hominem in Sanctuariis con- 21

constitutum reluctantem: Et ita explicat, & docet Turrecrem. in hoc *Cap. num.* 2. & 3.

12 Infero octavò, ab Ecclesiâ esse removenda omnia, quæ sæculi sunt, sanctitati repugnantia: Quia dicitur in Psalmo 91. *Decet domum tuam sanctitudo*, quod refertur *in Cap. 1. de immunit. Eccles.*

VIII. DIFFICULTAS.

An exigens, sinè licentiâ Summi Pontificis, universaliter ab omnibus tùm Laicis, tùm Ecclesiasticis justas gabellas, quas Princeps supremus imposuit in Terris suis tempore justi belli, & in aliis casibus à jure sibi permissis, incidat in Canonem quintum Bullæ Cœnæ?

1 NOtandum primò, quòd gabella in genere sumpta, importat exactionem publicam, cum multis aliis, quæ sunt tributum, pedagia, guidagium, vectigal, tallia, angaria, perangaria, & similia, quæ omnia clarè distinguunt Doctores, Jurisperiti, & Canonistæ, inter quos Sylvest. *in summa*, in verb. *Gabella* 1. 2. 3. 4.

2 Notandum secundò, incidere in Canonem quintum Bullæ Cœnæ imponentes in Terris suis nova pedagia, seu gabellas, vel augentes, vel exigentes, præter quàm in casibus sibi jure, seu speciali Sedis Apostolicæ licentiâ permissis. Et est certum, ut constat ex ipsissimis Bullæ verbis.

3 Notandum tertiò, quòd hic Canon, secundùm antiquiores Bullas, scilicet Martini Quinti, Leonis Decimi, Clementis Septimi, & aliorum, latè patebat; si enim extendebat ad omnes Principes tam supremos, quàm inferiores, nova pedagia imponentes, & exigentes in quovis casu in Terris suis; sed deindè ab aliis Pontificibus posterioribus fuit coarctatus, ut includeret duntaxat Principes inferiores, non habentes ab ipso jure potestatem imponendi gabellas. Ita observat Alter. *in Bullam Cænæ, disp. 6 lib 5, cap. 3.*

4 Notandum quartò, eos, quibus ipso jure reperitur concessa facultas tributa, seu gabellas in Terris suis imponendi, esse Summum Pontificem; Concilium generale, Imperatores, Reges, Ducem Sabaudiæ, Magnum Ducem Etruriæ, aliosque Principes supremos, non recognoscentes superiorem; Civitates liberas merum, & mixtum imperium habentes, ut sunt Venet, Genuenses, Lucenses, &c. ut habetur ex *l. vectigalia, Cod. de vectiga. & commiss. Cap. Innovamus, & Cap. super quibusdam, de verb. sign.* & tradit Sayr, *in suo Thesauro, lib. 3. cap. 9. num. 14.* Duard. *in Bull. Cœn. lib. 2. in Can. 5. qu. 2. n. 4.*

5 Notandum quintò, finem hujus Canonis fuisse impedire oppressionem libertatis humanæ subditorum, factam à Principe per impositionem gabellarum, & pedagiorum, ut observat Alter. loc. cit. princ. & ideò omnis impositio gabellarum fuit reprobata, & damnata omni jure, non solùm Pontificio, sed etiam Cæsareo, ut per Tex. *in l. 1. Cod. vectigalia*, & hujus legis violatores pœnâ centum aureorum cum infamiæ nota plectebantur, *l. unic. ff. ad leg. jul. de ambi.*

Notandum sextò, quamvis non sit aliquo jure scripto definitum, ut notat Suarez, *in explicatione hujus Canonis, disp. 21. de censur. sect. 2. sub. num. 36.* in quibus casibus liceat Principibus tributa imponere, fas illis minimè esse suo arbitrio id agere; sed causas requiri justas, quæ sunt publicæ necessitates, de quibus Bar. *in l. universi, Cod. de vectigal.* Sylv. loc. cit. *n. 5.* 6

Notandum septimò, appellatione exigentium venire ipsos Dominos, aliosque, quorum authoritate fit exactio; & etiam Hæredem gabellas imponentis; nec non & Conductores gabellarum, & illorum Ministros, qui ad portam Civitatis, aut alio in loco designato illas exigunt, & recipiunt. Ita Navar. & alii, quos recenset, & sequitur Sayr. loc. cit. *n. 8.* 7

His adnotatis; ad difficultatem propositam; an exigens sinè licentia Summi Pontificis justas gabellas, à Principe tempore belli justi in suis Terris impositas, universaliter ab omnibus tam Laicis, quàm Ecclesiasticis, incidat in Canonem quintum Bullæ Cœnæ, negativè respondent Graff. *par. 1. decis. lib 4. cap. 18. num. 84.* Sylvest. *v. gabella 3. §. 7.* Sayr. loc. cit. *num. 5.* Alterius loc. cit. *cap. 7.* & alii asserentes, esse quidem excommunicatos imponentes, & exigentes, absque licentia Pontificis, gabellas illicitas ex parte personarum, nempe Ecclesiasticarum, sed ex Can. spectante ad libertatem Ecclesiasticam, & ex *cap. Quamquam, de censib. lib. 6.* non verò ex dispositione Can. 5. Bullæ Cœnæ; cùm Princeps gabellas imponit in suis Terris in casu sibi permisso, id est ex causa justa belli ad repellendas hostium incursiones. 8

Fateor, hanc opinionem plures habere Sectatores; nihilominus arbitror contrarium esse verum, nempe novas gabellas, aliàs justas, sed injustas ex parte Ecclesiasticorum, quibus imponuntur, & à quibus exiguntur, citrà Summi Pontificis licentiam, vi hujus quinti Canonis prohiberi; & successivè exigentes hujusmodi gabellas universaliter tàm à Laicis, quàm ab Ecclesiasticis, hujus Canonis excommunicationem incurrere, Cajet. *v. excom. cap. 71.* Tolet. *lib. 1. cap. 22. num. 2.* Bonac. *de censur. Bull. Cœn. disp. 2. q. 6. punct. 3. sub num. 7. vers. Ego verò censeo.* Duardus, *in Bullam Cœn. lib. 2. in Can. 5. qu. 7. num. 16.* 9

Moveor primò juribus, *in cap. non minùs, & cap. Adversùs, de immunit. Eccles.* ubi Laicis expressè prohibetur sinè speciali licentia Sedis Apostolicæ Ecclesiasticis tributa imponere, aut imposita ab eis exigere. Canon autem noster excommunicat exigentes novas gabellas, imponi, seu augeri prohibitas in casibus à jure non permissis. 10

Moveor secundò rationibus: nam hunc Canonem incurrunt, qui contrà hujus Canonis prohibitionem directè operantur. Quod autem prohibet Canon iste, imponere in Terris suis nova pedagia, seu gabellas, augere, vel exigere absque licentia Sedis Apostolicæ in casibus à jure non permissis. Laicis verò non solùm à jure non permittitur nova tributa ab Ecclesiasticis exigere, sed expressè damnatur: Ut probant jura allegata: Et ideò 11

& ideò ejusmodi tributa qui imponit Ecclesiasticis, aut ab eis exigit, contrà dispositionem hujus Canonis agit; & sic vi ejusdem excommunicatur.

12 Moveor tertiò exemplo, in Consulibus, & Rectoribus Civitatum, relatis *in d. cap. Non minùs, & cap. Adversùs, de immunit. Eccles.* quos Concilium Lateranense voluit propter exactionem onerum Ecclesiasticis Impositorum excommunicationi subjacere, sic dicens, „ In diversis Mundi partibus Consules Civitatum, & Rectores, &c. Si autem Consules, aut alii de cætero ista commiserint, & commoniti desistere noluerint; tam ipsi, quàm fautores eorum excommunicationi se noverint subjacere: *In cap. Non minùs.* Adversùs Consules, & Rectores Civitatum, vel alios, qui Ecclesias, & Ecclesiasticos viros talliis, seu Collectis, & exactionibus aliis aggravare nituntur, volens immunitati Ecclesiasticæ Lateranense Concilium providere, præsumptionem hujusmodi sub anathematis districtione prohibuit, transgressores, & fautores eorum excommunicationi subjacere præcepit: *d. cap. Adversùs.* Et hanc Concilii declarationem fuisse aliquandò per Episcopos ad praxim deductam, testantur injustæ Exactorum querelæ, Romam pro absolutione delatæ.

13 Concludimus igitur, imponentes, & exigentes à Clericis gabellam, absque licentia Summi Pontificis, quamvis justa fuerit causa gabellæ imponendæ, incurrere censuram Canonis quinti Bullæ Cœnæ: Quidquid sit de oneribus, quæ accipiuntur à personis Ecclesiasticis, quantùm ad ea, quæ deferunt causâ negotiationis: circa quod videndus est Sylvest. *in summa*, in verb. *Gabella 3. n. 10.* Sayr. *in Thesauro, lib. 3. cap. 9. num. 6.*

14 Ad rationem in contrarium respondemus, negando suppositum; nempe Principem imponere præfatam gabellam in Terris suis in casu sibi permisso: casus enim, qui supponitur permissus, est omninò prohibitus in præfatis juribus, *cap. Quamquam, de censib. cap. Non minùs, & alius tit. de Immunit. Eccles.* & cùm Summus Pontifex excommunicet imponentes gabellas absque debita licentia in casibus non permissis, sequitur tam imponentes, quàm exigentes à Clericis dictas gabellas, Canonis quinti Bullæ Cœnæ ligari excommunicatione.

15 Infero primò ex dictis, incidere in Canonem quintum Bullæ Cœnæ exigentes nova tributa, justa ex parte causæ materialis, formalis, efficientis, ac finalis, sed injusta respectu personarum, à quibus exiguntur. Contrarium tenent Ugolinus hic, in verb. *seu imponi*, §. 1. Suarez ibid. *disp. 21. de censur. sect. 2. num. 43.* & alii.

16 Infero secundò, hoc Canone ligari personas privatas, & Ministros exigentes à personis à Sanctâ Sede privilegiatis hujusmodi tributa; si eis constet de injustitia tributi ex parte personæ imponentis, & impositæ. Secùs verò, si hujusmodi injustitiam invincibiliter ignorent: quoniam inculpabilis ignorantia sive juris, sive facti facit actum involuntarium, ut tradunt communiter Theologi.

Infero tertiò, incidere in hunc Canonem 17
imponentes in casibus non permissis pedagia in Terris suis; sive Terræ sint Civitates, sive Oppida, sive Territoria in quacumque parte, ut in flumine, in ponte, in via: si tamen absit licentia Sanctæ Sedis.

Infero quartò, imponentem Clericis, & 18
aliis Ecclesiasticis personis tributa in casibus non permissis citrà Romani Pontificis licentiam, si sit Universitas, Civitas, Castrum, aut Villa, non incurrere excommunicationem cùm Communitas non excommunicetur. *Cap. Romana de sent. excomm. in 6.* sed subjici interdicto, donec restituerint extorta. Bonac. loc. cit. *n. 8.* Duard. *in Bull. Cœn. lib. 2. in Can. 5. q. 5. n. 7.*

Infero quintò, incidere in hunc Canonem 19
Barones, Comites, Marchiones recognoscentes superiorem, si absque debita facultate imponant in Terris suis tributa; quia non habent facultatem ea imponendi. Ita etiam Duardus docet loc. cit. *q. 6. sub n. 1.*

Infero sextò, habentes facultatem imponen- 20
di pedagia nova, & gabellas graviter peccare, si absque justa causa gabellas in Terris suis imponant. Sic docet etiam Alter. *in Bullam Cœn. disp. 6. lib. 5. cap. 2.*

Infero septimò, Summo Pontifici, & Con- 21
cilio Generali jus competere declarandi simpliciter, quæ gabellæ sint licitæ, vel illicitæ in Terris aliorum, & illas tanquàm licitas, vel illicitas permittendi, aut prohibendi. Ita etiam Alterius loc. cit.

Infero octavò, licere Summo Pontifici, & 22
Concilio Generali, quod authoritatem habet à Papa, ut Jo. Andr. & Abb. *in Cap. Super quibusdam, de verb. signif.* Sylvest. in verb. *Gabella 3. §. 3.* D. Anton. *p. 2. tit. 1. cap. 13. §. 6.* concedere in casu particulari Ducibus, Principibus, aliisque superiorem recognoscentibus, facultatem imponendi gabellas in Terris suis; ut putà ad sui defensionem contrà Hæreticos, ad defendendam Civitatem; ad propugnandam, vel defendendam Fidem, ad resistendum Turcarum, aliorumque Infidelium conatibus. Sic pariter sentit Alterius loc. cit.

Infero nonò, imponentes in Terris suis no- 23
va pedagia, aut agentes antiqua, absque debita authoritate, aut exigentes injusta, teneri ad restitutionem Spoliatis, vel hæredibus eorum, aut pauperibus, si prædictos ignorant, & absque spe illos dignoscendi, ut per Tex. *in Cap. Si res, causa 14. quæst. 6.* & tradit Sylvest. *v. Gabella 3. num. 7.*

Infero decimò, Personas Ecclesiasticas oc- 24
cultando per se, vel per alios res sive suas, sive Ecclesiarum suarum, quas Principes, aut Exactores ab eis injustè, & indebitè quærunt, non peccare; modò à mendaciis, & à scandalo caveant. Ita etiam docet Silv. loc. cit. *num. 10.*

Infero undecimò, incidenter, existente justâ 25
causâ, posse licitè Concilium Generale imponere gabellas, non solùm in Terris Ecclesiæ Romanæ subjectis, sed etiam in toto Orbe Christiano; quia Constitutio Lateranensis loquitur universaliter, & indistinctè: præterquam quòd Concilium Generale repræsentat Ecclesiam universalem:

versalem: atque adeò jus ejus non est determinatum ad locum, aut ad certas personas, sed ubique extenditur: ut optimè observat Alter, loc. cit.

IX. DIFFICULTAS.

An Princeps, Successor dignitatis, & bonorum, teneatur solvere debita sui Prædecessoris, ab eo contracta pro Arce tempore belli ædificandâ?

1 Notandum primò, Arces à militari politica esse inventas, ut hostes à Territorio arceantur; atque adeò in earum ædificatione cavetur, nè collis, aut jugum immineat; neve sylva densa, aut latens fossa, vel sinus occulti jaceant, unde latebræ hostium, & insidiæ parari, aut tacito speculatu pericula oriri possint, Alex. *lib. 1. cap. 12.* ubi propriè præfatas conditiones asserit esse observandas in castrorum metatione.

2 Notandum secundò, licitum esse Principibus fabricare nova castra; si hoc faciant, non ad alterius injuriam, sed ad conservationem sui status, vel honoris; nec posse prohiberi per alium, quamvis inferat alteri damnum, aut timorem, & adest Text, *in l. de meo, ff. de aqu. plu. arcen.* & tradit Sylv. *in sum. v. bellum 1. num. 15.*

3 Notandum tertiò, licere Principi justi belli ad parandum pacem, & securitatem ab hostibus, non solùm diruere Arcem hostium, sed & in hostico etiam munitionem erigere, si ità necessitas postulaverit, ad vitandum periculum ab hostibus; cùm finis belli sit pax, & securitas, Franc. à Victor. de *jure belli, relect. 6, num 18.*

4 Notandum quartò, Successorem Principis posse ei succedere in Principatu, aut jure hæreditatis, aut jure sanguinis, aut jure electionis, aut alio jure.

5 Notandum quintò, Principem esse propter utilitatem Populorum, ut docet Arist. *lib. 3. Polit. cap. 11.* & ideò teneri utilitatem publicam procurare, & conservare suum Principatum in eo statu, in quo est, *l. neminem in fine, Cod. de Decurion* & not. per Gloss *in l. moveor, Cod. de serv. export.* & per Sylva, *conf. 1. n. 27. lib. 1.*

6 His adnotatis, ad difficultatem propositam, an Princeps, Successor dignitatis, & bonorum, teneatur solvere debita sui Prædecessoris, ab eo contracta pro Arce tempore belli ædificanda, sive in proprio, sive in alieno dominio, affirmativè; absque ulla controversia, respondemus, si Arx constructa fuerit pro necessitate, & utilitate Principatus quocunque jure successerit in Principatu juxta ea, quæ tradunt Bald. in *cap. 1.* verb. *in perpetuum, de pace Constantien.* Ignens *in lib. donationes, num. 18. Cod. de donat. inter. vir. & uxor,* Purpurat, *conf. 17. num. 4. inter Cons. feud. diversf.* Capic, *decis. 121, num 7.* & ita debent admittere omnes, qui dicunt Principem, successorem dignitatis, & bonorum, teneri servare promissa sui Prædecessoris, Soc. jun, *in conf. 60. num 19. lib. 3.* Jas. *in l. 1, colum penult. ff. de Constit.* princ, & *in conf. 1. num. 2. lib. 1.* Natt, *in conf. 122. num. 3. lib. 2.* Card. Alban. *in Lucubrat. in Bart. in l. digna vox, Cod. de legib. num. 2.* & alii plures, loquentes de Successoribus Pontificis, Regis, Ducis, Marchionis, Comitis, quos recenset, & sequitur Menochius in *conf. 534. num. 1. & in conf. 264. n. 19. & 20.*

Moveor primò juribus, *in l. Cum matre, C. de rei vind.* ubi habetur, quod hæres non potest sui Antecessoris facto contravenire, & *in l. ult. ff. de donat. inter vir. & uxor,* & *Cap Ex Epistola de probat.* ubi habetur, pacta emissa inter Principem Successorem, & Prædecessorem esse observanda, & in *Cap. Si ea, causa 25. quæst. 2.* ubi sic legitur; „Si ea destruerem, quæ Antecessores nostri statuerunt, non constructor, sed„ eversor esse justè comprobater. 7

Moveor secundò rationibus, quia dignitas censetur semper eadem, *Cap. Quoniam Abbas,* ubi Gloss. de *off deleg. Cap. Si gratiosè, rescript, in 6.* Et sicut Princeps ipse, qui mutuum accepit, contraxit, & promisit solvere, observare debet, *l. digna vox, Cod. de legib.* ubi Bald, & Zasius *in conf. 10. num. 17. lib. 2.* & alii; ita & ejus Successor, præcipuè cùm debita censeantur contracta nomine dignitatis. Præterquam quòd Princeps, contrahens debitum pro necessitate, & utilitate Principatus, se gessit ut bonus, & fidelis administrator; atque adeò justum est, succedat in onere, qui succedit in honore, & utilitate; alias si Principum Successores non tenerentur Prædecessorum debita solvere, & promissa servare, quis unquàm vellet cum Principibus contrahere, eisque pecuniam pro utilitate Principatus commodare? 8

Moveor tertiò exemplo, in Successoribus dignitatis Ducalis Philippi Mariæ Ducis Mediolani, qui ob Jurisperitorum sententiam fuerunt obstricti pacta, & contractus cum Oppido Burgi Franchi observare, ut refert Menochius *in conf. 264. n. 2.* 9

Concludimus igitur, Reges, & Principes esse obnoxios exsolvendis debitis eorum, quibus in Regno, & Principatu successerunt, sive sint Filii, sive alii Agnati; aliàs si successor Regis, aut Principis contraveniret facto sui Antecessoris, diceretur contravenire sibi ipsi cùm semper sit unum Regnum; & unus Principatus. 10

Infero primò ex dictis, nefas esse cuiquam, qui supremus Princeps non est, absque Regis, aut Principis facultate, facere castrum etiam in suo proprio solo, aut domum propriæ habitationis fortem, ut ex pluribus juribus, & Doctorum auctoritatibus probat Molina, *part. post. tom. 3. tract. 2. disp. 709.* Quidquid fuerit olim de jure communi, ut habetur *lib. 3. ff. de oper. publ.* 11

Infero secundò, Principi justi belli licere in confinio alterius Principatus, aut Regni non recognoscentis Superiorem, construere de novo Castrum in suo proprio Territorio, ut hostium arceat violentias & insidias. 12

13 Infero tertiò, licere Principi supremo non solùm efficere Castrum, & Fortalitium, sed à fortiori antiquum reficere, & reparare: Secùs verò alteri Superiorem recognoscenti, absque Regis facultate; & quidem si Fortalitium fuerit solo æquatum, aut ob jussum in pœnam delicti, aut conditionem infortunii, aut temporis vetustatem. Ita statuere videtur *lex sacra*, §. *Muros*, *ff. de rer. divis.* & *l.* 1. §. *penult. ff. de mortuo inferendo*: Et tradit Molina, loc. cit. asserens ibi, licere domino Fortalitii, licitè illud reficere, sive ruinam minetur, sive non.

14 Infero quartò, non licere Principi imponere suis subditis jam gravatis nova onera pro impensis fabricæ novi Fortalitii; cùm sit iniquum aliquem duplici onere gravare, *lib. navis onusta*, §. *Cùm autem*, *ff. ad leg. Rhodi an. de jactu*, & *l. Titia*, §. *Qui invitâ*, *de leg.* 2.

15 Infero quintò, à Successoribus Principum, aut Regum Antecessorum debita esse solvenda, si fuerint contracta ex ædificatione novi Fortalitii, aut ex alio commodo Principatus, aut Regni; etiam si non per Successionem sanguinis, sed per electionem Regnum ad successores pervenerit, ut etiam tradit Tiraq. loc. cit. *n.* 26.

16 Infero quintò, Principem Successorem teneri observari promissionem sui Prædecessoris de non ædificando Fortalitis, Romanus *in consf.* 52. *in quæstione Martin. de laud. in tract. de Princip. vers.* 127. *contractus*.

17 Infero sextò, Successorem Principis, qui promisit Castrum defendere, teneri servare suam promissionem, si bellum ipsum illatum esset injustum: Secùs verò quando bellum justè infertur; cùm in tali casu nec Princeps, qui promisit, teneatur ad ejusmodi defensionem. Ita Bart. *in l. quidam cùm filium*, *num.* 5. *ff. de verb. obligat.* Imola ibi Alex. *in consf.* 114. *num.* 3. Dec. *in l. non defendere videtur*, in fin. *ff. de reg. jur.*

18 Infero septimò, à fortiori illum, qui succedit tanquàm hæres in Principatu, & in Regno, teneri solvere debita sui Prædecessoris, quoquo modo contracta; cùm non possit improbare factum defuncti, nec contrà ipsum venire, *l. cùm à matre*, *Cod. de rei vindicat. l. pro hæreditariis*, *Cod. de hæredit. act.* & *l. venditrici*, *Cod. de reb. alien. non alien.* & *l. ex quâ personâ*, *ff. de reg. jur.*

19 Infero octivò, Successorem Principis, cujus non est hæres, non teneri solvere debita, contracta pro ædificatione Fortalitii, quod non est in utilitatem Principatus, sed potiùs in dispendium, utpote exigens continuas expensas pro manutentione præsidii, & aliàs minimè necessarium pro Territorio tuendo; Secùs verò, si est hæres.

20 Infero nonò, Successorem Principis non teneri stare his, quæ in detrimentum Principatus fecere Prædecessores absque sufficienti potestate illa faciendi Bart. *in l. prohibere*, §. *Planè*, *ff. quod vi, aut clàm*, Jas. *in consf.* 1. *num.* 5. *lib.* 1. quia Princeps cùm sit administrator, & non Dominus Principatus, non potest, ex defectu potestatis facere ea, quæ præjudicium inferunt Principatui.

Infero decimò, Successorem Prælati teneri solvere debita sui prædecessoris, contracta in utilitatem Ecclesiæ; Secùs verò si non fuerint in Ecclesiæ utilitatem Innoc. *in cap.* 1. *de solut.* Butr. *in cap. penult. n.* 9. *de fidejuss.* Castrens. *in consf* 338. *num.* 2. *lib.* 3. 21

Infero undecimò, Successorem Principis teneri solvere expensas ab eo factas in muniendo Castro, seu Oppido alterius ad faciliùs hostes arcendum, seu propulsandum à proprio Principatu; vel ad inferendum alteri justum bellum; quia Dominus Castri, seu Oppidi, quamvis non sit subditus Principis, non tenetur aliquid restituere pro expensis munitionis. Ita etiam tradunt Bald. *in l. si in aliquam*, *ff. de offic. Proconsul.* Angel. *in l. turres*, *Cod. de oper. public.* Garcia, *de expensis*, *cap.* 21. *num.* 30. Grammat. *consf.* 13. Bossius, *tract. de Custod. clav.* & hoc valet, etiamsi finito bello Successori restituatur Castrum, ut tenet Pasqualig. *in qq. moral. jurid. q.* 164. *num.* 9. ubi alios allegat. 22

Infero duodecimò, graviter peccare cum onere restitutionis illos Consiliarios, qui & animis, & auribus Regum, & Principum suggerunt, non eos teneri antecessorum Regum, & Principum debita solvere, etiam in utilitatem Regni, & Principatus contracta; cùm suadeant id quod iniquum est, & contrà justitiam. 23

Infero decimotertiò, quòd Princeps in contractibus utitur jure communi, & consideratur ut privatus. Sic etiam egregiè tradit Dec. *in consf.* 580. & *in consf.* 689. Principi enim DEUS subjecit leges, non contractus, Bald. *in cap.* 1. *de natur. feud.* qui ibi citatur à Decio in *d. consf.* 689. 24

Infero decimoquartò, esse ad unguem observandum à Principe, quod per se, vel per suos Ministros promittit. Siquidem fides certa, & observantia promissorum præclarum reddit Principem, *l. inter claras*, *Cod. de Sum. Trinit.* idemque dicit Bald. *in l.* 1. *ff. de pactis*. Et ideò prudenter dixit Aristoteles, ut refert Bald. loc. cit. Alexandro Macedoni: Serva promissa, alioquin malus finis te sequetur. 25

X. DIFFICULTAS.

An liceat tradere militibus Civitatem diripiendam, seu in prædam, quando bellum est justum.

Notandum primò, Civitatem obsessam, aliquandò ita obstinatè resistere ob imprudentiam, aut metum, aut valorem Gubernatoris, aut Militum arrogantiam, ut obsidentium Dux judicet necessarium, aut valdè expediens, ob justos fines, scilicet, ut milites spe prædæ eam ferventiùs oppugnent; ac aliæ Civitates deterreantur, nè tam obstinatam resistentiam demonstrent, illam militibus tradere diripiendam, seu in prædam. 1

Notandum secundò, plura esse in Urbium direptione inconvenientia; ut sunt cædes, cruciatus, & damna innocentum, oppressio virginum, 2

num, matronarum violentia, Ecclesiarum spoliationes, & sæva alia, ac injusta, ac sacrilega.

3 Notandum tertiò, obedientiam, quæ est præcipuus cardo, quo militiæ machina volvitur, ut notat Crispol. *in suis casib. milit. casu 8. num. 3.* difficilè posse in similibus eventibus integrè servari.

4 Notandum quartò, militaris valoris, quasi dixerim, Animam præmii spem esse; unde valor in militibus quodammodò evanescit, nec non obedientia infirmatur, spe præmii laboris deficiente, Ayal. de *jur. & off. bell. & militari disciplina, lib. 3. cap. 2. de offic. legat.* Petrin. Bell. de *jur. bell. de delict. milit. n. 26.* & alii.

5 Notandum quintò, aliquandò esse licitum per se, quod per accidens alteri nocet, ut putà, interficere innocentes, cùm oppugnatur Arx, aut Civitas justè, in quâ cónstat, multos esse innocentes, opprimendos machinis bellicis, ad finem belli obtinendum solutis; alias bellum justum contrà nocentes nullatenùs posset geri; cùm ferè semper mixti sint nocentibus insontes. Ita tradit etiam Victor. *relect. 6. de jure bell. num. 35.*

6 His adnotatis; ad difficultatem propositam, an quando bellum est justum, licitum per se sit Civitatem obsessam militibus tradere diripiendam, seu in prædam, negativè videtur respondendum ob multa, & gravia scelera, quæ à militibus eâ occasione solent perpetrari. Prætereà avaritia, & cupiditas deprædandi & concutiendi proximum propter prædam, quæ prohibetur, *Cap. Noli existimare, & Cap. Quid culpatur, Cap. Militare, causa 23. quæst. 1.* non potest facilè frænari; cùm obedientia juxtà notata, in similibus eventibus obtineri difficilè queat.

7 Veritas tamen est, licitum per se esse tradere Urbem militibus diripiendam, quando Dux prudens, & timoratus id judicat necessarium aut saltem expediens, si Victoria aliter obtineri non possit. Victor. *Relect. 6. de jure belli, num. 52.* Sylvest. *in summâ*, verb. *bellum 1. quæst. 10. conclus. 3.* Laym. *lib. 2. tract. 3. cap. 12. num. 13.* Reginaldus, *tom. 2. lib. 21. cap. 8. num. 315.* Molina, *tom. 1. de just. tract. 2. disp. 122.* Coninch. *de bello disp. 31. dub. 7. num 127.* Castropalaus, *tom. 1. tract. 6. disp. 6. punct. 4 num. 28.* Filliuc. *tom. 2. tract. 29. cap 9. de bello, quæst. 11. num. 198.* Valentia, *tom. 3. disp. 3. quæst 16. punct. 3.* Diana, *p. 6. tract. 4. res. 21.* & alii communiter.

8 Moveor primò juribus, *arg. in l. oratio, ff. de sponsal. l. pupillus, §. Sed & si per interpositam, ff. de auctor. tut.* ubi habetur, permissum ubi aliquid est, dici etiam permissum omne, quo ad illud pervenitur. Et tradit clarè Socin. *cons. 226. col. 17. vers. ampliùs dico, lib. 2* Crav. *cons. 203. num. 25.* Cùm ergò justitia belli permittat Civitatis obsessionem, videtur etiam permitti, tanquam licita, Civitatis direptio; cùm aliter ad finem belli perveniri non possit, & *in Cap. Noli existimare, causa 23 quæst. 1.* ubi ostenditur, resistenti justum bellum posse inferri, & sic omnia media adhiberi, quibus ad finem pervenitur: Et *Cap. Quid culpatur, ead. causa, & q.* ubi dicitur, bellum esse licitum, & sic id, quod bellum fert, quando sumitur, aut ex inspiratione divina, aut præcepto Principis propter mala punienda, ut fusè explicat Turrecremata *in d. Cap. Quid culpatur.*

Moveor secundò rationibus; nam quando 9
bellum est justum, licitum quoque est omne, quod necessarium est, aut expediens videtur ad bellum gerendum, vel inimicos deterrendos, vel ad milites animandum. Tùm etiam, quia frustraretur justitia bellantium. Tùm denique, quia exercitus, qui justè bellat, damna majora pateretur ob resistentiam obstinatam Civitatis obsessæ, quibus subjici minime tenetur; atque adeò pro illis vitandis, & ut milites illam validiùs oppugnent, dicendum est, licitam esse illius traditionem in militum prædam.

Moveor tertiò exemplo, seu potiùs commu- 10
ni praxi, à Principibus, & Ducibus, sine reprehensione, usurpatâ, ut notat Diana, loc. cit.

Concludimus igitur, ob gravissimas causas, 11
fas esse Civitatem etiam Christianorum tradere aliquando militibus in prædam; & si ita moralis necessitas postulaverit ad expediendum bellum, accendendum militum animos, atque hostes deterrendum; quamvis probabiliter judicetur, plura scelera esse à Bellantibus perpetranda; cùm solùm per accidens hæc flagitia committantur; nec à Principe, aut Belli Duce intendi debeant.

Ad rationes in contrarium respondemus; 12
Ad primam, præfata mala in Civitatis direptione evenire non per se, sed tantùm per accidens, quod non reddit illicitam actionem, ut notavimus.

Ad secundam, concedendo, in similibus 13
eventibus non posse facilè militum cupiditatem deprædandi frænari: & hoc etiam constat per accidens evenire.

Ad probationem respondetur, cupiditatem 14
deprædandi esse quidem prohibitam, quando propter illam principaliter bellatur, seu quando militare fit per se, & principaliter ex avaritiâ, & causâ deprædandi, & concutiendi proximum propter prædam: Secùs verò quando militatur ex justâ causâ, & fine aut pacem acquirendi, aut hostes deterrendi, aut milites animandi; aut aliâ justâ, & rationabili causâ, ut vult S. Aug. de *verbis Domini*, relatus *in d. Cap. Militare, causa 23. q. 1.* & ibi Turrecrem. *n. 1.*

Infero primò ex dictis, licitam esse promis- 15
sionem factam militibus de hostili Civitate tradendâ eisdem militibus in prædam, quando bellum est justum, & aliter victoria obtineri non potest. Ita etiam Filliuc. loc. cit.

Infero secundò, licitum esse non solùm ante 16
victoriam, sed aliquando etiam partâ victoriâ, Civitatem justè Bellantibus tradere diripiendam, ut hostes luant in bonis temporalibus culpam injustitiæ; aut ut milites animentur ad nova bella, & fortassè duriora; aut ut cæteræ Civitates deterreantur, & animum obstinatum præstandi resistentiam deponant; quia hæ omnes sunt rationabiles, & justæ hujusmodi traditionis causæ.

Infero tertiò, aliquando licere rationabili, & 17
gravissimâ ex causâ incendere Civitatem aliquam; quamvis sciatur, plures innocentes in communi

incen-

incendio in cincerem verti. Sic etiam Molina, loc. cit.

18 Infero quartò, licitum esse in justo bello deprædari hostes, ut *in d. Cap. Militare ; & Cap. Quid proderit. dist. 6t.* dummodò præda non sit caussa militandi, sed solùm pax, & quies Ecclesiæ, vel alia causa justa, ut tradit Turrecrem. *in d. Cap. Militare.*

19 Infero quintò, posse quidem aliquandò ob caulas gravissimas dari Urbem in prædam Militibus ; milites verò privatâ auctoritate prædas agere, aut hostibus damna inferre minimè posse ; cùm sint executores tantùm, & ministri. Ita pariter docent Sà, verbo, *Bellum*, Laym. Filliuc. Diana, quos producit Herman. Busembau *in suâ Medullâ Theol. Moralis, lib. 3. tit. 4. de quintò, & sextò præcepto, cap. 1. de bello, num. 5.*

20 Infero sextò, in conflictu belli, in oppugnatione, aut defensione Civitatis, vel Arcis; & quando res est in periculo, licitum esse interficere indifferenter omnes è contrario pugnantes; cùm victoria non possit haberi, nisi tollantur impedimenta. Sic Molina, loc. cit.

21 Infero septimò, Milites, qui absque authoritate Principis, aut Ducis, prædas agunt, aut incendia faciunt, peccare mortaliter, & teneri ad restitutionem damnorum. Sic etiam docet Victor. *Relect. 6. de jure belli, n. 53.* cùm ipsi non sint Judices, sed tantùm executores.

22 Infero octavò, licere damnificare innocentes non subditos hosti, si hoc fiat præter intentionem damnificantis, & ita exigat necessitas capiendi Castrum. Ita docet etiam Sylvest. *in summa*, in verb. *bellum 1. quæst. 10. sub num. 11.*

23 Infero nonò, Civitatem, quæ nimis rebellis fuit, nec non & injuriosa Principi, posse per se tradi in prædam Militibus; & aliquando id convenire, ut aliæ Civitates à traditâ in prædam discant servare fidelitatem, & rebellionem odio habere. Castropalaus, *p. 1. de charitate, tract. 6. disp. 5. punct. 4 n. 28.*

24 Infero decimò, in direptione Urbis posse expugnari, & comburi Ecclesiam, quamvis sequantur aliqua incommoda, si hostes eâ utentur tanquàm Arce Castro ad se defendendum, aut aggressores oppugnandum ; quia hæc sunt per accidens. Secùs verò, si in Ecclesia, aut aliis Locis sacris hostes se recipiant solùm, ut evitent Victorum furorem, & crudelitatem; tunc enim & ipsi, & sua, quæ in Ecclesia reponuntur, immunitatis privilegio gaudent. Suarez, *disp. 13. de bello, sect. 7. n. 14.*

25 Infero undecimò, teneri Ducem, quando, partâ victoriâ, tradit Civitatem Militibus diripiendam, eis severè præcipere, ut abstineant à direptione Ecclesiarum, ab occisione innocentium, & à patrandis iis sceleribus, quæ facilè à Militibus in dicto casu committi solent: Filliuc. loc. cit *sub. num. 199.* Diana loc. cit.

26 Infero duodecimò, Ducem exercitus teneri omnia diligenter examinare, antequam tradat Civitatem Militibus diripiendam, ut videat, si necessaria, aut expediens sit ejusmodi traditio; & necessitate obstrictum eam in prædam Bellantibus tradere, teneri præfata scelera, quantùm potest, impedire, ea severè, & sub gravibus pœnis priùs prohibendo ; & demùm eos punire, qui mandato non obediverint. Et ita censent DD. suprà citati.

XL. DIFFICULTAS.

An liceat Domino extrà casus necessitatis Fortalitium in alium transferre, invitis subditis, contrà pactum cum eis initum ab ejus Antecessoribus.

1 Notandum primò, conventiones, & pacta jurisgentium esse, & ideo non subjici potestati Principi, ut tradunt omnes, *in Cap. Quæ in Ecclesiarum, de Constit.* ibi Felin, *num. 66.* Dec. *num. 34* Idem tenent Afflict. *decis. 391. num. 1.* Cravet. *in Cons. 103. num. 1.* Menochius, *in Cons. 156. n. 46.*

2 Notandum secundò, alienationem dupliciter sumi; primò strictè; & tunc dicit actum, vel contractum, per quem transfertur dominium, *Cod. de fund. dotali l. 1.* & facit Tex *in l. alienationis verbum, ff. de verb. & rer. signif.* secundò largiùs; & dicitur datio in emphyteusim, & locatio ad longum tempus, & comprehendit contractus, quibus non transfertur dominium, *l. Jubemus*, il secondo, *Cod. de Sacr. Eccles. Auth. de non alien. aut. permut. §. Nos igitur*, & tradit. Jac. de Bellaper, *in Authen. de non alien.*

3 Notandum tertiò, multis modis fieri alienationem; scilicet vendendo, donando, permutando, infendando, in emphyteusim dando. Turrecrem. *in Cap. Apostolicos, num. 1. cau. 12. q. 2.* Ant. Butr. *in Cap. Nulli, de reb. Eccles. non alien. n. 2.*

4 Notandum quartò, alienationem factam contrà formam juris non valere. Ita communiter Jurisperiti, & Canonistæ, inter quos Turrecrem, *in cap. Episcopus, n. 1, caus. 12. q 5.*

5 Notandum quintò, Principem teneri ordinariè loquendo, servare fidem datam, & eò magis, quando adest juramentum; nam illud tanquam juris Divini omninò obligat etiam Principes. Ita Crave. Nevizanus, & plures alii, quos recenset, & sequitur Menochius, *in Cons. 624. num. 17.*

6 Notandum sextò, non solùm ipsum Principem, qui promisit, sed etiam ejus Successorem, teneri observare promissa ; sive successor sit, & hæres bonorum ; sive successerit in sola dignitate. Soc. *in cons. 60. num. 19. lib. 3.* Jas. *in Cons. 1. num. lib. 2.* Natta, *in Cons 122. num. 3, lib. 1.* & alii innumeri ; cùm non possit Hæres sui Antecessoris facto contravenire, *l. cùm à matre, Cod. de rei vend.*

7 His adnotatis ; ad difficultatem propositam, an liceat Domino extrà casus necessitatis Fortalitium in alium transferre, invitis subditis, contrà pactum cum eis initum ab Antecessoribus, affirmativè videtur respondendum ; nam Princeps utens plenitudine potestatis, quâ potest uti, potest alium jure suo privare. Præterea ob causam publi-

publicæ utilitatis potest auferre jus tertii. Præterea sacrilegium est disputare de Principis potestate.

8 Video, has rationes primâ facie aliquam vim habere in aliquibus casibus, non verò in nostra difficultate; undè contrarium, quod de jure arbitror verius, amplector, & sustineo: nempe Domino non licere Fortalitium, invitis subditis, contrà pactum cum eis initum ab Antecessoribus, in alium transferre, Glos. *in l. initus, ff. de fideicom. liberta.* Oldrad, *in Conf. 231.* fin. Bald. *in l. in testamento, Cod. ad leg. Falcid.* Dec. *in Conf. 889. num. 5.* Ruin. *in Conf. 7. n. 12. lib. 1.* Patis. *in Conf. 22. num 70.* Soc. Alex. & alii, quos producit, & sequitur Card. Albanus, *in Lucubrat. in Bart. in l. prohibere, §. planè, ff. quod vi, aut clam, num. 4.* & plures alii innumeri, quos recenset, & sequitur Menoch. *in Conf. 264. n. 30.*

9 Moveor primò juribus, *in l. 1. & l. Jurisgentium, §. Prætor ait, ff. de pactis*, ubi habetur, conventiones, & pacta esse diligenter observanda, cùm non possint violari; Et clarè *in d. l. Invitus, ff. de fideicommiss. liber.* ubi habetur, non licere Domino directò alienare directum dominium, & facere, ut vassallus efficiatur vassallus alterius, eo vassallo invito: *Et in cap. 1. de proba.* ubi habetur, quòd Princeps, & etiam Papa, tenetur servare contractum, præcipuè ab eo factum; *& in l. sicut, Cod. de actio. & obligatio. l. non idcircò*, in fin. *Cod. de contrahen. empt.* ubi habetur, quod contractus revocari non potest; & Dominus revocaret, si contrà pactum cum subditis initum de non transferendo Fortalitium in alienum dominium transferret: Et sic pacto contraveniret, quod non potest etiam de plenitudine potestatis, ut dicit Paul. de Cast. *in l. digna vox, Cod. de leg.* & Bald. *in Capitu. 1. §. Ad hæc, col. 5. in vers. Item nota ex glos. ff. de pac. jur. firm.*

10 Moveor secundò rationibus; nam Principum verba nunquàm irrita esse debent, ut probat Bald. *in conf. 327.* Tiraq. *de nobilit. cap. 20. num. 24.* & debet Princeps esse immobilis, sicut lapis angularis, & polus in Cœlo, Tiraq. *ibidem*, in factis à se, & suis Antecessoribus, ut probant Soc. Jas. Natta, loc. cit. dummodò non obstent bonis moribus. Tùm etiam, quia non solùm Princeps, qui promisit, tenetur servare promissa, sed etiam ejus Successor, ut diximus in sexto Not. atque adeò si Princeps, sub sua datione recepit Castrum cum pacto, & promissione non transferendi illud in alium dominum, nec ipse, nec ejus Successor, potest licite ad ejusmodi translationem procedere.

11 Moveor tertiò exemplo, sed potissimùm in Constantino, qui cùm donaret Romam S. Sylvestro Papæ, juravit, Cives Romanos consentire donationi: Refert Bald. *in cap. 1. §. In generali, vers. Quæro utrum, Rex, si de feud. fuerit controvers. inter Dom. & Agna.* & exemplo relato à Menochio, *Conf. 264.* in investitura Castri Bastitæ obtenta à Jo; Franc. Parpalea ab Emmanuele Sabaudiæ Duce; in cujus approbatione factâ à Camera Ducali, adjecta fuit clausula reservationis jurium cujuslibet tertii; ex quo constat, Principes non intendere Civitatem, Castrum, Oppidum in alienum dominium transferre, quando alterius juri derogat translatio

Concludimus igitur, servandas esse conventiones, & pacta inter Dominum, & subditum inita; & non solùm Principem, & Dominum illum, qui promisit, teneri servare conventiones, & pacta, sed etiam ejus Successores in ipso Principatu, & dignitate, ut optimè probat, præter à nobis dicta, plurium authoritatibus Menochius, *in Conf. 1. num. 228. lib. 1.* unde si Princeps expresso pacto promisit sub suo dominio Fortalitium in perpetuum retinere; nec ipse, nec ejus Successor licitè potest, invitis illius civibus ejus subditis directè vendere, dare, transferre, alienare ipsum alteri, sed debet semper dominium ipsius apud se retinere. 12

Ad rationes in contrarium respondemus; ad primam, negando posse Principem sinè causa aliquem privare jure suo, quamvis utatur plenitudine potestatis. Ita censent plures, inter quos Crav. *in Conf. 5. num. 10. Conf. 7. num. 10. Conf. 103. num 3.* ubi asserens, modos acquirendi dominium esse quidem juris civilis; dominium verò esse jurisgentium, quod à Principe tolli, & infirmari non potest, ut tenet idem Cravet. *Conf. 135. num. 20. & Conf. 172. num. 3.* Et si Princeps non potest contravenire contractui etiam de plenitudine potestatis, ut dicit Paul. de Cast. *in d. l. digna vox, Cod. de leg.* Bald. & alii, quos recenset, & sequitur Dec. *Conf. 689. num 7.* 13

Ad secundam respondetur, illud procedere, quando causa illa respicit principaliter publicam utilitatem, non autem si secundariò. Ita plures probant, quos recenset, & sequitur Crav. *in tract. de antiq. tempor. p. 1. n. 17.* 14

Ad tertiam respondetur, esse quidem sacrilegium, ut loquuntur Jurisperiti, disputare de potestate Principis, quando concedit ea, quæ juris positivi sunt; non autem quando ea concedit, quæ jus, & æquitatem naturalem respiciunt, ut in casu nostro, in quo agitur de auferendo jure, quod est in jure, & æquitate naturali fundatum. Hanc doctrinam optimè declarat Crav. loc. proximè cit. num. 38. 15

Infero primò ex dictis, Principem, qui frangit fidem, aut suis, aut alienis datam, gravius quovis privato peccare. Bald. *in Conf. 343. col. 2. vers. Et ista, lib. 1.* & alii Jurisconsulti, & Theologi. 16

Infero secundò, Duces teneri observare gesta, & contractus Ducis antecessoris. Bover. *in Conf. 138. num. 9. lib. 2.* Natta, *in Conf. 122. n. 3. lib. 1.* 17

Infero tertiò, teneri observare promissa, & contractus suorum Antecessorum Successores in dignitate marchionali. Jas. *Conf. 10. col. 1. & 2. lib. 3.* In dignitate comitatus. Bover. *in quæst. 204. num. 42.* 18

Infero quartò, Successores Pontificis, & Imperatoris, quamvis jure electionis in tam sublimi dignitate constituantur, teneri nihilominùs factum sui Antecessoris approbare, & eorum promissa adimplere. Bald. Brun. Cravet. & alii, quos recenset, & sequitur Menochius, *in conf. 1. num. 228.* 19

10 Infero quintò, Principem, aut Regem non posse, invitis subditis, alienare Civitatem Hostium. *in cap. Dilecti, de majo. & obedien.* Dec. *Consl. 689. num. 5.* Cravet. *consl. 314. col. 4. vers. quæ ipsa protestatio.* Card. Albanus, loc. cit. & alii. Et ratio pariter est, quia in maximam utilitatem subditorum redundat non mutare Dominum, ut vult Bald. *in cap. 1. § Si quis, quo temp. miles.*

11 Infero sextò, concessionem privilegiorum à Principe alicui factam intuitu meritorum & per modum contractus, non posse à Successoribus revocari, quia contractus revocari non potest, *l. sicut, Cod. de actio. & obligatio. l. nonid-circò in fin. Cod. de contrahen. empti.* DEUS enim Principi subjecit leges, sed non contractus, ut alibi probavimus, & dicit Bald. *in cap. 1. de natu. feudi*, & etiam DEUS ipse ex promissione obligatur, idem Bald. *in l. 1. in princ. ff. de pact.*

12 Infero septimò, Episcopum non posse res Ecclesiæ alienare, nisi duobus concurrentibus, nempe causâ utilitatis, & consensu Sedis Apostolicæ, *Extravag. Inter communes, Ambitiosè, de reb. Eccles. non alien.* aliàs facta alienatio valorem non habet. Turrecrem, *in cap. fine exceptione, num. 1. caus. 12. q. 2.* qui etiam addit subscriptionem Clericorum.

13 Infero octavò incidenter, prohibitum extrà familiam alienare non posse in testamento illum, qui non sit de familia, hæredem constituere, ut etiam probat juribus Dec. *in consl. 422. n. 4.*

14 Infero nonò, nullatenus posse rem alienari, tanquam subjectam restitutioni, quando quis prohibitus est illam alienare extrà familiam, addito, *ut familia relinqueret*, vel simili alio verbo, *ut in l. pato, §. fratre. de leg. 2.* & tenet Jo: de Ana. *in consl. 47.* & Dec. *in consl. 481. num. 7.* ubi clarè explicat hanc materiam de alienatione prohibitâ; & quando per eam inducitur fideicommissum.

15 Infero decimò, prohibitum alienare non solùm non posse immediatè, & directè alienare, sed nec posse aliquem actum facere, per quem sequi possit alienatio: Ut etiam not. per Glos *in l. Item quia, ff. de pact. in l. Codicillis, §. matre*, ubi Bar. *de leg. 2.* & not. *in l. si ità quis, §. ea lege, de verbo obl.*

16 Infero undecimò, non posse vassallum suum Feudum alienare, invito, imò inscio Principe, cujus est vassalus; quia in dispositione feudali Dominus & Vasallus sunt duo correlativa; & etiam Dominus & Vassallus æquiparantur, *cap. 1. de nova forma fide.* Bald. *consl. 97.* & sicut non licet Domino directo alienare directum dominium, & ipsum Vassalium ad alium Dominum transferre, ipso Vassallo invito; ita nec licet Vassallo invito, & inscio Domino, alium Dominum quærere, & suum feudum alienare.

17 Infero duodecimò, non posse Principem alienare aliqua quorum alienatio in magnam redundaret regalis jurisdictionis diminutionem, etiam si juramentum accederet. Ita etiam tradit Dec. *in consl. 259* dummodò hujusmodi bona solita non essent concedi, & in Feudum dari, sic limitat Crav. *in consl. 54.* Card. Albanus, loc. cit. *num. 5.* ubi movens quæstionem, an Princeps posse Oppidum concedere in Feudum, invitis Oppidanis, vel alienare subditos, nolentes & invitos, remittit suum Lectorem ad Albert. Brun. *in consl. 12.* inter ejus Consilia.

XII. DIFFICULTAS.

An Miles contrahat domicilium, ubi bellandi causâ, vel custodiendi Fortalitium, moratur.

Notandum primò, duplex reperiri domicilium, originis scilicet, & habitationis: Et domicilium originis esse in illo loco, ubi quis nascitur; dummodò tempore nativitatis parentes ejus ibi domicilium habeant; Domicilium verò habitationis esse ubi quis incipit habitare animo ibi perpetuo manendi, *ut in l. ejus qui, §. fin. & l. domicilium, ff. ad municipal.* & tradit in suis eruditis observationibus Canonicis, *ad Statuta Favenila*, Episcopus Verulanus, *tom. 2. ad. Rubr. 11. lib. 6. sub n. 7.* 1

Notandum secundò, hoc esse discrimen inter domicilium originis, & habitationis, quòd illud est immutabile, *l. assumptio, ff. de municip.* ibi. „ Neque recusando quis patriam, ex qua „ oriundus est, mutari potest. Idem habetur; *l. Origine, Cod, de municip. lib. 10.* quia domicilium originis est naturale. Naturalia autem sunt immutabilia: Hoc vero est mutabile; quia, cùm propriâ voluntate, proprioque facto constituatur, ita potest propriâ voluntate & facto mutari, & amitti; *l. domicilium, ff. ad municip.* Sic Menoch. *de præsumpt. l. 6. præsumpt. 42. n. 4.* Vide Bar. *in d. l. assumptio*, Alex. *in consl. 34. n. 4. lib. 5.* 2

Notandum tertiò, licet domicilium dupliciter dicatur, & ratione originis, & ratione habitationis, tamen in dubio appellatione domicilii venire domicilium habitationis, aut probat multis authoritatibus, & juribus Tiber, Decian. *in tract. criminali, lib. 4. cap 16. n. 13.* 3

Notandum quartò, posse aliquem habere in uno loco domicilium, & in alio habitationem, & hoc contingere; quando in uno loco cœpit habitare animo in eo perpetuò commorandi, & posteà, non omisso eodem animo, adivit alium locum, per majorem partem alicujus anni ibi permansurus. Duardus, *in Bullam Cœn. lib. 2. in Can. 10. q. 11 sub n. 8.* 4

Notandum quintò, posse aliquem in duobus, vel pluribus locis contrahere domicilium, si æquè habitet utrobique, vel omnibus; & in omnibus pariter possideat bona æqualiter, idest habeat omnia necessaria ad usum, æqualiterque commoretur animò perpetuò commorandi; alterum scilicet, hieme, & alterum æstate Inhabitans, ut se habent nostræ Astensis Regionis Nobiles, qui hieme in Civitate Astensi, & æstate in Propriis Oppidis, seu Villis, quæ aeris salubritate fruuntur, & deliciis minimè carent, commorantur, *l. Labeo, l. Assumptio, §. Jurisprudentib. ff. ad municip.* Circa hanc materiam, scilicet an quis possit habere plura domicilia: Vide Soc. *in consl. 35. col 3 in 1. vol.* Card. Alban. *in Lucubrat. in Bart. in l. Assumptio, §. Iurisprudentib. ff. ad municip.* 5

6 Notandum sextò, forum domicilii esse generaliorem omnibus aliis; cum hoc discrimine, quod Forus domicilii in civilibus superat omnes alios, & in delictis superat omnes alios forus delicti, ut habetur *in §. Si quis vero comprehensorum, in Auth. ut nulli jud. & in cap. statutum, §. 1. de rescript. in 6.* & tradit Bald. *in l. de quibus, ff. de leg. n. 25.* Tiber. Decian. loc. cit. *sub num. 9.*

7 Notandum septimò, Milites propriè dici illos, quorum principale institutum est circa militiam, Glos. *in l. pen. ff. ex quibus causis majores,* Bellug. *in specul. Principum, Rubr. 20. §. quia, n. 7.* & proprium, atque essentiale Militum esse, ut vivant sub stipendio ejus, cujus servitio causâ militandi, vel custodiæ addicti sunt, ut constat *ex toto Tit. Codicis, de re militari,* & altero, *de erogatione militaris annonæ,* & notat Card. de Luca, *lib. 3. de jurisd. disc. 33. n. 5.*

8 His adnotatis, ad propositam difficultatem; an Miles contrahat domicilium ubi bellandi causâ, aut custodiendi Fortalitium moratur; negativè respondet Pasqualigus, *in praxi ieiunii, decis. 190. num. 2.* quia quando Milites, inquit, „accedunt ad aliquem locum; accedunt tantùm „vel ut illum custodiant, vel ut ibi habeant hospitium quoad usque occasio tulerit, quod ad „alium locum transmittantur; & proindè non „possunt habere animum ibi perpetuò habitandi. „Cùm igitur illis deficiat animus perpetuò commorandi ubi bellant; aut bellandi causâ, aut „custodiendi Arcem morantur, nullo modo videntur ibi acquirere domicilium.

9 Verum, pace tanti Viri, quem in Legalibus, Canonicis, nec non Theologicis disciplinis meum fateor magistrum; ut meum exprimam sensum, arbitror milites habere quasi domicilium in loco, ubi bellandi causâ, vel Arcem custodiendi morantur; Domicilium verò in eo loco, ubi perpetuò manent, vel habent animum perpetuò manendi. Sylvest. *v. Domicilium, & v. Parochia.* Molin. *tom. 1. tract. 2. disp. 214.* Sanchez, *lib. 3. de matrim. disp. 23. num. 9. & 12. & in sum. lib. 1. cap. 37. num. 24.* Laym, *lib. 5. tract. 6. cap. 10. num. 5.* & alii.

10 Moveor primò juribus, *in l. domicilium, ff. ad municip.* ubi domicilium re, & facto transfertur, juxta Glos. verb. *domicilium*, ubi inquit, „Facto subintellige, & animo: nam hæc duo sunt „necessaria: *& l. Cives, Cod. de incol. lib. 10.* In„colas verò domicilium facit. Et in eodem loco „singulos habere domicilium non ambigitur, ubi „quis larem, rerumque ac fortunarum suarum „summam constituit; unde rursus non sit de„cessurus si nihil avocet. Ibi etiam Glos. Ergò ubi Milites habent factum, nempe habitationem, & animum perpetuò habitandi, acquirunt domicilium; Ubi verò diu morantur vel bellandi causâ, vel applicati custodiæ alicujus Fortalitii comparant quasi domicilium; nempe, licèt non habeant ibi domicilium, censentur tamen fictione juris habere.

11 Moveor secundò rationibus; nam ad acquirendum domicilium duo requiruntur, ut adnotavimus, habitatio, scilicet, & animus perpetuò habitandi. Ergò Milites in loco, ubi habitant, & animum habent perpetuò habitandi, domicilium habent: Ad acquirendum verò quasi domicilium sufficit, ut notant citati Authores, habitare per plures annos, vel per majorem anni partem; cùm moraliter, & prudentum arbitrio, tunc dicatur in eo loco sedes constitui: Et ideò Milites ubi morantur bellandi gratiâ, vel Fortalitium custodiendi, si habeant quasi certitudinem ibi permanendi per majorem partem anni, vel per plures annos; ut sunt præcipuè Milites Hispani, qui reperiuntur in Fortalitiis Italiæ, Catholici Regis ditionem recognoscentibus, dicuntur habere quasi domicilium. Tùm quia, si non haberent domicilium, vel defectu animi perpetuo habitandi, quasi domicilium, ubi militandi, vel custodiendæ Arcis gratiâ morantur, non tenerentur legibus, & consuetudinibus illius loci, ubi per longum tempus habitarent, quod valde rationi dissonat, & tecto vivendi modo, ut alibi demonstravimus.

Moveor tertiò exemplo, seu praxi; videmus enim Militer longo tempore in aliquo loco morantes, illius loci leges, & consuetudines observare; ex quo constat, ibi habere vel domicilium, vel quasi domicilium. 12

Concludimus igitur cum Sanchez, *lib. 3. de matrim. sub num. 11,* in verbo *Quarta, & num. 12.* ubi ex Tirsquel. inquit, quod in eo loco habitare quis dicitur, ubi pro majori parte anni commoratur; aut incipit habitare animo commorandi per majorem partem anni, Milites habere quasi domicilium in illâ Regione, in quâ bellum gerendi causâ; vel causâ Fortalitii custodiendi, morantur: Domicilium verò in eâ Regione, in quâ manent animo perpetuo ibi manendi; ut quia domum conduxerunt; vel Principe, cui inserviunt, ita se declaravit, ab ipsis præstito ejus declarationi consensu. 13

Ad rationes in contrarium, seu ad objecta Pasqualigi, ex dictis satis clarè patet responsio. 14

Infero primò ex dictis, quod in eo præsumitur animus habitandi, & consequenter habendi domicilium, si per decem annos habitaverit, *l. 2. tit. cit.* præsertim si habitaverit extra locum originis, *argu. l. fi. Cod. de præscrip. longi tempo.* & per Tiber. Decian. *tract. crim. lib. 4. cap. 16. num. 8.* 15

Infero secundò, eum, qui habet domicilium in aliquo loco, dici esse de illo loco, maximè, si ibi habeat publicum officium. *Cap. statutum, §. Si verò,* ubi Gloss. *in verf. Civitatis, de rescript. in 6.* 16

Infero tertiò, non dici locum originarium illum, in quo quis nascitur, ibi parentibus domicilium non habentibus, sed ad tempus manentibus, causâ negotiandi, aut aliud faciendi: Sed natus fingitur ubi parentes habitationis domicilium sortiti sunt, ut habetur ex Tex. *in l. filios, Cod. ad municip. lib. 10. & l. Cives,* in fin. *Cod. de incol. eod. lib.* & mater propter animum revertendi, quem habebat, ad proprium domicilium, fingitur ibi semper fuisse, & ibi peperisse, *l. 1. & l. retrò, ff. de capt.* Panorm. *in cap. Rodulphus, n. 9.* & ibid Felin. *n. 14. de rescript.* 17

Infero quartò, habitantem æqualiter in confinibus duarum Civitatum, vel Provinciarum dici habitare, & domicilium habere in utrâque; & sic utriusque Judicis jurisdictioni 18

obno-

obnoxium esse, Ita Joa. de Platea, *in l. omnes populi, Cod. de agric. & censi. lib.* 11. Contrarium tenet Gemin. post Jo. Andr. *in cap. 1. col. 1. de temp. ord. in 6.* quem sequitur Felin. *in d. cap Rodulphus, n. 37. v. & omninò adde, de rescript.* & alii, qui, consideratâ proprietate verborum, asserunt in neutra dici habitare, & habere domicilium.

19 Infero quintò, habitantem in medio duarum Parochiarum, si non adsit distantiæ differentia, & æqualiter in utrâque moretur, esse utrinsque Ecclesiæ Parochianum. Jo. de Pla. *in l. 1. Cod. de municip. & orig. lib.* 10. Bart. Ang. & alii, *in l. quod Conclave, ff. de damno infecto.*

20 Infero sextò, Bannitum dici habere domicilium in illo loco, in quo tanquam Bannitus habitat, vel relegatur, *l. ad cognitionem, ff. quibus ex causis, in possess. ea.* ubi omnes notant.

21 Infero septimò, Monachum dici habere domicilium in suo Monasterio. Ita docet Innoc. & post eum, omnes *in cap. ex ore, de privileg.* & probat Tex. *in l. omnes*, in fin. & tradit etiam Bart. *in l. 1. col. 2. ver. juxtà prædicta, ff. ad municip. & in d. l. Cives, Cod. de incol. lib.* 10.

22 Infero octavò incidenter, hanc differentiam esse inter Judicem domicilii, & Judicem loci delicti, quòd Judex domicilii potest citare subditum suum delinquentem, id est habentem domicilium in loco suo ubicumque existat; cùm dicatur esse ejus subditus, ubicumque sit: Judex verò loci delicti, hoc non potest facere, nisi ibi reperiatur. Ita Card. *in Clem. Pastoralis, in §. II, lud, de re judica.* & alii.

23 Infero nonò pariter incidenter, Judicem originis non posse procedere contrà reum, si in loco delicti fuerit condemnatus, & solverit pœnam. Sic Bald. *Conf. 28.* cùm regula sit, quòd de delicto ejusdem hominis non debet sæpiùs quæri, *l. licèt, §. fin. ff. neu. caup. stab.* & licet quis possit in pluribus locis sortiri forum; tamen si in uno loco facta sit præventio, alibi non poterit cognosci, *l. si quis postea, ff. de jud.*

24 Infero decimò, ad transferendum, & deperdendum domicilium non sufficere mutationem animi perpetuò manendi, sed opus esse animo & facto, nempe desertione habitationis in eo domicillo; cùm domicilium non solùm animo, sed animo simul, & facto constituatur; & omnis res per quascunque causas nascitur, per easdem dissolvitur, *c. 1. de regul. juris.* Item probatur ex *d. l. domicilium, ff. ad municip.* ibi *domicilium re, & facto transfertur, non nudâ contestatione.* id est, explicat ibi Glos. *protestatione:* & ita tenet ibi Glos. *v. domicilium:* Et fortiùs *l. Origine*, ad finem, *Cod. de municip. lib.* 10.

25 Infero undecimò, sufficere, ut aliquis teneatur legibus, & consuetudinibus alicujus Oppidi, ut majori anni parte ibi sit habiturus; cùm hoc sufficiat ad constituendum domicilium, non simpliciter, sed quasi domicilium, ad Sacramenta necessaria percipienda. Sylvest. *v. domicilium, num.* 2. Sanchez, *lib 3. de matrim. disp.* 18. *num.* 9.

26 Infero duodecimò, posse Milites, ubi morantur bellandi causâ, obtinere votorum, & aliorum casuum dispensationem; omnia Sacramenta suscipere, excepto Sacramento Ordinis; & militantes in aliqua Regione, ubi non est receptum Concilium Tridentinum, licet in eorum Patria receptum sit, matrimonium contrahere absque Parocho, & testibus, ut docet Sanchez, *lib 3. de matrim. disp.* 18. *num.* 27, contrà aliquos, ibidem.

XIII. DIFFICULTAS.

An Matrimonium, quod contrahunt Milites, dùm sunt in expeditione, seu domicilium nullibi habentes, coràm quovis Parocho, sit validum.

NOtandum primò, Matrimonium, quod di- 1
citur à Matre, quia fœmina nubit, ut Mater fiat, & Matris munium, hoc est officium exerceat, ut notat D. Aug. *lib. 19. contrà Faust. cap. 26.* Abb. *in cap. Ex literis, de conver. Infidelium*, ut etiam suprà notatum fuit, esse viri, & mulieris maritalem conjunctionem inter legitimas personas, individuam vitæ consuetudinem retinentem, ut habetur *in cap. Illud in fi. de præsumptionib. cap. Sufficiat, causa 27. quæst. 2.* Concil. Mogunt. *cap. 36.* Concil. Trid. *Sess. 24. cap. unic.* undè Matrimonium vocari conjugium à conjungendo; quia legitima mulier cum viro legitimo, quasi uno jugo adstringitur, ut simul liberorum, & domus curam gerant; quod desumitur ex Gen. *cap. 24. vers. 65.* & ita communiter Doctores.

Notandum secundò, Matrimonium posse 2
dupliciter considerari, ut est officium naturæ, & ut est Sacramentum: Ut est officium naturæ, hoc est conforme juri naturali, quia natura intendit se ipsam conservare per individuorum multiplicationem: Et ut tale, scilicet Matrimonium naturale fuit à Christo approbatum, dùm invitatus ivit ad Nuptias, Jo: *cap. 2.* & habet multa bona, sed non confert gratiam; ut autem est Sacramentum, habet plures perfectiones, & simul confert gratiam Conjugibus, ut habetur in Trid. *Sess. 24.*

Notandum tertiò, Matrimonium significa- 3
re primariò unionem Ecclesiæ cum ejus Sponso Christo, qui sibi illam copulavit, ut habetur in Trid. loc. cit. in princ. & secundariò significare futuram unionem Animarum Fidelium, cum DEO in æterna Beatitudine, ut habetur in Catechis. Atque adeò à Matrimonio carnali ad spirituale validum est argumentum. *cap. Quanto*, & ibi Ant. Butr. de *translat. Prælat.* Dec. *in Authen. ingressi, n. 22. Cod. de Sacros. Eccles.* Card. Albanus *in Lucubrat. in Bart. in Præfat. & declarat. rubr. Infort. ff. solut. Matrim.*

Notandum quartò, Matrimonium in lege 4
naturæ, & in lege veteri fuisse duntaxat humanum contractum, & non Sacramentum; cum Christus Dominus hoc Sacramentum instituerit in lege Evangelica; undè extrà legem Evangelicam solùm impropriè appellabatur Sacramentum, quatenùs scilicet aliquo modo designabat unionem Christi cum Ecclesia.

5 Notandum quintò, ab Ecclesiâ fuisse determinatum, nec materiam, nec formam hujus Sacramenti legitimè proferri, nec legitimè intervenire, nisi id fiat coram legitimo ministro, qui solùm declarat, conjuges legitimè conjunctos esse per utriusque consensum voluntariè elicitum; undè Parochus, vel alius Sacerdos de ipsius Parochi, seu Ordinarii licentiâ debet hodiè intervenire in Matrimonio, ob illius validitatem, alià non valet, ut clandestinum, ut declarat Trid. *Sess. 24. cap. 1. de reformatione Matrimonii.*

6 His adnotatis, ad propositam difficultatem, ad Matrimonium, quod contrahunt milites, dùm sunt in expeditione, seu nullibi domicilium habentes, coràm quovis Parocho sit validum; negativè videtur respondendum, cùm expressè Trid. *Sess. 24. cap. 1. de Matrim.* in princ. illius Decreti, agens de assistentia Parochi pro validitate Matrimonii, loquatur de proprio Parocho: Habetur enim ibi. „ Præcipit Sancta Synodus, „ ut Matrimonium ter à proprio Contrahentium „ Parocho denuncietur: Et infrà loquendo de benedictionibus decrevit, ut à proprio Parocho fiant. Quapropter idem videtur dicendum de ipso Matrimonio, nempe requiri ad validitatem illius assistentiam non cujusvis, sed proprii Parochi. Præterea ille solus Parochus debet Matrimonio assistere, qui potest dare licentiam alteri Sacerdoti Matrimonio assistendi, ut habetur Trid. loc.cit. Atqui solus proprius Parochus potest hanc licentiam concedere; cùm nullus alius jurisdictionem habeat in contrahentes; atque ideò solus proprius Parochus potest Matrimonio assistere. Præterea ex Decreto ejusdem Triden. *Sess. 24. cap. 13. de reformatione*, distinguendæ sunt Parochiæ, ubi promiscui Parochi sunt, & unicuique suus Parochus assignandus est, à quo solo Sacramenta licitè percipiantur; Adeoque dum Tridentinum assistentiam Parochi petit, vult, & præcipit pro validitate Matrimonii, de proprio intelligit. Ergò alterius Parochi præsentiam excludit.

7 Veritas tamen est, Matrimonium contractum à nostro milite, coram quovis Parocho, validum esse, Henriquez, *lib. 11. de Matrim. cap. 3. num. 3* Coninch de *Sacram. disp. 27 de Matrim. lib. 2. num. 20.* Sanchez, *lib. 3. de Matrim. disp. 25. num. 11.* Nald. verb. *Matrimonium, num. 3.* Less. *lib. 4. de just. & jur. cap. 2. num. 49.* Layman. *lib. 4. theol. tract. 10. part. 22 cap 4 num. 3.* Bonac. *quæst. 2. de Matrim punct 8. num. 6.* Reginal. *lib 31. praxis fori pœnit. num. 239.* & alii, quos citat &, sequitur Pasqualigus *quæstionib. selectis, q. 2. n. 5. & 6.*

8 Moveor primò juribus, *in l. ejus, qui manumisit, §. fin. ff ad municip.* ubi habetur, milites, qui habentur pro vagis, nullibi habere domicilium, aut constantem sedem; tùm debeant esse semper parati ad proficiscendum quò jubentur: Et per accidens sit, quòd diù morentur alicubi. Ergò quilibet Parochus est militum Parochus. Et *in l 2. ff. de jurisd. omn jud. & in cap. Præterea, de offic. deleg. fin.* ubi habetur, concessâ alicui potestate, à jurisdictione, ei omnia concedi, quæ ad exercitium potestatis, aut jurisdictionis spectant, seu necessaria sunt: Milites autem possunt contrahere, & habent jus ubique Matrimonium contrahendi, & ideò validum erit coram quovis Parocho Matrimonium contractum.

Moveor secundò rationibus: nam milites 9 hujusmodi habentur pro vagis, quia per mundum vagantur, & alicubi certum domicilium non habent, in quo habitent: Clar. Batt. Bon. & alii, quos producit, & sequitur Intrigl. *tract. de cas. conf. cas. 88. num. 24.* & ideò debent contrahentes Matrimonium uti Parocho loci, ubi reperiuntur. Tùm etiam, quia idem est Parochus ad audiendas Confessiones, & ad assistendum Matrimonio, ut habetur ex *cap Omnes utriusque de pœnit. & remiss.* Atqui quicunque Parochus potest horum Confessiones audire, cùm non sit major ratio de uno, quàm de alio: Ergò eorum Matrimonio assistere. Tùm denique, quia milites nullam Parochiam certam habent: Ergò obligari non possunt adhibere in eorum Matrimonio hunc potiùs Parochum, quàm alium. Tandem, quia quilibet Parochus potest validè assistere vagi Matrimonio, quamvis non habitet in ejus Parochia; & est communis opinio, teste Pont. de *Matrim. lib. 5. cap. 14. num. 5.* ubi, ait, declaratum ità esse à Sacr. Congregatione. Appellatione autem vagorum veniunt milites, qui nullibi domicilium habent, indubitatum est: Quis igitur dubitare potest eorum Matrimonium coram quovis Parocho contractum validum esse?

Moveor tertiò exemplo, in Principe Carolo 10 Philippo ex Marchionibus Brandeburgi Quartogenito, qui dùm esset Copiarum Militarium suæ regionis Dux, & Moderator in bello Pedemontano, in exercitu, nempe Victorii Amedei Ducis Sabaudiæ, die 19. Maji, anno 1695. in Uxorem duxit Mariam Catherinam Comitissam de Salmur, ex Nobilissimâ, & Antiquissimâ Familiâ Balbianâ, coram Parocho Venerià Regalis, ad quam futuri Sponsi è Taurino profecti sunt, & duobus Testibus, nempe Equite Joanne Antonio Patella, & Abbate Alexandro Do;ria; & exortâ dubitatione invaliditatis hujusmodi Matrimonii ob disparitatem Religionis inter Sponsum, & Sponsam, & ob defectum præsentiæ proprii Parochi, post paucos dies obitus præfati Principis, Comitissa Conjux ad proprii honoris, & famæ tuitionem, recursum habuit ad Sanctam Sedem pro obtinendâ declaratione validitatis Matrimonii; quâ in causâ dočissimè scripsit Dominus Georgius de Firmanis, præclarus hujus Curiæ Romanæ Procurator. Et die 28. Septembris 1697. Sacræ Congregatio Eminentissimorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, respondit affirmativè, videlicet hujusmodi Matrimonium esse validum, impositâ tamen Oratrici pœnitentiâ salutari arbitrio Ordinari.

Concludimus igitur, cum milites nullam 11 habeant fixam stationem, sed debeant semper signa sequi militiæ; & iræ, quo Ducum imperium urget, & Parochus loci ubi morantur, seu reperiuntur, sit proprius eorum Parochus Matrimonium militum coràm quovis Parocho contractum suam habere validitatem: Quamvis Parochus non possit vagorum, & sic horum militum Matrimonio interesse, nisi diligenti inqui-

fitione

stitione præmissâ, & obtentâ Ordinarii licentiâ, ut habetur expresse in Trid. *Sess. 24. de reform. Matrim. cap. 7.*

12 Ad rationem in contrarium respondemus; ad primam, & secundam, concedendo requiri secundum Trident. ut Matrimonium valeat, præsentiam proprii Parochi, universaliter loquendo de Incolis, non verò de militibus: Nam cùm Concilium indefinitè loquatur, ut videre est, & sit lex correctoria, non est intelligenda de proprio Parocho, quoad milites; præterquam quod, milites non alium Parochum habent, nisi illius Parochiæ, ubi reperiuntur; & ideò etiam quoad milites contrahentes Matrimonium coràm quovis Parocho videtur servari dispositio Tridentini, exigentes pro validitate Matrimonii, tanquam necessariam, præsentiam proprii Parochi, ut explicant communiter Canonistæ.

13 Ad tertiam dicimus, ex dispositione Trident. distingui Parochias, ubi promiscui sunt Parochi, & cuilibet assignari suum Parochum, & hoc principaliter ad tollendas Ovium confusiones, & Pastorum dissensiones, & ideò nostro asserto minimè obstare, ut patet ex dictis, & maturè consideranti patebit.

14 Infero primò ex dictis, Incolas locorum, in quibus Concil. Trident. non est receptum, si contrahant Matrimonium, ut receptum est, quamvis ibi sint advenæ, teneri servare dispositionem Concilii; atque adeò contrahere coràm Parocho, Ita docet etiam Petrus Ledesma de *Matrim. q. 45. punct. 3. dub. ult.* Sanchez, *lib. 3. de Matrim. disp. 18. n. 26.* & alii.

15 Infero secundò, Hæreticos teneri in locis, ubi Decretum Trident. publicatum est, pro validitate Matrimonii, illud servare, nec sufficere præsentiam eorum Ministri, juxtà declarationem Sacræ Congregationis Concilii, transmissam Episcopo Tricatiensi, Apostolico Nuncio apud inferiorem Germaniam, & postea Eminentissimo Cardinali Carafæ, relatum à Zipeo *in Analiticâ juris Pontificii, lib. 4. tit. de sponsalib. num. 6.*

16 Infero tertiò, retinentes domicilium originis, vel quodcumque aliud acquisitum, sed de præsenti vagantes, nec habentes domicilium habitationis, posse validè contrahere Matrimonium coràm quovis Parocho; cùm bi sint de præsenti verè vagi; quamvis hoc genus hominum vagantium non sit ad Matrimonium facilè recipiendum: Ut vult, Trid. *Sess. 24. de reform. Matrim. cap. 7.* Novia favet doctrina Imol. *in cap. Dilectus, num. 10. de rescrip. Clar. lib. 5. recep. sent.* Sanchez, *lib. 3. de Matrim. disp. 25. num. 1.* & alii.

17 Infero quartò, falsum esse, & omninò improbabile, quòd ex causâ necessitatis validè possit contrahi Matrimonium nullo præsente Parocho. Ita tenet etiam Sanchez, *lib. 3. de Matrim. disp. 17.* Henriq. *lib. 11. cap. 3. §. 1. & 8.* Coninch. *de Matrim. disp. 27. dub. 1.* & alii plures. Ratio est, quia Decretum Tridentini absolutè irritat Matrimonium absque Parocho contractum.

18 Infero quintò, Incolas locorum, in quibus Decretum Tridentini obligat, se transferentes eò, ubi non obligat, non per modum transitus, sed animo ibi constituendi domicilium, ibi posse absque Parocho, & Testibus contrahere; quia fiunt illius loci incolæ, & consequenter non ampliùs illos obligant prioris domicilii leges.


Infero sextò, ad validè contrahendum, sufficere Parochum alterutriùs contrahentium, saltem si sit Parochus illius contrahentis, in cujus Parochiâ celebratur; quia Matrimonium est necessariò inter duos: Si igitur quis est Parochus ad conjungendum unum, ex necessitatâ connexione erit ad utrumque. Ita etiam Card. de Luca, *tom 14. de Matrim. disc. 4. n. 13.* ubi alios allegat. 19

Infero septimò, si alter contrahentium sit vagus, aut miles, alter verò incola, posse coràm quovis Parocho validè contrahi Matrimonium; quia quilibet est Parochus vagi, & militia: Et quilibet contrahentium Parochus sufficit pro validitate Matrimonii. 20

Infero octavò, non posse Parochum Militum, Vagorum, & Alienigenarum Matrimonio assistere, nisi diligenti inquisitione præmissâ; & obtentâ Episcopi, aut Vicarii Generalis licentiâ. Ita expresse habetur in Trid. *Sess. 24. de reform. matrim. cap. 7.* & quamvis de vagis loquatur, tamen ob rationis identitatem necessariò extenditur etiam ad Milites, & Alienigenas, alibi habentes sedem constantem; quia vagi, milites, alienigenæ sunt ignoti, & possunt carere statu libertatis. 21

Infero decimò incidenter, discedentem à propriâ Patriâ, seu aliàs antiquo domicilio deserto, ad aliam Civitatem, vel alium locum, seu diversam Parochiam affectatè sese transferentem, ad effectum contrahendi Matrimonium parùm dignum, aè à Parentibus impediatur, validè contrahere: Et ita pluries Sacra Congregatio Concilii declaravit, ut fraudis, vel affectionis circumstantia Matrimonii validitati non obstet, ut notat Card. de Luca *d. tom 14. in annot. ad Sac. Concil. Trid. disc. 26. num. 15.* 22

Infero undecimò, Matrimonium non posse sine causâ legitima dissolvi. Ita etiam Bart. *l. consensu, Cod. de repud.* Card. Albanus, *in Lucubrat. in d. Bart. in d. l. consensu, num. 1.* Secùs verò, causâ legitimâ existente; præsertim quandò matrimonium est ratum, & non consummatum, tunc posse per plures causas quò, ad vinculum dissolvi; & maximè per ingressum Religionis etiam alterutrius conjugis, & per professionem in eâ etiam sinè alterius consensu; & cum remanentis libertate ad secunda vota transeundi, habetur in Cont. Lateran. III, *id append. tit. de Conjugatis c. 1. 8. 9. & par. 50. c. 30.* Contrarium, nempè quòd Matrimonium ratum, & non consummatum per solemnem Religionis professionem alterutrius Conjugis non dirimatur, fuit damnatum in Concil. Trident. *Sess. 24. de Sacramento Matrimonii can. 6.* 23



XIV. DIFFICULTAS.

An Miles, dùm est in expeditione, seu in exercitio armorum, vel in bello, vel in custodia Arcis, vel Civitatis, privilegio gaudeat restitutionis in integrum.

1 Notandum primò, restitutionem in integrum, secundùm vim nominis significare reddere quod ablatum est, vel rem in pristinum statum adducere, *l. restituere, ff. de verb. & rer. significat. l. qui restituere, ff. de rei vindicat. l. videamus, ff. de usuris.*

2 Notandum secundò, restitutionem in integrum esse remedium, quo finitâ præscriptione prior Dominus potest rem suam authoritate Judicis recuperare, *l. quòd si minor, §. restitutio, ff. de minor. 25. ann. d. l. videamus*, la seconda, *§. in Faviana, ff. de usuris.*

3 Notandum tertiò, quòd restitutio in integrum reponit restitutum in pristinum statum, id est lapsos, captos, & fraudatos; sive id evenerit per absentiam, sive per imbecillitatem ætatis, sive per metum, dolum, calliditatem adversarii, vel per status mutationem, ut habetur *in d. l. 1. & l. quod si minor. §. restitutio, ff. de minorib.* Oddus, *in tract. de restitut. in integr. quæst. 1. art. 4. num. 44.* Tusch. *v. restitut. concl. 276.*

4 Notandum quartò, restitutionem in integrum duplicem esse; unam, quæ jure ordinario competit; aliam, quæ ex gratia & beneplacito Principis: Et ideò aliam esse generalem, quâ restitutus recuperat omnia, quæ per delictum amiserat: Aliam verò particularem, quâ restitutus recuperat ea, ad quæ se extendit gratia Principis, Tusch. *v. restitut. conclus. 299. & 300.* & alii.

5 Notandum quintò, esse regulam generalem communiter acceptam, quòd contra quemlibet actum judicialem, ex quo minor, vel alia persona privilegiata læditur, datur beneficium restitutionis in integrum: Et sunt etiam jura clarissima, *in l. ait Prætor, §. non solùm, vers. sed in judiciis, ff. de minorib.*

6 Notandum sextò, tunc solùm concedi majori quadriennium ad petendam restitutionem in integrum, quando ante præscriptionem completam non potuit commodè illam interrumpere. Covarr. *regul. possess. p. 3. §. ult. n. 3.*

7 Notandum septimò, quadriennium quo ex causa sufficienti conceditur majori beneficium restitutionis in integrum, incipere à tempore, quo, cessante impedimento, ignorantia invincibilis præscriptionis cessavit; quia ex tunc, & non anteà, censetur intervenire negligentia illud petendi, Sylvest. *in v. præscrip. 1. quæst. 14.* & alii, *arg. tex. in cap. 1. & 2. de in integr. restitut. in 6.*

8 His adnotatis, ad difficultatem propositam, an Miles, dum est occupatus in expeditionibus, privilegio restitutionis in integrum gaudeat, quæ potiùs laboriosa est, quàm industriosa, negativè videtur esse respondendum; nam concesso non solùm minoribus & Ecclesiæ adversùs præscriptionem beneficio restitutionis in integrum, sed etiam Militibus, aliisque majoribus ex rationabili causa, inutilis omninò esset præscriptio; & omnia jura circà præscriptionem forent superflua. Præterea Milites nostri temporis non fruuntur privilegiis antiquitùs concessis Militibus.

Veritas tamen est, Milites in bello occupatos privilegio frui restitutionis in integrum Menoch, *cons. 408. num. 56. & cons. 909. num. 11.* Pau. de Cast. *in l. scriniarios, Cod. de testam. milit.* Rom. *in cons. 506.* Dec. *cons. 578.* ubi allegat Alex. Cyn. & alios, Jo. Bapt. Costa, *inspect. 84. num. 13.* Molina, *lib. 1. de just. tract. 2. disp. 80.* Bernard. Græu. *ad pract. Cameræ Imper. lib. 2. cap. 118. consider. 1.* Barbos. *in lib. 2. Cod. in l. sancimus, de temp. in teg. rest. num. 1.* & alii. 9

Moveor primò juribus, *in l. Hujus Edict. ff. ex quibus causis major.* ubi habetur, non esse lædendum jus dantis operam Reipub per id tempus, quo absuit, ei inserviendo, *& in l. Sancimus 8. Cod. de institut. militum:* ubi apparet, absentiam ex causa nulli debere esse damnosam. 10

Moveor secundò rationibus; nam hoc postulare videtur bonum commune: Si enim Militibus, aliisque personis, pro Reipub. utilitate absentibus, vel aliàs justâ causâ impeditis, non concederetur beneficium restitutionis in integrum, quisnam ob Militiam, ob Rempublicam, ob studia vellet abesse? profectò nemo, nè bonum suum læderet, dùm commune procuraret. Tùm quia, si Militibus in bello occupatis, minoribus aliisque personis justè impeditis, non restitutionis in integrum, malis hominibus præberetur occasio alienas facultates rapiendi, præcipuè virorum innocentium quod clarè repugnat legi Divinæ & naturali. 11

Moveor tertiò exemplo, seu praxi, juxtà decisionem multorum Tribunalium, ut videre est apud eruditum, & doctum Molsesium, *tom. 3. ad Consuet. Neapol. p. ult. de in integr. restit. quæst. 11. sub. n. 7.* 12

Concludimus igitur, concedi beneficium restitutionis in integrum iis, qui erant in expeditione aliqua adversùs hostes; vel quavis alia ratione Reipub. causâ, aut commodo absentes; Nec non & aliis majoribus 25. annis circa præscriptiones peractas adversus eos, postquam erant majores, quando tamen adest legitima causa illud concedendi. Et ideò si miles militiæ causâ absens fuerit, & interim res sua usu capta, vel præscripta fuerit, dabitur sibi reverso restitutio; nè sibi officiat præscriptio, quæ cucurrit, eo in militia existente. Ita explicat Glos. *in d. l. Sancimus, v. sancimus.* 13

Ad rationes in contrarium respondemus, ad primam, dicendo præscriptionem non fore inutilem, quamvis privilegium restitutionis in integrum concedatur Militibus, aliisque majoribus ex justa causa; cum ultrà quadriennium non concedatur: Præterquam quòd, nullâ interveniente legitimâ causâ, majoribus non conceditur. 14

Ad

15 Ad secundam, concedendo, Millites nostri temporis, qui creari solent à Rege, vel ab alio Principe, & non vacant armis non frui privilegiis Militum, ut notat Bart. *in l. Miles, ff. ex quibus causis major. in l. militem*, cum simi. ut tradit Alex. *in l. Centurio, col. 4. de vulg. & pup.* negando verò de Militibus, qui militando stipendio sui dicti *Venturieri*, Reipublicæ inserviunt; & stipendiariis nostri temporis, qui sunt in exercicio militari, & parati sunt pro defensione Reipub. exponendo se periculo mortis pro Republica, seu Principe, illos conducente, ut asserit Pau. de Cast *in l. scriniarios, Cod. de testa. men. milit.* Cyn. *in l. 1. in 6. q. Cod. de jur. & fact. ignor.* Rom, *cons. 306.* Menoch. *cons. 608. num. 56.* ubi hanc opinionem vocat communem.

16 Infero primò ex dictis, uxorem, quæ sequitur maritum militarem, Reipub. causâ absentem, gaudere beneficio mariti. Et adest etiam Tex. expres. *in l. Temporalibus 1. Cod. de uxor. milit.*

17 Infero secundò, majoribus 25. annis concedi beneficium restitutionis in integrum, circà præscriptiones peractas 10. vel 20. annis adversùs eos, postquam erant majores, dummodò probent, cum invicibili sua ignorantia, aut sinè negligentia, præscriptionem fuisse peractam. Ita etiam sentire videtur Sylvest. *v. præscriptio 1. quæst. 14.* & novissimè Episcopus Vernl. *in suis Observationibus Canonicis ad Statuta Faventiæ tom. 1. ad Rubr. 9. lib. 1. n. 20.*

18 Infero tertiò, beneficium restitutionis in integrum concedi minoribus quadriennio post impletum 25. annum ætatis, hoc est, usque ad 29. Et adest Tex. *& l. unica. Cod si advers. usucap. l. ult. Cod. de temporibus in integr. restit.* quamvis nulla intervenerit eorum ignorantia, neque impedimentum ad illam interrumpendam. Molin, *tom. 1. de just. tract. 2. disp 80.*

19 Infero quartò, Ecclesiæ concedi remedium restitutionis in integrum quadriennio post impletam præscriptionem; licet sciat, & nolit resistere, Filliuc, *tom. 2. tract. 35. cap. 9. quæst. 10. sub num. 209.*

20 Infero quintò, Pauperibus Christi, etiam post latam sententiam Senatus contrà eos, dari restitutionem in integrum; sicut solet concedi aliis locis, & causis piis. Ita etiam in specie Oddus, *in tract. de restitut. in integr. quæst 3. num. 50.* Et dari locis piis, ut Monasteriis, Collegiis, Hospitalibus, & sic de aliis, restitutionem in integrum fusè probat Tiraquell. *in tract. de privilegiis piæ causæ, privileg. 138.* idemque Oddus, loc. cit. *num 25.* nam jure minorum illis succurritur, *cap 1. extrà, de in integr. restitut.* cum aliis cumulatis per Oddum, *quæst. 3. art. 4.* Mastrill. *decis. 110. lib. 2.*

21 Infero sextò, contrà rem judicatam, quæ alioquin esset omninò exequenda, admitti restitutionem in integrum, quæ ipsam executionem impedit. Ita etiam tradit Oddus, *tract. de restit. in integr. q 23. num 3. & 35.* ubi refert. plures alios. Cæsar Contardus, *in l. unic. limita. 8. num. 5. Cod. si de momenta. possess fuerit appella.* Joseph. Cumia. *in Commentar. ad ritus Magnæ Curiæ Neapol. cap. 17. n. 89.*

22 Infero septimò, adversus sententiam latam à Summo Pontifice constitutionem in integrum. Ita etiam docet Menoch. *cons. 663. num. 25.*

23 Infero octavò, beneficium restitutionis in integrum extendi ad illos, qui de mandato Principis, vel Civitatis sequuntur exercitum, puta, Doctores, Quæstoresve Militum, Medici, Chirurgi, Scribæ, aliique: Quia & ii dicuntur abesse Reipub. causâ, sicuti Milites Sfott. *add. par 1, q. 6. ex n 19.*

24 Infero nonò, restitutionem in integrum dari personis, quæ per alios reguntur, ut sunt, præter minores, furiosi, prodigi, & etiam Universitates; nam & ipsæ per alios reguntur, ut probat Mastrill. *decis. 134.* militat enim pro omnibus eadem ratio.

25 Infero decimò, beneficium restitutionis in integrum concedi etiam mulieribus, non solùm propter juris ignorantiam, sed etiam ob sexus fragilitatem, & imprudentiam in rebus agendis. Oddus, *in dicto suo tract. quæst. 10.* Maria Giurba, *decis. 18. num. 1. ubi num. 9. cum seqq.* limitat in mulieribus viduis, & pauperibus.

26 Infero undecimò, remedium restitutionis in integrum quandoque dari & rusticis; cùm præsumatur in illis non solùm ignorantia juris, sed etiam imprudentia in rebus agendis; nè prævaleat versutia, & malitia adversariorum, cum quibus contrahunt. Videatur Oddus, qui in *d. suo tract. quæst. 9.* hanc materiam attentè examinat, prudenter limitata productè ampliat. Videatur pariter Molfesius, qui *tom. 3. Comment. ad Consuet. Neapol.* integrum tractatum exponit *de integr. restitut.* Quam materiam valdè molestam in jure, multiplicibus regulis, extensionibus, restrictionibus, variis in locia insertis, & à Doctoribus fusissimè explicatis, involutam, in hac brevi difficultate ad nostram militiam spectante, restringere, seu epilogare ausi sumus; nè quidquam ad militiam pertinens omittatur.

27 Infero duodecimò incidenter, à militiæ supervenientia non tolli prosequutionem causæ ceptæ coràm Judice Ordinario, & probat Tex. expressus *in l. Si quis postea 7. ff. de judiciis.* ubi Bar. & cæteri communiter; Et interminis Crispol. *de Casib. Militar. Cas. 32.* multò magis quando Miles non erat actu in Castris, vel in Exercitu, sed in Civitate, more aliorum Privatorum, Ita Card de Luc. *tom. 3. de Jurisdict. Disc. 78. n. 4. & 5.*

28 Infero decimotertiò, restitutionem in integrum, quæ peti debuerat intrà quadriennium, posse elapso quadriennio ex capite ignorantiæ peti. Ita pariter Soc. *in Cons. 66. in 4. volum.* Card. Alban *in Lucubrat. in Bart. in l. 1 ff. Quib. ex cau. major. n. 4.*

29 Inferò decimoquartò, non dari contrà casum, & fortunam restitutionem in integrum. Sic etiam Bald. *in l. Ait. Prætor, ff. fin. ff. de minor. 25. an.* ubi sic exemplificat. „Si frater minor cum „ fratribus suis, ad divisionem bonorum venniar, & fortè deterior pars ei continget, propterea ille restitui non potest; Alioqui verò, „ si spontè partem illam pejorem elegisset, Et ideo

ideò à sententia fortis, & fortunæ appellare non licet. Bal. *in l. fi.* in princ. *Cod. Comm. de lega.*

30 Infero decimoquintò, restitutioni in integrum posse cedi, esto sit beneficium personale. Bart. *in l. Si Minoris, col. fin. ff. de admi. & peri Tut.*

XV. DIFFICULTAS.

An Milites pedites castrametati, seu degentes in Castris contrà Hostes, aut iter agentes, exempti sint à jejunio.

1 NOtandum primò, jejunium secundùm suam significationem importare abstinentiam, & esse duplex, videlicet jejunium Animæ, & jejunium corporis: Primum importat abstinentiam à peccatis, & omnibus illicitis, ut admonet Petrus, *Epist. 1. cap. 2.* „Obsecro vos tanquam Advenas, & Peregrinos abstinere vos à carnalibus desideriis, quæ militant adversus Animam. Et refertur *in cap. jejunium, de Consecrat. Dist. 5.* Secundum importat subtractionem cibi, aut totalem, & est jejunium naturale; aut cum reductione ad aliquam determinatam mensuram, & est jejunium Ecclesiasticum, ut sensus est communis.

2 Notandum secundò, jejunium Ecclesiasticum, quoad determinationem temporis & modi, originem sumpsisse ab Apostolis, Concil. Mogunt IV. *cap 47.* & esse de jure positivo; quamvis ipsum jejunium fundetur in jure naturali, & Divino, ut latè probat Less. *lib. 4. cap. 2. num. 29.* Bellarmin. *tom. 3 controvers. lib. 1. cap. 11.* Azor. & alii, quos recenset Reginald. *lib. 4. sua praxis, num. 124.*

3 Notandum tertiò, dari non unum tantùm commune præceptum jejunandi, sed diversa præcepta pro diversis temporibus, & haberi in jure. *Cap Non licet. Cap. Non oportet. Cap. Placuit, de Consecrat. Dist. 3. & cap. Quadragesima, de Consecrat. Dist. 5.* & Ecclesiam intendere obligare sub mortali ad jejunium, ut colligitur *ex de cap. Quadragesima, & ex cap. jejunia, de Consecrat. Dist. 5.* asserit D. Tho. *2. 2. quæst. 147. art 3. in corp.* cum innumeris aliis, quos recenset, & probat Pasqualig. *in praxi jejunii, decis. 30. num. 3.*

4 Notandum quartò, ad jejunium Ecclesiasticum, in quantum importat modum, & mensuram præscriptam ab Ecclesia, nempe abstinentiam à carnibus, ut unicam comestionem tali tempore, nos non teneri jure naturali; quo jure duntaxat aliquandò tenemur jejuniis uti, si jejunium sumatur, ut dicit solam subtractionem cibi, & potus, quocunque modo fiat ad cohibendam culpam, & ad elevationem mentis in spiritualia. D. Tho. *2. 2. quæst. 147. art. 3.* Abulen. *quæst. 128. resolut. 6.* D. Matth. Cavar. *lib 3. variar. cap. 20. num. 2* & alii; sed jure positivo, quod est à Prælatis Ecclesiæ institutum, & hoc est jejunium Ecclesiæ; aliud verò est naturæ, ut ait D. Tho. *loc. cit.*

Notandum quintò, præceptum jejunii extrà 5 casum necessitatis obligare omnes, exceptis senibus, junioribus antè 21 annum completum, aliisque infrà recensendis. Concil. Grangense, *cap. 19.* Concil. Senonen. *cap. 7.* Concil. Colonien. *II. part. 9. cap. 2.* & ita communiter Theologi, Canonistæ; Et etiam Justos, & est certum secundùm fidem, determinatum in Concilio Viennensi; & refertur in Clement. *Ad nostrum, de Hæreticis*, ubi damnantur Beguardi, & Beguinæ asserentes, Justos, & Perfectos non obligari ad servanda jejunia Ecclesiæ, sed posse concedere corpori quidquid ei placuerit.

His adnotatis; ad difficultatem propositam, 6 an Milites pedites castrametati, seu degentes in Castris contrà hostes, vel iter, aut excubias agentes, exempti sint à jejunio; videtur negativè respondendum; nam præcepta Ecclesiæ obligant sicut pæcepta DEI: Undè Apostolis dicit Christus, *Qui vos audit, me audit*, S. Luc. *cap. 10. num. 16.* Atqui præcepta DEI omnes tenentur observare: Et ideò Milites, sive fiot castrametati, sive agant iter, aut excubias, tenentur servare jejunium; cùm sit ab Ecclesia præceptum. Præterquam quod labor castrorum, aut excubiarum (quidquid sit de itinere) cùm sit parvus, non videtur sufficiens ad excusandos Milites à jejunio.

Veritas tamen est, hujusmodi Milites esse à 7 jejunio exemptos, Remig. *tract. 3. sum cap. 4. §. 3. num. 10.* verb. *Muchos*, Leander, *de prae. Eccles tract. 5. disp 8. q. 91.* Pasqualig. *in praxi jejunii, decis. 311.* Et hanc opinionem videntur docere, quamvis non in terminis, Sanchez, *lib. 9. de matrim. disp. 3. sub num. 20.* Reginal. *lib 4 num* 213. & alii plures, quos recenset, & sequitur Molfes. *in sua aurea summa, p. 1. tract. 10. cap. 4 num. 41.*

Moveor primò juribus, *in d. cap. Jejunia, de Consecrat. Dist. 5.* ubi habetur, ab obligatione 8 jejunii Ecclesiæ multos necessitate rationabili absolvi, sive excusari: *Et in cap. Consilium, extrà, de observan. jejun.* ubi Inn. declarat, legi non subjici necessitatem; ideoque necessitate aut præsenti, aut imminenti posse aliquem sine peccato jejunium, ab Ecclesiâ institutum, prætermittere per dispensationem, ut concludit Turrecrem. *in d. cap. Jejunia, §. ad secundum, num. 9.* Nemo autem ignorat, Milites pedites, in Castris degentes, iter, aut excubias agentes, esse rationabili necessitate impeditos: Atque adeò hi debent ab obligatione jejuniorum ab Ecclesiâ statutorum excipi.

Moveor secundò rationibus; nam gestare continuò arma magnum secùm fert laborem. 9 Deindè Milites, sive sint in Castris, sive in itinere, sive in excubiis, possunt incurrere occasionem pugnandi; & pugna, ut sit valida, vires requirit integras, & robustas. Insuper Milites à munere Militiæ comedere horâ consuetâ impediuntur. Præterquam quòd scimus, Fideles minimè teneri suum honestum, & licitè perceptum Exercitium, diebus destinatis labori, ut jejunare possint, relinquere, sive divites sint, sive pauperes; neque Ecclesiæ intentionem esse eos obligandi; & successivè laborantes ex officio, posse æquè diebus jejunii, ac aliis laborare, & à jejunio

jejunio excusari, quando se ipsâ laborem subeunt; addito præcipuè publico bono ejusmodi laborem exigente.

10 Moveor tertiò exemplo, seu potiùs praxi communi Militum, qui dum sunt in Castris, vel iter agunt, aut excubias, præceptum ab Ecclesiâ jejunium non observant, nec à Capellanis exercitus, nec à Confessariis, nec à Theologis doctissimis damnantur.

11 Concludimus igitur, Milites teneri quidem diebus præceptis jejunare, quando actu non laborant, nec credunt probabiliter futuram esse occasionem pugnandi, aut laboriosum iter agendi; cæterum à jejunio esse exemptos, quando per illud aut actualiter redduntur, aut probabiliter reddentur inhabiles ad labores, & exercitium militiæ, & ad opera in posterum: Et de omnibus Fidelibus laborem subeuntibus ita etiam declaravit Eugenius IV. ut refert Sylvest. in verb. *jejunium, quæst. 21.*

12 Ad rationes in oppositum respondemus; ad primam dicendo, præcepta Ecclesiæ non ita strictè obligare præcepta DEI: Et quamvis eodem modo obligarent, scimus aliqua præcepta DEI, interveniente rationabili necessitate, non obligare. Præceptum enim DEI est. *Non occides:* Et tamen occisio licita est, posito moderamine inculpatæ tutelæ. Præceptum DEI est. *Non furtum facies.* Quis autem negat furtum esse licitum, extrema nascente necessitate? Adeoque licet admitteretur, præcepta Ecclesiæ obligare, sicut præcepta DEI, non per hoc rectè probatur, nostros Milites ad jejunium ab Ecclesia institutum, si degunt in Castris contra hostes, vel iter agunt, aut excubias, obligari.

13 Ad secundam, & alias patet responsio ex dictis, & dicendis.

14 Infero primò ex dictis, exemptos quoque esse à jejunio Milites equites, dum sunt in Castris, vel iter agunt; cùm sit eadem ratio: Et quamvis non ita fatigentur, sicut pedites, negari non potest, ipsorum laborem esse ingentem; cùm armis graventur, injuriisque temporis expositi sint.

15 Infero secundo, excusari à jejunio Milites degentes intrà munitiones, si credant tamen prudenter, vel quia non procul sunt hostes, vel quia Fortalitium situm est ad confinia Inimicorum, vel ob aliud motivum proximum, esse occasionem pugnandi. Secùs verò, si non adest prudens opinio, vel de improvisâ aggressione hostium, vel de futura occasione pugnandi.

16 Infero tertiò, exemptos esse à jejunio Milites, quando in arte militari exercentur, præsertim in fictitiis pugnis, & totâ die, aut per partem majorem diei stant in armis; cùm tunc valdè fatigentur, & labor sit ingens in ordine ad strenuè & rectè pugnandum, & consequenter ad publicum bonum.

17 Infero quartò, posse facilè excusari à jejunio Ecclesiastico Milites, qui tempore hyemali nocturnas agunt excubias; quia sine cœna noctu vix possunt resistere frigori; siquidem corpus sinè cibo facilè gelascit, Ita Pasqualig. loc. cit. *num. 6.*

Infero quintò, à jejunio esse exemptos Nautas remigantes, sive Milites, probabiliter pugnaturos in navibus: Quia labor eorum est ingens. Ita communiter Doctores, asserentes Nautas exemptos esse à jejunio, etiam in casu, quo non temigent per totam diem; & enim in casu, quo per aliquem diem cessent à remigando, imò & per plures; Quia nimis debilitarentur pro tempore, pro quo est remigandum, si paulo ante jejunarent. 18

Infero sextò, excusari à jejunio iter pedestre necessarium, & per plures dies facientem; cùm tale iter valdè debilitet, & lasset: Adeoque iter agentibus opus esse majori, & frequentiori cibo, quàm exigat jejunium, ad restaurandum corpus. Ita docet etiam D. Tho. 2. 2. *q. 147 art. 4. ad 3.* & plures alii. Secùs verò, quando iter agimus, equitando, utcumque iter agamus, item quando iter necessarium non est: Et quando iter spatio unius diei conficitur. Doctrina contraria est damnata ab Alex. VII. & est proposit. 31. in ordine. 19

Infero septimò, excusari à jejunio tractantes vela navium, eaque regentes; cùm exerceant opus laboriosum: Debent enim portare, suspendere, tendere, complicate vela, anchoras parare, jacere, retrahere, prout occasio postulaverit; quæ omnia vires requirunt robustas. 20

Infero octavò, excusari à jejunio Cursores, vulgò, *quelli, che corono alla posta*; quia, cùm agitatio corporis sit magna, ingens est etiam labor. Prætetquam quod Cursores non possunt in unica refectione sumere totum cibum, quo indigerent; cùm cursus non permittat ventrem admodum impleri, sed frequenter, & leviter ab eis comedendum est. Pasqu. *in praxi jejunii decis. 315.* 21

Infero nonò, exemptos à jejunio Agricolas, Argentarios, Textores, Fullones, Pistores, Terram Fodientes, Fabrileatores, Ferrarios, Lanarios, Coriarios, aliosque exercentes similem artem laboriosam. Secùs verò, Pictores, Recamatores, Tonsores, Sartores, Advocatos, Scholasticos, Notarios, & similes, qui laborem modicum sustinent, Molsesius, *in sum p.1. tract. 10. cap. 4. n 43.* 22

Infero decimò, eximi à jejunio Lectores, Concionatores, qui ex officio, obedientiâ, aut voto concionantur, vel docent; quando tamen ipsorum labor est notabilis; Seu quando ipsorum labor, ut aliqui loquuntur, improbus est Ita D. Tho. *quodlib 5. art. 18.* Sylv. *v. jejunium, n. 26.* Toler. *lib 6. cap. 4 n. 4.* & alii plures, quos refert Pasqualig. *in praxi jejun. decis. 327 n. 2.* 23

Infero undecimò, laborem, quo excusamur à jejunio, debere esse incompatibilem cum jejunio; ut notant Authores, quos recenset, & sequitur Molsesius, loc. cit. *n. 42. & 43.* 24

Infero duodecimò, non excusari à peccato eos, qui pro Republica corporaliter laborando, nolunt, aut negligunt se certificare, an labor sit compatibilis cum jejunio, Contraria doctrina fuit ab Alexandro VII. damnata, & est propositio 30. in ordine. 25

XVI. DIFFICULTAS.

An Miles fugiens possit in alieno Territorio à suo Judice militari capi, & morte, aut aliâ pœna puniri?

1 NOtandum primò, fugientes de bellis publicis esse infames, etiam de jure Canonico, ut per Tex. *in cap. Infames, causa 6. q.1.* & tradit Tiber. Decian. *in tract. crimin. lib.7. cap.12. num 82.*

2 Notandum secundò, legem esse statutam, quâ opprimendorum desertorum facultas Provincialibus conceditur, qui si resistere ausi fuerint, omnibus adversus eos jus pro quiete communi exercendæ publicæ ultionis indultum est *l.2. Cod. quando lice. unicuique sinè jud. se vindicare, & in l. 2.* in princip *tit. de desertoribus, lib.12.* ubi statuitur, esse desertores opprimendos in ipsis temeritatis suæ conatibus, si inventi audeant resistere armis.

3 Notandum tertiò, appellatione Territorii hic intelligi omnia loca, ad quæ se extendit jurisdictio Domini cujus sunt. Sed quid sit Territorium & quid sit districtus, & Diœcesis, latè habetur apud Felin. *in Cap. Rodulphus, col.10. de rescript.*

4 Notandum quartò, Judicem esse multiplicem: Alius est ordinarius, alius delegatus, & alius arbitrator. Ordinarius, ut alios brevitati studens omittam, est, qui ex dignitate, vel officio suo habet jurisdictionem; undè quicunque habet dignitatem, vel officium, cui ex jure, vel consuetudine, vel præscriptione convenit jurisdictio, dicitur Ordinarius Judex, & constituitur vel ab Imperatore, vel à Rege, vel à Principe, Duce, Marchione, vel Comite, ut distinctè explicat Azor. *instit. moral. p.3, lib.13 cap.12.*

5 Notandum quintò, ad cognoscendum, an Judex sit competens, vel incompetens, quinque esse consideranda, ut notat Bossius, *tit. de foro compet.* in princ. inter quæ, tempus; quia elapso suo tempore non potest ultrà judicare, *l. eum, §. Judicare, ff. de jur. om. jud.* & tandem locus juxtà *l. si ff. eod.*

6 Notandum sextò, leve indicium sufficere Judici ad inquirendum secundum Bal. *in l. servus, Cod. de rest.* Alex. *in l. repetí, §. 1, ff. de quæst.* in secunda apostilla; & sic magis lege sufficere ad capturam, ut tradit Ægid. Bossius, *tit. de captura, num. 3.*

7 Notandum septimò, fugientem, seu fugitivum diversis modis explicati, *l. quis sit fugitivus, ff. de adilitio edict.* & ibi Glos.

8 His adnotatis; ad difficultatem propositam, an Miles fugiens possit in alieno Territorio à Judice suo militari capi, & morte, vel aliâ pœnâ puniri, affirmativè videtur respondendum; omnino publicè interest delicta puniri, *l. si ità vulneratus, in fi. ff. ad l. Aquil.* Magnum quippè est delictum desertionis, seu fugæ: Unde non debet temerere impunitum. Præterea licet Marito adulterum è domo fugientem etiam extrà domum capere; Et sic licebit Judici Militari suos Milites fugientes in alieno Territorio capere, & punire.

9 Veritas tamen est, militem fugientem non posse à suo Judice in alieno Territorio capi, & puniri. Felin in *cap. fin. col. 2. de foro compet.* Florian. de S. Petro, *in l. ficuti, §. Aristo si ser. vend.* ubi Paul. Castr. not. & ibi Glos. in verb. *facere licet*, Bossius, *tit de captura, num. 34.* ubi allegat Bart. Jas. & Crispoltus, *in casib. milit. cas. 33.* ubi citat Bald. & alios.

10 Moveor primò juribus, *in l. fin. ff. de jurisdict. omn. jud. Cap. Ex parte* de verb. *signif.* il primo, *l. quis sit fugitivus, §. Idem Cælius, ff. de adilit. edict.* ubi habetur posse Judicem capturæ captum repetere; & reum, seu fugientem non posse à suo Judice extrà suum Territorium capi.

11 Moveor secundò rationibus; nam à mutatione Territorii inducitur mutatio potestatis, Ang. *in l. si dominum. de fur.* Tùm quia aliena Territoria præstant salvumconductum, & securitatem, *arg. l. præsenti & l. denunciamus, Cod. de his qui ad Eccles. confug.* deindè nemini licet alteri turbationem inferre; Turbare autem nil aliud est, quàm verbo, vel facto inquietare Judicis jurisdictionem, ut tradit Bart. *in Cap. Licet causam, num. 38. de probat*, ibid. Felin. *num. 11.* Quæ autem major inquietatio, quam illa, quæ oritur à capturâ? Prætertqam quod Judicis officium non se extendit, nec se debet extendere plusquam se extendat ejus jurisdictio, *l. ult. in fin. ff. de jurisd. omnium Judicum*, ut suprà notavimus. Jurisdictionem autem cujusvis Judicis ad alienum Territorium non se extendere, nisi permittente Domino, certum est apud omnes Jurisperitos: Atque adeo jurisdictio Judicis militaris non se debet extendere ad suum militem fugientem, & in alieno Territorio repertum, seu existentem.

12 Moveor tertiò exemplo, in Capitulo Carnotensi, quod excommunicavit quandam Comitissam, quæ Officiales nolebant restituere quemdam latronem ab eis captum in Territorio dicti Capituli. Refertur *in Cap. ex parte, de verb. signif.* & ità dicit Bart. *in l si cui, de accusat.* Moveor etiam praxi quotidiana: Videmus enim delinquentes ad alienum Territorium confugientes, nullatenus à Judice originis, aut domicilii tangi, nisi adsit Domini Territorii permissio.

13 Concludimus igitur nullatenus licere Judici militari suum militem fugitivum in alieno Territorio capere, & multò minus captum punire.

14 Ad rationem in contrarium respondemus: ad primam concedendo, delicta esse punienda, & fugam, seu desertionem militum esse delictum, sed quando delinquens est debitè captus: Secùs verò si indebitè capiatur, ut infrà in illationibus clarè patebit.

15 Ad secundam respondet Crispoltus loc. cit. qui cerni facilè potest; cui addo, magnum adesse discrimen inter adulterum extrà domum mariti offensi, & militem fugientem in alieno Territorio positum; Ut consideranti patet; miles enim mutat Territorium, quod non facit adulter: Et mutatio Territorii inducit mutationem potestatis, ut tradit Ang Aret. & alii apud Crisp loc. cit. & habetur ex *l quis sit fugitivus, ff. de adilit. edict.* undè quamvis primus capi possit, non sequitur, licitam esse capturam secundi.

16. In-

16 Infero primò ex dictis, captum in alieno Territorio esse statim restituendum, seu dimittendum, secundùm Bart. *in d. §. Idem Cælius*, & Bald. *in l. requirendi, col. 2, vers. sed nunquid, Cod. de de servis fugit.*

17 Infero secundò, captum extrà Territorium esse pariter dimittendum, quamvis officialis cœpissent eum insequi in Territorio. Ita etiam tenet Felin. *in d. cap. fin.* & Barbat. *conf. 26. vol. 1.* dicens hanc esse opinionem communem. Et circà hanc rem videatur etiam Ang. in verb. *fama publica, vers. sextò quæro in materiâ capture.*

18 Infero tertiò, nullam pœnam incurrere eos, qui captum in alieno Territorio eximerent à manibus Officialium Judicis sui militaris: Secùs verò, si caperetur in Territorio sui Judicis, ut vult Bald. *in l. addictos, Cod. de Episc. audien.* circà fin. ubi dicit, quòd tenentur, ac si fidejussent pro eo in omnibus: Et ita fusè Cæpol. *conf. 14. col. 2*

19 Inferò quartò, captum in alieno Territorio, & ductum ad carceres, si se eximat è manibus familiæ, in nullam incidere pœnam; cùm sit indebitè captus; Secùs verò, si esset captus in Territorio sui Judicis; quia faciendo à familiâ non solùm impedit, sed resistit secundùm Bald. *in l. fin.* in fin. *Cod. de exhib. reis*, & tradit Boss. loc. cit. *num. 19.*

20 Infero quintò, quando Judex extrà suum Territorium delinquentem capit, posse Judicem capturæ captum repetere ut ex *de cap. Ex parte, de verb. signif.* il primo.

21 Infero sextò, non esse licitum capere delinquentem in Ecclesiâ, ut *in tit. Cod. de his, qui ad Eccles. confug. & extrà, de immunit. Eccles. in cap. Inter alia.* Card. Albanus *in Lucubrat. in Bart. in l. Plerig. ff. de in jus voc.* & ibi DD. Et ratio intrinseca videtur esse, quia Ecclesia est Territorium proprium Christi.

22 Infero septimò, volentes capere reum in alieno Territorio, si illum occidant non permittentem se capi, teneri de homicidio: Secùs verò, si occidant in Territorio Judicis illos mandantis pro hujusmodi captura; quando tamen eis permissum esset occidere, si vivum capere non possent: Quidquid dicat Bart. *in l. 3. Cod. de his, qui ad Eccles. am. confug.*

23 Infero octavò à fortiori, Laicum non posse capere Clericum fugientem, & morantem in alieno Territorio, neque in Territorio originis, aut domicilii; & aliàs faciendo esse excommunicatum *cap. 3.* in fin. in verb. *ceperit, de sent. excomm.* & sentit Glos. *in cap. Cùm non ab homine, de judic.* ubi Joan Andr. Joan. de Lig. Bald. Abb. & Recentiores. Quidquid dicat Aret. ibi. Undè statuta disponentia, ut Castra, & Oppida teneatur capere maleficum, non consentur cogere Laicos, ut capiant Clericum, ut ibi not. Bald.

24 Infero nonò incidenter, Magistratus Seculares teneri capere Hæreticum, & tradere in manibus Inquisitorum, si in eorum Territorio extat, & citatus verbo inquisitorum, nolit comparere; si dicti Magistratus fuerint requisiti ad hoc: *Cap. Ut Inquisitionis*, in princ. *de hæret. in 6.* & hoc expensis publicis, ut tradit Bald. in *cap. 1. §. Si Judex, de pace tenenda*: Secùs autem, si Officium Inquisitionis habeat pecunias publicas, ex quibus expensæ erunt faciendæ, ut in terminis Gondisla. de *hæret. quæst. 11. num. 8.* Tiber. Decian, *in tract. crimin. lib. 5. cap. 25. num. 5.*

Infero decimò, suspectum de fugâ non posse à Judice incompetenti capi: Circà hanc illationem potest videri Dec. *in l. ff. de jurisdict. om. jud.* Quis autem dicatur esse suspectus de fugâ, vide Alex. *conf. 64.* Puto autem ego, sensui Card. Alban. *in Lucubrat. in Bart. in l. fin. Cod. de ferris*, inhærendo, suspectum de fugâ illum dici, qui nihil possidet, qui non habet beneficium juratoriæ cautionis; & dici promptum ad fugam illum, qui est Forensis, nec possidet bona immobilia, Soc. *in conf. 120. col. 2. in primo volu.* 25

Infero undecimò, suspectum de fuga à fugitivo existente in fugâ differre: Quæ verò fit differentia tradit Soc. *in conf. 99.* & in aliis duobus consiliis sequentibus, in quarto volum. 26

Infero duodecimò, diebus feriatis debere in honorem DEI omnem cognitionem, & executionem cessare, Bart. *in l. fin. Cod de feriis*, quæ lex, ad probandum de feriatâ posse in honorem DEI fieri actum extrà judicialem, solet adduci, quam rem perdoctè discutit Jas. Jas. *in l. Filius fam. §. fin. ff. de verb. obligat.* 27

XVII. DIFFICULTAS.

An Miles, sive justè, sive injustè carceratus, possit absque peccati labe è carcere; cùm debat fugiendo necessariò Castra deserere.

Notandum primò, carcerationem, aliamque similem coercitionem, esse meri, vel mixti imperii, Alex. *in l. imperium, num 16. ff. de iurisd. omn. iud.* Menoch. *in conf. 604. n. 33.* 1

Notandum secundò, quòd carceratio, aut est ad pœnam, aut ad custodiam: Et carcerari non debet, qui quæstionibus subjici, atque torqueri non potest. Menochius *in conf. 94. n. 39. & 40.* Et ad custodiam solùm carceratur, qui pœnâ corporali principaliter, vel secundariò, nempe in defectum solutionis pecuniatiæ, plectendus est, *l. 1.* ubi Bart. *ff. de custod. reor.* 2

Notandum tertiò, quod carceris pœna requirit claras, & apertas probationes. *ult. Cod. de probatio.*; & not. per Menoch. *in conf. 34. num. 2.* 3

Notandum quartò, militem dici esse in carcere, donec habet custodem, & non potest ire quò velit, ut per Tex *in l. qui neque, ff. de verb. signif.* & tradit Dec. *in conf. 219. n. 5.* 4

Notandum quintò, in omni fuga sive à Castris, sive à Carcere, animum fugientis esse considerandum, *l. quòd si fugitivus, §. item, apud med. ff. de ædil. edict.* docet Dec. *in conf. 411. num. 5.* 5

6 Notandum sextò, ex desertione Castrorum sine Ducis, aut Principis facultate ingentia mala evenire; & ideo graviter delinquere militem Castra deserentem; & ejusmodi delictum capitis pœnâ, vel addictione ad triremes interdum plecti, ut notat Molina, *tom. 1. de iustitia, tract. 2. q. 116.* Decian. *tract. crim. lib. 7. cap. 12. num. 14.*

7 Notandum septimò, à militibus, qui è carcere fugiunt, necessario castra deseri; nè capiti majori pœnâ puniantur.

8 Notandum octavò, celebrem esse quæstionem inter Doctores, an Milites peccent è carcere præcisè fugientes, scilicet non habito respectu ad desertionem Castrorum; & tùm affirmativam, quàm negativam opinionem esse probabilem.

9 His notatis; Ad difficultatem propositam, an miles sivè justè, sive injustè carceratus possit absque peccati labe è carcere fugere, cùm debeat fugiendo necessario Castra deserere, negativè videtur respondendum; cùm fuga sit perpetua comes delicti, ut habetur ex *l. non omnes, ff. de re militar.*

10 Veritas tamen est, militem sive justè, sive injustè carceratum, si è carcere fugit, neque culpam committere, neque pro fuga esse puniendum Cotor. de *iur. milit. lib. 3. cap. 9. num. 10.* Paris de Puteo *in tract. de Syndic.* §. *Carcerem.* Ripa, *in l. admonendi, num. 171. de iuriur.* Alex. *in cons. 144. num. 7. lib. 2.* Card. Alban. *in Lucubrat. in Bart. in l. 1. ff. de bon. eor. qui ant. sent. sibi mort. conscia. num. 1.* ita etiam sentire videtur Afflict. *in comment. ad Constitut. Neapolit. in Constitutione*, quæ incipit *Clementia*, in fin. tertii Notab. Menochius, *de præsumpt. lib. 1. q. 89. num. 43. & de arbitr. jud. lib. 2. cent. 4. cas. 301. num. 15.* ubi citat Didi. Gram. Neviz. & inter Theologos, Canonistas, Sylvest. *in sum. v. fugere, num. 1.* Graff *part. 1. decis. lib. 3. cap. 7. num. 1.* Cespedes, *in dub. milit. dub. 15.* & alii.

11 Moveor primò juribus, *in l. ius eius, Cod. de probat.* ubi notatur, injustè capto licere è carcere fugere, datâ sibi fugiendi opportunitate, *& in l. quis sit fugitivus, ff. de adili. edict.* ubi habetur Militem, qui non animo deserendi militiam, sed etiam od causam aufugit, fugæ non esse reum; Præsumitur autem, Militem sive justè, sive injustè carceratum è carceribus aufugere ad vitandam aut mortem, aut abscissionem membri justè, aut injustè sibi inferendam; vel saltem incommoda carceris; nam carcer mala vocatur mansio, ut notat Crispolt. *in casib. milit. cas. 11. num. 5.* & carceratus dicitur habere vitam miseram, ut observat Ant. Butrius, *in cap. A nobis, n. 3. de Apostatis.*

12 Moveor secundò rationibus; nam ubi non est dolus, nec ibi est delictum pœnâ dignum; ita docent communiter Jurisperiti, præsertim Jas. *in l. 1. ff. de legibus*, Tiraquel. *tract. de pœnis legum, causa 13.* Boer. *q. 83. num. 9. & q. 403. num. 9.* Soc. juni. *conf. 177. num. 14. lib. 3.* Plaza, *lib. 1. Epitom. delict. cap. 16. num. 6.* Hic autem cessat dolus saltem ex præsumptione; cum fuga fiat ad pœnas evitandas, non verò pro castris deserendis; & habetur ex Bart. *in d. l. quis sit fugitivus*, Ripa *in d. l. admonendi num. 168.* Padil. *in l. transigere, num. 3. de transact.* tùm quia iste Miles carceratus non directè deserit castra fugiendo, sed tantùm indirectè; directè enim, ne miserè vivat, fugit è carcere, quod licitum est, ut asserunt communiter Doctores; atque adeò nullatenus peccat, præsertim si injustè carcere fuit afflictus.

13 Moveor tertiò exemplo, in iis, qui attendo moderamine inculpatæ tutelæ, occidunt se invadentem; & tamen nullatenus peccant, ut unanimiter, & absque controversia sentiunt Theologi, licet aliquid indirectè agant, quod de se alias esset illicitum, utpotè jure divino prohibitum; unde quamvis deserere castra absque culpa sequi non possit, ut alibi demonstravimus, nihilominus cùm indirectè hoc fiat à fugiente è carceribus, fugiens non censetur peccare, cùm in utroque casu quis utatur jure suo.

Concludimus igitur, carceris miseriæ, seu desiderio evadendi pœnam, sive justè, sive injustè infligendam potiùs, quàm animo deserendi castra fugam esse tribuendam; & sic successivè fugientem militem labe peccati minimè coinquinari, seu non peccare, ut peccant fugitivi, seu castra deserentes. 14

Ad rationem in contrarium respondemus negando, fugam esse semper comitem delicti; siquidem regula est in jure certa, Militem fugientem non animo deserendi militiam, sed ob aliam causam, fugæ reum non esse, *de l. quis sit fugitivus, ff. de adil. edict.* Ad Tex. allegatum respondet Crispolt. *in Cas. militar. cas. 11. num.* dispositionem legis procedere in Milite delinquente, quando immediatè post delictum fugam arripuit, vel ubi, nisi immediatè, sed ex intervallo alteri causæ fuga referri non potest; In nostro autem casu noster Miles aut delictum non commisit, aut si commiserit, ejus fuga desiderio evadendi miserias carceris, aut pœnas justè, vel injustè sibi infligendas, adscribitur. 15

Infero primò ex dictis, non peccare Militem, qui fugit è carcere, quamvis verè, & realiter commiserit delictum, per quod fuit carceratus, & hoc verè constaret: Dummodo primariò, & directè non intendat fugiendo deserere castra, sed tantum evitare pœnam mortis, aut abscissionem membri. 16

Infero secundò, quamvis Miles fugiens è carcere deserat consequenter militiam, desertionem non esse punibilem; quia in deserente non adest intentio, saltem directa deserendi, & sic non adest dolus, sine quo nulla prorsus pœna debet irrogari, ut tenet Menoch. *de arbitr. iud. cas. 194. num. 58.* Mascard. *de probat. conclus. 739. n. 12.* Decien. *in tract. criminal. lib. 6 cap. 11. num. 14.* 17

Infero tertiò, justè captum, & damnatum ad mortem, vel aliam corporis pœnam, non peccasse, si fugam arripuit. D. Tho. *2. 2. q. 69 art. 4. ad 2.* Archid. *in cap. Cum homo, causa 23. qu. 5.* Sylv. *in sum. in v. fugere*; cùm nullo jure teneatur in carcere manere. 18

19 In-

19 Infero quartò, injustè & indebitè carcerato licere fores carceris, vel parietes infringere, ut fugere possit. Paris de Put. Rip. loc. cit.

20 Infero quintò, fugam injustè carcerati nullam facere indicium ad torturam. Alex. Afflict. loc. cit.

21 Infero sextò, fugam recedentis à carcere, animo redeundi, ut quia posteà statim rediit, non facere indicium ad torturam. Ita Barbat. *in l. quid sit fugitivus*, §. 1. *de ædil. edict.* Girlandus, *in tract. de relaxatione carceratorum*, *tit. de fuga*, *num. 7. vers. hac tamen exceptio.*

22 Infero septimò, fugam fugientis, accusatione & querelâ jam propositâ, ante tamen citationem factam, facere quidem aliquam suspicionem, sed nullum indicium; & probat Tex. *in l. in lege Cornelia*, *ff. ad Sylla.* & tradit Bar. *in l. 1. ff. de bonis eorum, qui sibi mortem consc*i*ve*. Dec. *in Conf. 234. n. 1.* & alii plures.

23 Infero octavò, pro damnato injustè ad carcerem temporalem, & è carcere fugiente, non teneri ejus fidejussores. Ita censet Gramm. *in conf. 51. n. 9. in criminal.* post Lucam de Penna, *in l. si quis Decurio*, *col. 4. Cod. de Decur. lib. 10.* Paul. Merenda, *in conf. 94. n. 14.* Menochius, *in conf. 212. num. 57. & 66.*

24 Infero nonò, in fugiente è carceribus non esse locum culpæ, & pœnæ; nisi sit, ut diximus, dolus, qui requiritur verus, nec sufficit præsumptus, *l. nec exemplum, Cod. de fals.* & tradit Petrin. Bellus *de re milit. part. 8. tit. unic. num. 72.* Hieron Gabr. *conf. 369. n. 16.* Crispolt. loc. cit. *n. 25.*

25 Infero decimò, condemnatum, ut fame moriatur, non peccare, si cibum sibi occultè ministratum sumat, quia non sumere, esset seipsum occidere. D. Tho. 2. 2. *q. 96. art. 4. ad 2.*

26 Infero undecimò, tunc fugam facere sufficiens indicium ad torturam, quando quis fugit, nemine eum accusante: Secùs verò, si post accusationem, vel inquisitionem, vel suspicionem. Ita Dec. *in Conf. 234.*

17 Infero duodecimò, fugam aliquandò imputari alicui ad delictum, puta, quando fuga, & delictum sunt idem; & tunc probata fugâ, dicitur pariter probatum esse delictum; & ita procedit Tex. *in l. 3. §. Desertorum, & §. Emansor, ff. de re militar. & in l. quis sit fugitivus*, §. *apud Labeonem, ff. de ædil. edict.* & ita tradit Card. Albanus, *in Lucubrat. in Bart. in l. Impuberibus*, §. *Præterea, ff. de susp. Tut. num. 2.* ubi dicit, & probat, aliquando fugam non imputari alicui ad delictum, sed ad probationem alterius criminis, in quo adest sola suspicio; & in quo plenæ probationes exiguntur, adducens Tex. *in l. Sciant cuncti, Cod. de probat.* ostendensque eò in casu fugam nec plenæ, nec semiplenæ sufficere probationi, sed ex ea quandam oriri suspicionem, allegans *l. 1. Cod. de rapt. Virg. & l. Lege Cornelia, ff. ad Syllan.*

18 Infero decimotertiò obiter, fugitivos, qui perveniunt ad aliquem, esse remittendos ad suos Dominos, *causa 12. q. 2. cap. Fugitivi, cap. Injustum.*

Infero decimoquartò etiam incidenter, attentis Constitutionibus Pontificiis, præfatas doctrinas minimè favere Monachis, & Clericis fugitivis, quia nullo possunt recipi, & eos recipientes pœnæ sunt obnoxii. Concil. Tolet. 13. *cap. 11.* 29

XVIII. DIFFICULTAS.

An Ecclesia, qua Hostes utuntur, tanquàm Arce, & Castro possit expugnari, & comburi.

Notandum primò, in bello justum licitumque esse, ut sæpè diximus, omnia facere quæ necessaria sunt ad defensionem publici boni; Ut puta, occidere, spoliare, comburere, & alia mala inferre; cùm finis belli sit Rempublicam defendere, & conservare. Victor. *de jure belli, Relect. 6. num. 15.* 1

Notandum secundò, jure gentium, & fortasse etiam, naturæ veritum esse, ea fieri contrà hostes, quæ hostium vires non minuunt, nec ad finem belli conferunt: Unde Polybius, *lib. 5.* inquit: Rabiosi animi esse ea perdere, quæ nec, „ hosti perdita vires adimant, nec perdenti emo- „ lumentum auferant, qualia sunt Templa, Por- „ ticus, Statuæ, & similia. „ 2

Notandum tertiò, non licere comburere domos, & alia ædificia, evertere turres, expugnare Urbem, aut Arcem, ubi essent multi Innocentes, & pauci nocentes, si ad finem belli parùm conferret, ut asserunt, & probant Victor. *de jure belli, Relect. 6. num. 37.* Valentia, *tom. 3. disp. 3. q. 16. de bello, punct. 3. vers. Diximus autem*, & alii. 3

Notandum quartò, Ecclesiam esse locum pacis, juxtà illud Psalmi 75. v. 3. *In pace factus est locus ejus*; & esse domum orationis, Matth. *Cap. 21. v. 13. Domus mea, domus orationis vocabitur*; undè Ecclesia non debet fieri locus pugnæ, & belli Turrecrem. *in cap. Sanctorum, num. 5. causa 10. q. 1.* 4

His adnotatis; ad difficultatem propositam, an Ecclesia, quâ hostes utuntur, tanquàm Arce, & Castro, possit expugnari, & comburi, negativè videtur respondendum; nam Ecclesia est locus immunis à potestate Laicali, ut patet *toto tit. de immunitate Ecclesi.* undè nefas videtur Imperio Laicali suas vires contrà ipsam ostendere. Præterea Ecclesia materialis, ut ex vario jure colligitur, est locus publicus Episcopali anthoritate constitutus, & consecratus, in quo Fideles ad percipiendi Fidei Sacramenta conveniunt. Ita Sylvest. *in sum. v. Ecclesia 2. num. 1.* Ergo non videtur licere Fidelibus Ecclesiam comburere, in quâ tot bona eminentioris ordinis percipiuntur. Præterquam quod, inconveniens magnum esset, si Fideles in suis bellis non illam venerationem erga loca sacra ostenderent, quam Infideles bellantes erga loca falsis diis dicata demonstrarunt. Marcellus quem, laudat Cicero, *verrina 2.* „ Ædificiis omnibus Syracusarum publicis, & pri- „ vatis, sacris, & profanis sic pepercit, quasi ad ea „ defendenda cum exercitu, non expugnanda „ venisset. Et Statio, captâ Carthagine, milites „ 5

„donis ornat, ait Appianus, exceptis, qui in „Apollinis Templum peccaverunt. Si ergò Infideles tanti faciunt loca diis mendacibus dicata, quanto magis veneranda sunt Loca Sacra ad specialem cultum DEI veri ordinata? Absit igitur ignis, aliaque injuria ab omni Ecclesia, quamvis in Arcem, & Castrum pro sua defensione ab hostibus versa.

6 Scio, & fateor, omnes Orbis Catholici Ecclesias summâ veneratione esse inspiciendas, & & tractandas, non igni tradendas; nihilominus si aliquâ ex eis tanque Arce, seu Castro utantur Inimici, posse in justo bello comburi, arbitror cum Turrecrem. *in cap. Sanctorum, nu. 5. causa 10. qu. 1.* Sylvest. *in summa, v. bellum 3. n. 8.* Valentia, *tom. 3. disp. 3. q. 16. de bello. punct. 3.* Suarez, *de fid. sp. & char. disp. 13. de bello, sect. 7. n. 14.* Diana, *tom. 7. tract. 7. de bello, Res. 27. n. 3.* & aliis.

7 Moveor primò juribus, *in d. cap. Sanctorum, causa 10. q. 1.* ubi prohibetur, Ecclesiam à Laicis incastellari; & colligitur illam amittere immunitatis privilegium, si hostes eâ tanquam Arce, & Castro utantur ad repugnandum: *Et in l. Cum loca, ff. de religios. & sumpt. funer. & l. inter stipulantem, §. Sacrum. & l. continuus, §. cum quis, ff. de verb. oblig.* ubi apparet, quod populus ipse, mutatâ voluntate, posset ex sacro profanum facere: Et quod loca, quæ capta sunt ab hostibus, & hostilia sunt, seu in Arcem mutata, desinunt esse Sacra.

8 Moveor secundò rationibus; nam incastellatio, id est cingere, & munire Ecclesiam in modum Castelli, seu Castri, vel Arcis propugnabilis, aufert Ecclesiæ immunitatem, ut patet ex *d. cap. Sanctorum.* Cur ergò non licebit hostibus justum bellum gerentibus, Ecclesiam incastellatam, seu in Castrum mutatam impugnare, incendere? Tùm quia, si non potest Ecclesia, quâ hostes utuntur ad repugnandum, expugnari, & incendi, bellum justum contrà nocentes non posset geri, & frustraretur justitia Bellantium, quod rectæ rationi repugnat. Deindè Sacra ex præfatâ mutatione, desinunt esse Sacra: Sacra enim nominantur à fine, cui destinata sunt, Atque adeò Ecclesia, dùm Marti destinatur, desinit esse Ecclesia, sed habetur ut Castrum; & contrà Castra, quando bellum est justum, licet hostibus igne, armis, machinis, aliisque modis accedere.

9 Moveor tertiò exemplo, in tot Principibus, & Ducibus, non solùm Catholicis, sed etiam timoratæ conscientiæ, in historiâ tum Ecclesiasticâ apud Baronium, tùm profanâ relatis, qui inspectas ab Inimicis in Castrum Ecclesias conversas, mandarunt expugnari, & incendi; Et ita docet nostrorum temporum praxis.

10 Concludimus igitur, Ecclesiam, si hostes eam incastellarent, seu in Castrum converterent ad defensionem, posse expugnari, & comburi, quamvi Sequantur aliqua incommoda, quia hæc hæc sunt per accidens: Quo in sensu explicandus est Ulpianus, quando dicit, publicum jus etiam in sacris consistere; nec non & Pausanias Arcadius interpretandus, inquiens, „Morem „fuisse Græcis, Barbarisque communem, ut res „sacræ arbitrii eorum fierent, qui Urbes cœpissent. Cæterum Ecclesiam, aliaque Loca Sacra si homines in illis se recipiant, solùm ut se tueantur, præsertim si indè nullum periculum sit non solùm conservari talia ædificia, & quæ eis accedunt, sed etiam privilegio immunitatis gaudere suadet rerum divinarum reverentia, inter eos maximè, qui eundem DEUM colunt, eundem baptismum habent; etiam si fortè quibusdam legibus, aut ritibus dissideant; quam veritatem, vel ipsimet hæretici fatentur, & inter eos, Hugo Grotius, *de jure belli, lib. 3. cap. 12. num. 6.*

Ad rationes in contrarium respondemus: 11
Ad primam, & secundam, quod cessat in Ecclesia privilegium immunitatis, quando incipit esse Castrum.

Ad tertiam, negamus suppositum; non 12
enim expugnatur, & comburitur Ecclesiâ, sed Castrum, in quod versa est Ecclesiâ ab Inimicis, ut pugnent.

Infero primò ex dictis, posse, quando bel- 13
lum est justum, hostes capi in Ecclesiâ, ab eâ extrahi, & in illâ occidi, si ipsi priùs ausi sunt Ecclesiam in Castrum convertere: Et capientes extrahentes, & occidentes excusari; cùm hoc faciant non contrà Ecclesiam; sed contrà Castrum suorum hostium. Ita Turrecr. Sylv. Valentia, Diana, loc. cit.

Infero secundò, licitum esse extrahere ab 14
Ecclesiâ in Castrum mutata hostium bona; Quia ejusmodi Ecclesia non amplius gaudet immunitate.

Infero tertiò, licitum esse per accidens com- 15
burere Ecclesiam, quamvis ea hostes non sint abusi, quando id exigit finis justi belli, seu quando est necessarium ad pacem firmandam; ut puta, quando bombis, aut bombardis incenditur Civitas, aut Oppidum; dummodo directè, & per se non intendatur combustio, aut eversio Ecclesiæ. Sic sentit quoque Bannes, *art. 2. dub. ult.* quem recenset & sequitur Valentia, loc. cit. Sylv. *in sum. v. Bellum 3. n. 5.*

Infero quartò, licere justè Bellantibus de Ec- 16
clesiâ non incastellatâ rapere hostium victualia, eorum arma, & alia sua, quibus utuntur contrà hostes. Sylvest. loc. cit. *num. 7.* & alii.

Infero quintò, licere Principi justè Bellanti 17
Oppida incendere mœnia subvertere, ac domus, in quibus plures innocentes certo novit esse interficiendos; quia Princeps per se primo non intentendit innocentium interitum, sed tantùm belli finem, aut victoriam, sui, suarumque rerum defensionem. Duardus, *in Bullam Cœnæ, lib. 2. in Can. 7. q. 36. n. 36.*

Infero sextò, illis esse parcendum rebus, 18
quæ ex suâ naturâ ad bellum faciendum, aut ducendum nullatenus juvant, ut sunt imagines, statuæ, & similia; undè in oratione Rhodiorum ad Demetrium Urbi capum pro picturæ Jalisi; sic à Gellio latinè, „Quæ malum ratio est; ut tu, „imaginem istam velis incendio ædium facto, „disperdere; nam si eos omnes superaveris, & „oppidum hoc totum cœperis, imagine quoque „illa integra, & incolumi per victoriam potieris: „Si verò nos vincere obsidendo nequieris, petimus consideres, nè turpe tibi sit, quia non, „potue-

„potueris Rhodios vincere, bellum cum Protogene mortuo gessisse.

19 Infero septimò, Ecclesiam per metum Infidelium, Turcarum, Hæreticorum, sive Tyrannorum, posse muniri, & in Castrum converti ad defensionem Fidelium, ubi possint se tueri non solùm Clerici, sed etiam alii Fideles; & colligitur ex *Cap. Relinqui, extrà, de custo. Euch.* & *ex Cap. Si res, causa 14. q. 6.* Tradunt quoque Inn. & Host. *in Cap. Cum Ecclesia, de immunit. Eccles.* Sylvest. *in sum.* in verb. *bellum 3. q. 6.* & *8.* Suarez, loc. cit. Bonac. *disp. 2. de restit. q. ult. sect. 1. punct.* 12. *§. 3. n. 18.* & *19.* Coninch. *disp. 31. dub. 7. num. 118.* & alii apud Dianam, loc. cit.

20 Infero octavò incidenter, Loca religiosa, vel sacra, capta ab hostibus, si ab hac calamitate fuerint liberata, quasi quodam postliminio reversa, pristino statui restitui. *l. Cum loca, ff. de Religios.* & *sumpt. funer. 36.*

21 Infero nonò, non teneri ad damna eos, qui incendunt, vel evertunt Ecclesias incastellatas, quamvis hoc faciant non casu, sed consulto, dummodò bellum sit justum ex parte comburentium, Sylvest. *in sum. v. bellum 3. num. 5.* Secùs verò, si Ecclesia non est incastellata, & incendio directè traditur, & bellum ex parte nocentium est injustum; cùm Loca sacra, universaliter loquendo, omni sint digna veneratione; Idomnibus non solum Catholicis, sed etiam verâ Fide carentibus, Testantibus. Tucydides inquit, jus fuisse inter Græcos sui temporis, ut qui hosticum impetum facerent, à Locis sacris abstinerent, Traneos Templis pepercisse, Author est Agathius *lib. 2.* De Romanis, Capuâ captâ, sic Silius *lib. 13.*

Ecce repens tacito percurrit pectora sensu,
Religio, & sævas componit numine mentes.
Nè flammam, tadasque velint, nè templa sub uno.
In cinerem sedisse rogo.

Albâ à Romanis antiquis dirutâ, Templis reverentiam fuisse servatam, testatur Livius. Innumera alia omittimus exempla, brevitati nostræ consulentes, quæ clarè demonstrant, semper fuisse apud omnes Nationes exhibitam Locis Sacris à Bellatoribus reverentiam. Atque adcò Fideles Milites nimis dedecerer in nostras Ecclesias, quæ institutæ sunt ad DEUM verum colendum, & Divinam Misericordiam implorandam, id fine belli justi minimè postulante, sævire.

22 Infero decimò, Comburentes in bello justo Ecclesias incastellatas, non esse obnoxios Incendiatiorum pœnis, quæ sunt Excommunicatio, *Cap. Si quis, causa 23. q. 8.* privatio Ecclesiasticæ sepulturæ, absque pœnitentia decedentes, *Cap. Pessimum, ead. caus.* & *quæst.* restauratio damnorum per hæredes exhibenda, si pœniteant etiam in fine, & confiteantur errorem. Concil. Lateran. III. *in Append. tit. de Raptorib. cap. 1* & aliæ, quas congerit Salic. *in l. datâ operâ, Cod. qui accus. non poss.* Felin. *in Cap. Tua nos, de sent. excomm.* Gloss. verb. *incendium, in Cap. Cum devotissimam, causa 12. quæst. 2.* Innoc. *in Cap. sicut dignum, de homic.* & alii apud Card. Albanum, *in Lucubrat. in Bart. l. 1, 2. 3. de Off. Præfect. vig. num. 3.*

XIX. DIFFICULTAS.

An Prælati, seu Episcopi ex possessione Feudorum, quæ tenent à Rege, vel Principe, obligentur secùm adire bellum, eique opem ad bellandum præstare.

NOtandum primò, Feudum denominari à fide, seu fidelitate, quæ per excellentiam dicitur in Feudis. Ita docet Jac. Alva *in proœm. Feud. col. 6. in vers. quæritur quomodò appellatur Feudum.* Dec. in *cons. 413. num. 2.* 1

Notandum secundò, Barones, Comites, Marchiones, omnesque Sæculares, qui Feudum tenent, sequi teneri Dominum Regem ad bellum contrà Regis inimicos, ut benè probat Ant. Olibanus, de *jure fisci, cap. 8.* princ. 2

Notandum tertiò, Episcopos feudatarios aliquando vocari à Rege, vel Principe, à quo Feudum tenent, ut eis impendant consilium, aut auxilium pro conservatione Regni, & Principatus, præcipuè instantæ Reipublicæ turbatione, ut evenire solet tempore belli. 3

Notandum quartò, quòd Clericatus reddit Clericos inhabiles ad pugnandum etiam contrà Turcas, & Saracenos, ut probatur ex *Cap. Multa, §. fi. de voto,* & *Capitu. Reprabensibile, causa 23. q. 8.* unde D. Tho. *2. 2. quæst. 40. art. 2.* asserit, Prælatos, & Clericos, quando auctoritate Superioris possunt bello interesse non debere interesse, ut ipsi propria manu pugnent, sed ut justè præliantibus spiritualiter suis exhortationibus subveniant. 4

Notandum quintò, Episcopos non admitti ad Feudum, pro quo servitium personale est præstandum. Ita tenent, & probant Bald Cæphal. quos recent, & sequitur Menoch. *in cons. 202. num. 140.* Contrarium, nempe Episcopos in Feudo succedere, tradunt Barr. & Imol *in Cap. Inter dilectos, pe fide Instru.* Jas. *in cons. 117, col. 4. vers. ad prædicta, lib. 4.* & alii 5

His adnotatis; ad difficultatem propositam, an Episcopi ex possessione Feudorum, quæ tenent à Rege, vel Principe, obligentur secùm adire bellum, eique opem ad bellandum præstare, affirmativè videtur respondendum; nam Episcopus tenetur parere Regi, quando cum vocat: Ut per Tex. *in Cap. Si Episcopus, dist. 18.* & ibi Glos. in verb. *præceptione* Præterea, Episcopus si tenet feudum præstat juramentum fidelitatis, Regi aut Principi, à quo habet. Deindè Episcopi Feudatarii in temporalibus subsunt Regi, & ei obedire tenentur, si eis præcipit, ut eant ad bellum. 6.

Scimus, hanc opinionem plures habere sectatores, Lancellot. Corrad. *in suo Templo judicum, lib. 1. cap. 2. de Rege, §. 3. num. 9.* in fin. Cornel. Benincas. *in tract. de paupertate, quæst. 8. num. 67.* Petr. de Monte, *in tract. de potestate Pontificis, in tit. de imperatoria majestatis origine, §. quartò quæro, num. 2.* Joan. Ardizon. *in tract. de nobilitate Hispania, cap. 3. num. 14.* sed esse omninò reiciendam arbitramur, & asserimus, nec 7

Regem

Regem posse præcipere Episcopis, etiam Feudatariis sui Regni, ut cum ipso eant ad bellum, nec Episcopos teneri Regi, inconsulto Summo Pontifice, obedire. Circà hoc assertum videndi sunt Intrigliolus, *de Feudis, quæst. 30. num. 24.* Petrus de Gregorio, *tract. de concess. Feud. p. 8. quæst. 2. vers. tertiò limita.* Nec non, & Bald. *in l. 2. num. 70. Cod. de serv. & aqua*, Oldr. *in cons. 70.* in fin. Rimin. *cons. 81. num. 15. lib. 1.* Petrus Bellus, *in tract. de bello, p. 1. tract. 3. n. 3.* & in specie Diana, *coordin. tom. 9. tract. 2. de immunit. Eccles. res. 29. n. 4.*

8 Moveor primò juribus, *in Cap. Si quis Episcopus*, ubi omnis Ecclesiasticus ad Principem Laicum, qui præcipit, aut vocat, absque debita licentia, accedens, non solùm de Communione est ejiciendus, sed etiam dignitate privandus, *& in Cap. Pervenit, de immunit. Eccles. & in d. Cap. Ex multa, § fin. de voto, & Cap. Reprehensibile, causa 23. quæst. 8. & Cap. Porrò. caus. 16. q. 3* ob! probatur, Clericis interdici pugnare etiam contrà Saracenos.

9 Moveor secundò rationibus; nam Episcopus Summo Pontifici subest: Atque adeò, eo inconsulto, jus indicendi, vel sustinendi bellum non habet, nec ad bellandum alios juvare tenetur. Tùm quia Rex, aut Princeps, quando Feudum concedit Ecclesiæ, intelligitur concedere sinè onere servitii militaris, cùm Ecclesiasticis non liceat militare; cùm debeant vi muneris Officiis divinis vacare, quibus bellica exercitia maximè repugnant ob rationem generalem, & specialem, ut optimè probat Turrecrem. *in d. Cap. Reprehensibile, num. 4. causa 23. q. 4.* Præterquam quod Episcopus Feudatarius, cùm subsit pontifici Maximo, potest ad eum confugere, si aliquid de re ei controversia fiat.

10 Moveor tertiò exemplo, in Episcopo relato *in Cap. Cùm parati, de appellat.* qui vocatus à Rege ivit, & dùm erat in legatione Regis, vocatus à Legato Summi Pontificis ire contempsit; Propterea in contumaciam fuit ab eodem Legato excommunicatus, quod probat, Episcopum teneri suo Superiori parere Ecclesiastico, non Regi à quo Feudum obtinuit.

11 Concludimus igitur, Episcopum Feudatarium non teneri cum Rege, à quo Feudum obtinuit, adire bellum præsertim in sententiâ Præpositi, *in cap Clericum dist. 50.* volentis, quod Pontifex non possit dispensare cum Sacerdotibus, ut ad bella procedant manibus propriis pugnaturi, quod nos negamus; cùm prohibitio non sit de jure divino, sed tantùm Ecclesiastico. Et ideò cùm quilibet ex Vassallis Regis teneatur servire de persona, ut probant Jurisconsulti; & Episcopus non possit ratione dignitatis personaliter servire potest, consulto priùs Summo Pontifice, aut per substitutum servire, aut dare milites Regi pro Feudo.

12 Ad rationes in contrarium respondemus: ad primam, negando Episcopum teneri Principi præcipienti parere absque sui Superioris facultate, ut patet ex juribus allegatis.

13 Ad secundam, quòd juramentum fidelitatis non est de substantia Feudi, ut docet Bal *in l. Si quis servo, num. 1 Cod. commun. de manumiss.* & quamvis juramentum fidelitatis præstitum fuisset, neque nobis obstaret, quia semper intelligitur excepta auctoritas sui Superioris, *Cap. Veniens*, & ibi Abb. *de jurejur. l. fin.* in princ. & ibi Bart. *ff. de municipal.* & facit quod notat Joan. And. *in cap. In malis, de reg. jur. in 6.* de filio, qui juravit non recedere à studio, nisi solutis creditoribus: Et tamen si accersitus à patre recesserit, cui obedire tenebatur, non incidit in perjurium, ut egregiè ostendit Dec. *in d. cap. Cum parati, de appellat. n. 17.*

Ad tertiam patet responsio ex dictis, & etiam ex dicendis in nostris illationibus patebit. 14

Infero primò ex dictis, Episcopum vocatum simul à Rege, à quo Feudum tenet, & à Pontifice, imo à suo Metropolitano, debere Pontifici, & Metropolitano obedire, quia Episcopus priùs est subditus Pontifici, & Metropolitano, quàm Regi, aut Principi directo Domino Feodi; cùm majus vinculum sit spirituale, quàm temporale, *Cap. Solitæ, de majorit. & obed.* in quo casu locum etiam habet receptissima illa opinio in Feudalibus, ut priùs sit parendum antiquiori, quàm novo domino, *Cap. unic. § fin. Hic finitur lex. Deinde Consuet. Reg. incip. & §. Illud, de prohibit. alienat. Feud.* & tradit Alex. *in l. Si filius familias, §. fin. num. 16. ff. de solut. Matrim* & alii. Et ita pariter exigit Ordo Ecclesiasticæ Hierarchiæ, quæ constat Ministris, nempe Episcopis, Sacerdotibus, Diaconibus, Subdiaconibus, Acolytis, Exorcistis, Lectoribus, & Ostiariis: Quamque Christus, qui Caput est, veluti Castrorum Aciem ordinavit, ut unus præsit alteri, & alter subsit, subordinetur, & serviat, ut habetur in Trid. *Sess. 23. cap. 4.* adeo ut Hæreticus sit censendus, qui hanc Hierarchiam Ecclesiasticam ausus fuerit negare, ut habetur *Can. 6. Ejusdem, Sess. 23.* En verba formalia Canonis; *Si quis dixerit in Ecclesiâ Catholicâ non esse Hierarchiam divinâ ordinatione institutam, quæ constat Episcopis, Presbyteris, Ministris, anathema sit.* 15

Infero secundò, si plures sint Domini Beneficiati servitio clientis eodem tempore indigentes, antiquiorem esse præferendum per Text. *in cap. unic. §. ult. d. tit. hic finit. lex*, & ibi Jac. Bel. Bal. & alii, quos recenset, & sequitur Tiraq. *in tract. de prim. g. in præfat num 196.* 16

Infero tertiò, in omni juramento fidelitatis tacitè excipi personam antiquioris Domini, *cap. 1. §. Contrà omnes, hic finitur lex Comelia, cap. 1. §. Satis benè*, & ibi Alvarot. Præposit. & Afflict. *de probib. Feudi alienat* per Lotharium, *gl. 1.* & ibi Alar. Præposit. & afflict. *de nova forma fidelitatis.* 17

Infero quartò, quando Ecclesia est Feudataria Regis, Prælatum successorem in Feudo, ob mortem sui Antecessoris non teneri obedire Principi, mandanti petere renovationem investituræ, & sic non teneri solvere relevium; quia Ecclesia nunquam moritur: *Cap Liberati, causa 12. q. 2.* & nunquam possessio rerum Ecclesiæ dicitur vacare, etiam mortuo Prælato, ex quo ipsa possidet juxta doctrinam Bald. & aliorum, *in l. fin. Cod. de edicto Divi Adriani tollendo, & in l. unic.* in princ. *Cod. de caducis tollend.* & tradit And. primus Fendista. *in Constit. Regni*, incip. *post mortem, & in cap. 1, num. 15. de* 18

Capi-

Capitulis Corradi, & Afflict. *in d. cap. 1. §. Similiter, n. 27.*

19 Infero quintò, Episcopum, & quemlibet Clericum non regularem posse succedere in Feudo, quando servitium potest præstari in Feudo per substitutum; est opinio communis, de qua testatur Alexan, *in cons.* 10. *lib. 5.* Menochius, *in cons. 722. num. 18.* & Sylvan. *in cons. 3. n. 6.* Julius Clarus, *in. §. Feudum, q. 79* Osaschus. *in decisionib. Pedemont, dec. 72. n. 5.* & alii asserentes, in Feudo franco succedere etiam illos, qui bellum suscipere non possunt, ut sunt Clerici, & Episcopi, qui in illo tantùm Feudo non possunt succedere, in quo non possunt servire per substitutum. Et ita intelligendus est Bellam. *in cons. 48. col. 2. vers. circà quartum dubium*, ut fatetur Menochius, *in cons. 54. n. 32.* & scribunt Bal. *in cap. Inter dilectos, de fid. instr. col. 3. vers. ibi comitis, & ibi* Fel. *n. 3.*

20 Infero sexto, illicitum esse Regibus, & Principibus suis præceptis, & minis, cogere Episcopos Feudum ab eis tenentes, adire bellum, & alia agere; quæ dignitatem Episcopalem dedecent; cùm eis obediee vetitum sit in jure Pontificio, sub pœna depositionis, & exclusionis à communione.

21 Infero septimò, obedientiam debitam Majoribus excusare Prælatos à residentiâ, puta, Summo Pontifici, si ipse vocaret Episcopos ad Urbem, vel ejus Legatus in Provinciâ vocaret ad Locum, ubi Legatus residet, ut post Concilium Tridentinum tradit Azorius, relatus à Molfesio *in sum. p. 1. tract. 6. cap. 11. num. 33.* ubi dicit, quòd si Cardinalis esset Antistes alicujus Ecclesiæ, & Summus Pontifex vellet uti consilio, sapientiâ, prudentiâ, & industriâ ejusdem Cardinalis Antistitis, secùm illum retinendo, excusaretur Cardinalis ipse Antistes duplici titulo; videlicet ratione obedientiæ, & ratione communis Boni Ecclesiæ, quòd ab eâdem obedientiâ resultaret.

22 Infero octavò, teneri Monachos specialiùs Abbatibus, & Regulares suo Prælato in his, quæ spectant ad Regulam, obedire, quàm Episcopo: Quemadmodùm Clericus tenetur magis suo Episcopo obedire, quàm Archiepiscopo, ut per Text. *in cap. Quam sit, causa 18. q. 2. §. Nullus, & cap. Abbates, causa 9. qu. 3.* & tradunt Graff. *p. 2. decis. lib. 3. cap. 2. n. 29.* Turrecrem. *in d. cap. Cùm sit*, & alii.

23 Infero nonò, esse obediendum ei, qui peccat in præcipiendo, si id, quod præcipitur, non sit peccatum: Puta, si Prælatus præciperet aliquid, quòd est justitiæ ex irâ, vel odio; scilicet ut subditi moveantur in bello justo contrà hostes. *Cap Quid culpatur, causa 23. q. 1. & cap. Manifestum, causa 32. qu. 5.* ubi Mulier non peccat obediendo viro, qui revocavit quod prius concesserat. Servùs verò, si id, quod præcipitur, sit peccatum. *Cap. Non semper, & cap. Si dominus, causa 11. qu. 3.*

24 Infero decimò, peccare mortaliter nolentem in materiâ gravi se subjicere præcepto, aut authoritatem præcipiendi habenti; cùm formaliter, & directè contemnat Legem, & Legislatoris superioritatem; nec non præceptum Divinum, quo obligamur Superioribus obedire.

D. Tho. *2. 2. q. 186. art. 9. ad 3.* ubi Cajet. Sylv, D. Anton. Cordub. Sayr. Less. & alii. Ex quibus, sicut ex Superioribus constat, meritò fuisse damnatam in Concil. Constantiensi, *Sess 15.* doctrinam Joan. Huiz, dicentis, *Obedientiam Ecclesiasticam esse obedientiam secundùm adinventionem Sacerdotum Ecclesiæ, præter expressam authoritatem Scripturæ*, qui est articulus 15. in ordine damnatorum.

XX. DIFFICULTAS.

An quando Incolæ offerunt Principi aliquod donativum, ob causam piam publicam, nempe ob reparationem Arcis, vel Turrium, ad evitandas Inimicorum, insidias, teneantur Ecclesiastici pro rata concurrere.

NOtandum primò, appellatione Ecclesiasti- 1
corum venire non solùm omnes Regulares professos utriusque sexus, & omnes Clericos sæculares Ordinibus Sacris initiatos, sed etiam constitutos in Ordinibus minoribus, vel etiam in solâ primâ tonsurâ; dummodò incedant in habitu, & tonsurâ; & de mandato Episcopi serviant in Divinis alicui Ecclesiæ. Suarez, *lib. 4. defens. fid. cap. 22.* Megal. *tom. 2. instit. Confessar, lib. 2. cap. 17. n. 8. & 101.* & alii, quos recenset, & sequitur Molfes. *in secund. p. 2. tract. 12. cap. 22. num. 162.*

Notandum secundò, bona Ecclesiasticorum, 2
& ut sacra, & ratione materiæ, eò ipsò quòd Ecclesiæ sunt tradita, facta esse extrà dominium, & potestatem Laicorum; Divinoque cultui esse dicata & sub speciali ratione constituta esse sub Dominio DEI: Atque adeo passim in Sacris Canonibus Patrimonium Christi nuncupantur, ut habetur *in causa 12. q. 1. & 2. & causa 16. q. 1. & 7. in cap. Cum secundùm Apostolum, de praben, cap. Non minùs, de Immunit. Eccles. cap. quamquàm, de censib in 6.* Ex quo constat, rectè fuisse damnatam in Concilio Constantiensi, *Sess 8.* doctrinam Joannis Wicleff. temerè dicentis, *Dominos temporales posse ad arbitrium suum auferre bona temporalia ab Ecclesiâ possessionatis habitualiter delinquentibus, id est, ex habitu, non solùm actu delinquentibus*, qui est articulus 16. in ordine.

Notandum tertiò, bona Ecclesiastica, cùm 3
alium Dominum non recognoscant, nisi ipsum DEUM, cujus vocantur patrimonium, non posse esse tributo subjecta; nisi imponatur à Summo Pontifice pro necessitatibus Ecclesiæ; vel nisi adsit licentia Summi Pontificis, si imponatur à Principe Laico.

Notandum quintò, Personas Ecclesiasticas, 4
quæ Divino Cultui sunt dedicatæ ab omni tributo, à Principibus Laicis imposito, jure Divino esse exemptos, ut habetur clarè, *in dicto cap. Quamquàm, de censib. in 6.* Recta enim ratio, & jus naturale dictat, liberas esse & immunes ab oneribus, & tributis Principum secularium res & Personas, quæ ministeriis, & usibus Divinis sunt consecratæ.

5 Notandum quintò, reparare nil aliud esse, quàm reficere, *l. 3 §. reficere, ff. de itiner. actuq. priva.* & ibi notat Bat. & probat *l. 1. §. Si quis in spem refectionis, ff. de viâ publicâ*: Et reparare, seu reficere non facere novam formam, sed antiquam, vetustate collapsam, devastatam, restituere, tradit Menochius, *in cons. 64. n. 2.*

6 Notandum sextò, causam piam publicam, quæ est communis Laicis, & Clericis, dici, quando collectæ, vel tributa imponuntur pro reficiendo, vel extruendo ponte communi, vel puteo, vel muro, vel viâ publicâ; vel pro reparandis, vel reficiendis aggeribus contrà flumina, vel torrentes, ad portus, aquæductus, murorum, itinerum instaurationem. Ita Azor. *part. 3. Instit. moral. lib. 5. cap. 19. col. 6. tit. O.*

7 His adnotatis; ad difficultatem propositam; an Ecclesiastici teneantur contrahere, quando Incolæ offerunt aliquod donativum ob causam piam publicam, nempe pro reparatione Arcis, aut Turrium ad evitandas inimicorum insidias, affirmativè respondet Salicetus, *in l. Placet, de Sacrosanct. Eccles.* Aut. Butrius *in cap. Non minùs, de Immunit. Eccles.* Alex. *in cons. 68. lib. 2.* Alciatus, *in l. Ad instructiones, Cod. de Sacrosanct. Eccles.* & alii, qui eorum assertum probant *ex l. Ad instructiones, Cod. de Sacrosanct. Eccles.* ubi apertè constat, Ecclesiasticos teneri contribuere ad hujusmodi collectas impositas pro causa communi. Præterea licet Personæ Ecclesiasticæ sint jure Divino exemptæ ab oneribus, seu tributis Laicorum, nihilominùs aliqua earum bona temporalia sunt, & merè civilia, ut sunt bona patrimonialia; atque adeò temporalibus Potestatibus censentur subjecta.

8 Hanc opinionem esse explodendam unanimiter sentiunt Theologi. Contrariæ igitur, quæ sola veritati conformis communiter censetur, firmiter adhæreo cum Joan. de Lig. & Bat. *in l. rescripto, ff. de mun. & hon.* Panor. *in cap. Non minùs, de Immunit. Eccles.* Hostien. *in summa, de Immunit. Eccles. num. 4.* Sylvest. in verbo, *Immunitas 1. qu. 5. num. 20.* Molina, *tract. 2. disp. 672. num. 4.* Suarez, contrà Regem Angliæ, *lib. 4. cap. 6. num. 3.* Molses. *in sum. tom. 2. tract. 12. cap. 23. num. 147.* Azor. loc. cit. & alii innumeri, quos recenset, & sequitur Diana, *p. 1. tract. 3. Ref. 12.*

9 Moveor primò juribus, *in cap. 1. de Immunit. Eccles. in 6. in cap. Quamquàm, de censibus, eod. lib.* & aliis, ubi habetur, bona patrimonialia Ecclesiasticorum exempta esse in tributo sæculari, *& in cap. generaliter, §. Novarum, & cap. Juxtà sanctitatem, causa 16. q. 1. & cap. Non minùs, & cap. Adversùs, de Immunit. Eccles.* ex quibus colligitur, Clericos esse exemptos à sæcularibus collectis, *& in Authen. Item nulla Communitas, Cod. de Episcop. & Cler.* ubi videtur esse constitutum, Clericos ad hoc non teneri contribuere.

10 Moveor secundò ratione; nam bona Ecclesiastica jure Divino, ut notavimus, sunt exempta à potestate Laicali, sicuti exemptæ sunt & Personæ Ecclesiasticæ; & ideò Ecclesiastici minimè tenentur ad ea, quæ primariò spectant ad Communitatem Laicorum; nisi adsit præceptum Summi Pontificis, vel ejus licentia, vel saltem Episcopi, si facilis non adest accessus ad Summum Pontificem, & necessitas urget.

Moveor tertiò exemplo, in casu inter Clerum, & Populum Pisanum, in qua tractabatur coràm Nuncio Florentino de reparando Arni flumine ad communem Laicorum, & Clericorum utilitatem, cùm pœnè omnia Clericorum bona essent propè flumen prædictum, & Laicis instantibus, Clerum cogi ad contribuendum juxtà taxam; tandem Summus Pontifex decrevit, Ecclesias, & Ecclesiasticos teneri in subsidium; & propterea mandavit suo Nuncio Florentino, ut discussis prius bonis Laicorum, si non sufficerent, condemnaret prædictos Ecclesiasticos ad contribuendum. Refert Diana *Coordinat. tom. 7. tract. 6. de comitiis, Ref. 33. n. 2.* Ex quo constat, præciso mandato Pontificis, & stando in jure communi, Ecclesiasticos non teneri contribuere pro reparatione Arcis, aut Turrium ad evitandas Inimicorum insidias. 11

Concludimus igitur, cum Ricard. in suis Quolibetis, *quolibet. 2. q. 30. art. 4.* si facultates Communitatis, & Laicorum sufficiunt pro reparanda Arce, vel reparandis Turribus; vel etiam pro refectiona pontium, murorum, viarum, & similium, Clericos, & Ecclesias non teneri contribuere: Secùs verò, quando necessitas est communis, sive publica; & bona Laicorum non sufficiunt, & intervenit mandatum, vel saltem licentia Summi Pontificis, juxtà regulam, *cap. Qui sentit de regul. jur. in 6.* ubi dicitur, „ Qui sentit onus, sentire debet commodum, & „ econtra. 12

Ad rationes in contrarium respondemus: ad primam, quòd *l. Ad instructiones*, fuit correcta per Authen. alleg. *Item nulla Communitas, Cod. de Episcop. & Cler.* ubi Ecclesiastici facti sunt immunes ab onere imposito, & imponendo; ut notat Hostien. *in summa, de immunit. Eccles. §. à quibus, vers. Extraordinaria.* 13

Ad secundam patet responsio ex dictis in secundo Not. Estò enim aliqua Clericorum bona sint temporalia; cùm Clerici sint exempti, & ut notat Diana, loc. proximè cit. n. 3. etiam exempta sunt illa, quæ Clericis accessoria sunt. Ita Suarez. 14

Infero primò ex dictis, in refectiona Arcis, Turrium, pontium, murorum, & similium, Clericos volentes collectis cum authoritate Episcopi subvenire Laicis, non posse inconsulto Romano Pontifice, nisi ex una parte esset urgens necessitas, & ex alia parte recursus ad Summum Pontificem esset difficilis; in tali enim casu sufficeret deliberatio cum Episcopo, ut per Abb. *in cap. Non minùs colum. penult.* Summa Angelica, *v. immunitas, n. 37.* prop. fin. 15

Infero secundò, non teneri Clericos tempore belli custodire Civitatem vel Oppidum, nisi subesset necessitas maxima. Ita etiam Pan. & alii, quos recenset, & sequitur Sylv. *in summa, v. Immunitas 1. q. 4. n. 18.* 16

Infero tertiò, non teneri Clericos, sive jure Civili, sive jure Canonico, ad collectas, quæ imponuntur ob publicam necessitatem, Laicis communem, & non Clericis, ut ob solvenda publica stipendia Ministrorum Reipub. ut ob adventum Principis, &c. Jas. *in l. Placet, Cod. de Sacrosanct. Eccles.* 17

Eccles. Cardinalis, *in Clement. de immunit. Eccles. q. 17.* Panorm. Sylvest. Angel. Contrarium sentiunt Salicetus, Butr. & alii, quos recenset Azor. *p. 3. instit. moral. lib. 5. cap. 19.*

18 Infero quartò, non obligari ad munera sordida Clericos, nec Ecclesias, nec Ecclesiarum mancipia, nec colonos, nec servos, qui sunt sub dominio Ecclesiæ, vel Clerici, *causa 16. quæst. 1. Cap. Generaliter.* Secùs verò, loquendo de servis, qui sunt mercede conducti ad serviendum.

19 Infero quintò, non obligari Clericos ad munera personalia civilia etiam honesta. *Cap. Sacerdotes. Cap. Sed nec Procuratores, nè Clerici, vel Monachi*; nec ad munera Personalia, hoc est ad onera, quæ imponuntur personis ratione patrimonii, vel rerum, ut pedagia, vectigalia, & similia. Ita Azor. loc. proximè cit.

20 Infero sextò obiter, impensas reparationis mœnium, Turrium, Castri, Arcis, & Civitatis, pertinere ad solos ipsos Cives, & Incolas ipsius Civitatis, qui defensionis, & præsidii commodum sentire possunt ex illis, non verò ad exteros, & forenses in Oppidis habitantes. *l. splendidissimè. & leg. seq. Cod. de operibus public.* & tradunt Petrus Jacob. *in praxi, tit. de refectio. muner.* & alii, quos recenset, & sequitur Menochius, *in consil. 721. num. 15.*

21 Infero septimò, bona patrimonialia Clericorum eodem privilegio gaudere, quo res Ecclesiarum. Ita etiam docent Bellettus, *in disq. Cleric. tit. de except. bonor. Cleric. p. 1. §. 5. num. 2.* & alii, quos recenset, & sequitur Diana, *Coordinat. tract. 6. de comitiis, Res. 33. num. 3.*

22 Infero octavò, Clericos, in minoribus Ordinibus constitutos, non teneri ad collectas pro rebus Ecclesiasticis, & patrimonialibus, eis obvenientibus de portionibus sibi legitimè competentibus, & ita est praxis in Regno Neapolis, *in Prag. 2. cap. 7. de Cleric. seu de Diacon. salvat.* Contrarium tenent aliqui de Clericis beneficium non habentibus, ut notat Molfesius, *in summa, p. 2. tract. 12. cap. 22. n. 163.*

23 Infero nonò, hac immunitate gaudere Clericos conjugatos Orientales, qui unicam uxorem, & virginem duxerunt, si in habitu, & tonsura Clericali incedant, & de mandato Episcopi alicui Ecclesiæ serviant. Marcobrunus, *consil. 18. num. 242.* Contrarium tenent Abbas antiquus, *in Cap. Ex parte, de Cler. Conjug.* Pan. Covarr. & alii.

24 Infero decimò, in publica necessitate Laicis communi, & Clericis, si Clerus recusat sine justa causa contribuere pro reparatione murorum, pontium, pro impediendis Inimicorum insidiis, licere Laicis implorare auxilium Ecclesiastici Superioris, ut eos cogat contribuere. Ita etiam Azor. loc. cit.

25 Infero undecimò, in Bulla Cœnæ Domini meritò excommunicari omnes, & singulos, qui absque speciali, & expressa Summi Pontificis licentia, imponunt collectas, decimas, tallias, præstantias, aut alia onera personis Ecclesiasticis, aut earum bonis, sive Ecclesiarum, vel Monasteriorum ipsorum; vel imposita exigunt etiam à sponte dantibus. Ita tradit Molfes. loc. cit. num. 161.

XXI. DIFFICULTAS.

An Miles deserens Castra absque debita facultate sit reus culpæ, & dignus pœnâ.

NOtandum primò, desertorem propriè eum dici, qui per prolixum tempus evagatus, capitur, & reducitur. Ita Modestinus in *l. desertorem, § Desertor, & l. qui cum uno, §. Edictum. ff. de re milit.* 1

Notandum secundò, illum dici Emansorem, qui diu vagatus, ad Castra revertitur; cùm nunquam animum deserendi Castra habuerit, *l. 3. §. emansor, ff. de re milit.* 2

Notandum tertiò, inter desertorem, & emansorem non modicum esse discrimen, quòd infrà in Mantissâ, clarè explicabitur. 3

Notandum quartò, militem dici desertorem, sive in pace, sive in bello militiam deserat; Imò si belli tempore adfuit à signis, ut alibi probatum est. 4

Notandum quintò, magnum supponi in desertore odium contrà Imperatores: Undè lex fuit statuta, Provincialibus tribuens facultatem desertores opprimendi; & in casu temerariæ resistentiæ, jus pro quiete communi exercendæ publicæ ultionis indultum est, *l. 2. Cod. quando licet unicuique sine jud. se vindicare.* 5

His adnotatis; ad difficultatem propositam; an Miles, Castra deserens absque debita facultate, culpæ sit reus lethalis, pœnis corporalibus puniendæ; respondemus affirmativè, præsertim cùm in maximis periculis destituitur aut Arx, aut Respub. Decian. *in tract. criminal. lib. 7. cap. 12.* per totum Moiin. *tom. 1. de justitia, tract. 2. disp. 116.* Reginal. *de bello, sect. 3.* Cespedes, *in dub. militar. dub. 12.* & cæteri de rebus militaribus tractantes. 6

Moveor primò juribus, *in l. desertorem, ff. de re militari*, ubi habetur, quod fuga militis ei irrogat pœnam mortis: *Et in l. omne. §. Qui in acie, ff. de re milit.* quâ capite plectebantur desertores, si in conspectu aliorum militum castra deserebant, *& in Capit. Infames, causa 6. qu. 1.* quo de bellis publicis fugientes infames fiunt, & declarantur; tantum est crimen desertionis. Utrumque affirmat Gloss. *in Cap. Jus militare, dist. 1.* 7

Moveor secundò rationibus; nam in desertoribus grave supponitur contrà Principem odium, ut notavimus; odium verò grave est culpa gravis: Atque adeo graviter peccat miles, si absque debita licentia castra deserit. Tùm quia pœnæ, quas leges Desertoribus imponunt, sunt graves, ut jam dictum est suprà in motu primo, & ex dicendis patebit: Et sic grave delictum demonstrant. Tùm etiam, quia milites castra inscio Duce deserendo in magno periculo collocant Rempublicam, exercitum; dubiam, aut nullam reddunt victoriam futuram nec non inanes tot expensas à Principe factas in bello: Ergò graviter peccant. 8

9 Moveor tertiò exemplo, in Syris, qui fugientes à facie Joab in primo ictu belli cùm essent stipendiarii Ammonitarum, peccaverunt, ut asserit, & probat Abulensis *in 1. Paralip. cap. 19. quæst. 23.* cùm non sustinuerint timorem debitum, sed statim in primo belli impetu castra deseruerint, 2. *Reg. cap.* 10. quidquid dicant alii asserentes, illos non peccavisse; quia egerunt, quod potuerunt.

10 Concludendum est igitur, militem castra deserentem absque metu in virum constantem cadente, peccare mortaliter, & gravibus pœnis esse obnoxium, cum onere damna restituendi, ut mox in illationibus dicam.

11 Infero primò ex dictis, milites stipendiarios, qui in conflictu ipso fugiunt, mortaliter peccare; cùm milites stipendiarii teneantur fideliter pugnare pro his, à quibus mercedem accipiunt: Et hoc ex duplici capite; primò quia eis merces datur pro labore, & fideliter non agentes, indigni evadunt mercede: Secundò, quia eorum conductores in eis confidunt, & ponunt salutem, & statum suum in manibus eorum; Atque adeò fideliter non agendo, graviter peccare manifestum est.

12 Infero secundò, milites stipendiarios, deserentes castra absq; legitima causa & debita facultate, sed propter fraudem, vel negligentiam, aut rationabilem fugam, si aliqua damna sequantur, teneri ad restitutionem illorum, ut alibi demonstratum est. Et ita etiam docet Abul. loc. cit. ibi asserens, istam esse unam de causis, quare periculosus est status militum; quia interdùm fugiunt, non existente timore rationabili; & fugiendo ad immensa damna tenentur, quæ inde sequuntur.

13 Infero tertiò, milites stipendiarios non solùm peccare castra deserendo, sed teneri pugnare toto conatu, sicut si bellum ipsorum esset; nec posse quocunque timore fugere, sed teneri se exponere morti, & quibuscunque terribilibus pro salute eorum, à quibus mercedem accipiunt; & hoc secundùm conditionem belli, quia oportet, quòd omnibus terribilibus se exponant. Ita Abul. loc. cit.

14 Infero quartò, miles, etiam si eis stipendium non solvatur, non posse fugiendo castra deserere. Ita tenet etiam Crispold, *in casibus militar. cas.* 1. Cespedes *in dub. milit. dub* 12.

15 Infero quintò, milites desertores tempore pacis, si fuerint equites, gradu pellendos esse; si pedites, cogendos mutare militiam; Tempore verò belli, esse capite plectendos, si iteratò castra deserant, præsertim si in Urbe reperiantur, alibi tamen apprehensos, ex primâ desertione, posse restitui. Ita sentit etiam Decian. *in tract. criminal. lib. 7. cap. 32. n.* 14.

16 Infero sextò, desertorem ut talem notatum, si fuerit restitutus amittere stipendia pro tempore, quo in desertione fuit, *l. ex causa*, *ff. de re milit.* & *l. ult. Cod. de desert. lib.* 12.

17 Infero septimò, receptantem scienter desertores in agro, vel in domo, si est actor vel procurator, capite puniri & damnum publicari, *l. 1. Cod. de desertor. lib.* 12.

18 Infero octavò, desertores, si plures fuerint, & primùm deseruerint; deinde intrà tempus reversi sint, gradu pulsos, in diversa loca esse distribuendos, *l. 3. Cod. ubi caus. fisc. §. Si plures.*

Infero nonò, crimen desertionis apud omnes nationes semper fuisse severissimè vindicatum, ut refert Plutarchus in vitâ Agesilai. Spartani desertores milites omni magistratu, & honore privabant; Uxorem eis ducere non licebat: Obviusquisque eos impunè cædebat: Barbæ partem nutriebant, & partim radebant: Squallidi, abjectique circuire Civitatem singulis diebus urgebantur. Et Avidius Imperator multis desertoribus manus, aliis crura, & poplites incidebat dicens, „ Majus exemplum esse criminosi vi„ ventis miserabiliter, quàm occisi. A quibus abstinent Principes Christiani, qui desertores damnare solent, vel ad triremes, vel ad carcerem, vel ad exilium; & aliquando ad mortem, nisi se spontè offerant. 19

Infero decimò, desertores, ut latrones publicos, pro publica quiete tuenda, per quoscunque opprimi ac deleri posse. Barbosa *in lib. 3. Cod. in l. quando liceat unicuique.* 20

Infero duodecimò, severiùs esse puniendum desertorem qui desertioni aliud crimen adjunxit; cùm crimen augeatur, *d. l. non omnes*, in princ. & probatur *in l. ult. Cod. de desertor. lib.* 12. 21

Infero decimotertiò, militem emansorem esse pariter puniendum; sed juxta causas emansionis, ab Auditore Generali vel alio Officiali examinandas: Nam Emansori ob valetudinem, affectionem parentum, vel affinium, ob servum fugientem capiendum, disciplinam militiæ ignoranti videtur parcendum, *de l. qui, cum uno, §. Se ff. de re milit.* 22

Infero decimoquartò, emansorem etiam si diu emanserit, offerentem se, vel etiam ab alio deprehensum; si se offerat, evitare pœnam desertionis, *de l. qui cum uno*, §. *Edictum, ff. de re milit.* & Dec loc. cit. *num.* 37. 23

Infero decimoquintò, non semper esse vituperabile interdum fugere, & consequenter nec fugam semper puniendam; quia etiam ad virum fortem pertinet interdum fugere, vel magis cedere scilicet quando moriendum erat necessariò, nullam consequendo utilitatem, Abul. loc. cit. *q. 23. in medio.* 24

Infero decimosextò, fugientem de custodia, vel de carcere, non esse in numero desertorum computandum; cùm custodiæ refuga, non militiæ desertor sit: Ita sentit Menander, relatus à Dec. loc. cit. *num.* 26. licet qui, carcere effracto, aufugerit, etiam si ante non deseruerit, capite puniendus sit, *l. milites, §. Ejus fugam, ff. de re milit.* 25

Infero decimoseptimò incidenter, fugam non probare delictum, & probat Tex. *in l. lex Cornelia, ff. ad Syllan. l.* 1. §. *Sin autem Cod. de rapt. virgin.* & §. *Suscepto, in Auth. de exhib. reis, colla.* 5. & *in l. raptores, Cod. de Epis. & Cler.* quam regulam limitat multis modis Graff. *part.* 1. *decis. lib. 3. cap. 7. num.* 9. ibi præcipuè dicens hanc regulam fallere, quando quis aufugit fractis carceribus; secùs verò si fugit, carcere aperto, contrà Decianum *in tract. criminal. lib. 5. cap. 33. num.* 17. ibi asserentem, carceratum, si aufugerit, vel conspiraverit de aufugiendo, ha- 26

beri

beri pro convicto, prout in aliis criminibus, pro se allegantem, *l. in eos, ff de custo. reo. & l. ult. m. tit. & probat in l. milites agrum, §. Ejus fugam, de re milit. & in l. si quis aliquid, §. Miles, ff. de pænis.*

XXII. DIFFICULTAS.

Miles, qui vovit, licentia à Duce petitâ, & obtentâ militiam deserere, & Religionem suæ Regionis ingredi, expulsus è Monasterio, in quo habitum suscepit, reversus est ad militiam: Nunc quærit à nobis, an sit tutus in conscientia; an verò teneatur iterùm militiam deserere, & aliud Monasterium extrà Regionem, ubi recipiatur, inquirere.

1 NOtandum primò, hanc nostram difficultatem non ad Milites tantùm spectare, sed etiam ad alios militiam minimè profitentes; & à nobis de re militari agentibus agitari, quia Miles, & quidem nobilis variis scrupulis agitatus, nos voluit de hac materia, seu de hujus facti contingentia consulere.

2 Notandum secundò, votum esse promissionem DEO factam de his, quæ ad DEUM pertinent. D. Tho. 2. 2. *qu. 88. art. 1. & quæst. 189. art. 3.* in corp. S. Anton. 2. *p. tit. 11. Cap. 2* in princ. Archid. *in cap. Qui bona, causa 17. quæst. 1.* Pan. & alii, *in cap Litteraturam, de voto.* Tabien. verb. *votum 1. num. 1.* Et hanc esse communem opinionem, tradit Doctor Navar. *in sum. tom. 1. de secundo præcept. Decal. cap. 12 num. 24.* ubi, votum sic definit: „ Votum est promissio, de„ liberatè DEO facta de aliquo bono majori, à „ superiore non irritata. Et votum non esse solam promissionem faciendi aliquid, sed dicere obligationem probat Tex. *in d. cap. Litteraturam, de voto.*

3 Notandum tertiò, varias esse voti divisiones, quas recenset Azor. *p. 1. Inst. Moral. lib. 11. cap. 16*, sed principaliorem, saltem quoad rem nostram, esse in absolutum, & conditionale. Votum absolutum est, quod omni conditionis adjectione vacat; Conditionale verò illud vocatur, quod certâ conditione est affectum; puta si quis voveat se jejunium servaturum; ad Domum Lauretanam peregrinationem suscepturum, si ex infirmitate, vel naufragio, vel conflictu salvus evaserit. Aut quoties aliquis vovet dependenter à voluntate alterius, ut ingredi Religionem, si Patri, vel Confessario placuerit; tunc enim validitas voti ex alterius consensu dependet: Quod etiam notat Molfes. *in summ. p. 1. tract. 11. cap. 14. num. 53.*

4 Notandum quartò, omne votum in materia gravi ad sui observantiam obligare sub pœnâ peccati mortalis. Eccles. *cap. 5. num. 3*, ubi dicitur: *Si quid vovisti DEO, nè moreris reddere.* Et habetur *ex Cap. Licèt, cap. Magna, de voto.* Quodque docet D. Tho. 2. 2. *q. 88. art. 3.* Navar. *in Enchir. de secund. præ. Decal. cap. 12. n. 26. & num. 39.* addit, voventem votum licitum, peccare mortaliter toties, quoties ipsum violat, quod omnes fatentur, & adest Tex. *de cap. Licèt, & cap. Magna, de vot.* Excepto tamen casu oblivionis naturalis, vel ægritudinis, vel alterius justæ impotentiæ. Et quod DEO promittitur, sivè in bello, sive extrà, esse faciendum tenet etiam Leo Imp. *de bellico, app cap. 16. n 2.*

Notandum quintò, votum certam Religionem ingrediendi duo in se continere, unum scilicet de Religione intrandâ, cujus dispensatio soli Pontifici reservatur; alterum de intrandâ hac Religione, quod nullibi Summo Pontifici reservatum invenio: Ut etiam advertit Say, *in suo Thesauro. lib. 3. de voto tit. 27. decis. 43.* 5

Notandum sextò, magnam esse inter Theologos, & Canonistas controversiam an votum conditionatum liget, quam aliis resolvendam relinquo. Vide Sylvest. verb. *votum 2. num. 1. §. secundò*, ubi hanc materiam attentè examinat, variè distinguit, disertè resolvit. 6

Notandum septimò, conditionem illam dici, quæ, antequam actus perfectus efficiatur, implenda est, *l. filius fa. ff. de cond. & demonst*, & tradit Menochius, *cons. 78. n 15.* 7

Notandum octavò, magis esse perfectum, laudabile, & meritorium aliquid ex voto facere, quàm sinè voto. D. Tho. 2. 2. *q 88. art. 6.* in corp. *& quæst. 189. art. 2.* pariter in corp. Azor. *p. 2. Inst. moral. lib. 11. cap. 15.* & est communis Theologorum sensus; cùm vovere sit actus Religionis, quæ inter virtutes morales est præstantissima; & vovens se totum DEO subjiciat, nempe, & quoad actum, & quoad potestatem, suamque per votum immobiliter firmet voluntatem in bono, quod pertinet ad perfectionem virtutis, ut docet Philosoph. 2. *Ethic.* Unde Beatam Virginem, quæ altissimæ fuit perfectionis, absolutum castitatis votum emisisse colligunt communiter Theologi, & Patres ex illis verbis; *Quomodò fiet istud, quoniam virum non cognosco,* S Luc, *cap. 1. num. 34.* Quasi diceret, per votum mihi jam non licet virum cognoscere; ideoque illud indicavit illis verbis, ait S. Bern. *Serm. 4. de Assumpt.* & ex eisdem verbis colligit votum, S. Aug. *lib. de Sanct. Virgin. cap. 4.* & indicat *Serm. 14. de Nativit.* Vide Suarez, *tom. 2. in 3. p. q. 28. art. 4 disp. 6. sect. 3.* Hinc patet rectè fuisse à Sanctâ Memor. Innocentii XI. damnatam inter cæteras; illam propositionem Michaelis Molinos: *I Voti di far qualche cosa sono impeditivi della perfettione*, quæ est 3. in ordine. 8

His cum aliqua prolixitate, ita materia, de qua agitur, postulante, adnotatis, ad difficultatem, propositam, an Miles, qui vovit, licentiâ à Duce petitâ, & obtentâ, militiam deserere, & Religionem suæ Regionis ingredi, expulsus è Monasterio, in quo habitum Religionis susceperat, & reversus ad militam, sit tutus in conscientia; an verò teneatur iterum militiam deserere, & aliud monasterium extrà Regionem, ubi recipiatur, requirere, videtur respondendum, non esse tutum in conscientia, & necessivè teneri votum, quod emisit, extrà Regionem quantùm est ex se, adimplere: Siquidem *in cap. Quod super his, de voto*, dicitur, quòd propter impedimentum superveniens in materia voti fit commutatio in id, quod est tutius; & necessitas commutationis voti indicat obligationem voventis. 9

Præ-

Præterea votum Religionis reputatur votum perpetuum; atque adeò temporalibus votis præfertur; Propterea vovens ingredi Religionem, si refutetur, seu expellatur ab uno Monasterio, ex natura voti tenetur aliud requirere, ubi perpetuò permaneat; Præterea in 2. Petri, *cap.* 2. *num.* 21. habetur. *Melius enim erat illis non cognoscere viam justitiæ, quàm post cognitionem, retrorsùm converti ab eo, quod illis traditum est, sancto mandato.* Et Luc. *cap.* 9. *num. fin.* habetur: *Nemo mittens manum suam ad aratrum, & respiciens retrò, aptus est Regno DEI.* Ergò Miles, qui Religionem ingredi vovit, si non potest in Monasterio suæ Regionis emisso voto satisfacere, aliud extrà Regionem tenetur requirere, aliàs se minis præfatis constituit obnoxium.

10 Veritas tamen est, nostrum Militem, qui Religionem ingredi vovit suæ Regionis, si refutetur, vel ejicitur à Monasterio, in quo habitum susceperat, non teneri aliud extrà Regionem suam inquirere, & intrare, ubi acceptetur, & perpetuò permaneat. D. Tho. 2. 2. *q.* 88. *art.* 3. *ad* 2. Navar. *in sum. de secundo precept. Decal. cap.* 12. §. *Dixi, non restringi, sub. num.* 46. & *num.* 48. Sylvest. in verb. *Religio* 2. *q.* 16. Sot. *lib.* 7. *de just. q.* 2. *art.* 2. Graff. *p.* 1. *decis. lib.* 2. *cap.* 24. *num.* 2. Bachon. *in* 4 *dist.* 3. *art.* 3. Petr. de Aragon. 2. 2. *q.* 88 *art.* 3. *circà arg.* 2. Joan. Azor. *p.* 1. *Inst. moral. lib.* 12. *cap.* 22. *dub.* 1. Valent. *tom.* 3. *disp.* 6. *punct.* 4. Rodriq. *p.* 2 *sum. cap.* 95. *concl.* 4. Molfes. *in sum. p.* 1. *tract.* 11. *cap.* 14. *n.* 70. Sayr. *in Thesaur. lib.* 3. *de voto, tit.* 28. *decis.* 40. & *in Clave Reg. lib.* 6. *cap.* 9. *n.* 6. & est communis.

11 Moveor primò juribus, *in l. non omnis, ff. si cert. petat.* & *cap. Super litteris, de rescript.* ubi habetur, quod à causâ limitatâ, limitatus procedit effectus; & *l. in agris, ff. de acquir. rer. dom.* ubi apparet, quòd actus agentium non operantur ultrà fines eorum; Et successivè dum Miles vovit Religionem suæ Regionis ingredi, aliam extrà suam Regionem non tenetur intrare; cùm votum sit limitatum, & non operetur ultra fines illius.

12 Moveor secundò ratione; adstrictus voto ingrediendi Religionem in communi, si nullam invenit, quæ velit eum admittere, ab omni obligatione censetur absolutus; tùm in voto Religionis claudatur implicitè assensus Religionis acceptaturæ, & obligatio fundetur in acceptione. Absolutum igitur ob paritatem, imo majoritatem rationis ab omni alia obligatione judicare debemus nostrum Militem, si Religio, quam vovit, eum refutet, vel expellat. Tùm quia cessare obligationem voti, quando id, quod quis vovit, sit ei ex aliqua causa impossibile, est apud omnes indubitatum: Et ita in nostro casu contingere, satis clarum est; exequutio enim voti redditur huic Militi, absque sua culpa, impossibilis; cùm dependeat ab arbitrio Religionis eum expellentis. Tùm etiam, quia votum ingrediendi Religionem est conditionatum saltem implicitè, nempe si hæc Religio eum acceptabit: Et ideò factâ impossibili conditione, sive acceptatione, dicendum est, nullatenus voluisse se suo voto obligare. Tùm denique, quia votum non obligat, nisi juxta intentionem voventis, ut docent communiter Theologi, juris Canonici Interpretes. Si igitur Miles votum fecit ingrediendi ob aliquem suum specialem, & justum respectum, Religionem suæ Regionis, & in ea recipi nequeat, aut receptus expellatur, remanet liber ab ingressu Religionis etiam in alio loco ejusdem Ordinis. Ratio est, inquit Sayr. loc. cit. Quia intentio ejus primaria limitata fuit ad illum locum, & ingressus in illam Religionem in genere fuit tantùm secundariò intentus: Cessante autem obligatione ad primariam intentionem ejus, cessat etiam quoad secundariam.

Moveor tertiò exemplo, relato à Navar. 13
in sum. tom. 1. *de regulis Confessariorum, cap* 27. *sub num.* 276. de Hispano, qui ante 20. annos voverat ingredi Ordinem Fratrum Minorum Conventualium, qui postea à B. Pio V. fuit in tota Hispania abrogatus; & proposito dubio in Sacra Pœnitentiaria, an teneretur extrà Hispaniam, ubi non erat abrogatus, Monasterium quærere, in quo reciperetur; fuit decisum negativè: Ex eo quòd actus agentium non operantur ultra fines eorum; *d. l. non omnis, ff. de reb. credi.* & Orator non intenderat intrare Religionem extra Hispaniam.

Concludimus igitur, Militem, qui vovit 14
militiam cum debitâ licentiâ deserere, & Religionem suæ Regionis propter specialem devotionem talis loci, vel alium justum respectum ingredi, non teneri aliam Religionem intrare, neque aliud Monasterium Religionis, quam vovit, extra suam Regionem requirere, ubi recipiatur, si Monasterium, in quo habitum suscepit, eum ejecit, aut eum noluit recipere.

Ad opposita respondemus: Ad primum, Ca- 15
pitulum allegatum locum habere, quando impedimentum non est omninò voti impeditivum, sed tantummodò difficultativum: In nostro verò casu impedimentum, quod est aliena voluntas, impedit omninò voti exequutionem. Præterquam quod, adductum Capitulum nobis minimè obstat; cùm solùm dicat vota peregrinationis ad Terram Sanctam, posse à Superiore, rationabili causa existente, commutari; puta quando vovens posset quidem promissionem exequi, sed cum magno suo incommodo ratione infirmitatis, vel paupertatis, vel inhabilitatis ad pugnandum pro defensione Terræ Sanctæ, quam possibilitatem noster casus excludit.

Ad secundum distinguimus: Votum Reli- 16
gionis vocatur perpetuum, si est votum solemne, quod hominem, ut inquit D. Tho. 2. 2. *q.* 189. *art.* 2. *ad* 1. facit Monachum, vel alterius Religionis Fratrem; quodque vocatur professio, fitque post annum probationis, concedimus: Si est votum simplex ingressus Religionis, ex quo, ut ibid. subdit Doctor Angelicus, aliquis non fit Monachus, vel Religiosus, sed solùm obligatur ad Religionis ingressum, nihilo alio expresso, quodque votum non oportet præcedere probationis annum, negamus: & nostræ negationi favet D. Th. loc. cit. *art.* 4. in corp. Navar. *in Enchir. cap.* 12. *num.* 47 Noster verò Miles non emisit professionis votum, ut nostra supponit difficultas, sed vovit tantummodò Religionis ingressum, secundùm formam juris communis,

quæ

quæ est, ut ingredientibus detur annus probationis; undè etiam secundum D. Th. loc. cit. non tenetur perpetuò in Religione permanere.

17 Ad tertium, quod Loca illa, & similia Sacræ Scripturæ contrà nos nil penitus probant; cùm melius sit Religionem intrare animo probandi, quam illam nullatenus intrare: Siquidem perpetua permanentia à probatione, tanquam dispositione, dependet. Retroitè verò, aut aspicere retrò tunc tantùm intelligitur, quando quis omittit id, quod DEO promisit, & ad quod se obligavit, & quod facere potest; alias quicumque eleemosynam incipiret pauperibus erogare, aut xenodochia invisere, aut mentaliter orare, aut corpus pœnitentiis affligere; & hujusmodi opera non semper faceret, ineptus Regno DEI censeretur, quod minimè videtur dicendum. Alio modo Angelicus Doctor, præsertim ad illud Lucæ: *Nemo &c.* respondet 2. 2. *quæst. 88. art. 1. ad 3.* „Ad tertium dicendum, quod ille, qui mittit manum ad aratrum, jam facit aliquid: Sed ille, qui solùm proponit, nondum aliquid facit, sed quando promittit jam incipit se exhibere ad faciendum, licet nondum impleat, quod promittit: Sicut ille, qui ponit manum ad aratrum, nondùm arat; jam tamen ponit manum ad arandum. Quæ doctrina aptè ostendit, Textum allegatum nostro asserto nullatenus adversari.

18 Infero primò ex dictis, nimis scrupulosum esse sensum, etsi sit tutior, Innocentii IV, qui *in cap. Porrectum. extrà de regul. & transeunt ad Relig.* dixit, quòd vovens Religionem, si ab ea refutetur, tenetur fieri Religiosus in manibus Episcopi, & manere in domo sua Religiosus; cùm debeat votum suum implere, quantùm potest. Quæ enim sine aliena voluntate fieri non possunt, impossibilia à jure æstimantur, ut tradit Graff. *p. 1. decis. lib. 2. cap. 81. num. 10.* & ad impossibile nullo modo quispiam tenetur; undè qui adstrictus voto ingrediendi Religionem in genere, si nullam invenit volentem eum recipere, liber omninò ab omni obligatione remanet.

19 Infero secundò, non teneri servare votum castitatis illum, qui vovit hanc Religionem, in hoc Monasterio determinatè, & principaliter; & sine sua culpa repulsus est; quia votum Religionis objectivè, seu habens Religionem pro objecto tantum, non continet in se votum castitatis; quod patet: Nam si quis voveret se facturum Religiosum, & antequam professionem emitteret, peccatum fornicationis, aut adulterii committeret, non diceretur contrà votum castitatis peccàsse, & successivè sacrilegium commisisse. Secùs verò, si esset votum Religionis constitutivè, hoc est constituens Religionem, ut est votum, quod in Professione emittitur, in quo tria essentialia vota Religionis continentur. Sic etiam Cajet. *in 2. 2. q. 88. art. 3. §. In responsione ad secundum.*

20 Infero tertiò, semel refutatum simpliciter ab aliquo Monasterio non teneri expectare, an fortè aliàs Religiosi eum sint admissuri, dummodò fuerit ante refutationem votum eis manifestatum. Secùs verò, si causa repulsæ fuit temporalis, & defecit.

Infero quartò, puellam, quæ vovit ingredi Religionem, v. g. S. Annæ, sibi notam, & nullum in suo Oppido, aut in locis propinquis Monasterium invenit, quod illam velit, non teneri aliam Religionem, puta S. Teresiæ amplecti; cùm non teneatur limites suæ intentionis exire. 21

Infero quintò, illum, qui vovet Religionem reformatam, & nullum Monasterium reformatum, ubi recipiatur, invenit, quamvis inveniat aliquod, quod vocatur reformatum, sed reverà constat non esse tale, seu ibi regulam non servari, cùm dissolutione vivi, vitam pro sua voluntate à quolibet agi, non teneri hoc Monasterium amplecti, neque aliud; cùm ejus votum quodamodò ratione eventus jam factum sit illicitum, ut subtiliter adnotavit Joannes Major, *in 4. lib. sent dist. 38. quæst. 20.* Secùs verò, si aliqua adesset spes brevi postmodùm tempore illam Religionem suæ pristinæ observantiæ restitutum iri; aut Monasterium inveniret reformatum minimè nuncupatum, sed tamen vota essentialia observans, sub regimine, & obedientia sui Prælati, communiter vivens, esto non adeò strictè, sicut regularis disciplina exigit quoad ea, quæ accidentaria sunt, ibidem viveretur. Ita etiam Cajet. *in 2. 2. quæst. 189. art. 3.* quem producit, & sequitur Navat. *in sum cap. 12. de voto, n. 46.* 22

Infero sextò, peccare mortaliter eum, qui vovet strictiorem ingredi Religionem, & postea ingreditur laxiorem, D. Tho. 2. 2. *quæst. 199. art. pen.* sed non teneri strictiorem intrare, si in ea, ubi vita laxa agitur, Professionem emiserit, *cap. Qui post votum, de reg. in 6.* 23

Infero septimò, voventem ingredi Religionem, voto minimè satisfacere, Religionem intrando, in quâ regula perperam observatur, & in quâ cum dissolutione vivitur, Navar. loc. cit. *num. 46.* 24

Infero octavò, graviter peccare eum, qui alteri suadet laxam ingredi Religionem, strictiorem volenti ingredi; & à fortiori seu ob majoritatem rationis, si illi suadet votum facere hujusmodi Religionem valdè laxatam ingrediendi, relictâ strictiori. Navar. loc. proximè cit. cùm hujusmodi suasio tendat in animarum perniciem, saltem dispositivè, ut consideranti patet, maximè viram in claustris degenti. 25

Infero nonò, esse quidem laude dignum, & præmium mereri, secundùm D. Th. 2. 2. *qu 189. art 9.* eum, qui alios inducit ad Religionem amplectendam, dummodò absit violentia, simonia, fraus, & alia, quæ enumerat ibid. S. Doctor; non tamen esse valde laudandum eum, si tradit Navar. *in Enchir. cap 12. num. 46.* ubi pro se citat *Cajet.* qui vovere Religionis ingressum alteri persuadet; siquidem talis persuasio, esto fit aliquo modo actus bonus, respicit tamen votum saltem implicitè conditionatum, nempè si aliis placuerit, & successivè continet conditionem, quæ impossibilis reputatur; nam illa conditio, ut diximus, quæ pendet ex aliena voluntate censetur impossibilis, Graff. *1. p. decis. lib. 2. cap. 81. num. 10.* Præterquam quòd, eos claustris addicti, 26

longo

longo experimento cognoscimus, facilius Religionis oneribus eos adaptari, qui libera, atque spontanea voluntate Religionem ingrediuntur, quam qui votis ipsis coacti Navar. loc. cit. *num. 46*, esto utrumq; ex genere suo tectum & licitum sit, ita Angelico Præceptore docente, 2. 2. *quæst. 189. art. 2.* Quapropter Religionem ex voto ingredientibus necessarium ducimus suadere totam suam in DEO fiduciam collocare, quod eo auxiliante quæcunque onera Religionis etiam ardua sustinere valebunt; & hujusmodi confidentiam multâ oratione, Sacramentorum frequentiâ, aliisque spiritualibus mediis procurare. Videantur Gerson *in Regul. Moral.* & Joan. Major *in 4. dist. 38. q. 16.* sub fin. ubi aliquid amplius videntur exigere.

27 Infero decimò, voventem in specie aliquam Religionem ingredi, si ea aut refuitetur, aut ejiciatur, posse tutâ conscientiâ in sæculo remanere, & uxorem ducere Nobis etiam consentiunt Angel *v. votum 3.* §. *11.* Cajet. 2. 2 *quæst. 189. art. 3.* Navar. *in sum. de voto*, *Cap. 12. num. 48.* & nostrum Militem posse absque ullo scrupulo militiam terrestrem, ad quam è militia Cœlesti eum expellente fuit reversus, alacri animo prosequi, dummodò in praxim deducat monita saluberrima S. Gregorii, scribentis Militibus Neapolitanis, *lib. 12. Epist. 24.* relati *in cap. Summa, causa 23 quæst. 1.* ubi sic ait, „Summa Militiæ „laus inter alia bona merita, hæc est, obedien„tiam Reipub. utilitatibus exhibere; quicquid „sibi utiliter imperatum fuerit obtemperare. „Et S. Augustini, *Epist. 207. ad Bonifacium*, „relati, *in cap. Noli*, *ead. cauf. & qu.* ubi dicit, „Hoc ergò primùm cogita, quando armaris pu„gnam, quia virtus tua etiam ipsa corporalis „donum DEI est. Si enim cogitabis de dono „DEI, non facies contra Dominum.

XXIII. DIFFICULTAS.

Quidam Miles, ut mortem in vicino conflictu aufugeret, se abscondit in sepulchro Ecclesiæ dirutæ, quæ erat in Terra amica, ubi Thesaurum casu, seu fortuito invenit. Dubitatur, num totus Thesaurus ad ipsum Inventorem pertineat.

1 NOtandum primò, olim apud Gentes non solum barbaras, sed etiam fideles morem viguisse una cum Mortuis multas pretiosas divitias condendi in sepulchris vel ad ostentationem, & honorem suorum, vel ad eas conservandas, tanquàm in loco tutiori; cùm sepulchra semper fuerint apud Gentes ratione Religionis loca intacta: Vel tandem ut vites in eventibus necessariis Reipublicæ suppeterent, quatenùs illis posset uti thesauris, si illis indigeret; Qui mos in Sacris literis, Job 3. memoratur, & Joseph. Hebræus, *lib. 7. antiq. cap. ult.* refert, à Salomone magnificum fuisse Patri suo Davidi sepulchrum ædificatum, fuisseque in eo plurimas divitias conditas, quibus postea Judæi, ab Antiochi armis, & violentiâ oppressi, usi sunt ad se tuendum.

Notandum secundò, thesaurum sic definiri, 2
Thesaurus est vetus pecuniæ depositio, cujus depositionis non extat memoria ut jam dominum non habeat, *l. nunquam nuda*, *ff. de acquir. rer. domin.* undè ad rationem veri thesauri duo requiri videntur, primùm scilicet, quòd vetustiori tempore, id est quod pecuniæ depositionis non extet memoria; Secundùm, quod ab ignotis dominis deposita fuerit, & hoc juxtà sensum Imperatoris, dicentis In *l. unica*, in princ. *Cod. de Thesaur. lib. 10.* nomine thesauri intelligi non solùm pecuniam absconditam ab ignotis dominis tempore vetustiori, sed etiam quæcunque alia mobilia, ut observat Molina, *tom. 1. de just. tract. 2. disp. 53.*

Notandum tertiò, thesaurum esse corpus 3
quoddam mortuum, inutile, & infrugiferum; undè thesauri nullum esse usumfructum. Ita Ang. *in §. Et quia parùm, in Authen. de nupt.* Menoch. *in cons. 407. n. 20.*

Notandum quartò, thesaurum dupliciter sumi, propriè, & impropriè: Thesaurus propriè 4
dictus est vetus depositio pecuniæ, cujus non extat memoria, ut jam dominum non habeat, ut ex prædllegatis juribus; & pecuniæ appellatione veniunt etiam ea, quæ pecuniâ æstimantur. Thesaurus verò impropriè dictus est, ut colligitur ex iisdem legibus, depositio pecuniæ, vel divitiarum in aliquo certo loco, vel lucri faciendi gratiâ, vel metus, vel honoris, vel alia de causâ: Ex quibus constat differentiam esse inter thesaurum, & pecuniam custodiæ causâ reconditam; ut etiam observat Molina, *tom. 1. de justitia, tract. 2. disp. 53.* in princ. Menoch. *in cons. 646. n. 4.* & alii.

Notandum quintò, thesaurum, de quo procedit nostra difficultas, non esse pecuniam causâ 5
custodiæ in sepulchro conditam, nempe thesaurum impropriè dictum; sed thesaurum in sensu proprio juxtà jura allegata consideratum, ut ex circumstantiis attentè examinatis constat.

His adnotatis, ad difficultatem propositam, 6
an thesaurus inventus fortuitò, seu casu à milite in sepulchro Ecclesiæ dirutæ, positæ in solo amico, pertineat totus ad Inventorem, negativè videtur respondendum cùm Palud. *in 4. dist. 15. quæst. 3. art. 5. conclus.* 1. D. Anton. 2. *part. tit. 1. cap. 15.* §. 2. & aliis asserentibus, thesaurum, ubicunque reperiatur, esse Principis: Quia id habetur de consuetudine. Præterea *in l. 3.* §. *Si in locis, ff. de jure fisci*, docet Calistratus, thesaurum inventum in loco religioso cedere Fisco.

Verior tamen, & communior sententia est, 7
thesaurum inventum fortuitò à milite, aut quovis alio in sepulchro Ecclesiæ, aut alieno fundo, quoad dimidium, esse inventoris, quoad aliam medietatem, esse illius Ecclesiæ, seu Prælati loci. Navar. *in Manual cap. 17. num. 175.* Covarr *reg. peccatum, p. 3.* § 2. *num. 3.* Ant. Gomez, *ad l. 45.* Farin. *num. 52.* Sayr. *in Clavi Regiâ, lib. 9. cap. 9. sub num 14.* Molina. *tom. 1. de just. tract. 2. disp. 56.* Vasquez, & alii, quos recenset, & sequitur Molfesius, *in sum. p. 2. tract. 12. cap. 3. num. 60.*

8. Mo-

8 Moveor primò juribus, *in d. l. 3. §. Si in locis, ff. de jure Fisci, & l. is, qui, ff. de acquir. rer. domin.* ubi habetur, thesaurum fortuitò inventum in loco religioso, pro parte dimidia, pertinere ad Fiscum; *& in l. unic.* in fine, *Cod. de Thesauris, lib. 10.* ubi Leo Imperator inquit, „Quòd „si fortè, vel arando vel aliàs terram alienam „colendo, vel quocunque casu, non studio „perscrutandi, in alienis locis thesaurum invene-„rit, id, quod repertum fuerit; dimidiâ parte „retentâ, alterâ dimidiâ datâ, cum locorum domi-„no partiatur.

9 Moveor secundò rationibus, nam thesaurus, fortuitò inventus in sepulchro Ecclesiæ alicujus, debet esse non totus militis inventoris; quia illum custodivit Ecclesia, in cujus sepulchro fuit conditus, non totus Ecclesiæ, quia inventus à milite. Ergò medius inventoris erit, & medius Ecclesiæ, seu Prælati illius loci. Tum quia inventio thesauri causa debet esse pacis, & quietis, non verò belli, & inquietudinis: Et ideò thesaurus, fortuitò inventus à nostro milite, debet æqualiter dividi inter inventorem, & Ecclesiam; præsertim tùm ad pacem servandam ita statuerint jura civilia quamvis de naturali æquitate thesaurus fortuitò inventus sit totus inventoris, ut esse-rit Sylv. *in sum. verb. inventum, q. 3. n. 10.* ubi nostram tuetur opinionem.

10 Moveor tertiò exemplo, in Hispanis, qui apud Indos occidentales inveniente casu, seu fortuitò thesaurum in sepulchris, absque illorum violatione, medietatem sibi retinent: Si verò date operâ, totum restituere tenentur, ut docet Sayr. *in Clav. Reg. lib. 9. cap. 9. n. 12.*

11 Concludimus igitur, militem, qui casu, seu fortuitò invenit thesaurum, propriè dictum in sepulchro Ecclesiæ dirutæ, absque violatione illius, quoad dimidium, posse sibi appropriare; aliam verò medietatem teneri Ecclesiæ, seu Prælato loci consignare.

12 Ad rationes in contrarium respondemus: ad primam, respondet Sotus, *lib. 5. de just. qu. 3. art. 3.* consuetudinem illam in nullâ benè institutâ Republica fuisse introductam; edditque in Hispaniis servari jus commune; & si alicubi consuetudo illa vim obtinuit, per vim, & contrà jus naturæ, et gentium fuisse introductam.

13 Ad secundam, quòd Calistratus in lege allegate expressè docet, thesaurum inventum in loco sacro, & religioso, non proprio ipsius inventoris, pro parte dimidiâ solùm cedere Fisco, & pro aliâ dimidiâ inventori; & totum inventori, si locus religiosus est proprius ipsius inventoris. Et ita esse intelligendum Calistratum *in d. leg.* asserunt Franc. Connan. *lib. 3. Comment. juris, cap. 1.* Lud. Charendus, *lib. 1. verisimil. juris, cap ult.* ad fin. & alii, quos recensset, sequitur Menoch. *de præsumpt. lib. 5. præsumpt. 30. num. 8.*

14 Infero primò ex dictis, illum, qui invenit thesaurum non in loco proprio, sed alieno, casu, & fortuitò, teneri dimidiam dare domino fundi; alias peccatum furti committit, ut optime probat Menochius *in consf. 834. num. 17.* si verò datâ operâ invenit, teneri totum domino fundi restituere: Et tradit etiam ibid Menoch. *de præsumpt.* loc. cit.

Infero secundò, thesaurum inventum in loco Cæsaris, publico, vel Civitatis, pro dimidia parte ad inventorem spectare, & pro alia parte ad Cæsarem, aut Civitatem; Et patet ex verbis ipsissimis, *in §. Thesauros, instit. de rer. divis.* ut observet Molfes. *in sum. p. 2. tract. 12. cap. 3. num 60.* 15

Infero tertiò, invenientem casu thesaurum in loco alieno teneri, nullâ expectatâ sententiâ, dimidiam partem domino fundi restituere, & totum, deductis expensis, si de industriâ fuit inventus; quia cum leges circa thesaurorum inventionem non sint pœnales, sed solùm ex quadam æquitate, vim habent in foro conscientiæ ante latam sententiam ut optimè etiam advertit Molin. *tom. 1. de just. tract. 2. disp. 56.* 16

Infero quartò, thesaurum inventum ex industriâ totum esse inventoris, quando obtinuit facultatem illum quærendi à domino agri, sciente in suo agro esse thesaurum, quia tunc liberè cedit jus suum. Navar. *in Manual. cap. 17. num. 172. vers. sexagesimoquartò*, & citat pro se Sylvestr. Secùs verò, si Dominus agri ignorat in eo adesse thesaurum egnitum à quærente; tùm facultas data non fuerit sufficienter voluntaria ex parte dantis propter ignorantiam illius, existente illâ scientiâ ex parte quærentis, & petentis licentiam; tunc enim thesaurus totus efficitur domini agri. 17

Infero quintò, peccare mortaliter, & teneri ad restitutionem illum, qui apud Christianos violaret sepulchrum, in quo sepeliuntur Reges, Pontifices, aut Sacerdotes, ut eriperet eorum vestes, vasa aurea, aut annulos aureos. Secùs verò, auferentes hujusmodi res, aut alias res pretiosas de Sepulchris Gentilium, si constaret, divitias illas causâ superstitionis ibi fuisse depositas, ut pote ad exercendum cultum falsæ Religionis, vel ut sacrificentur Idolis, aut ut serviant usibus mortuorum; quia tunc hujusmodi bona absque vera causa, & justo usu ibi reposita censentur, unde habentur pro derelictis. Ita etiam docet Bannes, 2. 2. *quæst. 66. art. 5.* quem sequitur Sayr. loc. cit. *n. 12.* 18

Infero sextò incidenter, esse primi occupantis bona, quæ *Missilia* nuncupantur, ut sunt nummi, & alia, quæ aliquibus in locis, quando possessio ducatûs, aut Episcopatus, aut similis rei accipitur, aut in solemnibus eventibus, solent jactari; quia ex voluntate projicientium, aut projicere jubentium earum rerum dominium in primò rapientem transfertur. Et habetur, *l. qua ratione, §. pen. ff. de acquis. rer. domin. &* §. *Hoc ampliùs, instit. de rer. divis.* 19

Infero septimò, ementem agrum, in quo scit latere thesaurum, integrum sibi comparare, cùm emptor non teneatur id detegere. Et ita sentire videntur D. Tho. 2. 2. *quæst. 66. art. 5. ad secundam*, Dominic. Sot. *lib. 5. de just qu. 3. art. 3. ad secundum*, Molina, *tom. 1. de just. tract. 2. disp. 56.* & alii hoc probantes illo Math. 13. de comparatione Regni Cælorum cum thesauro abscondito: Tùm quia, cùm thesaurus non sit pars agri, neque fructus illius, dominus agri non est dominus thesauri. 20

21 Infero octavò, nudum usum fructuarium invenientem casu thesaurum in fundo, cujus habet usumfructum, teneri dimidium restituere domino fundi, & idem dici de illo, qui inveniret thesaurum in fundo, quem in pignus accepit, aut locatum habuit, si inventio fuerit fortuita. Ita habetur, *l. si is, qui, ff. de acquir. rerum dominio.* Et tenet Molina, loc. cit. *col. 4. vers. At quando is.*

22 Infero nonò, thesaurum inventum arte magicâ in fundo alieno, aut inventoris, totum spectare ad Fiscum, ut colligitur ex Tex. *in l. nemo, Cod. de male. & mathem. & habetur in l. unica, Cod. de thesaur. lib. 10.* & tradunt Sylv. *in sum. verb. inventum, q. 3. num. 8.* Menochius *de præsumpt. lib. 5. præs. 30. n. 8.* Sayr. *in Clavi Regiâ, lib. 9. cap 9. n. 17.*

23 Infero decimò, invenientem thesaurum in suo fundo totum facere suum: Quod est de jure naturali secundùm Gloss. *instit. de rer. divis. § Thesauros:* Et tenet D. Thom. cum communi D. D. sententiâ, ut inquit Sylvest. loc. cit. *num. 9.*

24 Infero undecimò, ementem prædium pro viginti in quo posteà reperit thesaurum valentem quadraginta nihil teneri venditori restituere, quia illius thesauri nullus est Dominus, & casus est *in l. 1. Cod. de evict. & l. nunquàm, §. Thesaurus, ff. de acquir. rer. domin.*

25 Infero duodecimò, Mercenarium, reficientem domum à se emptam, si in parietis foramine, vel solo reperit pecuniam in sacculo, vel vase repositam, teneri eam venditori restituere; cùm non sit thesaurus sed pecunia, ibi custodiæ causâ recondità. Ita tradit etiam Menoch. *in cons. 649. num. 2.* plures allegans. Utrùm verò propter pecuniam, vel thesaurum inventum in re venditâ detur venditori remedium *l. 2. Cod. de rescind. vend.* seu utrum thesaurus in re venditâ inventus rescindere faciat venditionem, tu vide.

26 Infero decimotertiò, dominum pecuniæ, causâ custodiæ, aut metûs reconditæ, posse eam tanquàm furtam ab inventore vindicare, quia semper retinet dominium, sicuti censuit Scævola, *in l. tutore, ff. de rei vendicat.* Et ita censent Bart. Bald. & alii, ibi Jas. *in l. 3. §. Nemtius, col. 3. vers. quartò, ff. de acquiren. possess.* quem producit Card. Alb. *in Lucubrat, in Bart. l. 2, Cod. de rescind. vend.*

XXIV. DIFFICULTAS.

Quidam Miles, cùm in castris scelus morte dignum commisisset, nempe sub specie amicitiæ proditoriè alapas suo Capitaneo intulisset, confugit ad altare portatile, pro missa celebranda in castris positum. Dubitatur, num gaudeat immunitate.

1 NOtandum primò, usum Altaris pro Sacrificio esse antiquissimum: Nam ortum habuit in lege naturæ sub lege scripta, & sub lege nova Evangelica, usque ad præsens tempus.

Notandum secundò, Altare, sine quo Sacrum facere, absque controversia, peccatum mortale est, duplex esse posse, fixum scilicet, & viaticum, seu portatile. In fixo saltem tabula superior debet esse lapidea, ut ibi celebrari possit sine peccato mortali. Portatile verò ex lapide unico consecrato constare debet. Coninch. *de sacr. q. 83. art. 3. ad 2. num. 238.* Fagundez, *in præc. Eccles. lib 3. cap. 22. num 1.* & alii. 2

Notandum tertiò, Altare portabile, vel portatile sic appellari, quia portatur in via, & transfertur de loco ad locum, juxtà exigentiam necessitatis. Ant. Butr. *in cap. In his, num. 6. de privileg.* 3

Notandum quartò, privilegium celebrandi in Altari viatico, non posse concedi nisi à Summo Pontifice, sic tradit Ant. Butr. loc. cit. 4

Notandum quintò, privilegium Altaris portatilis esse mixtum, nempè locale, & personale; nam cum sit concessum intuitu personæ, respiciens ejus commodum, dicitur personale; prout verò destinatur certus locus pro exercitio privilegii, locale nuncupatur. Pasqualig. *de sacrif. novæ legis, tom. 2. q. 1223. n. 7.* 5

Notandum sextò, Altare portatile constare posse ex duobus lapidibus invicem colligatis, qui claudi, & aperiri possint tanquàm liber; quia ex institutione Ecclesiæ, à quâ dependent necessaria, non habemus, nisi quòd Altare, sivè fixum sit, sive viaticum, sit lapideum, non autem, quòd sit ex pluribus, vel uno tantùm lapide. Ita tenet Thomas Hurtad Ordinis Clericorum Minorum, *p. 1. resol. moral. tract. 2. quæst. 7. resol 23. num. 258.* Garzia, *in sum. tract. 3. diff 8. dub. 3, p. 1. num. 3* & alii. Contrarium tenent plures, quos recenter Pasqualig. *tom. 1. de sacrif. nova leg. q 693. n. 1.* 6

Notandum septimò, appellatione Loci Sacri non solùm venire Ecclesiam, Capellam, Basilicam, Oratorium, non tamen in domibus privatis, Eremitorium, & quodlibet aliud Sacellum pro Missa dicenda, Episcopali authoritate constructum, Monasteria, & Domus Regularium, ut in Constitutione Gregorii XIV, & ostendit ex variis Doctorum auctoritatibus Farin. *in append. de Immunit. Eccles. cap. 17. num. 252.* sed etiam altare viaticum, ex quo est per Episcopum consecratum, ut sentit Ant. Butr. *in cap. Ad hæc, num. 4. de consecr. Eccles.* ubi ex Inn. asserit, quòd Altare viaticum potest appellari locus consecratus. 7

Notandum octavò, regulam esse, quòd Rei confugientes ad Locum Sacrum, illius immunitate gaudent; nec indè extrahi possunt inviti pro quocumque crimine, quamvis magno, & enormi, nisi sit de casibus exceptis. Tex. videtur Clarus, *in cap. Inter alia, de Immunit. Eccles.* ibi Hostien. *n. 1.* in verb. *Quantumcumque gravia,* Paul. de Cast. *in rubr. Cod. de his, qui ad Eccles. confugi num 2. vers. Quin imò.* Butrius, Abb. & alii, quos recenset, & sequitur Farinac. *in append. de immunit. cap. 6.* princ. 8

His adnotatis, ad difficultatem propositam, an Miles, qui, commisso in Castris scelere morte digno, nempe qui sub specie amicitiæ proditoriè alapas suo Capitaneo dedit, dein confugit ad Altare portatile, pro Missa celebranda in Castris posi- 9

positum, gaudeat privilegio immunitatis, ita ut non possit ab illo loco extrahi, & ad mortem damnari; negativè videtur respondendum, ut per Tex. *in Authen. de mandatis Princip.* §. *neque autem, col. 3.* Præterea Altare portatile non est Ecclesia, nec propriè locus Sacer; & ideò Reus ad illud confugiens non debet gaudere immunitatis privilegio.

10 Huic opinioni quasi adhærere putabam, sed re meliùs considerata, contrarium visum est probabilius, nempe hunc Militem, ad Altare portatile confugientem, immunitatis privilegio gaudere. Quintanadvennas, *in Theolog. Morali, tom 1. tract. 4. singul. ult. n. 7.* Diana Coordin. *tract. 7. de bello, Res. 65. n. 13.*

11 Moveor primò juribus, *in l. Tribunus, §. ult. ff. de militar. testam.* ubi habetur, quod exceptio firmat regulam in contrarium in casibus non exceptis; cùm igitur inter casus exceptos ab immunitate Ecclesiasticâ, excipiatur in Bulla Gregoriana homicidium voluntarium, proditoriè factum, non censetur extendenda hæc exceptio ad alapas proditoriè Capitaneo inflictas. *Et in cap. Inter alia, de immunit. Ecclesiar.* ubi expressè cavetur, nè liber homo, quantumcumque gravia maleficia perpetraverit, violenter extrahatur à loco Sacro. Altare portatile locum esse Sacrum videtur certum, & infra firmabitur.

12 Moveor secundò rationibus; nam Altare est locus Sacer; & est pars Ecclesiæ, ut tenet Pasqualigus, *tom. 1. de sacrif. nova leg. q. 705. num. 4.* Præterquam quòd, Altare sive fixum, sive portatile, significat Christum, ut notat idem Pasq. *eod. tom. q. 693. num.* 2. & remanet consecratum ex celebratione super ipso, ut tradunt innumeri, inter quos, Sà, in verb. *Ecclesia, num. 19.* Graff. *cons. 1. num. 10. de consecrat. Eccles.* Nald. *in sum. v. Ecclesia, num. 24.* Del Bene, *de immunit. p. 1. cap. 2. dub. 2. sect. 11. num. 16.* Pasq. *de sac. nova legis, quæst. 683.* ubi alios recenset: Atque adeò ad Altare confugiens, gaudere debet immunitate Ecclesiasticâ; quia obsequiis Divinis dedicata nullius sunt temerariis ausibus profananda; Tùm quia Altare portatile, ubi offertur Rex Regum, & adest Imago, seu Statua Divini Crucifixi, non debet esse inferioris conditionis, ac sunt Statuæ Regum terrenorum. Confugientes verò ad Regum, & Principum Statuas extrahi non possunt, ut suadet Argumentum Tex *in l. 1 Cod. de his, qui ad Ecclesiam confugiunt, & in l. 2. ff. de iis, qui sunt sui, vel alieni juris, & in l. 1. ff. de off. Praefect. Urbis.*

13 Moveor tertiò exemplo, relato à Quintanadvennas, & Diana loc. cit. in quodam Milite, qui perpetrato crimine morte digno, confugit ad Altare portatile pro Missa celebranda in Castro positum, ut mortem aufugeret; & Generalis Dux Exercitus volens eum morte punire; & ex alia parte timens excommunicationem, si jussisset eum ab Altari extrahi, Castra in alium locum transferri imperavit, ut divulso Altari reum caperet, & mortis pœnâ plecteret: Sed quidam Vir doctissimus è Societate JESU Ducis resolutionem penetrans, Reo suasit, Aram secùm ferre, seu asportare, ut quæ est Ecclesiæ præcipuum insigne, & immunitatis, quâ Ecclesia gaudet, ratio præcipua; illum admonens, ne eam à se removeri permitteret, donec in alio loco Altare poneretur. Ita fecit Reus, & Dux Generalis non fuit ausus illum capere, utpote Ecclesiæ immunitate gaudentem, eò quòd secum Aram deferret.

Concludimus igitur, Militem reum, qui confugit ad Altare portatile, pro Missa celebranda in Castris positum, gaudere Immunitate Ecclesiæ, adeoque non posse ab illo extrahi. 14

Ad rationes in contrarium respondemus: ad primam, quod Tex. allegatus de jure Canonico est correctus, ut vult Gloss. *in l. 2. in verb. adducere, vers. hodiè idem, Cod. de his, qui ad Ecclesiam confugiunt:* Et not. per Farinac. *in append. de immunit. Eccles. cap. 6. n. 86.* 15

Ad secundam patet responsio ex dictis, præcipuè ex motu secundo. 16

Infero primò ex dictis, Militem reum esse loco sacro restituendum, si Dux Generalis, aut alii eum vi, vel dolo ab Altari portatili extraxerunt. Megala, Peregrinus, & alii, quos recenset, & sequitur Diana, *p. 1. tract. 1. de immunit. Eccles. Res. 16.* 17

Infero secundò probabiliter, Regulares, committentes gravia delicta in suis Monasteriis, non posse à suo Superiore, vel ab aliis extrahi ab Altari, ubi Missa celebratur, aut ab Ecclesia; Verum tamen est, ut ait Diana, *p. 1. tract. 1. de immunit. Eccles. Res. 25.* hanc opinionem esse probabilem, stando in rigore Canonum, & Constitutionis Gregorianæ, non verò ex recepta consuetudine à Summis Pontificibus approbatâ. 18

Infero tertiò, immunitatis Eccles. privilegio gaudere Reum, qui confugit ad Altare positum in Cubiculo Infirmi, dùm ibi adest SS. Sacramentum, Infirmo dandum; aut tangit Sacerdotem, qui Eucharistiam defert. Bobadilla, *in Polit. tom. 1. lib. 2. cap. 14. num. 86.* Hostien. *in cap. Ecclesia, num. 2. vers. multò fortiùs, de immun. Eccles.* Alberic. *in rubr. Cod. de his, qui ad Eccles. confug. num. 3.* in fin. & alii plures, quos recenset, & sequitur Diana, *par. 1. tract. 1. de immunit. Res. 28.* Contrarium sentiunt Gloss. *in cap. Quæsitum, causa 13. q. 2.* Covar. *lib. 2. var. resolut. cap. 20. n. 6.* Bonac. & alii. 19

Infero quartò, non privari immunitate reum, qui, dùm ducitur ad carcerem, aut ad supplicium, è manibus satellitum fugiens, ad Ecclesiam, vel ad Altare portatile se transfert, præcipuè si poterat duci per aliam viam. Megala, *cons. 46.* Navar. *in manual cap. 25. num. 19.* Boer. *decis. 100.* Germon, *de immunit. lib. 3. cap. 16. num. 35.* Contrarium tenet Tanner. & alii plures cum eo ita sentiunt. 20

Infero quintò, gaudere immunitate Eccles. si fugiant ad Altare portatile, aut ad Ecclesiam Raptores Virginum. Fagundez, *de præcept. Eccles. tract. 2. lib. 4. num. 47.* Simoniacos; dummodò non habeant errores in intellectu; Blasphemos, si blasphemias hæreticales non protulerint; Homicidas, qui datâ operâ homicidia perpetraverint; dummodò illa proditoriè, aut in Ecclesia, vel in Cæmeterio non commiserint; Tonsores monetarum; quia hæc crimina non sunt in Constitutione Gregoriana excepta: Undè 21

cùm Bulla reducat omnia ad unicam formam, cum particula taxativa, non est ad alios casus similes extendenda.

22 Infero sextò, gaudere Immunitate Ecclesi confugientes ad domum Religiosam, & ad alia pia Loca, quamvis domus Religiosæ, & Loca pia non sint Sacra. Paul. de Castr. Aog. Panorm, & Felin. quos recenset, & sequitur Farinac. loc. cit. *cap. 17. num. 251.* ibi asserens, hoc etiam dici de Sacratis, seu Sacristiis, in quibus Sacræ res asservantur, quamvis non sint Sacræ.

23 Infero septimò, confugientem ad Ecclesiam non parochialem, & in qua Sanctissima Eucharistia non servatur, si in ea Missa celebretur, tutum esse, nec indè invitum extrahi posse. Farinac. loc. cit. *cap. 17.* Contrarium tenent Covar. & alii, ibi relati.

24 Infero octavò, gaudere privilegio immunitatis confugientem ad Ecclesiam non consecratam, authoritate tamen Episcopi ædificatam, in qua Divina Mysteria celebrantur. Ita ex Tex. *in cap. Ecclesia, extrà, de immunit. Eccles.* Et ita notatunt innumeri Doctores, quos refert, & sequitur Fatin. loc. cit. Contrarium docet Decian. *in tract. crimin. lib. 6, cap. 24. vers. Quod tamen verum ego non puto.*

25 Infero nonò, tutum esse, & extrahi non posse, non aliter ac si ad Ecclesiam confugisset, eum, qui confugit ad Ecclesiæ atrium, seu claustrum, seu porticum, ambitum, dormitorium, intrà septa, & intrà totam fabricam Ecclesiæ, Textus est, *in l. pateant, Cod. de his, qui ad Eccles. confugiunt,* & facit Tex. *in cap. Si quis in atrio, causa 17. qu. 4.* & ibi DD, & tenet Card. Albanus, *in Lucubrat. in Bart. in l. pleriq. ff. de in jus voc. n. 2.*

26 Infero decimò, extrahentes ab Altari, vel Ecclesia eos, qui ad hujusmodi loca Sacra confugiunt timore Judicum; nè capiantur puniti tanquàm violatores immunitatis, & libertatis Ecclesiasticæ, & sic expressè cavetur in Bulla Gregorii XIV. Pœna autem violantium immunitatem Ecclesiasticam, non aperitur in dicta Constitutione, nec in Trident. *cap. 20. Sess. 25. de reformatione*: Quæ verò sit pœna videri potest apud Tabien. *in sum. v. immunitas, num. 21.* S Anton. *in sum. p. 3. tit. 12. cap. 3.* in princ. Rosella, *v. immunitas,* ii primo, *n. 8.*

XXV. DIFFICULTAS.

An interdictâ Civitate, Milites, qui in illa morantur, & applicantur custodiæ illius Fortalitii, censeantur eidem interdicto obnoxii.

1 Notandum primò, quòd Urbs, Authore Nonio Marcello, locum, & ædificia significat; Civitas verò ipsorum Civium collectionem, *l pupillus, §. Urbs. ff. de verb. signif.* Arch. *in cap. Urbes, 80. Dist.* & aliquando Civitas dicitur eo sensu, quo locus, & ædificia muris circum data significantur. Tex. *est apertus in cap. Si Civitas. l. singulorum, Cod de ædific. privat. l. 3 § Si quis. Cod. de natur. lib.* Bart, in Cæpol, *in l. 2, q. 3. n. 22.*

2 Notandum secundò, interdictum si vocem spectemus, accipi in jure civili pro solo interdicto, seu dicto Prætoris prohibitorio, deducto nomine à verbo, *interdico*, quod significat prohibeo, ut habetur *in Institut. de interdictis, §. exhibitoria, vers. sunt tamen*: Et in Jure Canonico, pro prohibitione Judicis Ecclesiastici, seu juris Canonici; ut habetur *in cap Miror, causa 17. q. 4. & cap. Significasti, de offic. Archid. & cap. Cum illorum, de sent. excomm.* atque adeò interdictum, tam apud Legistas, quàm Canonistas, seu interdicere in propria significatione dicit vetare, atque prohibere, ne quid fiat.

3 Notandum tertiò, varias afferri ab Authoribus interdicti definitiones, cumulatas per Sayr. *lib. 5. Thesaur. cap. 1. num. 7,* inter quas, magis mihi placet, utpote brevior, illa, quam docet Summa Astensis, *p. 2. lib. 7. tit. 16. art. 1.* nempe. Interdictum est, privatio quoad Ecclesiastica per sententiam juris, seu Judicis facta.

4 Notandum quartò, interdictum dividi communiter in locale tantùm, & personale tantùm; sic Angelica, in verb. *interdictum* 1. Tabiena, Covar. & alii apud Sayr. loc. cit. *num. 10.* Locale, seu loci esse, quando solus locus, v.g. Civitas interdicitur, nè ibi Divina Officia à Civibus, aut exteris audiantur, aut celebrentur: Personale verò esse, quo interdicitur populus, aut alia ejus persona, non autem locus; & tunc personæ interdictæ nullibi officia audire, aut administrare Sacramenta valent.

5 Notandum quintò, interdictum, sive locale, sive personale, esse duplex, generale & speciale; generale esse, quando interdicitur totum Regnum, vel tota Civitas, vel totum Castrum; & dici generale, quia nulla excipitur persona, ut colligitur *ex cap. Cum in partibus, de de verb. signif.* Speciale verò esse, quando aliqua Ecclesia, vel aliquæ Ecclesiæ Civitatis, vel Castri interdicuntur, & non omnes; & tunc. interdictâ Ecclesiâ, interdicuntur omnes ejus Capellæ, ut notat Graff. *p. 1. decis. lib 4. cap. 26, num 4.*

6 Notandum sextò, posse dari interdictum mistum, quod fertur in locum, & personas simul, scilicet in locum cum populo Laico, aut Clero; aut in tales, vel tales personas sub hac forma: *Interdicimus Petrum, & locum, ubi est, vel fuerit; quamdiu ibi fuerit*: Sub qua forma latum est interdictum, *in cap. Dilectis filiis, de appellat. & cap. Non est vobis, de sponsal.*

7 Notandum septimò, nullam Civitatem, Oppidum, Castrum, Villam, aut locum posse Ecclesiastico interdicto nodari, nisi ex causa, seu culpa ipsorum locorum, aut Domini, seu Rectoris vel Officialium. Ita habetur in Concilio Basiliensi; cujus Decreta de fide, & censuris, ac beneficialibus causis fuêre post approbata per Nicolaum Quintum Summum Pontificem, ut notat Covat. *p. 2. relect. §. 1. num. 5. in cap. Alma Mater.* Unde populum citra propriam culpam in odium Excommunicati, si sit Rector, vel Princeps, posse interdici, habetur *in cap. Miror, causa 17. quæst. 4.*

8. No-

8 Notandum octavò, interdicti sive localis, sive personalis tres esse effectus, Primum, privationem aliquorum Sacramentorum; Secundùm, privationem Divinorum Officiorum; Tertium, privationem Ecclesiasticæ sepulturæ, ut notat Graff. loc. cit. *num. 5.* & hos effectus posse ab Episcopo, qui interdictum tulit, separari, ad differentiam effectuum excommunicationis, qui neque per Episcopum sunt separabiles, tradit Bonac. *in sum. v. interdictum, n. 9.*

9 His adnotatis; Ad difficultatem propositam, an, interdictâ Civitate, Milites, qui in illa morantur, & applicantur custodiæ illius Fortalitii, censeantur eidem interdicto obnoxii; affirmativè videtur respondendum; nam, sicuti interdictâ Communitate, ligantur sententia interdicti similiter Nobiles, Marchiones, Comites, Barones, & hujusmodi habitantes in tali Loco, ut tradit Jo: Tabien. *in sum. v. Interdictum* 1, *q. 8.* Ergò & ad Milites ibi morantes pœna extenditur interdicti. Præterea omnes Canonistæ fatentur, interdicto populo, singulares personas de populo intelligi interdictas, juxtà Text. *in cap. Si sententia, de sent. excomm. in 6.* Non igitur possunt ab interdicto Milites excludi; cùm partes populi censeantur.

10 Contrarium tamen, tanquàm verius, & nobit certum, sustinendum arbitramur ex communi DD. sententia, nisi Milites fuerint culpabiles, & causam interdicto dederint. S. Anton. *3. p. tit 27. de interdicto, cap. 3.* in fin. Summa Asten. *p. 2. lib. 7. tit. 16. art. 1. qu. 3.* Calderin. *tract. de interdicto, membr. 2. col. 4* Felin. *in cap. Rodulphus, colum. 1. de Rescript.* Sylvest. in verb. *interdictum 1.* in princ. Covart. *in cap. Alma Mater, p. 2. relect.* §. 1. *num. 8.* Henriq. *lib. 13. de excomm & interd. cap. 42. §. primo.* Palud Navar. Tab. & alii innumeri, quos producit, & sequitur Sayr. *in suo Thesaur. lib. 5. cap. 3. n. 11.*

11 Movcor primò juribus, *in l. civibus, ff. de reb. dub. l. sicut, §. Si quid, ff. quod cujusq. univers. nomi. Cap. Romana, §. ult. de sent. excomm. in 6.* Ex quibus locis apparet Civitatem, Cives, Populum, Universitatem, quandam personam, fictam repræsentare, non veram; Adeoque illa persona ficta, quæcumque ea sit, interdicta est, non autem singulares personæ, quæ in illa Universitate, aut Civitate reperiuntur. Sed efficaciùs moveor ex Tex. *in cap. Si sententia, §. Ceterum, de sent. excomm. in 6.* ubi expressè habetur, interdictâ Civitate, posse extrà illam habitatores interesse Divinis, si non sunt culpabiles, vel propter delictum Rectoris, vel Principis interdicti.

12 Moveor secundò rationibus: nam, interdictâ Civitate, Cives non culpabiles, nec dantes causam interdicto, non sunt interdicti; ut ex dictis juribus Civilibus, & Canonicis constat, & DD. communiter asserunt: Ergò multò minùs Milites, qui Civitati non incorporantur, quamvis in illa morentur ad custodiendum Fortalitium. Tùm quia Milites tempore belli diù cantur vivere in periculo mortis, ut alibi demonstratum est; Ergò non debent absque eorum culpa subjici Civitatis interdicto; alias ab Ecclesia ponerentur in certo statu carendi sine culpâ Ecclesiasticâ sepulturâ, quod videtur Ecclesiæ pietati repugnate.

13 Moveor tertiò exemplo, in populo alicujus Loci, quo interdicto, non intelligitur interdictus Clerus; nec è contra, nisi aliud exprimatur, ut tradit Tabien. *in sum. v interdictum 1, quæst. 8.* nam licet appellatione populi comprehendantur omnes Habitatores, non tamen comprehenduntur omnes homines alterius professionis. Gloss. *in d. cap. Si sententia, de sent. excomm. in 6.*

14 Concludendum est igitur, Milites, qui sine dubio alterius sunt professionis, etiamsi noderur interdicto, non solùm Civitas, sed & Populus, non interdici; dummodò non sint culpabiles, neque in odium Rectoris, vel Principis sit positum interdictum; adeoque posse Sacramentorum participatione gaudere, dum vivunt, & Ecclesiasticam Sepulturam habere, si moriantur.

15 Ad rationes in contrarium respondemus; ad primam, distinguendo ant. Nobiles, Marchiones, &c. sunt de Populo interdicto (quod patet ex eo, quia subeunt onera, & honores, sicut alii,) & sic concedimus, quòd ligantur Interdicto, quamvis sint per privilegium ab oneribus exempti. Si verò ita sunt sui juris, vel ex consuetudine, vel privilegio Cæsareo, ut de dicto populo, seu de dicta Universitate, tanquam de ipsius corpore in nullo participent, negamus; & successivè negatur consequentia, cùm Milites in nullo participent de populo, tanquàm de ipsius corpore, ut patet.

16 Ad secundam, eodem modo respondemus. Interdicto populo, singulæ personæ de populo intelliguntur interdictæ, conceditur; Ergò etiam Milites, negatur. Licet enim ut diximus in tertio motu, appellatione populi comprehendantur omnes Habitatores; non tamen comprehenduntur omnes homines alterius professionis, quemadmodum sunt milites, quo in sensu intelligendum est *cap. Si sententia*, ut tradit ibi Gloss.

17 Infero primò ex dictis, esse cautissimè observandum ipsum interdictum quosd ejus sensum, & verba, quo verè percipiatur an sit interdictus Locus, an Loci homines, an omnes, qui reperiuntur in Loco, cujuscumque professionis sint. Ita etiam admonet Covar. *loc. cit. num. 7.*

18 Infero secundò, interdicto Clero, non censeri Religiosos interdictos; cùm Religiosi in odiosis non veniant nomine Clericorum, sed in favorabilibus tantùm: At interdictâ familiâ Clericorum, Clericos, aliosque ejusdem familiæ esse interdictos arbitramur.

19 Infero tertiò, illum, qui post latum interdictum, fit de familia interdicta, non esse interdictum; quia censura solùm afficit eos, in quos fertur.

20 Infero quartò, interdicto populo Civitatis, non censeri interdictos eos, qui habitant in suburbiis nisi sint de populo Civitatis; Quia sumus in odiosis, quæ sunt restringenda, non extendenda, juxtà regulam, *Odia de reg. jur. in 6.*

21 Infero quintò, Cives Communitatis Interdictæ, si non dederint causam culpabilem interdicto, aliò transferentes domicilium, desinere subjacere interdicto; cùm desinant esse pars Communitatis interdictæ. Secùs verò, si tantùm absunt, dùm fertur interdictum.

22 Infero sextò, quòd licèt locus ipse dicatur subjici interdicto non afficitur; quia cùm locus sit res quædam inanimata, propriè capax non est censuræ Ecclesiasticæ. Innocen. *in cap. Tanta, num. 5. de excess. prælat.* Sayr. *lib. 5. Thesaur. cap. 2, num. 2.* & alii.

23 Infero septimò, interdictum locale non includere populum, id est personas ejus, nisi nè in illo loco audiant Divina, aut Sacramenta sumant, vel administrent, aut ibi sepeliantur; dummodò hæ personæ non fuerint culpabiles.

24 Infero octavò, interdictâ Cathedrali Ecclesiâ, Canonicos ipsius non censeri interdictos; undè extrà illam posse non tantùm ut singulos, sed ut Collegium celebrare altâ voce, & cum solemnitate, ut notat Card. *in cap. ult. de excessib. Prælat.* cujus opinio latè probatur per Paulum Parisium, *in cons 27. lib. 4.*

25 Infero nonò, ea Officia Divina, quæ non requirunt personam Ecclesiasticam ad ea deputatam, ut sunt benedictio mensæ, Oratio Angelica, Litaniæ, & alia hujusmodi, non censeri prohibita tempore interdicti; quia non censentur Officia Ecclesiastica, & communia, sed privata.

26 Infero decimò, destructo loco interdicto, eo ipsò interdictum tolli; quia Ecclesia, exempli gratia, semel destructa funditùs, & iterum constructa non censetur eadem Ecclesia ex Goffred. *in Summa, de Eccles. ædific.* in fine; undè iterum consecrari debet ex Panorm. *in cap. Proposuisti, de consecr. Ecclesia.* Contrariam sententiam, quam putat esse veriorem, sustinet Ugolinus, *de censur. Eccles.* Tabiena, & alii asserentes, interdictâ Civitate, adhuc locum illum interdictum manere.

27 Infero undecimò, interdictâ Civitate, censeri etiam suburbia ejusdem Diœcesis interdicta, quamvis non sit temporaliter subdita illi Domino, cujus causâ interdictum fertur in Civitatem: Siquidem aliàs frustraretur finis interdictâ Civitate, possent Habitatores in locis vicinis interesse Officiis Divinis.

28 Infero duodecimò, interdictâ Civitata, suburbia, quæ non sunt subdita Episcopo interdicenti, non censeri interdici ab Episcopo, vel à jure communi.

29 Infero decimotertiò, Laicos violantes interdictum locale, peccare mortaliter; cùm faciant contra prohibitionem Ecclesiæ in materia gravi; nullam verò pœnam præcisè ob violationem interdicti incurrere; quia nulla habetur in jure expressa, præter quàm in Clementina, *Gravis, de sent. excomm.* ubi excommunicatione Sanctæ Sedi reservata innodantur tantùm Domini temporales, qui in terris suis cogunt aliquem, vel ad Divina Officia audienda, vel ad Missam celebrandam tempore interdicti. Ita observat Bonac. *tom. 3. de censur. disp. 2. q. 3. punct. 20. de excomm. in parti. extrà Bull. Cæn.*

30 Infero decimoquartò, Clericos tam seculares, quam regulares interdictum violantes, non solùm peccare mortaliter, sed esse irregulares. Ita etiam docet Graff. *p. 1. decis. lib. 4. cap. 26. num. 8.*

31 Infero decimoquinto, omnibus, qui fuerunt culpabiles, & causam dederunt interdicto loci, aut populi prohiberi alibi Divina facere, aut audire, Sacramenta dare, & accipere, & Ecclesiasticam sepulturam eligere: Secùs verò iis, qui non fuerunt in culpa, nec causam dederunt.

32 Infero decimosextò, Interdictum & etiam suspensum, si Divinum Officium celebrat, esse deponendum, Turrecrem. *in cap. Si quis Presbyter, causa 11. q. 1. sub. num. 4.* in fin.

33 Infero decimoseptimò, tempore interdicti localis, Sacramenta Baptismi, & Confirmationis posse cum solitâ solemnitate administrari.

34 Infero decimooctavò, interdictâ Civitate, si postea augeatur Civitas, partem auctam interdicto subjici; Augmentum enim ejus naturæ est, cujus est res, quæ augetur. Monac. *in cap. Quamquam, num. 4. & seq de elect. lib 6.* Sayr. loc. cit. *cap. 3. num. 12.* ubi ait, idem esse dicendum, si Ecclesia interdicta aucta sit, aut etiam paulatim per partes refecta, ita ut ex priori nulla pars remanserit.

35 Infero decimononò, tempore interdicti nonnulla licere, ut docet Graff. loc. cit. *num. 7.* ubi notat, quòd tempore interdicti localis generalis Bonifacius VIII. *in cap. Alma Mater*, concessit facultatem celebrandi singulis diebus Missam, & Divina Officia secretò in Ecclesiis, & Monasteriis, januis clausis, submissâ voce, non pulsatis campanis; & in Festis quatuor solemnibus; videlicet in die Natalis Domini, Paschæ, Pentecostes, & Assumptionis B. Mariæ, pulsatis campanis, apertis januis, altâ voce eadem officia solemniter celebrandi, exclusis semper excommunicatis, & interdictis ut advertit Graff. loc. cit. *num. 7.* ubi addit, in eisdem solemnitatibus nemini licere Eucharistiæ Sacramentum suscipere, nisi privilegium habentibus, quibus privilegiatis sumentibus, subdit, posse populum interesse.

XXVI. DIFFICULTAS.

An portantes res prohibitas in Bulla Cœnæ, præcipuè tempore belli, ex uno loco Saracenorum, seu Turcarum, ad alium locum eorundem, incidant in excommunicationem hujus Bullæ.

1 NOtandum primò, locorum appellatione hîc intelligi provincias, Civitates, Oppida, Castra, Villas, Flumina, Mare, Navigia, Domus, & alia loca Turcarum dominio subjecta.

2 Notandum secundò, in Bulla Cœnæ, Can. sept. ferri excommunicationem, quæ est reservata Summo Pontifici, in omnes deferentes arma, ferrum stamnum, chalibem, & alia ad Turcas, Hæreticos, aliosque Christiani nominis inimicos.

3. No-

3 Notandum tertiò, in Terris Turcarum plures reperiri Christianos, præsertim Mercatores, qui Christianè vivunt, tributum Turcis statuto tempore eis impositum solventes.

4 Notandum quartò, nostram difficultatem non procedere de iis, qui ventorum vi, & maris tempestate compulsi, cum rebus, in Bulla Cœnæ prohibitis, ad Terras Turcarum, aut aliorum Infidelium deferuntur; cùm certum sit, hos nec peccare, nec ullam censuram incurrere, ut optimè probat Alter. *in Bullam Cæn. disp. 8. lib. 5. cap. 5. dub. 6.*

5 Notandum quintò, delationem rerum prohibitarum in Bulla Cœnæ ad Infideles aliquando in damnum Christianorum non tendere; & tunc dicunt aliqui ejusmodi deferentes, dum cessat ratio prohibitionis, non incidere in hunc Canonem, Ita notat Duardus, *in Bull. Cæn. lib. 2. in Can. 7. q. 8. num. 2.*

6 Notandum sextò, secundùm aliquos res, quæ deferuntur de uno loco Turcarum, aut Hæreticorum ad alium eorumdem, distingui in eas, quæ effectæ sunt meliores, & aptiores ad bellum. & in eas, quæ remanent in eadem substantia, qualitate, & quantitate. Ita Alter. *in explicatione hujus Can cap. 5. col. 6. vers. Ad hanc dubitationem*, & alii.

7 His adnotatis, ad difficultatem propositam, an deferentes res prohibitas in Bulla Cœnæ ad Turcas, Saracenos, Hæreticos, aliosque Christiani nominis hostes de uno loco Turcarum, aut aliorum Infidelium, præsertim tempore belli, ad alium locum eorundem incidant in excommunicationem hujus Bullæ; negativè respondent Tabien. *vers. Excommunicatio 6. num. 8* Sylv. in verb. *Excommunicatio 7. num. 64.* in fin. vers. *Nec secundò*, quibus addi potest Navar. *in cap. Ita quorundam, not. 8. num. 27.* vers. *Decimoquartò, de Judæis*; quamvis loquatur cum aliqua limitatione, videlicet, nisi hoc fiat in detrimentum Christianorum: Et ratio videtur esse, quia hi non dicuntur propriè deferre ad Turcas, vel Hæreticos; cùm tales res prohibitæ jam existant in loco ipsorum Infidelium. Præterea in delatione harum rerum prohibitarum potest cessare ratio prohibitionis, quæ est, ne Christianorum hostes infideles fiant potentiores, ut puta, si Mercator Christianis deferens res prohibitas de uno loco Turcarum ad alium eorundem, illas emeret à Turcis in uno loco Turcarum, & eas venderet aliis Turcis in alio Turcarum loco: In isto casu Turcæ, qui emunt, evadunt quidem potentiores contrà Christianos, Turcæ verò, qui vendunt, minùs potentes redduntur. Et sic ejusmodi delatio non videtur Catholicis injuriosa, seu nociva; atque adeo neque Canone Bullæ Cœnæ punienda.

8 Scio probabilem hanc opinionem ab aliquibus proclamari: Contrarium tamen, sinè hujus præjudicio firmiter sentio; scilicet deferentes res prohibitas in Bulla Cœnæ; præsertim tempore belli, sive effectæ sint meliores, sive in eadem substantia, quantitate, & qualitate permanentes; deferentes, inquam, ab uno loco Infidelium, ad alium eorumdem locum, excommunicationem hujus Bullæ incurrere, quoties ex translatione harum rerum damnum sequitur Christianis. Toict. *in explicatione præsentis Can. num. 6.* Reginald. *in praxi, lib 3 cap. 18. n. 30.* Sayr. *in suo Thesauro, lib. 3. cap. 33. num. 19.* Bonac. *de censur. Bull. Can. disp. 1. q. 8. punct 2. sub n. 17.* Duardus, *in Bullam Cæn. lib. 2. in Can 7. q. 8. n. 2.* & alii.

Moveor primò juribus, *in l 2. §. Prætor. ff. de in jus voc. & l 2 §. homines, ff. de vi. bon. rap.* ubi habetur, quòd lex generaliter loquens, generaliter debet intelligi, *& l. de pretio. ff. de publici. in rem act.* ex qua colligit Glos. quòd quando lex non distinguit, nec nos distinguere debemus. Textus autem noster generaliter loquitur de rebus non deferendis ad Turcas, aut Hæreticos, aliosque Christiani nominis inimicos, nec distinguit loca, in quibus locum habet prohibitio; unde Canon videtur comprehendere omnem locum, sive Christianorum sit sive Infidelium, *Et in cap. Ratio nulla, de prebend. l. cum Pater, §. Dulcissimi, ff. de leg. 2.* ubi dicitur, verba generalia Legis esse intelligenda juxtà limites suæ rationis, quæ dicitur Legis anima. Ratio autem, seu mens Legis hujus est providere ReipublicæChristianæ, eamque ab injusta Infidelium violentia defendere. 9

Moveor secundò ratione; nam iste Canon vult impedire auxilium Turcis, aliisque Infidelibus, ne vigorem acquirant, vel habeant ad impugnandum Fideles; quod auxilium eis præstatur ex rerum prohibitarum delatione, ex quocumque loco deferantur. Tum etiam, quia Infideles acquisitione harum rerum ex tali loco delatarum fiunt reipsà potentiores contrà Catholicos, quod vi hujus Canonis prohibetur: Adeoque deferentes hujus Canonis excommunicationem incurrunt. 10

Moveor tertiò exemplo, in aliquibus, qui commorantes in Terris Hæreticorum; cùm tempore ultimi belli ad Hæreticos res in Bulla prohibitas lucri gratiâ detulerint, hoc Canone se ligatos existimantes, per Litteras petierunt ab hac Sanctâ Sede absolutionem. Ita mihi asserentibus duobus Officialibus hujus Curiæ omnimodâ fide dignis. 11

Concludimus igitur, incurrere excommunicationem Bullæ Cœnæ Christianos existentes in Terris Turcarum, aut Hæreticorum, qui res in Bulla prohibitas liberè deferunt ad alios Turcas, aut Hæreticos cum Catholicis bellum habentes; præsertim si hæc translatio ita fiat de uno loco Turcarum, aut Hæreticorum ad alium eorundem, locum ut hac de causa Turcæ, aut Hæretici reddantur Catholicis formidabiliores in istorum damnum, & detrimentum. 12

Ad rationes in contrarium respondemus: ad primam in casu nostro, dato, citra veri præjudicium, hos deferentes non dici propriè deferre ad Infideles; non potest tamen negari, quin præstent Infidelibus auxilium in Catholicorum perniciem, quod expressè prohibetur à Canone. 13

Ad tertiam patet responsio ex dictis; ex hujusmodi enim delatione semper fiunt Infideles potentiores ad pugnandum, aut actu, aut habitu contrà Catholicos, ut alibi demonstratum est. 14

15. In-

15 Infero primò ex dictis, hac censurâ detineri Christianum, qui in uno loco Turcarum emit Mulos, & ad alium locum Turcarum illos Transfert, ut vendat; præsertim si priùs erant indomiti, aut infirmi, aut malè valentes, & posteà redditi validiores, & robustiores.

16 Infero secundò, incurrere in hanc excommunicationem deferentes arma de uno loco Turcarum ad Christianos degentes in alio loco Turcarum, etiam ad finem, ut iis armis muniti Christiani, arreptâ occasione, valeant Turcas invadere, oppugnare, & vincere, si probabiliter putent, posse à Turcis, hoc penetrantibus arma delata è Christianorum manibus intercipi, & his munitiones evadere ad impugnandum Christianos; secùs verò, si fiat delatio ita secretè, ut nullatenùs valeant Turcæ illam penetrare; quia tunc cessat ratio prohibitionis; cùm Canon prohibeat delationem ad Turcas, aliosque Infideles, non ad Christianos. Ita sentit pariter Alter. *in explicatione Bull. Cœn. disp. 8. lib. 5. cap. 5. verf. Dicerem ego.*

17 Infero tertiò, esse transgressorem hujus Canonis, & consequenter excommunicatum, saltem quoad forum externum, illum, qui navem habens rebus prohibitis onustam, maris tempestate compulsus, ad Terras Infidelium illas detulit, & Infidelibus illas spontè tradidit, & hoc constaret. Traditio enim inducit præsumptionem contrà tradentem, & dolo id fecisse censetur. *Felin. in cap. significavit, num. 7. de Judæ. arg. Tex. in l. Cæsar, ff. de publica.* secùs verò, si Infideles hujusmodi res violenter auferent; aut mortem, vel aliud grave damnum minando, ad illas vendendas cogerent; quia excommunicatio non contrahitur, ubi non adest libertas, voluntas, & peccatum.

18 Infero quartò, incurrere in hanc excommunicationem Magistrum Navis, qui sciens inter permissas merces mercatoris adesse res prohibitas in Bull. Cœnæ navem defert ad Terras Infidelium; secùs verò, si ignoret ejusmodi res fuisse à mercatore inter merces permissas occultatas; dummodò tamen suam adhibuerit diligentiam. Ita tenet Navar. *in cap. Ita quorundam, in notab. 8. num. 25.* Rebuff. *in expositione hujus Can.* verf. *Deferunt.*

19 Infero quintò, incidere in hunc Canonem Muliones, & his similes, qui deferunt res prohibitas, vel transportant ipsos Infideles cum eisdem rebus de uno loco Infidelium ad alium eorundem locum: Bonac. *de censur. Bull Cœn. disp. 1. q. 8. punct. 2. num. 18.* secùs verò, si hoc agunt coacti ob metum mortis, cadentem in virum constantem. Propterea Bald. *in Authen. habita, col 7. Cod. Nè filius pro patre,* inquit, quòd prohibitus ingredi locum aliquem non incurrit pœnam, si invitus illuc defertur.

20 Infero sextò, incidere in Censuram Bullæ Cœnæ illum, qui transmitteret homines ad Turcas, Saracenos, aliosque Christiani nominis hostes, aptos ad pugnandum, vel ad remigandum, vel ad alia officia necessaria in bello: Siquidem nomine rerum prohibitarum comprehenduntur etiam homines, qui sunt animata instrumenta. Sic pariter sentit Alter. *de Excomm. Bull. Cœna, lib. 5. disp. 8. cap. 6. §. Dubitari potest.*

Infero septimò, deferentes res prohibitas 21 de uno loco Infidelium ad alium eorundem locum, non posse à censura absolvi nisi per Summum Pontificem, cui est reservata; extrà articulum mortis, in quo Confessarii inferiores censentur habere ab Ecclesia facultatem absolvendi ab omnibus peccatis, & censuris reservatis; dummodò imponant Absolutis onus se præsentandi Reservatori, si supervixerint, sub pœna reincidentiæ.

XXVII. DIFFICULTAS.

An Princeps Christianus, qui permittit Turcis, Saracenis, ituris ad oppugnandum Civitatem Principis Christiani, aut deprædandos Christianos, transire per terras suas, incidat in Canonem Bullæ Cœnæ.

1 NOtandum primò, in Canone septimo Bullæ Cœnæ pœnâ excommunicationis puniri auxilium, consilium, favorem præstantes Turcis, Saracenis, aliisque Christiani nominis hostibus in Christianorum perniciem.

2 Notandum secundò, dupliciter posse Principem Catholicum Turcis, aliisque Infidelibus, ad Catholicos molestandum proficiscentibus, permittere per suas Terras transitum, coactè scilicet, & liberè; coactè, si viribus caret pro resistentia necessariis; liberè verò, si vires habens, resistere nolit.

3 Notandum tertiò, Principem duobus modis posse concedere Turcis transitum per suas Terras, petitum, & non petitum; petitum, illum concedendo tacitè, vel expressè; non petitum, negativè se habendo, & non rohibendo.

4 Notandum quartò, duobus modis posse à Christianis auxilium præstari Turcis, & Saracenis, aliisque Christiani nominis Inimicis in perniciem Reipub. Christianæ; uno modo, cum illis pugnando; alio modo, illis opem præstando ad pugnam, ut inquit Dec. *in cap. 1. de off. deleg. num. 12.* scilicet præbendo Magistros Navium, qui remigent in eorum triremibus, aut viros peritos in arte militari; Aut bellum inferendo adversùs alium Principem Christianum, Turcas vexantem, ut ab ejusmodi vexatione desistat.

5 His adnotatis: ad difficultatem propositam; an Princeps Christianus, qui permittit, Infideles transire per terras suas ad oppugnandum Civitatem Principis Christiani, aut deprædandos Christianos, incidat in Canonem septimum Bullæ Cœnæ, negativè videtur respondendum; cùm negativè se habeat, nullam actionem, aut physicam aut moralem exercendo, seu nullam cooperationem ponendo in Christianorum perniciem; Atque adeo non dicitur favorem, consilium, aut auxilium præstare, quod Canon expressè prohibet.

6 Veritas tamen est, huic Canoni obnoxium esse Principem, qui Turcas proficiscentes contrà Christianos, per suas terras permittit transire, dùm transitum potest impedire, & præsertim si expo-

expostulatus transitum tacitè, vel expressè concedat. Ita Reginal. *in sua praxi, lib. 9. num. 238.* Alter. *in Bullam Cœn. disp. 8. lib. 5. cap. 10. col. 3.* Bonac. *de censur. Bull. Cœn. disp. 1. q. 8. punct. 2. num. 21.* Duardus, *in Bull. Cœn. lib. 2. in Can. 7. quæst. 34.* & alii.

7 Moveor primò juribus, *in l. 1. §. Generaliter, ff. de leg. præstan.* ubi habetur, quòd lex generalis debet generaliter intelligi; lex autem, seu Canon septimus Bull. Cœnæ excommunicat generaliter omnes, qui præstant auxilium Turcis contrà Christianos bellantibus. Transitus verò, qui eis conceditur, dum potest impediri non parvum auxilium est. Et in Clem. 2. ubi Gloss. *in verf. quomodolibet, de sent. excom. Cap. unic. §. Præsenti, de Cler. ægrot. in 6. & in cap. Indemnitatibus, §. Si qua verò à minori*, & ibi Jo: And. in verf. *quomodolibet, num. 2. de elect. eod. lib. 6.* ubi apparet, quòd dictio *Quomodolibet* in nostro Canone expressa, nempe, vel favorem quomodolibèt præstet, omnem modum favendi Infidelibus includit. Additur, *l. qui non facit, de reg. juris*, ubi is facere dicitur, qui negligendo omittit.

8 Moveor secundò rationibus: Nam in omni lege magis attendenda sunt quæ comprehenduntur ex mente, quàm ea quæ comprehenduntur ex verbis ut vult. Bal. *in l. scire leges, ff. de Legib.* Mens sanè hujus legis est impedire omnem favorem præstandum Infidelibus in damnum Christianorum. Tum etiam, quia Princeps ex debito justitiæ tenetur impedire damnum Christianæ Reipub. cùm id pertineat ad publicum jus; & ideò, si transitum Turcarum per suas terras potest impedire, & non impedit, censetur favorem Turcis præstare in damnum Christianorum; & idcircò censuram hujus Canonis evitare non potest.

9 Moveor tertiò exemplo à pari in tot Ducibus, qui justè fuerunt cruento bello puniti à Principe, eis transitum per suas terras denegante, ut referunt historiæ; eò quod injustum bellum agebant; cùm transitus non debeatur injustum bellum Moventi, ut tenent Theolog. & Jurisperiti, non solùm Catholici, sed etiam Hæretici, inter quos Hugo Grotius, *de jure belli, lib. 2. cap. 2. sub num. 13*, unde non tantùm in nostro, sed etiam in suo ipsius solò injustum bellum moventi occurrere, atque iter impedire fas esset. Injustum absque controversia, est bellum, quod Turcæ, aut Saraceni adversus Catholicos movent: Si

11 ergò Princeps Christianus eis transitum, aut postulantibus, aut temerè tentantibus concedit, dùm posset impedire, huic Canonicæ punitioni certè subjicitur.

10 Concludimus igitur, Principes Christianos, qui permittunt Turcas, Saracenos, Hæreticos, aliosque Christiani nominis inimicos, ad oppugnandam Christianorum Civitatem, aut Christianos deprædandos, transire per terras suas, & non prohibent, cùm possint; unde subsecuta est Civitatis expugnatio, aut Christianorum deprædatio, aut poterat subsequi, excommunicatione Canonis septimi Bullæ Cœnæ sine dubio ligari.

11 Ad rationem in contrarium patet responsio ex dictis: Præterquam quòd ad culpam incurrendam, & pœnam non semper est necessaria physica actio, seu positiva cooperatio: Aliàs nullæ omissiones essent culpabiles, & punibiles; quod est contrà communissimam Theologorum sententiam.

Infero primò ex dictis, incidere in Canonem septimum Bullæ Cœnæ Canonicos permittentes, ut ex suis Portubus, aut Terris extrahantur deferenda ad Turcas, Saracenos, aliosque Infideles in eorum auxilium contrà Christianos, si tamen possunt impedire, & nolunt. Tenet etiam Alter. *in explicatione Bull. Cœn. lib. 5. cap. 10. disp. 8. col. 3.* limitat, Bonac. *de censur. Bull. Cœn. disp. 1. quæst. 8. punct. 2. num. 20.* dicens, si quæ extrahuntur luat eorum, qui permittunt extrahi, aut quando ii tenentur ex justitia damnum Christianorum impedire; Quæ limitatio nobis non placet. 12

Infero secundò, incidere in hunc Canonem Principem Christianum, bellum indicentem alteri Principi Christiano, Civitatem aliquam obsidenti, à Turcis injustè occupatam, ut ab obsidione desistat; vel ut hoc modo illum retinest, ne bello impetat Turcas. Ita tenet Alter. loc. cit. cùm hic dicatur reipsà Turcis auxilium præstare. 13

Infero tertiò, Principes non impedientes, quando possunt, & debent, Turcarum, aliorumque Infidelium violentias in damnum Christianorum dispositas, graviter peccare contrà Charitatem, & contrà strictissimum naturæ vinculum de damno proximi, & multò magis Christianæ Religionis impediendo. 14

Infero quartò incidenter, quòd is tenetur ob culpam etiam levissimam rependere damnum, qui custodire tenetur. Et ita probat Tex & ibi Gloss. *in l. qui mercedem, ff. locati*, & tenent Salic. *in l. in judicio, Cod. locat.* Cornel. *consf 242. lib 1.* & alii, quos refert, & sequitur Menochius, *in Consf 118 num. 3.* 15

Infero quintò patitet obiter, Judicem, qui omisit condemnare in id, quòd debuit, & sic in omittendo deliquit, puniri in solidum ad integrum interesse ut per Text. *in l propenendum, §. Sin autem alterutra, & §. Sancimus, Cod. de jud.* & tenet Tiraquel. *de pœn tem. causa 44. in princ.* ubi citat Ang & Paul, Castr. dicentes quoque, quòd graviùs delinquat Judex in omittendo, quàm in committendo. 16

Infero sextò, Judicem aliquando ex omissione, & negligentia; & præsertim ex dolo malo puniri criminaliter, ut per Tex. *in l. mancipia*, cum Glos. & ibi Bald. & Angel. *Cod. de ser. fugi.* 17

Infero septimò, interdum magis puniri eum, qui negligit, quàm qui facit, ut not. Angel. *in l. ult. Cod. ad leg Jul. de vi publ.* juncto Tex, *in l. 1. Cod ad leg. Iul. majest.* & idem notatur ab Alex *in addit* Bart. *in l. ult. ff. de extraord. cogni.* 18

Infero octavò, aliquando esse æqualia crimina in committendo, & omittendo; & facit Tex. *in l. necare, ff. de agnosc. libe.* ubi necare videtur non tantùm qui partum perfocat, sed & is, qui alimoniam denegat; Et est similis Tex. *in cap. Pasce. 86. dist. & cap. Decima*, ante fin. *causa 16. q. 1. & cap. Inter catera, causa 22 q. 4.* 19

Infero nonò, non excùse Platonem, qui summus fuit Philosopus, & vir summæ prudentiæ, & auctoritatis, teste Jurisconsulto, *in l. 2 ff. de* 20

Nundinis, in lege promulganda, quâ graviter puniebatur, qui cùm prohibere posset, ne alter alterum pulsaret, aut interimeret, non prohibebat.

XXVIII. DIFFICULTAS.

An in Canonem septimum Bullæ Cœnæ incidant, qui Turcis, Hæreticis, aliisque Christiani Nominis Inimicis nunciant Castra aliqua, Civitates, & Christianorum loca non esse munita, ut illa invadant; si id Turca aliunde jam noverint.

1 Notandum primò, in Bulla Cœnæ *Can. 7.* prohiberi sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, & Pontifici reservatæ, certiores facere Turcas, Hæreticos, aliosque Christiani nominis hostes per se, vel per alios, de iis, quæ ad Reipublicæ Christianæ statum pertinent in Christianorum perniciem, & damnum Catholicæ Religionis.

2 Notandum secundò, appellatione Turcarum hic intelligi etiam Saracenos, & omnes alios Infideles nominis Christiani hostes; & nomine Hæreticorum venire Hæreticos per sententias Sedis Apostolicæ nominatim declaratos, qui quamvis Christiani nominis inimici non sint, cùm Christi nomen profiteantur, inimici tamen sunt Religionis Catholicæ, & Ecclesiæ Catholicæ Romanæ, quam maximè detestantur, Sayr. *in Thesauro, lib. 3. cap. 11. num. 16.* Ita observat etiam Alter. in explicatione hujus Canonis, *disp. 8. lib. 5. cap. 9. vers. nomine Turcarum.*

3 Notandum tertiò, ut hæc excommunicatio locum habeat, duas, requiri, tanquam necessarias, conditiones; quarum prima est, ut quæ nunciantur Turcis, vel Hæreticis, sint concernentia statum Reipub. Christianæ, & ad eam gubernandam, & regendam pertineant. Secunda verò, ut id, de quo certiores Turcæ, & Hæretici fiunt, tendat in damnum, & perniciem Religionis Catholicæ, & Christianæ Reipublicæ. Ita Doctores hic.

4 Notandum quartò, finem Summi Pontificis in promulganda hac excommunicatione fuisse, auferre, aut saltem diminuere vires Turcarum, & Hæreticorum adversùs Christianos, ut minorem vexationem, & turbationem ab eis paterentur tam in personis, quàm in bonis.

5 Notandum quintò, secretorum Revelatorem proditoris nomen mereri, ut inter alios probat Angelus *in l. Athletas, §. Calumniator, vers. sequitur, ff. de iis, qui not. infra.*

6 Notandum sextò, Secretarios Principum, Civitatis Consiliarios detegentes, atque revelantes secreta Principum, & suæ Civitatis, esse prævaricatores; nam ,, Qui ambulat fraudulenter, re-,, velat arcana; qui autem fidelis est animi, celat ,, amici commissum Prov. *cap. 11. n. 13.*

7 Notandum septimò, juxta Doctorum sententiam, & præsertim Menochii *in Conf. 175. num. 25.* Revelantes secreta Principum, aut Civitatis non solùm non esse in Consilia publica admittendos, sed etiam ab omni hominum commercio esse eliminandos; cùm dicat Sapiens, Prov. *cap. 20.* ,, Qui revelat mysteria, & ambulat fraudulenter, & dilatat labia sua, ne commiscearis.

8 His adnotatis; ad difficultatem propositam, an Turcis, Hæreticis, aliisque Christiani nominis hostibus nuncians Castra aliqua, Civitates, & alia Christianorum loca non esse munita, ut illa invadant, incidat in Canonem septimum Bullæ Cœnæ, si id jam Turcæ, aut Hæretici aliundè noverint affirmativè respondent Ugolin. *in explicatione hujus Canonis, in vers. Nec non illos.* Alterius hic, *disp. 8. lib. 5. cap. 9. vers. Respondendum*, & alii asserentes, hoc esse certum, & omni carere controversiâ: Quorum fundamentum est; quia Actio principalis, quæ hoc Canone prohibetur, est certiores facere Turcas, & Hæreticos, aliosque Infideles de iis, quæ statum Reipublicæ Christianæ concernunt. Qui autem nunciat per se, vel alios Turcis, & Hæreticis Christianorum loca non esse munita; quamvis aliundè id noverint, illos certiores facit de rebus statum Reipub. Christianæ concernentibus. Præterea, qui per se, vel per alios nunciat Turcis, talia Loca non esse munita, quantùm est ex parte sui, vult Turcis revelare eis occulta, & tantum per accidens eis nota, & cum scientia hunc Canonem violare: Adeoque hujus Canonis excommunicatione ligatur. Præterea, incurrunt excommunicationem Bullæ Cœnæ Deferentes arma ad Turcas, pugnantes contrà Christianos; quamvis Turcæ sint sufficientissimè armis muniti; & quamvis Turcæ illis actu non utantur ad impugnandum Christianos: Cur igitur non ligabitur censurâ hujus Canonis, qui nunciat Turcis, loca Christianorum non esse munita; licèt id aliundè plenè scriverint, & hæc denunciatio nil eis prosit in damnum Christianorum?

9 Hoc assertum esse probabile fatemur & nos, sed non adeò certum, ut volunt ejus Authores, ut controverti non possit; imò contrarium probabilius, & verius nobis apparet. Ita asserentibus Bonac. *de censur. Bullæ Cœnæ, disp. 1. q. 8. punct. 4. sub num. 5.* Duard. *in eand. Bull. in Can. 7. q. 33. num. 2.*

10 Moveor primò juribus, *in cap. Eum, qui certus, de reg. juris, lib. 6. & in l. 1. ff. de actio. empt.* ubi habetur, eum, qui certus est, certiorari ulterius non posse; atque adeò secunda certitudo, seu notitia, quam Turcæ acquirunt, seu recipiunt à revelante Castrorum Christianorum statum, nihil eis potest inservire.

11 Moveor secundò rationibus: nam hujusmodi revelatio nihil operatur in Turcis; cùm ex alia parte sciant, Castra Christianorum non esse munita, Ergò nihil debet operari in revelante; actus enim, sub pœna excommunicationis prohibitus, si non est completus, pœnam non meretur, ut alibi à nobis probatum est. Tum quia Canon hic expressè excommunicat eos, qui revelant res statum Reipub. Christianæ concernentes in damnum, & perniciem Christianorum; si Turcæ jam sciunt, Castra Christianorum non esse munita, & illa invadunt, oppugnant & debellant; posterior sanè revelatio nullum damnum ex se infert Christianis, ac Catholicæ Religioni; atque adeò neque excommunicationem ullam debet revelantibus inferre.

12. Mo-

12 Moveor tertiò exemplo, in eo, qui revelando occulta proximi crimina jam illa scienti, excusatur à culpa, & à pœna restitutionis famæ: Bonac. loc. cit. & in eo; qui vendendo alteri domum, vel aliam rem oneribus gravatam, pœnæ restitutionis non censetur obnoxius, si emptor rei onera illius sciebat; & ratio, quam Jurisperiti adducunt, est; quia qui certus est certiorari non debet; Et ideò ob identitatem rationis, cùm Turcæ jam sciant in tali statu Castra Christianorum reperiri, non redduntur certiores de ulla re; quod requiritur ad incurrendam excommunicationem, & sic excommunicatio locum non habet.

13 Concludimus igitur, non incidere in censuram hujus Canonis eos, qui Turcis, aut Hæreticis revelant Castra, Civitates, aut alia Christianorum loca, non esse munita, si id eis ex alia parte fuerit notum, & nihil novi ipsis addatur, licèt ex prava intentione possint graviter peccare; præsertim si nesciant Infideles, quibus fit denunciatio, hoc plenè scire, in quo casu putare debent, se esse excommunicatos, & ut tales debent se gerere.

14 Ad rationes in contrarium respondemus: Ad primam concedendo antecedens, sed negando consequentiam; quia cùm Infideles certi sint de statu Castrorum, non dicuntur per illum, qui eis talem statum revelat, certiores fieri.

15 Ad secundam concedendo, quòd sic denuncians manifestat malum animum; sed negando, dici in rigore, & secundùm proprietatem verborum, certiores facere Turcas, quod prohibet Canon sub pœna excommunicationis.

16 Ad tertiam, concedendo pariter ant. & negando conseq. adest enim manifestum discrimen: Licèt enim Turcæ armis instructi, novis armis ad Christianos impugnandum minimè utantur, possunt tamen uti; cùm possint aliqua ex aliquo accidenti deficere, & sic his fieri validiores: Novâ verò notitiâ nec utuntur, nec possunt uti, quia supponimus, Turcas aliundè scire quantum scire possunt. Deinde nova arma, Turcis delata, semper augent eorum audaciam, & potentiam. At nova notitia nihil prorsùs operatur in Turcis, juxtà regulam: Qui certus est, certificari ampliùs non potest. Præterquam quòd, qui defert arma Turcis, quamvis iis non utantur, revera dicitur arma Turcis deferre in damnum saltem futurum Christianorum, quod à Canone sub pœna Censuræ prohibitum est. Qui autem denunciat Turcis, Castra Christianorum non esse munita, id jam scientibus, non dicitur, certiores facere Turcas de rebus statum Christianæ Reipub. concernentibus in perniciem Christianorum, quod vi hujus Canonis prohibetur; unde meritò primi sunt excommunicati, non verò secundi.

17 Infero primò ex dictis, non incurrere censuram hujus Canonis illum, qui Turcis revelat consilia Principum Christianorum inita contrà ipsos; vel Exercitum Christianorum esse per talem locum transiturum, & alia ejusmodi, si Turcæ omnia hæc jam noverint, & hoc constet: Secùs verò, si nescíverint.

Infero secundò, non incidere in hunc Canonem eum, qui defert epistolas continentes secretorum revelationem aut nuncium, per quem fit secretorum revelatio, si sciant hæc omnia Turcis jam esse nota; Secùs verò, non existente hac scientiâ. 18

Infero tertiò, non incidere in hunc Canonem eos, qui de rebus privatis certiores faciunt Turcas, aliosque Infideles; quamvis aliquis privatus ex tali notitia patiatur aliquod damnum; cùm Canon solùm comprehendat illos, qui Turcas certiores faciunt de rebus statum Christianæ Reipub. concernentibus; Ita sentit etiam Alter. loc. cit. nobis contrarius. 19

Infero quartò, non incidere in hunc Canonem mittentes, aut portantes litteras, quibus secreta nunciantur Turcis, si tales litteræ non perveniant ad Turcas, si antea fuissent interceptæ, aut deperditæ; quia ad incidendum in hunc Canonem requiritur tanquàm necessaria conditio, ut Turcæ certiores fiant de rebus statum Reipub. Christianæ concernentibus, Ita Alter loc. cit. 20

Infero quintò incidenter, non committere crimen læsæ Majestatis Consiliarium Principis, qui revelat secreta Principis, non odio Principis, sed ut noceat alicui privato; quia voluntas, & intentio distinguit maleficium, *l. verum*, ubi Bart. *ff. de furtis*, & tradit Menochius, *in conf. 99. num. 10.* 21

Infero sextò pariter incidenter, illum posse sine culpa, & timore censuræ, imò teneri, revelare secretum sibi commissum, extrà tamen Confessionem Sacramentalem, cui imminet grave damnum, si non revelat; vel Princeps jubet detegi; aut ita postulat necessitas, ne aliquis innocens damnetur. Ita Alexand. de Ales. D. Tho. D. Bonavent. quos recenset, & sequitur Menochius *in conf. 107. num. 66.* 22

Infero septimò, graviter peccare illum, qui absque justa causa revelat secretum grave sibi commissum: Idcircò in jure legimus cautum sub gravissimis pœnis, ut servetur secretum: Unde *in l. omne delictum*, §. *Exploratores*, *ff. de re milit.* pœnâ capitali punitur, qui exercitus secreta hostibus pandit, *& in cap. Ego Episcopus, de jurejur.* Episcopus jurat servare secretum Papæ, *& in cap. de forma, causa 22. quæst. 5.* jubetur servus esse fidelis Domino in secreto servando. Quæ jura nos admonent, omnia secreta servare, præcipuè ea, quæ statum Christianæ Reipub. concernunt; cùm eorum denunciatio Christiani nominis hostibus fieri non possit absque gravi peccato, & excommunicatione Pontifici reservatâ, si ejusmodi hostes ea antea ignorabant. 23



XXIX. DIFFICULTAS.

Titius detulit ferrum, in Canone septimo Bullæ Cœnæ prohibitum, ad Christianos in Terris Hæreticorum, & Turcarum habitantes. Dubitat, an inciderit in excommunicationem hujus Canonis.

1 NOtandum primò, in Canone septimo Bullæ Cœnæ excommunicati omnes transmittentes, seu deferentes arma, & aliansui belli inservientia ad Turcas, Hæreticos, aliosque Christiani nominis inimicis, ut fuit suprà explicatum.

2 Notandum secundò, appellatione Terrarum Hæreticorum, & Turcarum hîc venire, Oppida, Civitates Provincias, Regna, & omnia alia Loca, quæ horum Infidelium ditionem recognoscunt, & odio Ecclesiam Catholicam, & Rempub. Christianam habent.

3 Notandum tertiò, nomine Hæreticorum eos intelligi, qui, ut suprà diximus, sunt expresè, & nominatim à Sanctâ Sede Apostolicâ declarati; quique confitentur quidem Christi nomen, sed Religionem Catholicam, & Ecclesiam Catholicam Romanam maximè detestantur, & in eorum infidelitate pejores sunt Saracenis, Judæis, aliisque Infidelibus; & plus peccant, quàm Saraceni, Judæi, & alii Pagani, ut habetur ex D.Tho. 2. 2. *quæst. 10. art 6* ubi sic. „ Infidelitas hæreticorum, qui profitentur fidem Evangelii, & ei renituntur, eam corrumpentes, graviùs peccant, „ quàm Judæi, qui fidem Evangelii nunquam susceperunt.

4 Notandum quartò, causam finalem esse velut Animam legis, ut habetur per Bal. *in l. Si quis servo, Cod. de furt.*

5 Notandum quintò, excommunicationem contrà deferentes arma, & alia ad Christiani nominis hostes, quæ etiam fuit imposita à Concilio Lateranensi sub Alexandro Tertio, *cap. 26.* sine tamen reservatione, & quæ refertur *in cap. Ita quorundam, de Juda.* habere pro fine Fidei Catholicæ, & Christianæ Reipublicæ tuitionem, quod spectat ad munus Pastorale Summi Pontificis, qui tanquam Christi Vicarius, & totius Christianæ Reipub. Caput, habet regere, gubernare, & defendere omnes Christi Fideles.

6 Notandum sextò, Dominum, & Vassallum à pari judicari, *cap. 1.* in fine, *de forma fidel.* & Dominum teneri Vassallo succurrere, cùm urget necessitas, ut notat Menochius, *de Arbitr. jud. lib. 2. cent. 2. conf. 182. num. 8.* & è contrà, Vassallum teneri Domino succurrere in necessitate. Affliċt. relatus à Menoch. ibidem.

7 His adnotatis; ad difficultatem propositam, an Titius, qui detulit ferrum, in Canone septimo Bull. Cœnæ prohibitum, ad Christianos in Terris Hæreticorum, aut Turcarum habitantes, inciderit in excommunicationem hujus Can. negativè videtur respondendum cum Navar. *in cap. Ita quorundam, notab. 4. num 12 vers. quod tamen mea sententia, & vers. sexto infertur*; quia Canon loquitur de deferentibus arma, & alia ad Christiani nominis hostes, vel ad Hæreticos expressè, & nominatim à Sede Apostolica declaratos, non ad Christianos: Et ideò non videtur extendendus ad deferentes ferrum, & alia ad Christianus in Terris Infidelium habitantes; quia sumus in odiosis quæ, sunt strictè interpratanda, ut *in cap. Odia, de reg. juris in 6.* Præterea, causa finalis legis hujus, seu prohibitionis est, nè Turcæ, Hæretici, aliique Infideles evadant potentiores contrà Christianos, quæ causa hìc cessat; cùm ferri delatio sit ordinata, non ut Infideles fiant potentiores contrà Christianos, sed ut Christiani fiant potentiores contrà Infideles.

Plausibilis sanè, & probabilis hæc opinio videtur; nihilominùs nostris inhærentes principiis, contraria, quam veriorem putamus, nobis placet. Titium igitur deferentem ferrum, vel alia in juribus prohibita, ad Christianos in Terris Infidelium commorantes, esse excommunicatum censemus, non solùm in Bulla Cœnæ, sed etiam in aliis juribus in Not. quinto, & alibi à nobis relatis, cum exceptione tamen, quam infrà exponemus. Ugolin. *in explicatione Bullæ Cœn.* in princ. *sub num. 6.* Azor. *p. 1. instit. moral. lib. 8. cap. 23. quæst. 5. & 6.* Duard. *in Bullam Cœn. lib. 2. in Can. 7. quæst. 6.* & in hanc sententiam videtur inclinare Alter.hic, *disp. 8. lib. 5. vers. Dicerem ego.* 8

Moveor primò juribus, *in l. adigere, §. Quamvis, ff. de jur. patron. & in l. pater, ff. aulcissimis, ff. de leg. 2.* ubi habetur, legem esse ampliandam, & restringendam secundùm limites rationis expresse, licet non consonent verba. Et *in cap. Cum dilecta, de confirm. util. vel inutil. & reg. fin. de reg. jur. in 6.* Et in pœnalibus, seu odiosis, quando ratio est expressa, extendi, & ampliari dispositionem legis ad limites rationis expressæ ex juribus, & plurium authoritate, docet Sylvest. *in sum.* in verb. *Lex, quæst. 18.* & rationem expressam legis esse mentem Legislatoris, satis ex alibi dictis constat. Et facere contrà mentem Legislatoris, seu rationem expressam legis eum, qui defert ferrum ad Christianos in Terris Infidelium commorantes, ex dicendis modò patebit. 9

Moveor secundò rationibus; nam dùm augetur potentia Christianorum in Terris Infidelium, ob delationem ferri, potentiores fiunt Infideles, sub quorum ditione reperiuntur, juxtà *§. Nos igitùr, in Authen. de defens. Civit.* atque adeo ejusmodi delatio advertatur prohibitioni Canonis; ne scilicet Infideles potentiores fiant in perniciem Christianorum, Tum quia delato ad Christianos ferro; si Turcæ, aut Hæretici hoc sciant, surripient profectò illud ex eorum manibus, tùm ut debilitent Christianos suos subditos, putantes, vel timentes, posse aliis Christianis, contrà quos pugnant, favere; tum ne munitores fiant ad impugnandum Christianos. Tùm etiam, quia cùm Vassallus teneatur Domino in necessitate succurrere, juxtà notata, Christiani, Turcarum, & Hæreticorum subj. & Ditioni, ferro delato potentes effecti, possunt ex conscientia erronea credere, eis obligationem incumbere, Turcis, vel Hæreticis in bello contrà Christianos succurrendi; & sic ferrum delatum à Christianis, in damnum vertere Christianorum: Atque adeo ejusmodi ferri delatio vi nostri Canonis censetur prohibita. 10

11. Mo-

11 Moveor tertiò exemplo, seu potiùs experimento. Notum sanè est, sæpissimè evenisse, & fortassè nostris temporibus, Principes Christianos ferrum, & alia in Bulla Cœnæ prohibita, ad Christianos in Terris Hæreticorum, & Turcarum misisse, ut arreptâ occasione in Hæreticos, aut Turcas repentè, & violenter, insurgerent. At machinâ ab Infidelibus detectâ, Christianos armatos aggressi sunt, eosque armis expoliaverunt, iisque munitores ad Christianos impugnandum effecti sunt.

12 Concludimus igitur, deferentes ferrum in Bulla Cœnæ prohibitum ad Christianos, in Terris Hæreticorum, Turcarum, aut aliorum Christiani nominis hostium commorantes, excommunicationis Bullæ Cœnæ vinculo ligari; nisi ita occultè fieret ferri delatio, (quod per difficile est,) in damnum, & interitum ipsorum Infidelium, ut nullatenùs possent eis arma delata innotescere; Quo in casu cessaret ratio prohibitionis.

13 Ad rationes in contrarium respondemus: Ad primam concedendo, verba legis dirigi ad deferentes ferrum, non ad Christianos, sed ad Infideles, quod nobis non obstat; cùm ratio legis plùs debeat attendi, quàm lex ipsa, seu legis verba, ut per Tex. *in l. 1. Cod. quæ sit long. consuet.*

14 Ad secundam, concedendo pariter, causam finalem hujus legis esse, ne infideles fiant contrà Christianos validiores; sed negando, hanc causam in præfata delatione cessare, ut patet clarè ex adductis.

15 Infero primò ex dictis, incidere in hunc Canonem deferentes arma, & alia prohibita ad Christianos, qui actualiter sunt in Terris Fidelium, sed ad Terras Infidelium sunt profecturi breviter, ut illa vendant.

16 Infero secundò, incidere in hunc Canonem deferentes arma, & alia prohibita ad Principes, Christianos, cum Turcis, Hæreticis, aliisque Infidelibus fœdus, sinè debita facultate, & justa causa, habentes, ut illis faveant; quâ tales sunt, & injustè bellent contrà Principem Christianum, præsertim quatenùs Christianus est. Ita etiam Duardus loc. cit. *num. 6.* fin.

17 Infero tertiò, transferentes res in Bulla Cœnæ prohibitas, ad Infideles, aut ad Christianos in Terris Infidelium commorantes, præter excommunicationem Pontifici reservatam, & aliam excommunicationem non reservatam, aliis duabus pœnis, à Concilio Lataranensi loc. cit. impositis, esse obnoxios, quarum prima est ut per Principes, & Consules Civitatum bonorum omnium privatione mulctentur: Secunda, ut capientium fiant servi: Servitus enim, sicut inducta est jure naturali, *cap. Sexto die, Dist. 35.* & jure gentium, *cap. Jus gentium, Dist. 1.* ita induci potest jure Canonico, *cap. Cùm multa, causa 15. quæst. ult.* Ita notavit Gloss. quam refert, & sequitur Alter. *in Bull. Can. disp. 8. lib. 5. cap. 8. vers. Et quantum.*

18 Infero quartò, Pontifices, Prælatosque inferiores in imponendo censuras, semper respicere commune Ecclesiæ bonum, æternamque Animarum salutem; non verò suam exaltationem, utilitatem, & bonum privatum, ut malè, & diabolicè putavit Joannes Hus, temerè dicens: *Quòd per censuras Ecclesiasticas excommunicationis, suspensionis, & interdicti ad sui exaltationem Clerus populum Laicalem sibi suppeditat, avaritiam multiplicat, malitiam protegit, & viam præparat Antichristo. Signum autem evidens est, quòd ab Antichristo tales procedunt censuræ; quas vocant in suis processionibus fulminationes, quibus Clerus principalissimè procedit contrà illos, qui denudant nequitiam Antichristi, quàm Clerus pro se maximè usurpabit:* Qui error 19. in ordine, fuit justè damnatus in Concil. Constantiensi *Sess. 15.*

XXX. DIFFICULTAS.

An Gubernator Arcis, aut Civitatis, Turcis illam remittens, ab ipsis oppugnatam, ad evitandum mortis periculum, vel famis discrimen, sit rebellis, & in Bulla Cœnæ excommunicatus?

Notandum primò, hoc verbum, *rebellis*, esse verbum generale, quod comprehendit quemlibet subditum contradicentem dicto, vel facto superioris, & not. Bart. *in l. si certarum, §. Quid ergò, ff. de testa mi.* Ang. *in l. 2. §. fin. de judi.* Domi. de Sancto Gemi. *in cap. fin. 38. dist. in 3. not.* 1

Notandum secundò, rebellem dupliciter sumi, largè scilicet, & strictè; largè non solùm pro eo, qui Domino suo resistit, sed etiam quando Judici non vult parere; & quando non vult parere Officiali Principis propter ipsum Principem Bart. *in l. hostes, col. fin. vers. circà prædicta quæro, ff. de capti.* Abb. *in cap. Sané,* il secondo, *de offic. deleg.* strictè verò pro eo, qui contrà Imperatorem, Regem, & Principem, vel ejus officiales resistit in pertinentibus ad statum Imperii, Regni, & Principatùs: Bat. *in tract. qui sint rebelles*, in verbo, *rebellando*, & notatur, *in l. 1. ff. ad leg. jul. majest.* & tradit Dec. *in consi. 604. num. 1.* 2

Notandum tertiò, metum, qui est in stantis, vel futuri periculi causâ mentis trepidatio, *l. 1. ff. quod metus causa*, metum, inquam, cadentem in constantem, seu prudentem virum, eum dici, qui illatus cogit, quempiam eligere minus malum, ob majus sibi imminens fugiendum. Covarr. *in epit. de sponsa, p. 2. §. 4. cap. 3. num. 2.* D. Tho. *in 4 sent. dist. 29. art. 2.* Ricard. Sylv. & alii, quos recenset, & sequitur Intrigliol. *tract. de casib. consc. cas. 40. n. 1.* 3

Notandum quartò, mala, quorum metus probabilis dicitur justus, seu cadens in constantem virum, esse famem, verbera, vincula, & alia similia, inter quæ præcipuè est mors, quæ est malum malorum. Sylvest. *in sum. verb metus, quæst. 1.* 4

Notandum quintò, metum præsumi durare, durante eâdem causâ metùs, ut per Bald. *in l. 2. circà fi. Cod. de his, qui per met. judi non app.* Alexand. *in consi. 144.* Dec. *in consi. 690.* 5

6 Notandum sextò, Ecclesiam hactenùs non promulgavisse legem, ad cujus observationem velit obligare Fideles sub quocunque periculo mortis; quamvis potuerit in aliquo casu legem obligantem cum discrimine vitæ promulgare. Alter. *de nat. excomm. disp. 12. lib. 1, cap. 3. vers. quare cum Ecclesia.*

7 Notandum septimò, Lege Ecclesiasticâ interdum aliqua prohiberi, quia intrinsecè mala, nonnunquam verò aliqua prohiberi, quæ non sunt mala ex genere suo, sed fiunt mala, quia prohibita. Sot. *in 4. dist. 22. qu. 1, art. 4. vers. sed quia de hoc primo membr.*

8 Notandum octavò, celebrem esse quæstionem; an mala, quæ metu mortis committuntur contrà legem aliquam humanam, sivè civilem, sive canonicam, justam habeant peccati excusationem, & tam pro affirmativa, quàm pro negativa plures, & graves adesse Doctores, quos recenset. Alter. loc. cit. vers. *solutio hujus difficultatis.*

9 His adnotatis; ad difficultatem propositam, an Gubernator Arcis, vel Civitatis, Turcis illam remittens, ab ipsis impugnatam, ad evitandum mortis periculum, vel famis discrimen, fit rebellis, & in Bullâ Cœnæ excommunicatus, affirmativè videtur respondendum; quia Inimicis Principis præstat auxilium, & favorem, eis remittens Arcem, vel Civitatem oppugnatam, quam tenetur usque ad extremum defendere. Præterea remittendo Turcis Arcem ab eis oppugnatam, voluntariè facit, quamvis adsit metus; & ideò excusari non potest ab infamia rebellionis, & incursu excommunicationis. Præterea *in cap. Sacris, de his, quæ vi metusvè causa*, qui communicat cum excommunicato coactus, seu obstrictus, excusatur à culpâ, & non incurrit excommunicationem; Secùs verò, si ad ejusmodi communicationem fuerit per metum inductus: Ex quo constat, nullatenùs posse excusari à culpâ rebellionis, & pœna excommunicationis tradentem ex metu mortis, aut famis, Turcis Arcem, vel Civitatem, ab ipsis impugnatam.

10 Aliquam veritatis apparentiam hoc assertum habere videtur. Contrarium tamen nobis longè verius apparet, Gubernatorem nempe Arcis, illam Turcis, ad vitandum mortis periculum, & famis discrimen, tradentem, neque in notam rebellionis incidere, ut sentire videtur Imol. *in cons. 84. in 2. dubio*, Ruin. *in cons. 23. num. 8. lib. 1*, Dec. *in cons. 604. num.* 2. Menochius, *in cons. 723. num. 57.* neque incidere in excommunicatione Bullæ Cœnæ casu, quo eam sine gravi periculo non possit tueri. Navar. *in cap. Ita quorumdam, not. 8. num. 33. & 34. de Juda* Sayr. *in Thesauro, lib. 3 cap. 11 sub num 17.* Hurtad. de Mendoza, *vol. 1. de Fide, disp. 76. sect. 3. §. 94.* Azor. *p. 1. Inst. Moral. lib. 8. cap 23. qu. 13*, Bonac. *de censur. Bull. Cœn. disp. 1. qu. 8. punct. 4. num. 7.* Alter. hic *disp. 8. lib. 5. cap 5. vers. ob eamdem rationem*, Leander, *hic tract. 3, disp. 7. q. 16.*

11 Moveor primò juribus, *in l. 3. Cod. ad leg. Jul. majest. l. ult. Cod. de accusa. & l. nostris, Cod. de calumnia*; ubi habetur, quòd nemo tenetur se in aliquod periculum conjicere. Atqui si Gubernator non remitteret Turcis oppugnantibus Arcem, seu Civitatem, subiret periculum mortis, aut famis, aut captivitatis, aut alterius notabilis damni, quod justè timet. Et *in cap. Si quis propter necessitatem, de furt.* ubi dicitur, periculum mortis, ratione famis procedens, excusare à crimine furti, quantumvis furtum sit jure naturæ damnatum. Cur ergò periculum mortis non excusabit ab infamia rebellionis, & labe excommunicationis? Et *cap. Quoniam multos, causa 11. q. 3. cap. Inter, cap. Si verè, §. Est autem, de sent. excommun*, ubi habetur, quòd licita est communicatio cum excommunicato ad emendum, & petendum ea, quæ sunt victui, & vestitui necessaria, ne quis fame pereat. Atque adeò idem periculum rationabiliùs debet excusare à crimine rebellionis, & à pœna excommunicationis.

12 Moveor secundò rationibus: nam metus justus, & cadens in virum constantem, excusat à culpâ in iis, quæ non sunt mala ab intrinseco, & ex genere suo, sicuti est perjurium v. g. vel fornicatio, ut tradit Gloss. *in l. Si quacunque, ff. ad leg. Aquil. in l. 3. § Armis, ff. de vi, & vi arma, & in §. Recuperandæ, instit. de interdictis*; unde debet excusare à pœna. Tum etiam, quia non constat ad esse Legem Canonicam, quâ velit Ecclesia obligare Fideles sub quocumque periculo mortis. Præterquam quòd, omnis lex, sivè Civilis, sive Canonica promulgata est non ad destruendum, sed ad ædificandum: Quapropter non videtur credibile voluisse Legislatores Laicos, aut Ecclesiasticos obstringere Gubernatores Arcium, vel Civitatum ad resistendum, quando resistentia continuari non potest absque rationabili periculo mortis, & famis in se, & in suis.

13 Moveor tertiò exemplo, in Duce Graviniæ; qui relicto Cœsare, cujus erat Vassallus, ad Gallos Cœsaris hostes se contulit; & cùm hoc fecerit ob justum metum, nempe, ex eo quòd sibi præceptum fuerit à Capitaneo Inimicorum sub pœna privationis sui statûs; quod præceptum justum metum inducit, ut observat Bar. *in l. Creditor*, princ *ff. de solu. vers. tertiò quæro*, non incidit in crimen rebellionis, seu læsæ majestatis, ut optimè etiam probant ex pluribus usibus, & Doctorum auctoritatibus Dec. *in cons. 604.* & Menochius, *in cons. 732.* cui additur etiam exemplum Leonini Briiæ Mediolanensis, qui rebellis non fuit, nec reus criminis læsæ majestatis adversùs Ducem Mediolani, quamvis fuerit secutus Gallos, Ducis hostes, ut bona sua recuperare, & defendere posset. Menoch. loc. cit. quo etiam constat, justum metum excusare à culpâ in iis, quæ non sunt intrinsecè mala, ut supra dictum est; ut egregiè etiam Gramma. *decis. 18.* notat in casu consimili cujusdam Civis Neapolitani: Unde si justus metus aliquando excusat à culpâ, & crimine rebellionis, excusat quoque à labe excommunicationis; cùm excommunicatio incurri non possit, nisi ob actionem mortaliter peccaminosam, ut alibi à nobis dictum & probatum est.

14 Concludimus igitur, Gubernatorem, aut Custodem Urbis acriter à Turcis oppugnatæ non esse rebellem, neque in Bullâ Cœnæ excommunicatum, si eam hostibus dederit ad vitandum verum mortis periculum, aut gravis famis discri-

discrimen; cùm leges humanæ non obligent cum tanto dispendio. Secùs verò censendum est, si Urbs à Turcis oppugnata eis traderetur in casu commodæ defensionis, & spei eam probabiliter tuendi: In tali enim casu non adesset metus justus; atque adeò Gubernator esset & rebellis, & excommunicatus.

15 Ad rationes in contrarium respondemus: ad primam patet responsio ex dictis: præterquam quod auxilium, quod ex aliena traditione Urbis Turcæ recipiunt, est præter intentionem tradentis.

16 Ad secundam, quòd non videtur voluntariè fecisse, ex quo poterat ab oppugnatoribus compelli ut not. Bald, per illum Tex. *in l. novissimè, ff. quod falf. tuto. auto,* quia parta sunt aliquid facere coactè, vel timore coactionis ibi compulsus, vel metu, ne compellatur. Ita docet etiam Dec. *in conf. 690. n. 9.*

17 Ad tertiam respondetur, Capitulum *sacris* esse intelligendum de communicatione in crimine, pro quo lata est excommunicatio, quæ cùm sit intrinsecè mala, ob nullum metum licita redditur: Tradere verò Turcis Urbem, ab eis acriter oppugnatam seclusâ lege humanâ, est res indifferens.

18 Infero primò ex dictis, fas esse Vassallo ob metum justum, aut mortis, aut alterius notabilis damni, dare victualis Inimicis sui Domini, aut eis præstare transitum in terris suis; Secùs verò, secluso ejusmodi metu, & tradit Dec. loc. cit. *num. 2.*

19 Infero secundò, posse Vassallum propter timorem mortis, & depopulationis, servire Inimicis Domini, & eis jurare fidelitatem in servitio, quòd præstant: Tradit etiam Pan. *conf 3. lib. 2.* Joan. Imol. *conf. 34.* Hierony. Grat. *conf 5.* ad fin. *lib. 1.*

20 Infero tertiò, Communitatem, quæ propter justum metum deservit suum Dominum, & Principem, excusari, & non incidere in pœnam rebellionis. Its etiam docet Abb. *conf. 3.* Dec. *conf. 690. num. 13.* Habetur etiam ex *l. Gracchus, Cod. de adul.*

21 Infero quartò, Incolas Castri, si justo metu compulsi deficiant à Civitate, cui subsunt, non posse dici propriè rebelles, sed omninò excusari. Tenet etiam Imol. *in conf. 34. dubio secundo.*

22 Infero quintò, non esse excommunicatum eum, qui consulit, promovet, juvat traditionem Oppidi, aut Arcis Saracenis ex metu mortis, aut captivitatis, aut alteriùs gravis cruciatus: Secùs verò, secluso hujusmodi metu. Sayr. *in suo Thesauro, lib. 3 cap. 11. num 17.* & ante ipsum Navarr *in cap. Ita quorumdam, not. 8. num. 33. & 34. de Juda.*

23 Infero sextò, in nullam pœnam, sivè Civilem, sivè Canonicam, incidere eum, qui fame, vel vi compulsus, arma, aut alias res prohibitas in Bullâ Cœnæ tradetet, vel venderet Saracenis; aut sæviente bello se dederet Infidelibus ne una cùm suis armis periret: Secùs verò, si justus non adesset timor saltem amissionis libertatis.

24 Infero septimò, pœnis Civilibus, aut Canonicis eos non esse obnoxios, qui navim armis onustam aut Arcem armis instructam, timore mortis aufugiens dimittit, & derelinquit in prædam Infidelium, cum detrimento quidem Christianorum, sed præter suam intentionem. Ita Leander loc. cit. ubi alios recenset. Bonac. *de censur. Bull. Cœna disp. 1. q. 8. punct. 4. num. 7.*

XXXI. DIFFICULTAS.

An Christiani, bellantes contrà Turcas, eorumque Terras invadentes, possint licitè Christianos, qui Turcarum dominio subduntur, deprædari, & interficere.

Notandum primò, ex variis finibus bellica arma moveri: Primò pro defendendis nobis, & nostris; Secundò, pro recuperandis rebus ablatis: Tertiò, pro vindicanda accepta injuria, Quartò, pro pace, & securitate paranda. Ita communiter DD. 1

Notandum secundò, posse, utalibi explicavimus, in bello justo fieri omnia, quæ pro dictis finibus consequendis necessaris adjudicantur, ut est interficere, deprædari, & similia; ut hostium malitia corrigatur, & cæteri ab inferendis injuriis terreantur. Sic etiam Molfesius *in sum. p. 2. tract. 12. cap. 3. num. 182.* 2

Notandum tertiò, peccare milites, cum onere restituendi damna, si citrà superiorum jussum; & multò magis eis negatâ Principe facultate nocendi hostibus; ita postulante æquitate, aut justitia belli, vel pietate Christiana; præsertim quando bellum cum Christianis geritur, occidant hostes, incendant domos, agros, terrasque eorum deprædentur: Peccare verò mortaliter ob transgressionem præcepti, sed absque onere damna reficiendi, si prohibitio simplex fuerit ut militaris servaretur disciplina; cùm tunc non præsumatur esse Principis voluntas, ut debeant damna resarciri, ut docet Molina, *tom. 1. de just. tract. 2. disp. 101.* Reginal. *lib. 21. sua praxis, num. 105.* Molf. *in sum. par. 1. tract. 8 cap. 13. num. 105.* 3

Notandum quartò, peccare Milites in ipso belli conflictu interficiendo pueros, fœminas, aliosque innocentes post habitam victoriam; nec non & nocentes partâ victoriâ, & rebus extrà periculum positis; nisi ad pacem firmandam id fieri opporteret: Tunc etiam non esse peccaminosam nocentium internecionem, scribit D. Ang. *in epist. 207. ad Bonifacium Comitem.* 4

Notandum quintò, vim, quæ est culpabilis, & punibilis, duplicem esse; publicam, scilicet, & privatam. Publicam in hoc differre à privata vult Justinianus, *in §. Sed ex constitutionibus, Inst. de interd. & in §. Item lex julia, de vi priu,* quod publica cum armis, privata verò sine armis exercetur: Adest quoque Text. apertus, *in l. hoc jure, ff. de reg. jur.* 5

His adnotatis: ad difficultatem propositam; an milites Christiani, bellantes contrà Turcas, eorumque Terras invadentes, possint licitè Christianos, qui Turcarum dominio subduntur, deprædari, & interficere, negativè videtur respondendum; 6

dendum; quia bellum fundatur in injuria, & ideò non licet jure belli uti in Christianos, qui supponuntur innocentes, si aliundè potest recompensari injuria. Præterea nullo modo licet spoliare Peregrinos, & Hospites, qui sunt apud hostes, nisi constet de culpa illorum: Ergò neque licebit spoliare, & interficere Christianos, qui Turcarum dominio subduntur.

7 Contrarium tamen esse sustinendum arbitror, si Christiani subditi Turcarum spontè procedant ad bellum, & actualiter pugnent contrà milites Catholicos. Victor. *Relect.6. de jure belli: num. 45. & 48*, Duardus, *in cap. omnis utriusque sexus, disp. 17. sect. 4*, Suarez, *de charitate, disp. 13. sect. 7. num. 12. & 14.* Molin. *tom. 1. de just. tract. 2. disp. 121.* & alii.

8 Moveor primò juribus, *in l. ut vim, ff. de just. & jur.* ubi habetur, unicuique permissum esse seipsum, & sua ab aggressore defendere, *& l. 3. §. cum igitur, ff. de vi, & vi armatâ, & tot. tit. ff. & Cod. de injuriis, & in cap. dilecto, de sent. excomm. lib. 6. & in Decretal. de injur. & dam. dat.* ubi habetur, pro defensione rerum, & personæ licitum esse violentiam vi repellere.

9 Moveor secundò rationibus: nam milites Christiani, justè bellantes contrà Turcas, non occidendo, & prædando Christianos, Turcarum subditos, contrà ipsos spontè pugnantes, rem bene gerere non possent; cùm ipsi impediant finem belli, victoriam nempè contrà Turcas Christiani nominis hostes. Tum quia experientia docet, aliquandò pacem, & securitatem obtineri non posse, nisi tollendo omnes hostes, præcipuè cùm bellum est contrà Infideles, à quibus nunquàm ullis conditionibus pax æqua sperari potest; atque adeò unicum remedium esse Interficere omnes, qui contrà Christianos ut ua exercent, & possunt culpabiliter exercere. Quapropter, si Christiani Turcarum subditi pugnant contrà Christianos milites, suæ culpæ imputent, si occidantur, & spolientur, non verò Christianis occisoribus, & prædatoribus, qui justè bellando contrà Turcas, illos occidendo, & deprædando, injustitiam minimè committunt. Hic omittitur motus tertius, sive exemplum, cui substituitur praxis, omnibus nota.

10 Concludendum est igitur, habitâ ratione injuriæ à Turcis acceptæ, & damni illati, aut inferendi, & aliorum delictorum, licere militibus Christianis contrà Turcas, aliosque Infideles justè pugnantibus, occidere, & deprædari Christianos Turcarum subditos, sponte ad bellum procedentes, & actualiter contrà ipsos arma exercentes.

11 Ad opposita respondemus: Ad primum, concedendo antecedens, si Christiani Turcarum subditi non pugnant contrà Christianos, eos occidendo, aut dirigendo contrà eos tormenta bellica, sed solùm quasdam actiones indifferentes coactè exercendo; putà hostes adjuvando ad deferenda arma, victualia, ad arcem muniendam, ad lineas designandas, & alia militaria munia in praxim deducenda; Agunt enim hæc ex gravi timore; atque adeò à culpa excusantur; Ac proindè non possunt puniri.

12 Ad secundum, eodem modo respondemus, non licere spoliare, & occidere Christianos, qui apud Turcas sunt, cùm non constet de eorum gravi, & spontanea culpa: Aut nisi occisio, & deprædatio necessaria foret ad se defendendum, & justam victoriam reportandam.

Infero primò ex dictis, nemini licere Christianos, in Turcarum dominio habitantes, capere; aut præter eorum voluntatem, etiam datâ mercede, pugnare, aut remigare cogere, aut eis taleas imponere, eorumque bona diripere, præcipuè in favorem Turcarum. Et hoc habetur *in Constit.* Pii V. 56. in ordine incip. *Licet omnibus*, editâ 1571. in favorem Christianorum, in Turcarum Terris habitantium, post partam victoriam Navalem ab armis conjunctis Summi Pontificis, Philippi Secundi Hispaniarum Regis, & Reipublicæ Venetæ, ne occasione belli illi Christiani, habitantes in Terris Turcarum, malè à Christianis, eas hostiliter invadentibus, tractarentur. 13

Infero secundò, Christianos degentes in Terris Turcarum, spontè procedentes ad bellum contrà Christianos, incurrere excommunicationem Bullæ Cœnæ; cùm sponte adjuvent Christiani nominis Inimicos in Christianorum perniciem. 14

Infero tertiò, licere Christianis contrà Christianos Turcarum subditos, si sunt Hæretici, aut Schismatici; & in particulari constat notoriè tales esse, omnes illas exercere actiones belli, quæ licent contrà hostilem Principem, ut est occidere, devastare, &c. 15

Infero quartò, licere tantùm per accidens, & præter intentionem in bello, sive conflictu occidere innocentes, quando scilicet hostes aliter expugnari non possunt, nisi etiam cum nocentibus innocentes occidantur. Ita Sayr. *in Clav. Reg. lib 7. cap. 13. sub num. 6.* Sylvest. *v. bellum 1. q. 10.* & alii; at nunquàm per se, & ex proposito, etiam si Infideles sint, juxtà ea, quæ docet Molin. *tom. 1. de just. tract. 2. disp. 106.* Zech. *p. 1. suæ sum. cap. 18. de bello, num. 6.* 16

Infero quintò, Christianos Turcarum subditos teneri in solidum ad reficienda damna, si sponte ad bellum injustum accedunt; & in illo ita juvent, quòd sine illis bellum non fieret; vel simul conveniant ad faciendum insultum, aut rapinam; cùm in tali casu, omnes sint principales: Secùs verò, si absque eis bellum adhuc fieret: Tunc enim non tenerentur nisi de damno, quod inferunt, sermone, aut opere. Ita Sylv. *in sum. v. Bellum 1. q. 10.* Duardus, *in cap. Omnis utriusque sexus, disp. 17. sect. 4. num. 1.* & Navar. *in Enchir. cap. 17. sub num. 20.* qui pro æqua damnorum restitutione hanc ponit regulam; nempe quòd juvans facientem delicta, tenetur ad restitutionem totius damni per facientem illati, si fuit causa, sine quâ nihil damni fuisset illatum, vel partis tantùm; si fuit solùm causa, sine qua non fuisset illa pars damni illata, quamvis reliquum fuisset causatum, vel illius solùm, quod ipse recepit; si non fuit causa, sine quâ non fuisset totum damnum illatum: Vel ad nihil tenetur, si absque illius ope totum damnum inferretur, & nihil ad eum perveniret. Quam regulam, seu distinctionem Confessarii sedulo adnotare debent, ut sciant, quando debeant Pœnitentes 17

tentes onere restitutionis gravare, & quando ab eodem absolvere: Quos tamen censurâ dignos minimè putarem sequentes opinionem Adriani, gravissimi Auctoris, *in 4. de restit.* §. *De currentibus cum fure*, ubi tradit auxiliatorem, & opem maleficio, & damno præstantem, tantummodò teneri ad restituedum id, quod ad eum pervenit, & non plus; si delictum factum fuisset, vel damnum latum fuisset, quamvis ille eam opem non tulisset.

XXXII. DIFFICULTAS.

An recuperatio Terræ Sanctæ sit justa causa, quâ possit Summus Pontifex concedere Indulgentias Militibus, contrà Saracenos, qui illam illicitè possident, bellaturis.

1 NOtandum primò, Papæ judicium cœleste arbitrium appellari, ut per Tex. *in l. 1.* in fin. *Cap. de Summa Trinit. & Fide Cath.* & de Papa dici, jura omnia in scrinio pectoris sui habere. *Cap. 1. de constit. in 6.* seu omnium jurium habere notitiam explicat, & Tradit Tiraq. *de nobilit. cap. 31. num. 537.*

2 Notandum secundò, non esse dubitandum de ipsius summa Pontificis potestate; cùm de ea disputare sacrilegii instar sit, *l. 2. Cod. de crim. sacrileg.* & tradunt Dec. *in cons. 588. num 2.* Cravet. *in Cons. 341. num. 2. & 3.* Soc, & alii Jurisconsulti, & Canonistæ.

3 Notandum tertiò, Indulgentiam esse nomen æquivocum, quod apud Authores profanos significat quamdam lenitatem, præsertim parentum erga liberos: Sed hîc sumi, prout significat relaxationem pœnæ temporalis pro peccatis actualibus, à legitimo Superiore concessam ex Thesauro Ecclesiæ, legitimâ causâ existente, ut tradunt communiter Doctores contrà Lutherum, asserentem, Indulgentias his, qui veraciter eas consequuntur, non valere ad remissionem pœnæ pro peccatis actualibus debitæ apud Divinam Justitiam: Quem errorem, qui est 19. in ordine damnavit Leo X. in sua Consti. 40, *Exurge*, Quodque clarè explicat Molfesius, *in summa, p. 1. tract. 7. cap. 26. à num. 34. usque ad n. 54.*

4 Notandum quartò, in Ecclesia DEI esse potestatem concedendi Indulgentias; quod est certum de fide, ut habetur in Trid. *Sess. 25. in Decreto de Indulgentiis.* Incip. *Cùm potestas conferendi Indulgentias à Christo Ecclesiæ concessa sit*; & optimè probat ex locis Sacræ Scripturæ, & plurimorum Doctorum authoritatibus, Molfesius, loc. cit. *num. 24.* Et has Indulgentias sumi de Thesauro Ecclesiæ, nempe ex meritis Christi, & etiam ex meritis Sanctorum, quæ ingrediuntur in Thesaurum Ecclesiæ, Leo X. *de Const. 40. Exurge, &c.* quod est commune apud Catholicos: Siquidem Dominus noster JESUS Christus etiam unius guttæ sanguinis effusione satis ultra condignum satisfecit pro totius Mundi peccatis; ejusque copiosa Redemptio Thesaurum inexhaustum Ecclesiæ fundavit. Sanctissima Virgo Mater DEI nunquàm venialiter peccavit, & multùm meruit. Plures Animæ Sanctæ plus satisfecerunt, quàm ipsæ deberent: Quapropter in Extravag. *Unigenitus, de pœnit. & remiss.* hæc habentur. „Ad cujus quidem Thesauri cumulum Beatæ DEI Genitricis, „omniumque Electorum, à primo Justo usque „ad ultimum, merita adminiculum præstare no„scuntur, &c. Ita etiam habetur ad *Colost. 2.* & alibi, ut ostendunt Suarez, Reginal. Maldon. Coninch. & alii apud Molfes. *in sum. p. 1. tract. 7. cap. 26. num. 45.* & ideo Leo X. meritò in Const. XL. damnavit inter cæteros articulum 17. Lutheri; qui est: *Thesauri Ecclesiæ, undè Papa dat Indulgentias, non sunt Merita Christi, & Sanctorum.*

Notandum quintò, potestatem concedendi Indulgentias, quoad plenarias, adesse in solo Pontifice; & quoad alias particulares Indulgentias esse in Episcopis. *Cap. Cùm ex eo, de pœnit. & remiss.* Concil. Later. IV. *Cap. 62.* Et ita communiter DD. quorum aliqui tenent, facultatem concedendi Indulgentias aliquas subditis, quibus præsunt, habere Episcopos de jure Divino, & de jure humano esse determinatam: Alii verò putant, hanc facultatem concedi Episcopis jure humano. 5

Notandum sextò, non approbari communiter differentiam, quam ponunt inter Indulgentiam plenariam, pleniorem, & plenissimam, Palud. & alii, ut hæc sit majoris efficaciæ, & sic de aliis; cùm hæc sint quædam nomina, quæ de stylo Romanæ Curiæ solent exprimi in diplomatibus Indulgentiarum: Cæterùm in effectu idem sunt; nam Indulgentia plenaria totam pœnam remittit, & sic in effectu est plenior, & plenissima, ut habetur ex Bellarmin. *lib. 1. de Indulgen. cap. 9.* Coninch. *disp. 12. num. 28.* 6

Notandum septimò, Indulgentiam prodesse Christianis viatoribus, charitatem habentibus, & facientibus opera præscripta ab illam concedente. Et est communis Doctorum sensus; & habetur *in Cap. Quod autem, de pœnit. & remiss.* 7

Notandum octavò, ad concedendum Indulgentias requiri causam legitimam; alias non subsisteret Indulgentia; quia Indulgentia est dispensatio, seu applicatio Thesauri Ecclesiæ Fidelibus: Et ad quamvis dispensationem requiritur causa legitima. Coninch. loc. cit. *num. 3.* D. Anton. Valentia, Maldon. & alii, quos recenset, & sequitur Suarez, *tom. 4. disp. 54.* 8

Notandum nonò, Regnum quod fuit in nostra potestate, & nunc ab Infidelibus occupatur, posse à Summo Pontifice aliis concedi, Bart. *in l. liber homo, ff. de verb. oblig.* & à nobis, alibi juribus, & DD. auctoritatibus probatum est. 9

His cum aliqua prolixitate, id materiâ exigente, adnotatis: Ad difficultatem propositam, an occupatio Terræ Sanctæ sit justa causa, qua possit Summus Pontifex concedere Indulgentiam Militibus, adversus Saracenos, illam illicitè occupantes, bellaturis, videtur negativè respondendum; cùm causa justi belli non sit diversitas Religionis, ut asserit Franc. à Vict. *Relect. 6. de jure belli, num. 10.* nec sit licitum bellare contrà Saracenos; quia dicit Gloss. quòd quando non perse- 10

persequuntur Christianos, nec Christiani possunt illos bello impetere. Deinde Legislator, *l. Christianis*, *Cod. de pagan. & sacrif.* præcipit, quod eis quiete degentibus, nulla debet fieri molestia. Et denique dominium, jurisdictio unius super alterum, quod spectat ad jus, seu beneficium naturæ, non subtrahitur alicui propter peccatum: Et successivè; si non licet bellare contra Saracenos, neque justa erit causa concedendi Indulgentiam Militibus contra illos bellaturis.

11 Veritas tamen est, recuperationem Terræ Sanctæ justam esse causam Indulgentias concedendi Militibus, adversus Saracenos, illam illicitè possidentes, bellaturis. Innoc. *in cap. Quod super, num. 7. de voto.* Turrecrem. *in cap. Dispar, causa 23. q. 8.* Graff. *p. 2. decis. lib. 2, cap. 20. de bello, num. 17.* & alii.

12 Moveor primò juribus, *in l. ut vim, ff. de just. & jur.* ubi dicitur, quod quis in sui defensionem facit, justè fecisse existimatur; *& in de cap. Dispar, causa 23. q. 8.* ubi habetur, licitum esse pugnare contra Saracenos; cùm ipsi pugnent contra Christianos aut actu, aut habitu, & Concil. Lateran. IV. *in Decreto expeditionis pro Terra Sancta*, ex quo patet, concedi Indulgentiam plenariam iis, qui vadunt in Terram Sanctam contra Turcas, & eis, qui ipsos juvant Eleemosynis, si confessi, & contriti sunt.

13 Moveor secundò rationibus: Nam Summus Pontifex concedendo hujusmodi Indulgentias, intendit tollere Machometi cultum, ut Christus colatur. Tum etiam, quia Christus, ex cujus meritis sumuntur Indulgentiæ, in Terra Sancta natus est, habitavit, & mortuus est; & ideò illius recuperatio, ut incolatur à Christianis, est legitima causa concedendi Indulgentias. Deindè, ut causa justa & honesta sit, tria requiruntur, ut asserunt Canonistæ, & Jurisperiti, inter quos Menochius, *in consil. 75. num. 35.* nempè quòd secundùm æquitatem licita sit: Quòd conveniens sit secundùm honestatem; Quòd expediens sit secundùm utilitatem; quæ omnia verificantur in concessione indulgentiarum, factâ Militibus, adversus Saracenos illicitè Terram Sanctam occupantes, bellaturis, ut consideranti patet. Postremò, causa in Principe præsumitur justa, quando ex motu proprio procedit, sic Jas. *consil. 105. num. 4. vers. secundò respondetur*, *lib. 1.* Rom. *consil. 436. col. 5. vers. respondeo*; & præsertim in Pontifice, qui est super omnes Principes, & cujus judicium cœleste arbitrium appellatur, ut vidimus in primo Not. & omnia jura habet in pectore, & successivè cognoscit, quod facere potest.

14 Moveor tertiò exemplo, in tot Pontificibus, in historiis Ecclesiasticis, & præcipuè in Annal. Baronii relatis, qui bellum istud, pro Terra Sancta recuperanda, approbando, Reges, & Principes ad opus tam sanctum, & pium inducendo, & exhortando, eis concedendo multa subsidia, largas Indulgentias, & alia spiritualia bona, bellare volentibus concesserunt; Atque adeo censentur ad ejusmodi largitionem justè moti.

15 Concludimus igitur, cùm bellum tendat ad Fidei Christianæ, & Ecclesiæ Catholicæ dilationem, nempè ad recuperationem Terræ, quâ Ecclesia fuit injustè spoliata; & quam JEsus Christus Dominus noster suâ Nativitate, Habitatione, & Morte sanctificavit, justè moveri Summum Pontificem bona spiritualia, & largas indulgentias largiendo Militibus, contra Saracenos, illam Terram injustè possidentes, bellaturis.

Ad rationes in contrarium respondemus; ad primam, transmittendo, citrà veri præjudicium, diversitatem Religionis non esse causam justi belli: Sed dicimus bellum, quod geritur pro recuperanda Terra Sancta, contra Infideles moveri, non quâ Infideles; sed quâ injustos illius Terræ possessores. 16

Ad secundum, respondet Graff. loc. cit. *num. 16.* non esse verum, quod dicit Gloss. allegata, quia Saraceni licet actu non impugnent Christianos, creduntur tamen habitu eos velle impugnare, si eis opportunitas impugnandi repræsentetur: Undè meliùs est prævenire illos, quàm præveniri ab eis, & ante tempus occurrere, quàm post causam vulneratam remedium quærere, ut per Text. *in l. fin. Cod. in quibus causis rest.* 17

Ad tertiam, respondetur, legem loqui de his Saracenis, qui non creduntur habitu velle contra Christianos pugnare, & qui Christianorum Terras non occupant; unde isti, si velint nostra reddere, quæ occupant, sentirem & ipse ego cum Turrecrem. loc. cit. adversùs Saracenos non esse à nobis bellandum; & ideò, donec restituant Terram Sanctam, & cætera, quibus spoliati sumus, si bellabunt contra ipsos Christiani, justissimum erit bellum. 18

Infero primò ex dictis, licitum esse bellum, quod movetur contra Saracenos, in quovis loco fiat; cùm non sit locus, quem ipsi occupant, in quo nomen Christi non fuerit laudatum, & cultum. Ita Turrecrem. loc. cit. propterea dicit Hostien. quòd non erit potestas, nec jurisdictio, nec dominium apud Infideles; quod alii negant. Omnes tamen debent concedere, Turcas, & Saracenos, aliosque Infideles, nullam habere jurisdictionem in Terris Christianorum, quas modò injustè occupant. 19

Infero secundò, non esse Turcis, & Saracenis indulgendum, quamvis aliquando quietè vivant, & sint in pace, & Christianis non sint molesti; quia semper præsumi potest, & verisimiliter timetur, quod in futurum valint pacem perturbare, & habetur *ex cap. Noli, causa 23. q. 1.* in fin. 20

Infero tertiò, illicitum esse bellum contra Judæos; quia Judæi non sunt Terrarum nostrarum possessores, nec invasores, nec hostes nos impugnantes, sed servi nostri; unde si quietè vivunt, non sunt inquietandi. 21

Infero quartò, licitam fuisse concessionem Regni Jerusalem, factam à Summo Pontifice Catholico Hispaniarum Regi; Et ideò meritò, & justè quemlibet Hispaniarum Monarcham dici Regem Jerusalem, tradit Molfes. *in sum. p. 2. tract. 12. cap. 5 num. 41.* 22

Infero quintò, licitam, & prudentissimam esse electionem, quam faciunt Summi Pontifices Episcoporum in Terris, ad jus Christianorum pertinentibus, sed nunc Infidelium ditioni ... injustè 23

injustè subjectis, ut tradunt Bald. & Angel. *in l. liber homo, ff. de verb. oblig.* Qui Episcopi dicuntur Titulares, & in partibus, nam curam animarum non habent.

24 Infero sextò, ad lucrandam Indulgentiam esse adunguem adimplenda opera in Diplomate præcepta; quia Indulgentia operatur juxtà voluntatem Concedentis, declaratam in Bullâ, seu Concessione: Forma autem concessionis est conditionata, ut adimpleantur opera præcepta in ea; Et conditione non positâ, actus impeditur.

25 Infero septimò, in dubio præsumi Indulgentiam concessam cum justâ causâ; undè temere se gerere illos, qui Summorum Pontificum Indulgentias aut damnant, aut parvipendunt; cùm Summus Pontifex possit habere causas justissimas concedendi Indulgentiam, à nobis ignotas; Ut tradit Coninch. *disp. 12. n. 36.*

26 Infero octavò, ad tutè lucrandam Indulgentiam, opus injunctum esse non solùm adimplendum, sed devotè adimplendum, ut Bulla mandat: Unde ex defectu devotionis plures non lucrantur Indulgentias plenarias, licet faciant opus præscriptum in gratia. Ita notat Coninch. *disp. 22. sub num. 34. §. Sequitur tertiò.* Molf. *in sum. p. 1. tract. 7. cap. 26. n. 52.*

27 Infero nonò, Indulgentiam esse remissionem omnis pœnæ injunctæ, scilicet in Sacramento pœnitentiæ; & non injunctæ, ut habetur *in d. Extravag. Unigenitus, de pœnit. & remiss.* & est sententia communis, ut notat Molf. loc. cit. *num. 39.*

28 Infero decimò incidenter, Indulgentiam non prodesse pro peccato originali; cùm includatur culpa primi Parentis, ob quam omnes nascuntur filii iræ; nec pro peccatis ante Baptismum commissis; quia existentibus extrà Ecclesiam non possunt prodesse merita Christi, ut fides docet: nec Beatis, qui Gloriâ cœlesti fruuntur; non enim indigent satisfactione; cùm nullum habeant reatum pœnæ: Nec dæmonibus, aut aliis damnatis in Inferno; siquidem cùm non sint ampliùs Viatores, non sunt capaces remissionis culpæ, esto habeant reatum pœnarum: Tum quia alieni sunt à communione Fidelium; Præterquam quòd, Indulgentia, ut notavimus, pœnam tollit temporalem, non verò æternam; quæ per immutabilem DEI sententiam Indulgentiæ minimè subjacet. Neque obstat, quod narratur de Trajano, oratione S. Gregorii ab inferis liberato; cùm plures dicant esse fabulam; & qui fatentur, non esse à veritate alienum, asserunt, Trajanum ad tempus fuisse in inferno detentum; quia præviderat DEUS preces S. Gregorii, quibus remittenda erant peccata Trajano: Et sic de aliis brevitatis gratiâ omissis. Navar. *cap. 21. de orat.* Can. & alii, quos producit Jodoc. *in Thesauro novo Theologico, ver. infernus, num. 10.* relatus à Molf. loc. cit. *num. 74.* ibi addente, non sine tacita inspiratione Divina S. Gregorium cœpisse orare pro liberatione Trajani.

29 Infero undecimò, Indulgentiam per modum absolutionis differre ab Indulgentiâ per modum suffragii: Prima enim conceditur immediatè illi, in quo est habitura effectum; Secunda verò conceditur uni per applicationem alterius. Propterea Summus Pontifex concedit Vivis Indulgentias Mortuis in Purgatorio existentibus applicandas; Et quia Animæ illæ sub jurisdictione Ecclesiæ militantis minimè reperiuntur, ideò applicatio non fit per modum juridicæ absolutionis, sed per modum suffragii, nempe piæ, & certæ solutionis: Siquidem si persona privata potest satisfactiones suas Defunctis applicare, ob majoritatem rationis potest Ecclesia eisdem Defunctis applicare satisfactiones Christi Navat. *Notab. 22. de Indulgentiis*, Bellarmin. *in lib. de Indulgen. cap. 14.* & est communis Theologorum, & Canonistarum sententia.

Infero duodecimò, existentes in peccato mortali posse Indulgentiam, quæ conceditur per modum suffragii, lucrari pro Animabus existentibus in Purgatorio. Estò enim malus in peccato mortali existens, non possit suis operibus satisfacere pro se, aut pro alio principaliter; cùm opus satisfactorium ex opere operantis factum ab aliquo in persona propria, ad hoc ut prosit alteri ad satisfactionem, debeat procedere ab homine, existente in via, & qui sit gratus DEO, ut docent communiter DD. cum S. Th. *in 4. dist. 14. quæst. 5. art. 3.* Nihilominùs malus etiam in peccato mortali existens potest Indulgentiam lucrari pro Animabus Purgatorii, si faciat opus à Summo Pontifice præscriptum ad obtinendam Indulgentiam pro illis; tunc enim ipse non dicitur satisfacere in persona propria, sed ministerialiter tantùm facere opus, quo posito, Summus Pontifex applicat Animabus in Purgatorio existentibus indulgentiam, id est satisfactionem Christi, & Sanctorum: Indulgentiæ enim pro Defunctis suum habent valorem ex opere operato, & non dependent à gratia illius, qui Indulgentiam lucratur pro illis. Ita Suarez, *disp. 53. sect. 4. num. 5. & 6.* Tolet. *lib. 6. cap. 26. num. 5.* Reginald. *in praxi For. pœn. lib. 7. q. 4. num. 185. q. 5. num. 195.* Navar. *notab. 17. de Indulgentiis, num. 4. & notab. 19. num. 6.* cum pluribus aliis, contrà Angelum, verb. *Indulgentia, num. 21.* Bellarminum, Emmanuelem Sà, De Lugo, & alios, quorum sententiam tutiorem existimat Busembaus, *lib. 6. tract. 4. cap. 1. art. 2. §. 1. num. 10.* Ex quo uti superioribus manifestè constat, justè fuisse damnatum in Constantiensi, *Sess. 8.* articulum 42. Joannis Wicleff. qui est: *Fatuum est credere Indulgentiis Papæ, & Episcoporum*, & Constit. 42. Leonis X. inter cæteros, articulum 22. Lutheri, qui est; *sex generibus hominum Indulgentia nec sunt necessariæ, nec utiles, videlicet Mortuis seu Morituris, infirmis legitimè impeditis, his, qui non commiserunt crimina; his, qui crimina commiserunt, sed non publica, his, qui meliora operantur.* 30

31 Infero decimotertiò, Indulgentias per potestatem Ecclesiæ, à quâ fuerunt concessæ, revocatas, nullum ampliùs effectum habere, seu valorem, tam quoad Vivos, quàm quoad Mortuos, à tempore notificatæ revocationis: Revocatas, inquam, vel specialiter, & expressè, sive generaliter; ut quoties Summus Pontifex suâ Lege, seu Constitutione universali, omnes suspendit in toto Orbe Christiano Indulgentias, quod accidit, accedente Anno Sancto, Romam venientibus, & confessis, & contritis aliaque opera injuncta adimplen-

implentibus, tantummodò concedendas: Clem. VIII. *Const. 58. in addit. seu declarat. sequenti.* Urbanus VIII. *Const.* 16. *Omnes, in declarat. sequenti, extrà, de pœnit. &c. cap. Unigenitus:* Privilegium enim, quod gratis conceditur, uti est illud indulgentiarum, potest ad libitum, præsertim justâ interveniente causâ, revocari ab illud Concedente, ut tradit cum communi Doctorum sensu, Molfesius, *in sum. p. 1. tract. 9. cap. 12. à num. 73. usq. ad num. 86.* ubi explicat quomodo privilegium tollatur per non usum, per contrarium usum, per abusum, per concessionem secundi privilegii. Atqui privilegium, quomodocunque legitimè revocatum, est, ac si nunquàm fuisset. Hinc Alexander VII. meritò hanc propositionem damnavit. *Indulgentiæ concessæ Regularibus, & revocata à Paulo V. hodie sunt revalidata.* quæ est in ordine damnatarum 37.

32 Infero decimoquartò, Indulgentias à Summo Pontifice concessas, & non revocatas, etiam Defunctis prodesse: Joannes VIII. *Epist.* 144.

XXXIII. DIFFICULTAS.

An Milites, quando castrametati sunt propè Hostes, vel obsident aliquam Arcem, possint absolvi à quovis casu reservato, tanquàm constituti in articulo mortis?

1 NOtandum primò, articulum mortis, ut superius dictum fuit, dici, quando mors proximè instat per causam naturalem, aut violentiam; unde propriè appellari instans periculum mortis, in quo frequenter solet mors contingere; & prudenti suspicione timetur, quod arbitrio viri prudentis committendum est. Covarr. *in cap. Alma, Mater, p. 1. §. 1. num. 7.* ut quando infirmus, gravi morbo laborans, dat signa potiùs mortis, quàm vitæ; Vel quando quis per sententiam Judicis est suspendendus, aut capite plectendus, aut ab inimicis occidendus, aut in naufragio, incendio, prælii conflictu reperitur.

2 Notandum secundò, periculum mortis posse transire in articulum mortis, puta, si quis spontè susciperet bellum, vel malè ingrederetur: à principio enim diceretur in periculo mortis; & deindè in articulo mortis, si periculum mortis immineret. Duardus, *in Bullam Cœna, lib. 3. §. 2. q. 2. num. 3.*

3 Notandum tertiò, in articulo mortis quemlibet Sacerdotem, etiam non approbatum, posse ab omnibus peccatis, & censuris reservatis absolvere, vel jure Divino, ut traduut aliqui. Palud. *in 4. sent. dist. 20. q. 1. art. 2.* Covar. *par. 1. §. 6. num. 5. in cap. Alma Mater;* vel probabiliùs jure humano: Suarez, *de Censur. disp. 26. sect. 46.* Sotus, Valentia, Vasquez, *in 4. dist. 3. q. 3. art. 1.* dummodò tamen tunc non sit præsens Sacerdos approbatus, ut declaravit Sacra Congregatio Concilii quodam Decreto, relato à Nicolio, *in suis Lucubrationibus utriusque juris, lib. 5. tit. 39. sub num. 6.* tenoris sequentis. Custoditum sem„per fuit, &c. Congregatio censuit Sacerdotem „alloqui idoneum non tamen ad audiendas Confessiones approbatum, juxtà *cap. 15. Sess. 23.* non „posse validè à peccatis mortalibus absolvere „pœnitentem in articulo mortis constitutum, „ubi citrà mortis periculum haberi potest copia „Sacerdotis approbati: Et longè id minùs, si ipse „Parochus præsens id prohibeat, paratusque sit „Infirmi Confessionem audire, illumque absol„vere; nec ulla subsit causa Parochum ipsum re„cusandi. Et ratio videtur esse; quia ex Trid. reservatio aufertur solùm ad eum finem, ne ejus occasione quis in æternum pereat, *Sess. 14. cap. 7.* Atqui hujusmodi ratio, præsente approbato, cessat; & ideò non aufertur eo casu reservatio respectu non approbati, nec ei censetur concedi jurisdictio. Et facit Text. *in cap. Presbyter, causa 26. q. 6.* ubi dicitur, non esse à Sacerdote reconciliandum pœnitentem nisi absente Episcopo, ultima necessitas cogat: Ergò in præsentia Episcopi, vel alterius approbati, aut privilegium habentis, contrarium dicendum est. Quidquid dicat Diana, *p. 1. tract. 5. de absolutione ab hæresi, Res. 58.* ubi plures Doctores producit pro sententia contraria, cui ipse videtur adhærere.

Notandum quartò, licet articulus mortis, 4
secundùm aliquos Doctores, ut suprà diximus, strictè sumatur pro solo vero mortis articulo; qui tunc tantùm contingit, quando mors est in fieri, & ita certa, & proxima, ut moraliter certa sit, & quasi inevitabilis; tamen sumi pro eodem articulum, & periculum mortis. Ita Sanchez, *in oper. moral. lib. 2. cap. 13. num. 1.*

His adnotatis: Ad difficultatem propositam, 5
an Milites quando castrametati sunt propè Hostes, vel obsident aliquam Arcem, possint absolvi ab omnibus peccatis, & censuris reservatis, tanquàm constituti in articulo mortis, videtur negativè respondendum; nam damnati ad triremes sunt in periculo mortis, ut docent aliqui, & tamen non possunt absolvi ab omnibus casibus reservatis, tanquàm constitui in articulo mortis; Ergò neque Milites castrametati propè Hostes, vel obsidentes Arcem; cùm tantùm sint in periculo mortis. Præterea periculum mortis differt ab articulo mortis juxtà notata; & ideò constituti in periculo mortis non debent gaudere privilegio, quo gaudent ii, qui in mortis articulo sunt constituti: Quod patere videtur per Sacros Canones, si diligentia in illis discutiendis adhibeatur.

Veritas tamen est, posse absolvi Milites ca- 6
strametatos propè Hostem, aut aliquem locum obsidentes, utpote in occasione proxima pugnandi, quæ semper de momento in momentum expectari potest, ac proinde in periculo mortis constitutos, ut tradunt communiter DD. Glos. *in cap. pastoralis, v. præterquàm, de off. ordin.* Covarr. *in cap. Alma Mater, p. 1. §. 11. num. 8.* Molina, *tom. 4. de just. & jur. disp. 63. num. 4.* Sanchez, *lib. 2. sum. cap. 13. num. 9.* Duardus, loc. cit. Laym. *lib. 5. Theolog. moral. tract. 6. cap. 12. n. 13.* Sayr. *lib. 2. Thesaur. cap. 20. num. 28.* Alter. *de censur. lib. 1. disp. 6. cap. 6.* Ripa, *de actis in art. mortis, cap. 35. num. 1.* Trullench. *lib. 1. in Decal. cap. 3. dub. 7. num. 2.* & alii plures.

Moveor primò juribus, *in cap. Eos, de sent.* 7
excomm. in 6. ubi mortis articulus nuncupatur periculum mortis. Nam in eodem contextu,

nunc

nunc periculum, nunc articulus mortis appellatur & ex Text. *Si quis suadente diabolo, causa 17. quæst. 4.* ubi facultas absolvendi excommunicatum ob Clerici percussionem in articulo mortis extenditur ad mortis periculum; Atque adeò periculum mortis, aut timor mortis verisimilis videtur sufficiens ratio, ut Milites castrametati propè Hostes, aut Arcem obsidentes, possint per quemlibet, Sacerdotem absolvi ab omnibus peccatis, & censuris etiam Summo Pontifici reservatis.

8 Moveor secundò rationibus; Nam ex præcepto Divino de confitendo idcircò obligamur in mortis periculo, ut fusè probat Suarez, *de pænit. disp. 35. sect. 2. & 3.* quia talis confessio tunc censetur medium ad nostram salutem necessarium; & ideò eâdem ratione possunt Milites, positi in occasione proximâ pugnandi, per quemlibet Sacerdotem à casibus reservatis absolvi; cùm stante occasione proximâ confetendi manus cum hoste, sint etiam in periculo moriendi: Semper enim expositi sunt, ut ab ipso interficiantur: Et nemo scit, an ex illis unus sit in vita remansurus. Tum quia, si expectatur ultimus articulus mortis, seu ingressus conflictûs, ubi periculum mortis imminet, seu adest, periculum est, ne sine absolutione moriantur; quod DEUS non vult; quia vult omnes homines salvos fieri; neque Ecclesia ejus Sponsa pia Mater, quæ omnium Fidelium diligit salutem.

9 Moveor tertiò exemplo, in tot Militibus non solùm prælium ingressuris, sed tantùm prope Hostes castrametatis, qui, ut mihi asseruêre plures Exercituum Capellani, solent confiteri, & ab omnibus casibus reservatis absolvi etiam per quemlibet Sacerdotem, ut patet ex multis Decretis, *causa 26. qu. 4. cap. de his, & seq.* & novissimè ex Trid. *Sess. 14. cap. 7. de sacrum pænit.* attestante, hanc semper fuisse generalem Ecclesiæ consuetudinem.

10 Concludendum est igitur, cuilibet Sacerdoti licere absolutionem ab omnibus peccatis, & censuris reservatis impendere Militibus propè Hostes castrametatis, vel in conflictu positis, aliisque omnibus, sive in articulo, sive in periculo mortis constitutis; ita exigente in utrinsque pœnitentium necessitate, ex Ecclesiasticæ concessionis privilegio, ne absque remedio decedentes in æternum pereant.

11 Ad rationes in contrarium respondemus: ad primam negando cum Sanchez, & Duardo loc. cit. damnatos ad triremes esse in periculo mortis; quia hoc periculum non est proximum, & si aliquando contingat ob gravem tempestatem, & periculum imminentis naufragii: Nam Sacerdos esse solet in triremibus, periculantium confessiones excepturus, & sæpe triremes ad portum accedunt, in quo Sacerdotum est copia.

12 Ad secundam, respondemus concedendo, periculum mortis differre quidem ab articulo mortis in sensu strictiori, & in re; non verò quoad effectum absolutionis: Notavimus enim pro eodem sumi articulum, & periculum mortis; cùm in utroque adsit necessitas pœnitentis, & morale periculum moriendi sine remedio æternæ salutis, nempe absolutione: Quod confirmatur privilegio concesso à Pio IV. vivæ vocis oraculo Societati JESU, absolvendi per suos Confessarios à quibuscunque casibus, sicut in articulo mortis, illos, qui mittuntur ad triremes, ut refertur in Compendio privilegiorum dictæ Societatis, in verb. *Absolutio, §. 3.* Quod privilegium insertum est à Pellegrino in compendio privilegiorum nostræ Religionis, verb. *Absolutio, §. 2.* ubi *in schol.* eadem facultas extenditur quoad eos, qui reperiuntur in triremibus condemnati; cùm militet eadem ratio. Quidquid sit, an hoc privilegium fuerit à Sede Apostolica revocatum, nec ne; quod impertinenter se habet ad casum nostrum. Ex quo patet, hujusmodi condemnatos in re non dici in periculo mortis; aliàs hoc privilegium fuisset frustrà concessum.

Infero primò ex dictis; ab omnibus casibus reservatis posse absolvi per alium, quam per Reservatorem, illos, qui castrandos spontè se offerunt; supposito id esse, vel putari invincibiliter licitum, quod juxtà suprà à nobis dicta, falsum est; cùm dicantur subire periculum mortis, ut notat Duardus, *in Bullam Cœnæ, lib. 3. in §. 2. q. 2. num 2.* 13

Infero secundò, ab omnibus peccatis, & censuris reservatis posse absolvi per Confessarium ordinarium illos, qui in navigatione maris vehementer turbati reperiuntur: Adest etiam tunc periculum mortis, unde mors non rarò solet accidere. 14

Infero tertiò, prægnantes, quæ difficiles partus cum periculo mortis solent habere, posse absolvi ab omnibus reservatis. Sanchez, loc. cit. *num. 4.* Omnes prægnantes gaudere eodem privilegio asserit Syl. in verb. *absolutio 1. §. 10.* putans, quascumque prægnantes esse in morali mortis periculo constitutas. 15

Infero quartò, subditos, si præcipiantur ab eorum Principe ire ad bellum, vel longam navigationem subire ingressuros mare, vel ad bellum profecturos, posse absolvi à casibus reservatis etiam *Bullæ Cœnæ* per alium, quàm per Summum Pontificem. Secùs verò, illos qui spontè, & non coactè, ob propriam utilitatem, & non præceptum, volunt longam navigationem suscipere, aut ad bellum ire; cùm hi reverà non dicantur esse in periculo mortis ante ingressum certaminis, vel maris vehementer turbati. 16

Infero quintò, durante gravi tempestate, vi cujus hue, illucque navis impellitur cum periculo naufragii, posse absolvi ab omnibus peccatis, & censuris reservatis illos, qui in tali navi repeiuntur; cùm dicantur esse non solùm in periculo, sed etiam in articulo mortis. Ugol. *in explicatione §. 2. Bullæ Cœnæ, vers. nisi in mortis articulo.* 17

Infero sextò, innodatos aliquâ censurâ reservatâ, si reperiantur in India, vel in aliqua captivitate, aut, ut paucis verbis dicam, in eo statu, in quo, si tunc non absolvantur, non possint probabiliter ante mortem ampliùs habere copiam Confessarii, posse per quemcunque Confessarium absolvi; cùm iste casus in re ipsa, & moraliter loquendo, non sit diversus à periculo mortis, licèt dicantur esse extrà mortis articulum; Prætterquam quòd, dum habent copiam Confessarii, tenentur de jure Divino confiteri, ut probat Suarez, 18

Suarez, quem citat, & sequitur Duardus, loc. cit. *num.* 18.

19 Infero septimò, constitutum in probabili periculo incidendi in amentiam, posse absolvi ab omnibus peccatis, & censuris reservatis ab alio, quàm à Reservatore, quia periculum amentiæ est quasi periculum mortis; cùm factus amens nequeat confiteri. Zambran. *præludio* 1. fin. Tum quia, in eo periculo præceptum Divinum de confitendo obligat, ut probat Merina, *C. de pœnitent. tract. de confess. q. de tempore, quo confiteri oportet, casu* 1.

20 Infero octavò, gaudere eodem privilegio absolutionis damnatum ad mortem; ita ut lutrà paucos dies sit prosequenda executio: Item per loca periculosa, ubi fures, & banniti commorantur, coactè transeuntes: Et denique omnes illos, quibus quandocunque probabiliter arbitrio viri boni, & prudentis secutura est mors, sive ab extrinseco, sive ab intrinseco; quia tunc dicitur articulus, seu periculum mortis. Ita Sayr. *in Thesaur. lib.* 2. *cap.* 20. *num.* 28.

21 Infero nonò, in articulo mortis, si sit copia ejus, ad quem de jure pertinet absolutio, ad illum esse recurrendum; & in illo casu non posse quemlibet Sacerdotem absolvere, nisi defectu habentis potestatem. Sayr. loc. cit. *num.* 27. Sanchez, *Oper. moral. lib.* 2. *cap.* 13. *num.* 7. contrà quosdam asserentes, tunc posse absolvere simplicem Sacerdotem; etiamsi adsit proprius Sacerdos, seu alius Confessarius approbatus; cùm Trid. *Sess.* 14. *de sacram. pœnit. cap.* 7. ad finem, absolutè, & indistinctè dicat, omnes Sacerdotes eâ potestate gaudere in eo periculo. Diana, *p.* 11. *tract.* 5. *Miscell. Res.* 19.

22 Infero decimò, illum, qui in articulo mortis constitutus, absolvitur à casibus reservatis, & demum ab illa infirmitate reconvalescit, non teneri Superiorem adire, & iterum confiteri; nisi casus illi reservati, annexam haberent excommunicationem, in quam inciderit, si incolumis effectus, & habens tempus, non se præsentaret, ut habetur ex Tex. *in cap. Eos, qui, de sent. excomm. in* 6. & tradit Graff. *p.* 1. *decis. lib.* 1. *cap.* 13. *num.* 90.

XXXIV. DIFFICULTAS.

Miles vulneratus manens extrà Castra in Loco tentoriis vicino, curandorum vulnerum causâ, fecit Testamentum non servatâ dispositione juris Civilis, scilicet Testibus ad hoc non convocatis. Dubitatur, num hæres tutâ Conscientiâ adire possit hæreditatem?

1 NOtandum primò, militibus concedi jure communi plura privilegia, quæ continentur in Digestis, & Codice, *& instit. tit. de militar. Testam.*

2 Notandum secundò, inter privilegia, quibus milites gaudent, adesse remissionem formæ, & solemnitatis jure Civili introductæ in condendis Testamentis: Atque adeò in Testamento militari non requiri septem Testes, sed duos tantummodò, & in certis casibus, etiam nullum, ut appatet in *l. Lucius* 40. *ff. de Testam. milit. l. licèt inter* 19. *Cod. de pact.* & aliis juribus, quæ expressè militum Testamenta, etiam nullo teste formata, rata habent.

3 Notandum tertiò, nostram difficultatem non procedere de testamento coràm Imperatore facto, aut coram Rege, vel Principe alio, Superiorem minimè recognoscente: Siquidem hujusmodi Testamentum, absque alia solemnitate factum, esse validum clarè constat ex *l. omnium, Cod. de Testamentis, & ex l.* 5. *titul.* 1. *partis* 6. *legum Castella*, ut notat Molina, *tom.* 1. *de just. tract.* 2 *disp* 219. in princ. ubi dicit, à Julio Claro, §. *Testamentum, q.* 56. *vers. ante penul.* explicari, quando censeatur Testamentum factum coràm Rege.

4 Notandum quartò, Testamentum inventione esse de jure gentium, quamvis quoad solemnitatem sit de jure civili sic docet Martinus Laudensis *in tract. de Primogenitura*, secutus Bart. *in l. interdum, ff. de cond. indeb.* Card. Albanus, *Lucubrat. in rubricam, ff. de Testam. n.* 1. & 2.

5 Notandum quintò, militem posse testari tàm in Castris, quàm extrà Castra: Item in Castris, tàm in ipso belli conflictu, quàm extrà conflictum. Si testetur in Castris, in ipso hostium conflictu positus nullam formam, & solemnitatem in tali Testamento requiri egregiè probat juribus, & Doctorum auctoritatibus Molfesius, *in summ p. p.* 2. *tract.* 13. *cap.* 2. *n.* 56.

6 His adnotatis; ad difficultatem propositam, an miles vulneratus manens extrà castra, sed in loco tentoriis vicino, curandorum vulnerum causâ, si fecerit Testamentum, non servatâ dispositione juris Civilis scilicet, testibus non rogatis, Testamentum sit validum; unde possit Hæres institutus quoad utrumque Forum, internum, scilicet, & contentiosum, hæreditatem adire, affirmativè respondent Viglius, §. *Illis, autem temporibus, num.* 5. *instit. tit. de milit. testam.* Wesenb. *cons.* 17. *num.* 40. *p.* 17. & fundamentum eorum videtur esse Text. *Instit. de milit. Testam.* in princ. vers. *quoquo enim modo, & §. Planè*, ubi Justinianus Imperator generaliter constituit, ut militis Testamentum valeat ex sola ejus suprema voluntate quoquo modo ea inveniatur. Et Ulpianus *in l.* 1. in princ. *ff. de Testam. milit.* generaliter scribit, ratam esse militis voluntatem quoquo modo is testatus fuisset, & quòd sufficit ejus ultima voluntas. Præterquam quòd, Justinianus in dict. princ. *Instit. de milit. Testam.* remisit generaliter militibus in factione, & ordinatione Testamenti diligentem observationem; & ideò miles nullam tenetur Testamentorum solemnitatem observare. Ergò miles testando, ad hoc testibus minimè rogatis, validè testatur; cùm pro forma, duos rogatos testes adhibere sit solemnitas, *l. qui Testamento* 20. §. *Veteres, ff. de testa. & testa fac. pos.*

7 Fateor in hac opinione aliquam apparere probabilitatem: Contrarium tamen, quæ mihi verior, & probabilior videtur, libenter amplector, cum Glos. *in l. Divus, ff. de militar. Testam.* Julio Claro, §. *Testamentum, qu.* 58. *verf. Item quæro*, ubi dicit, hanc esse communem Doctorum sententiam. Molina, *tom.* 1. *de just. tract.* 2. *disp.* 24.

diff. 24. fall. 1. num. 12. Molfes. *in sum. p. 2. n. 57.* & aliis.

8 Moveor primò juribus, *in d. l. Divus Trajanus, ff. de militar. Testam.* ubi dicitur, quòd „ Militantibus datum est, ut quoquo modo facta „ ab his Testamenta rata sint dummodò convoca„ tis ad hoc hominibus declaret, quem velit sibi „ hæredem esse, & cui libertatem tribueret. Et favet Tex. *in l. Miles, Cod. de test. milit.* ubi Gloss. & omnes Doctores cum aliis cumulatis per Jul. Clar. loc. cit.

9 Moveor secundò rationibus, nam ut militis Testamentum sit validum, fieri debet juxtà jurium dispositionem, quæ in Testamento nostri militis locum non habet; cùm absint testes rogati, quos jure requirunt, ut patet in primo motu. Tum quia jura, militibus facultatem concedentia Testamentum faciendi quomodò velint, & quomodò possint, his favent tantummodò, dum in bellicâ expeditione, seu in castris reperiuntur, tam in ipso belli conflictu, quàm extrà conflictum; noster verò miles non in Castris, sed extrà Castra, ut supponimus, moratur: Ergò extrà Castra, quamvis possit validè testari, non observatâ solemnitate jure civili introductâ, invalidum nihilominùs erit ejus Testamentum, non adhibitâ solemnitate introductâ jure militari, seu non rogatis testibus, quos jura in Testamenti militaris sectione requirunt.

10 Moveor tertiò exemplo, in tot militibus, qui volentes extrà Castra testari, homines vocaverunt, coràm eis declarantes, quem volebant sibi hæredem esse, ut constat ex pluribus militum Testamentis, in diversarum regionum Officiis repertis, & per Notarios, quos circà hanc materiem consului, diligenter inspectis: & hanc esse praxim quotidianam testari sunt milites, in scientiâ etiam legali non parùm versati, quos pariter super hoc sedulò interrogavi.

11 Concludimus igitur, militem vulneratum, manentem extrà Castra, quamvis in loco tentoriis vicino, curandorum vulnerum causâ, si fecerit Testamentum, non servatâ dispositione juris Civilis, scilicet testibus non rogatis, hujusmodi Testamentum esse invalidum; & successivè hæredem institutum nullatenus posse quoad utrumque forum, nempe internum, & externum, hæreditatem adire.

12 Ad opposite respondemus: Ad primum, quod jura allegata, & alia debent intelligi, quando milites in bellicâ expeditione, seu in Castris testantur, non extrà Castra.

13 Ad secundum, & tertium, eodem modo respondetur; nempe, quòd generalis modus loquendi, quo utitur Ulpianus, & Justinianus, comprehendit omnes milites intrà Castra, non extrà existentes; quos uterque vult posse testari eo modo, quo volunt, & possunt; eorumque testamenta, quoquo modo facta sint, rata esse; quod utique, & nos cum communi Doctorum sententia libenter admittimus.

14 Infero primò ex dictis, validum esse Testamentum militis in bellicâ expeditione testantis cum duobus tantùm testibus, dummodò sint rogati, etiam fœminis, omnibus deficientibus masculis; cùm hoc sufficiat tempore pestis, ut tenet Cro, *in tract. de testibus, p. 1. num. 21.* Molan. *de piis testam. cap. 83.* Alex. *in l. scriniarios, de testam. milit.* Laym. *lib. 3. tract. 4. cap. 2. num. 17.* Henric. Bocer. *tract. de bello, lib. 1. cap. 26. n. 14.* Thesaurus, *decis. 18*, contrà Gem. Rip. & alios; Tempus enim belli, & tempus gravissimæ pestis æquiparantur; Et ratio videtur esse, quia tàm tempore belli, quàm tempore pestis jus gentium tantummodò observetur.

Infero secundò, requiri quidem duos testes rogatos pro militis Testamenti validitate, sive masculos, sive fœminas; at in hujusmodi Testamento solemnitates de horum testium subscriptione, eorumque appositione non esse simpliciter necessarias, ut patet in *Instit. de Testam. milit.* neq; requiri, ut testes sint in conspectu Testatoris; neque requiri testes toti Testamento, ejusque singulis, atque universalibus partibus interesse; sed posse ante perfectum Testamentum alios testes subrogeri, ut docet Henricus Bocerus, *in suo tract. de bello, lib. 1. cap. 22. num. 19*, Vasquius, *tract. de succ. creat. §. 14. num. 53.* 15

Infero tertiò, milites absentes per modicum tempus à Castris etiam ex legitima causa, & cum proposito statim revertendi; isto possint aliis privilegiis gaudere; nihilominùs si tempore absentiæ testantur absque testibus rogatis, invalidè testari & favet Tex. *in l. qui mittuntur 35. § fin. & in l. miles 34.* in princ. *ff. quibus ex causis major.* Contrarium tenet Baver. *in Instit. de milit. testam*, in princ. *num. 10. §. Sed hactenùs*, ubi limitat; dummodò tamen reverti velint, & modò domi non sint; Cujus fundamentum est, quia quemvis miles absit, seu sit extrà Castra, gaudet nihilominùs militum privilegiis, quæ locum habent, non solùm in existentibus actu in Castris, sed etiam in iis, qui vacant armis, & parati sunt pro Republice arma sumere, & pugnare; cùm privilegium militare duret quandiù milites qualitetes militiæ habent; & miles, qui ex justa causa abest, præsens esse dicatur, dummodò animum habeat revertendi, & per eum non stet, quòd non maneat, juxtà *l. Si quis ita 8. ff. de condit. & demonst.* 16

Infero quartò, quod quamvis surdus, & mutus à natura jure communi neque possit testari, neque Codicillos, & fideicommissum delinquere, neque causâ mortis donare, *l. discretis 10. Cod qui testam. fac. poss. l. qui in potestate 6. §. 1. l. seqq. ff. eod. tit.* tamen miles amisso sermone, & auditu in militia, jure, & privilegio militari testari potest, ex *l. 4. ff. de Testam. milit.* dummodò degat in Castris. Sic etiam tradunt Enenkhelius, *de privileg. milit. lib. 1. privileg. 16. num. 28.* Villalobos, *in sum. tom. 2. tract. 30. diff. 3. num. 11.* Molina, Cad de Lug. loc. cit. 17

Infero quintò, militi licere, morte sibi in bello imminente, testari eo modo quo potest, nempè verbo tenus, vel proprio sanguine, vel quovis alio modo, scribendo suam ultimam voluntatem in clypeo, in vagine, in ense, & in quavis alia materia, etiam in terra, nullo adhibito teste; Esse tamen tunc manum approbandam à duobus testibus rogatis, & omni exceptione majoribus, habetur ex *l. milites, Cod. de Testam. milit* & tredit Molina, loc. cit. cum communi Doctorum sensu, qui ex Tex. *in l. Tribunus, ff. de milit. Testam. & in l. 1. de bonorum possess. ex Testam. milit.* 18

Idem

idem probant in omnibus, qui tempore conflictûs Testamentum facerent in Castris, ut eodem fruantur privilegio; cùm eadem sit ratio.

19 Infero sextò, militem testantem in Castris, sed extrà hostium conflictum existentem, ut vulgò dicitur, *nel Campo, all'allogiamento*, pergente scilicet exercitu, vel in tentoriis permanente, teneri voluntatem suam coram duobus testibus specialiter rogatis declarare: Nam quamvis militum Testamenta juris civilis vinculis non subjiciantur; tenentur tamen milites in hoc casu servare solemnitatem juris gentium, & divini, quo disponitur, ut in ore duorum, vel trium testium stet omne verbum: Et ita etiam docet ex juribus, & DD. auctoritatibus, Molfes. loc. cit. *num. 57.*

20 Infero septimò, extrà bellicam expeditionem eandem requiri solemnitatem in Testamento militum, quam jura requirunt in Testamentis aliorum, Molina, loc. cit. in fin. ubi, §. *Omnes*, dicit, gaudere privilegio militari ad Testamenta conficienda omnes, etiam non milites, qui in Castris reperiuntur, modò in loco hostili sint: Secùs verò extrà locum hostilem existentes; & adducit Text. *in l. 1. ff. de bonorum possess. ex Testamento militis*, Bart. quoque & Gloss. ult. *in l. scriniarios, Cod. de Testam milit.* & Jul. Clar. §. *Testamentum, q. 15.*

21 Infero octavò, Testamentum jure militari factum in expeditione belli esse quidem validum, si miles testator intrà annum, postquam à bello est reversus, decedat: Secùs verò, si elapso anno mors ei contingat; quia annullatur, cùm tempus habuerit aliud Testamentum faciendi; & in illius factione servandi dispositionem juris communis, *l. in fraudem, §. pen. ff. de milit. Testam.*

22 Infero nonò, gaudere privilegiis militaribus in suis testamentis Milites limitaneos; illos scilicet, qui in hostium finitimis locis ad repentinas illorum incursiones reparandas intenti sunt; & favet *l. 2. §. pro limitaneis, Cod. de Off. Praef. Praetor. Africa: l. ult. Cod. de offic. militar. Judic.*

23 Infero decimò; eodem militari privilegio in testamentis suis gaudere Milites stationarios; illos videlicet, qui ad defendendam alicujus provinciae quietem aluntur, *l. 1. §. quies quoque popularium 12. ff. de Off. Praef. Urb.* Contrarium sancit Gail. *lib. 2. observat. 118. num. 13.* Jas. *cons. 6. num. 20.* cum aliis asserentibus, Milites istos, & etiam limitaneos non posse jure militari testari; cùm sint extrà pericula belli, & copiam habeant Peritorum.

24 Infero undecimò, posse validè jure militari testari eos, qui in Turcarum ditione versantur, quamvis Milites non sint; & successivè in eorum testamento non requiri septem testes, sed sufficere duos, ut per Tex. *in l. ult. ff. de testam. milit.* & hoc etiam tradit Card. Albanus, *in Lucubrat. in Bart. in l. 1. ff. de cond. indeb. num. 5. & in Lucubrat. in Rubricam, ff. de testam. num. 1.*

25 Infero duodecimò incidenter, testamentum exceptum tempore pestis à Parocho, praesente unico tantùm teste, validum esse, dummodò uterque, ut testis apud Judicis Officium deponat, talem fuisse aegrotantis voluntatem. Contrarium sentiunt alii, asserentes in testamento tempore pestis confecto, septem, vel saltem quinque testes requiri, dicentes tamen, non esse necessè, ut sint simul omnes, sed sufficere, si ex intervallis interveniant, puta, hac hora duo; sequenti hora iterum duò; dein unus, donec numerus septenarius, vel quinquenarius fuerit completus; Adducentes pro eorum opinione, quam minimè reprobamus, Tex. *in l. Casus 8. Cod. de testam.* ubi Legislator rescribit tempore pestis aliquid de solemnitatibus relaxatum esse in testamentis: Asserentes, hanc relaxationem circà testium eodem tempore conventionem versari.

Infero decimotertiò pariter incidenter, milites surdos, & mutos, etiam extrà bellicam expeditionem, posse per solos nutus testari ad pias causas; cùm hoc facere possit quilibet mutus, & surdus, ut docet Dicastil. *lib. 2. tract. 19. disp. 1. dub. 12. num. 134.* Molin. *tom. 1. de just. tract. 2. disp. 136.* de Lugo, *tom. 2. eod. tit. disp. 24. sect. 4. num. 68.* & ratio etiam videtur esse, quia Testamentum surdi & muti est validum jure naturali: Jus verò positivum civile in piis causis locum non habet. Unum tantummodò hìc advertimus, ad validitatem Testamenti facti à milite surdo, & muto, debere omninò constare per signa certa, quae noti, & periti homines poterunt interpretari, ipsum sic voluisse testari; seu suam voluntatem declarare. 26

Infero decimoquartò etiam obiter, si in Testamento, sive militis, sive alterius plures testes interfuissent, & aliqui, puta, duo, si sunt septem, ex his negant se interfuisse, hujusmodi Testamentum non sustineri, neque in vim Codicillorum, quando apposita, aut non apposita fuit in eo clausula Codicillaris. Ita etiam Card. Albanus *in Lucubrat. in Bart. in l. 1. ff. de cond. indeb.* addens rationem, quia ex quo duo ex testibus necessariis contradicunt, fides non fit de contentis in eo. 27

Infero decimoquintò, quòd licet testes in Testamento debeant esse rogati, *l. haeredes palàm, § In Testamentis, ff. de Testam. & l. hac consultissima*, in princip. *Cod. eod. tit.* tamen satis est, ut Testamento perfecto, atque absoluto incontinenti rogentur; nam idem operatur, quod incontinenti suppletur, ac si eodem tenore, & contextu esset factum, per *l. petens, Cod. de pact.* sic etiam Bald, *in l. ult. col. 2. vers. modò circà testes, Cod. de fideicom.* Jas. *in l. in principalibus, col. 4. vers. secundò quaero, ff. si cert. pet.* Tiraq. *de retract. convent. glo. 5. num. 9.* 28

XXXV. DIFFICULTAS.

An Milites possint in Bello Sanctorum Reliquias subtrahere de loco, ubi sunt, causâ devotionis, sine peccato, & onere restitutionis.

NOtandum primò, Reliquias Sanctorum esse venerandas, illisque honorem praestandum: Ut est definitum in Concilio Grangen. *Can. 5.* & in septima Synodo Generali, *art. 7.* in Brachar. 3. *Can. 5.* in Lateranensi, *C. 62.* & Concil. Constantiensi, *Sess. ult.* Concil. Mogunt. IV. *C. 43.* Concil. 1

Trident.

Trident. *Seff. 25.* In Decret. *de Invoc. venerat. & Reliquiis Sanct.* unde nemini Catholicorum dubium esse potest, hoc esse Sanctissimum.

2 Notandum secundò, Sanctorum Reliquias esse Carnes, Ossa, Dentes, Capillos, Ungues, Cineres, Vestes, & alia, quæ ipsos in vita, vel post mortem tetigerint, & ad ipsos pertinuerint; Ut præter DD. experientia docet.

3 Notandum tertiò, adorationem, quæ Sacris Reliquiis fit, non differre ab ea, quæ tribuitur Personæ, cujus sunt Reliquiæ; quia non adorantur propter virtutem, & excellentiam, quam habent, sed propter relationem, quam habent ad personam, cujus sunt Reliquiæ: Cùm enim sint res inanimatæ, capaces minimè sunt ratione sui submissionis, & honoris. Vasq. *de adorat. lib. 3. disp. 4. cap. 2*

4 Notandum quartò, Reliquias præsertim de novo Inventas non esse publico cultu venerandas, nec adorandas, nisi priùs à Summo Pontifice, vel Episcopo sint propositæ, & approbatæ. *De Reliquiis, & venerat. Sanctor. cap. Cùm ex eo.* Concil. Lateran. IV. *C. 62.* & juxtà Trid. *Seff. 25.* tit. alleg. cùm illicitum sit absque hac approbatione publica, publicum cultum illis exhibere. Azor. *Inst. moral. 1. p. lib. 9. cap. 8. q. 2.* Sanchez, Bonac. & alii, quos recenset, & sequitur Castropalaus, *p. 2. de adorat. & Sacrif. disp. 1. punct. 2 num. 4.*

5 Notandum quintò, cuilibet licere secùm portare Reliquias Sanctas: Dummodò piè, Religiosè, decenter, & ob finem honestum deferantur; quia hujusmodi delatio redundat in honorem, & cultum Sanctorum; & est in praxi apud viros pios, religiosos, & doctos; & nullo jure, aut Decreto, quod ego sciam, prohibetur.

6 Notandum sextò, Reliquias Sanctorum non esse à Populis tangendas: Gregorius I. *lib. 3. Epist. 30.* neque posse Immundos eas portare, vel osculari. Nicol. I. *ad consulta Bulgar. c. 7.* nec easdem facilè esse extrà capsam ponendas, vel ostendendas: *De Reliquiis, & venerat. Sanct. d. cap. Cum ex eo:* Præsertim si Reliquiæ sunt antiquæ. Concil. Lateran. IV. *C. 62.* Nec exponendas ad quæstum. Concil. Mogunt. IV. *C. 44.* Concil. Mediol. I. *tit. de Sanctorum Reliquiarum veneratione:* Et ignotas non esse venerandas, nec exponendas Concil. Turon. IV. *C. 16.* Concil. Mogunt. IV. *C. 43.* & incertas non debere cultui exponi: Gregorius I. *lib. 12. ex Regest. Epist. 31. c. 9.*

7 Notandum septimò, aliquos Principes Christianos in justo bello triumphantes summoperè cupere Sanctorum Reliquias ex devictis hostibus reportatas in suas transferre Regiones; ut Sancti, quorum sunt Reliquiæ, suorum habeant Regnorum Patrocinium, & illa ab Inimicorum incursu, aliisque infortuniis defendant.

8 His adnotatis; ad difficultatem propositam; an milites possint in bello Sanctorum Reliquias subtrahere de loco, ubi sunt, causâ devotionis, sine peccato, & onere restitutionis; affirmativè videtur respondendum cum Joanne Ferrando, *in disquisit. Reliquiar. lib. 1. cap. art. 3.* Fundamentum hujus opinionis videtur esse; quia inter Christianos omnia bona in bello justo capta ad capientes jure gentium pertinent, ut habetur *in l. si quid in bello, ff. de capt. postlimin. reverf.* & tradunt Alex. Aret. Jas. & alii *in l. 1. ff. de acquir. possess.* Reliquias verò Sanctorum inter bona enumerari certum videtur. Præterea Reliquiæ Sanctorum sunt Divinâ virtute Sacratæ: Et Sancta, & Divinâ virtute sacrata humanâ injuriâ violari non possunt per hoc, quod subtrahantur. Deinde quidquid fit causâ devotionis, non videtur esse peccatum. Subtractio verò Reliquiarum Sanctorum de loco, ubi sunt, videtur fieri devotionis causâ: Adeòque milites Reliquias subtrahendo de loco, ubi sunt, & eas asportando, non videntur peccare.

9 Hæc opinio videtur habere primo aspectu aliquem probabilitatis gradum: nihilominus oppositæ, quam veriorem, & probabiliorem esse arbitror, adhæreo cum Turrecrem. *in cap. Corpora, §. Ad tertium, de consecr. dist. 1.* Diana, *p. 10. tract. 16. & miscell. 6. ref. 74. & coordin. tom. 7. tract. 7. de bello ref. 27.*

10 Moveor primò juribus, *in d. cap. Corpora, de consecrat. dist. 1.* ubi prohibetur Reliquiarum Sanctorum subtractio, & translatio de loco, ubi sunt, absque Episcopi licentia: Et *in §. Sacra. Instit. de rerum divis.* ubi sancitum fuit, ne quis Sanctorum Reliquias distrahat.

11 Moveor secundò rationibus: nam Sacra, & Deo dicata hominum potestati non subjiciuntur. Tum quia Reliquiarum Sanctorum abstractio non est necessaria ad finem belli consequendum, vel pacem firmandam, ut ex se patet. Tum etiam, quia hujusmodi Reliquiarum subtractio fieri non potest sine injuria ipsorum, ad quos pertinent, & sine offensione Sanctæ Synodi Moguntinensis, quæ hoc constituit: Atque adeò peccant Milites, & quidem peccato sacrilegii, auferendo Sacrum de Sacro, seu de Ecclesia; vel Sacrum de non Sacro, seu de domo sæcularium.

12 Moveor tertiò exemplo, seu praxi: Scimus enim, quòd nullus ex Principibus, aut Ducibus ausus est manus in Sacras Reliquias apponere; quamvis ad eorum manus aliquæ Civitates justo bello devenerint, in quibus insignes Sanctorum Reliquiæ extabant.

13 Concludimus igitur, Militibus non licere in bello etiam justo Reliquias Sanctorum, aut furtivè, aut palam subtrahere de loco, ubi sunt; & præcipuè de Ecclesia, ubi asservantur, uno excepto casu, nisi essent apud Infideles absconditæ; aut adesset periculum, quòd Infideles eas caperent, & profanarent.

14 Ad rationes in contrarium respondemus: ad primam, quòd jura allegata loquuntur de bonis non exemptis, non verò de bonis sacris, DEO dicatis, quæ fini belli inservire non possunt.

15 Ad secundam, negando minorem: licet enim ille, qui subtrahit Reliquias, seu illas irreverenter pertractat, illis non noceat, tamen illas, sine licentia Superioris auferendo, peccat. Est enim peccatum præsumere Sanctorum Reliquas abstrahere contrà ordinationem præceptivam Concilii, à Sancta Sede Apostolica approbati, & confirmati.

16 Ad tertiam dicimus, quod omnis devotio debet rationabiliter, & citrà præjudicium, & injuriam Tertii exerceri; sublatio verò Reliquiarum non potest fieri sine alterius præjudicio, & injuriâ, videlicet Summi Pontificis, cujus authoritas contemnitur; & Domini vel Ecclesiæ cujus sunt; cùm Reliquiarum privatio, præcipuè violenta, sit valdè injuriosa, & afflictiva.

17 Infero primò ex dictis, bona Ecclesiæ, & Ecclesiasticorum Innocentum non posse in bello occupari; nisi aliquando per accidens; quia bona Ecclesiæ sunt patrimonium Christi. *Cap. Cum ex eo, de elect. in 6.* & tradunt vel & Dec. *in cap. Constitutus, de rescript.* unde sunt specialiter dedicata, & à jurisdictione sæculari exempta; & successivè ob delictum Civitatis occupari non possunt.

18 Infero secundò, non solùm Reliquias Sanctorum furtivè sublatas in bello, sed bona Ecclesiarum, aut Ecclesiasticorum innocentum, aut aliorum innocentum, qui partea non inont Reipublicæ, adversus quam bellum geritur, esse propriis Dominis restituenda, Molina, *tom. 1. de just. tract. 2. disp. 121. conclus. Tertiâ.*

19 Infero tertiò, Reliquias Sanctorum neque à Prælatis ipsis, neque propter necessitatem Ecclesiarum, posse, inconsulto Pontifice, alienari. Ita tenet etiam Diana, loc. cit. *n. 4. fin.*

20 Infero quartò, Reliquias Sanctorum, nec non & bona Laicorum, si tempore belli reponantur in Ecclesia ad custodiam non posse ex ea ab Inimicis victoribus extrahi. Ita piè tradit Castropalaus, *tom. 1. tract. 6. disp. 5. punct. 4. num. 18.* quam opinionem quoad bona Laicorum, in rigore non esse admittendam, quamvis sit satis pia, tradit Dicastillus, *de just. & jur. lib. 2. tract. 1. disp. 10. dub. 16. n. 403* §. 7. cui adhæret Diana, *p. 10. tr. 16. & 6. Miscell. Ref. 74.* asserentes, non multùm referre, quòd illa bona abscondantur in Ecclesiâ, dum jam cedunt in jus, aut dominium victoris.

21 Infero quintò, Sanctorum Reliquias distrahentem; aut Sacra, & Deo dicata hominum commercio exponentes, præter contractûs annullationem, ex *l. 3. Cod. de sacros. Eccles.* puniri etiam Judicis arbitrio: Ibi Bald. *n. 1.* Afflict. *in cap. 1. n. 23. In quibus caus. feud. amit. tit. 23.* Menoch. *tract. de arbitr. jud. lib. 2. cent. 3. cas. 282. n. 3.*

22 Infero sextò, committi furtum sacrilegum ab eo, qui Reliquias alterius, invito possessore, furatur. Ita etiam tenet Sylv. *v. Reliquiæ, qu. 2.* Philarchus, *de off. Sacerdo. tom. 1. 2. p. lib. 3. cap. 9.* Azor. *Instit. Moral. 1. p. lib. 9. cap. 8. q. 9.* Bonacina, & alii, qui limitant, dummodò quia eas non furetur ab Infidelibus; quia ii videntur eas injustè possidere.

23 Infero septimo, nemini licere furati alteri Ceteas formas, quæ Agni Dei nuncupantur à figurâ Agni ipsis impressâ; quibusque debetur cultus, & honor, sicuti debetur aliis rebus Sacris Deum repræsentantibus; quia tendunt in maximam utilitatem illas babentium: Propter enim orationes, & precationes Ecclesiæ in earum efformatione factas, multa, & larga beneficia conceduntur eas babentibus; ut est, tempestates sedare, incendia extinguere, aut saltem mitigare, fulgura, & flumina repellere, tentationes, & suggestiones dæmonum frænare, & reprimere. Ita Castropalaus, *de adorat. & sacrif. disp. 1. punct. 6. n. 22.*

24 Infero octavò, licere Clericis, qui sunt in minoribus Ordinibus constituti; imò etiam qui sunt primâ tonsurâ initiati, tangere Sacros Agnos Dei; cùm illis liceat Sacra Vasa, Purificatorium, Corporalia, & alia, quæ sunt consecrata, tangere. Ita Castropalaus loc. cit. *n. 24.*

Infero nonò, non Licere Laicis tangere Sacros Agnos DEI, sicut nec alias res Sacras; quia id vetitum eis videtur *in cap. Sacratas, 23. Dist.* Contrarium tenent Sanchez, *lib. 2. Decalog. cap. 43. n. 27.* & alii, asserentes, non peccare, nec venialiter, Laicos, fœminas, si hos Agnos reverenter tangunt; præcipuè si adsit aliqua necessitas, quia jam sic usus obtinuit. 25

Infero decimò, non licere Reliquias Sanctorum, quæ sunt perpetuæ sepulturæ traditæ, transferre de uno loco ad alium fine consilio Principis, & licentia Episcopi Diœcesani. Concil. Mogunt. I. c. 51. nisi contrarium suadeat, & cogat necessitas belli, incendii, periculi, rapinæ: Tunc enim sufficit authoritas Præsidis Provinciæ, ut ex *l. 1. Cod. de Relig. & sumptibus funer.* & tradit Glos. *in d. cap. Corpora*, in verbo, *Principis*. Secùs verò, si Reliquiæ non sunt perpetuæ sepulturæ traditæ, sed solùm alicubi depositæ: Tunc enim absque alicujus authoritate possunt in dicto casu de uno loco ad alium transferri, ut decentiùs, & honorificentiùs existant, ut per Tex. *in l. Si nec dùm, Cod. de Relig. & sumpt. funer.* & docent Hugo, Tuecrecem, Sylv. Angel. & alii, quos recenset, & sequitur Sanchez, *lib. 2. cap. 43. n. 25.* 26

Infero undecimò, Sanctas Reliquias è capsulis, ubi reconditæ sunt, extrahere, ut populo ostendantur, non esse à culpa immune, si Reliquiæ antiquæ sunt; quia id fuit prohibitum ab Innoc. III. *in cap. Cum ex eo, de Relig. & venerat. Sanct.* 27

Infero duodecimò, de jure communi nullam esse pœnam impositam ipso facto adversùs Reliquias extrahentes, aut furantes. Ita advertit Sanchez, *sum. lib. 2. cap. 43. n. 23.* Bonac. *disp. 3 q. 1. punct. 4. n. 9.* quidquid dicat Axor. loc. cit. *q. 10.* ibi asserens, esse impositam excommunicationem minorem. 28

Infero decimotertiò, gravitatem furti in materia Reliquiarum, non ex quantitate esse considerandam, sed ex qualitate; cùm possit aliquando minima quantitas magni à Domino æstimari, tum propter Sancti dignitatem, tum propter raritatem. Sanchez loc. cit. 29

Infero decimoquartò, esse Sancto Officio denunciandos omnes, vel asserentes esse genus superstitionis Sanctorum Cœli Civium Reliquias venerari, quæ fuit hæresis Vigilantii Barchinonensis, à S Hieronymo egregiè confutata; quamque Eunomius in Ecclesiam primus invexisse fertur; aut sicut alii volunt, Eustathius, Sebastiensis in Concilio Gangrensi damnatus, ut notat. Azor. loc. cit. *q. 2.* vel eas, nempe Sanctorum Reliquias è medio, seu de Templis auferentes: Ut fecere Leo Isauticus, Constantinus Copronymus Imperatores Constantinopolitani, Claudiusque quoque Episcopus Taurinensis, ut scribit Jona Aurelianensis, *lib. 1. de cultu Imaginum.* Hæc eadem hæresis à septima olim Synodo Generali damnata, & jam pridem sepulta, & extincta, fuit à Joanne Wicleff, quem strenuè, ac constanter oppugnavit Thomas Waldeosis, ausu nefario suscitata, ut notat Axor. loc. prox. cit. 30

Infero decimoquintò, licitum esse Reliquias Sanctorum transferre de Terris Infidelium, & eorum dominio, qui illas injustè possident, & ad loca Christianorum transportare. Ita Turrecrem. *in cap. Tribus, & cap. Corpora, de Consecrat. dist. 1.* 31

dist. 1. & alii. In locis enim Christianorum, nempe in Ecclesiis, & Basilicis Sanctorum Reliquiæ à Christiana devotione recipiunt venerationem, & ideò meritò Gennadius, *lib. unic. de Ecclesiasticis dogmatibus, cap. 73.* apud S. Ang. *tom. 3. cap. 73.* „pag. mihi 384. inquit „ Sanctorum Corpora, & „præcipuè Beatorum Martyrum Reliquias, ac si „Christi membra, sincerissimè honoranda, & Basi-„licas eorum nominibus appellatas, veluti loca San-„cta, Divino Cultui mancipata affectu piissimo, & „devotione fidelissimâ adeundas credimus. Si quis „contrà hanc sententiam venerit, non Christianus, „sed Ennomianus, & Vigilantianus creditur.

31 Infero decimosextò, in nostris necessitatibus, esse ad Sanctos devotè, & vivâ fiduciâ recurrendum, præsertim, per eorum Reliquiarum adorationem, dicente, & præcipiente Sacro Trid. Concilio loc. cit. „ Sanctorum quoque Martyrum, & „aliorum cum Christo viventium Sancta Corpora, „quæ viva Membra fuerunt Christi, & Templum „Spiritûs Sancti, ab ipso ad æternam vitam susci-„tanda, & glorificanda, à Fidelibus veneranda esse, „per quæ multa beneficia à DEO hominibus præ-„stantur.

32 Infero decimoseptimò, ad excitandum in Fidelium cordibus amorem, devotionem ergà Sanctos, & per eos ergà Deum impensè juvare Sacras eorum imagines aspicere, & venerari; maximè autem Imaginem Domini, & Dei Salvatoris nostri JESU Christi; deindè Intemeratæ Dominæ nostræ Deiparæ, venerabilium Angelorum, & omnium deindè Sanctorum, ac Sanctarum; cùm per hanc Imaginum pictatum inspectionem omnes, qui contemplantur, ad Prototyporum memoriam, & recordationem, ad imitandum eorum virtutes & exempla excitentur: Atque adeo justè fuerunt damnati in Concilio Nicæno II. sub Adriano I. & in Trid. *Sess. 25. de invocatione, veneratione, & Reliquiis Sanctorum, & Sacris Imaginibus*, negantes Sanctarum imaginum cultum, seu Iconomachorum errores.

33 Infero decimooctavò, teneri omnes Episcopos, cæterosque docendi munus, & curam Animarum sustinentes, diligenter instruere „ Fideles, in pri-„mis de Sanctorum intercessione, Invocatione, Re-„liquiarum honore, & legitimo Imaginum usu, „docentes eos Sanctos unacum Christo regnantes, „orationes suas pro hominibus DEO offerre, bo-„num atque utile esse suppliciter eos invocare; & „ob beneficia impetranda à DEO per Filium ejus „JEsum Christum Dominum nostrum, qui solus „noster Redemptor, & Salvator est, ad eorum ora-„tiones, opem, auxiliumque confugere. Hæc „Trid. loc. cit.

34 Infero decimonono, non esse Sanctorum Reliquias tenendas in locis expositis hæreticorum, aliorumque Christiani nominis hostium incursionibus.

35 Infero vigesimo, non esse Sanctorum Reliquias asservandas in Villis, vel locis, in quibus non adsunt Clerici, qui in Ecclesiis psallant. Concil. Epannen. *c. 25.*

36 Infero vigesimo primò, Reliquias Sanctorum esse in decoris, transparentibus, & mundissimis vasculis ut sunt crystalla; aut Capsulis, auro, argento, & gemmis ornatis, asservandas; nec esse ab eisdem, dum populo ostenduntur, extrahendas. Concil. Mediolan. I. *tit. de Sanctorum Reliquiarum veneratione*, ubi dicitur, debere luminaria accendi, dum ostenduntur.

Infero vigesimo secundò, esse quidem licitum, pium, & laudabile gestare suspensas ad collum Reliquias Sanctorum, dummodò portentur ex fiducia DEI, & Sanctorum, Quorum sunt Reliquiæ: Secùs autem, si in hujusmodi portatione attendetetur aliquid aliud vanum; puta, quòd sacculus illas continens esset triangularis, aut aliam hujusmodi formam haberet, ad reverentiam DEI, & Sanctorum minimè pertinentem: Esset enim tunc talis gestatio superstitiosa, & illicita, D. Th. 2. 2. *q. 96. art. 4 ad 3.* 37

Infero vigesimo tertiò, majorem actum venerationis deberi Reliquiis Beatissimæ Virginis Mariæ, quàm Reliquiis aliorum Sanctorum; idemque judicium esse de aliorum Sanctorū Reliquiis gradatim, ut de Apostolis, de Martyribus, de Confessoribus, &c. Cùm actus venerationis talis esse debeat, qualem meretur ille Sanctus, secundùm suum gradum dignitatis apud Deum in Cœlis; Majorem verò dignitatem esse Beatæ Virginis Mariæ, quàm aliorum Sanctorum, omnes Fideles firmiter credunt, & sincerè fatentur. 38

Infero vigesimo quartò, venerationem Reliquiarum pergratam esse Domino nostro Jesu Christo; cùm ipsemet Imaginem sui Sacratissimi Vultus lintheo impresserit, quæ est tam insignis Reliquia, eamq; Abagaro Regi Edessæ ægrotanti, illam summoperè desideranti, tradiderit. Niceph. Callist. *lib. 17. histor. Eccles. cap. 16.* Baron. *Annal. tom. 1. Anno Christi 31.* Evagrius, *lib. 4. cap. 2.* Eamq; postea, nempe Reliquiarum venerationem tot miraculis, omnibus notis, approbaverit, & manifestaverit. 39

Infero vigesimo quintò, Reliquiarum Sanctorum venerationem, vel portationem esse clarum argumentum seu testimonium nostræ Fidei, Spei, & Charitatis; Siquidem Sanctorum Reliquias venerando, aut gestando, credimus Sanctorum intercessionem; credimus, Deum esse in illis, & per illos operari; Speramus per ipsos à Deo quidquid nobis necessarium est pro salute mentis, & corporis obtinere; eosque diligimus, & in eis Deum, prout ex præcepto tenemur. Hinc S. Ambrosius, *tom. 5. Serm. 14. in Festo SS. Nazarii, & Celsi Martyrum*, circa finem, Sic loquitur, „Quod si dicas mihi, „ quid honoras in carne jam resoluta, atq; consum-„ pta; de qua nulla jam Deo cura est? Honorare de-„ bemus servos Dei, quanto magis Amicos Dei, &c. „ Honoro ergò in Carne Martyris exceptas pro „ Christi nomine cicatrices: Honoro viventis me-„ moriam perennitate virtutis: Honoro per con-„ fessionem Domini Sacratos Cineres: Honoro in „ Cineribus semina æternitatis: Honoro Corpus, „ quod mihi Dominum meum ostendit diligere, „ quòd me propter Dominum mortem docuit non „ timere. Cur autem non honorent Corpus illud „ Fideles, quod reverentur & dæmones? quod & „ afflixerunt in supplicio, sed glorificant in sepul-„ chro. Honoro itaque Corpus, quod Christus ho-„ noravit in gladio, quod cum Christo „ regnabit in Cœlo. „ 40

FINIS LIBRI SEXTI.

THEOLOGIA BELLICA, LIBER SEPTIMUS.

Difficultates pertinentes ad Nates.

I. DIFFICULTAS.

An fortitudo, à Militibus exhibenda, major requiratur pro Bello Navali, quàm pro Bello Terrestri.

1 NOtandum primò, fortitudinem esse virturem specialem, non quatenùs importat quandam animi firmitatem, quæ est conditio cujuslibet virtutis; cùm ad virtutem, secundùm Philosoph. *lib. 2. Ethic. cap. 4.* requiratur firmiter, & immobiliter operari; sed quatenùs importat firmitatem animi in sustinendis, & repellendis his, in quibus maximè difficilè est firmitatem habere. Ita D. Th. 2. 2. *q. 123. art. 2.* in corp.

2 Notandum secundò, aptissimè definiri fortitudinem, quòd sit virtus, quæ motus animi in rebus terribilibus, præsertim in periculis mortis sustinendis, vel repellendis moderatur; vel juxtà Tullium *in sua Reth. lib 2. de invent. antè fin. lib.* quòd sit considerata periculorum susceptio, & laborum perpessio; quam definitionem approbat S. Aug. *lib. 83. qq. q. 3.* vel secundùm Arist. *lib. 3. Ethic.* quòd sit aggressio terribilium; Vel secundùm Cic. *lib. 4. Tusc. quæst.* quòd sit scientia rerum perferendarum, vel affectio animi in patiendo, ac perferendo, summæ legi parens, sine timore. Itaque Fortitudo versatur immediatè circa passionem timoris, & audaciæ in periculis mortis, juxtà debitam rationis mensuram. Hinc D. Tho. 2. 2. *q. 123. art. 3. in corp.* asserit, fortitudinem esse quasi cohibitivam timorum, & audaciarum moderativam; Et Angelicum Doctorem sequuntur. Less. *lib. 3 de just. & jur. cap. 2.* Molfes. *in sum. p. 1. tract. 1. cap. 11. num. 35.*

3 Notandum tertiò, fortitudinem Militum meritò in utroque jure Canonico, scilicet, & Civili, virtutem nuncupari. *Cap. Noli existimare, causa 23. q. 1.* ubi dicitur. „ Hoc ergò primùm „ cogita; quando armaris ad pugnam, quia virtus „ tua, etiam ipsa corporalis donum DEI est. Et *cap. Ut pridem causa eadem, q. ult.* ubi Gregorius quosdam hortando, ut milites congregent, & contrà hostes arma viriliter parent, inquit, „ Sicut viros decet fortes laborare, *& arg. cap. Fortitudo, causa 23 q. 3. & l. ab hostibus 12. Cod. de postlimi. revers.* ubi habetur, „ Sed virtute militum liberati: Illicò, &c. „

4 Notandum quartò, fortitudinem propriè consistere circà pericula mortis, quæ sunt in bello, cum hujusmodi pericula, quæ inveniuntur in rebus bellicis, immineant directè homini propter aliquod bonum, in quantùm scilicet defendit bonum commune per justum bellum. D. Th. 2. 2. *q. 123. art. 5.* Hinc Martyrum fortitudo præcipuè commendatur, ut advertit Doctor Angelicus, loc. proximè cit. *ad primum*, quia Martyres sustinent personales impugnationes propter summum Bonum, quod est DEUS; & ideò dicuntur fortes facti in bello, in facti contingentia, Ecclesiæ Militanti parentes, quæ dicit *Estote fortes in bello, & pugnate cum antiquo Serpente.*

5 Notandum quintò, mortem esse grave, sive atrox malum, ut asserit Achilles apud Euripidem *in Iphigenià, in Aulide*: & omnium maximè terribile, ut prodit Arist. *lib. 3. Ethic. cap. 6. & lib. 2. Reth.* propterea Ecclesiasticus ipse, *cap. 41.* Ita exclamat: *O mors, quàm amara est memoria tua!* Idque planè suo nos exemplo docuit Dominus Noster JEsus Christus; qui, tametsi probè sciret, se in hunc Mundum à DEO Patre ad hunc finem Missum, ut pro Redemptione Humani Generis mortem crudelissimam, atque ignominiosissimam pateretur, cui se sponte obtulit, secundùm Humanitatem tamen mortem exhorruit, dicens: *Pater, si vis, transfer Calicem istum à me* S. Luc. *cap. 23. num. 42.* Ideoque Leges ignoscendum esse ei censuerunt, qui sanguinem suum qualitercunque redemptum voluerit, *l. 1. ff. de bon. eo. qui sibi mor. consc.*

6 Notandum sextò, totam rem militarem, ut vult Vegetius, *lib. 2. cap. 1.* in tres dividi partes; Equites, Pedites, Classes; & nomen Classis esse generale, & posse tripliciter sumi, methaphoricè, impropriè, & propriè: Metaphoricè, sumitur pro quovis cœtu; impropriè pro omni exercitu tam terrestri, quàm aquatico propriè verò

pro

pro armata Navium multitudine: Quemadmodùm Exercitus propriè est multitudo congregata armata in terra pro bello.

7 His adnotatis, ad difficultatem propositam, an Fortitudo, à militibus exhibenda, major requiratur pro bello navali, quàm pro bello terrestri, videtur afferendum, majorem requiri pro bello terrestri: Siquidem fortitudinis duo sunt munera, nempè sustinere, ac pati, & aggredi difficilia, seu ut docet D. Th. 2. 2. *quæst. 123. art. 3.* cohibere timores difficilium rerum, quæ retrahere possunt voluntatem, ne sequatur rectam rationem. Quis autem nesciat, majores esse difficultates in terrâ, quàm in mari, à militibus superandas? Debent montes altissimi ascendi, valles perfundæ penetrari, flumina rapida transiri, nemora obscura discurri, aggeres in accessibiles tentari, loca debilia defendi, tot pericula, tàm occulta, quàm manifesta superari. Item debet caminis ignis ardentis, cuniculis tùm rectis, tùm obliquis, tâm transversis, atque innumeris præcipitiis obviam iri. Præterea fortitudo debet moderari timorem, anteqnam malum evenerit, vel quando superari potest: Et ideo, ubi major potest contingere timor, major requiritur fortitudo. Major sane timor ob præfatas rationes contingit in bello terrestri, quàm in bello aquatico. Ergo major fortitudo pro bello terrestri, quàm pro bello aquatico requiritur. Præterea audaciam quoque debet secundùm rectam rationem fortitudo moderari, ut pericula sint talia, quæ honestè suscipi, vel substineri possint; aliàs milites dicerentur temerarii, feroces, ac crudeles, non fortes: Hujusmodi verò moderatione magìs videtur indigere audacia militum terrestrium, quàm classiariorum: Quis majora sunt pericula in Terra, quàm in Mari: Ergò, &c.

8 Hanc opinionem reprobare non audemus; crederemus tamen minimè aberrare, contrarium docendo, videlicet, æqualem, & forsitan majorem requiri fortitudinem pro bello navali, quàm pro bello terrestri asserendo. Extrinseca ratio, seu Doctorum authoritas non adducitur, quia à nemine agitata in terminis, ne quidem obiter tacta difficultas hæc invenitur.

9 Moveor primò juribus, *in cap. Adversitas, causa 7. q. 1.* ubi adversitas proponitur, tanquàm virtutis probatio: Dicit enim Textus „Quæ bonis voris objicitur, probatio virtutis est: Ergò ubi adest major adversitas, majus virtutis exercitium exhiberur, aut debet exhiberi, & sic virtus major; cùm debeat major exercitio, tanquàm suo actui, seu effectui correspondere: Adesse autem majorem adversitatem in bello navali, quàm in bello terrestri motus secundus & tertius, responsiones ad objecta, nec non illationes clarè demonstrabunt. Et favet Text. *in l. Civitas, Cod. de Offic. Rect. Provinc.* ubi dicitur, navigationem maris ex se ipsa esse admodùm periculosam, & semper incertam: Cui concordat Tex. *in l. mortis causa, ff. de mor. cau. donat.* ubi inter donationes causâ mortis, etiam donatio causâ navigationis maris, etiam fine bello navali, enumeratur „Mortis causâ, sunt „verba Textus, donare licet, non tantùm infir„mæ valetudinis causâ, sed periculi etiam pro„pinquæ mortis, &c. aut navigationis ineundæ: Atque adeò juncto navigationi maris bello na„vali, majora sanè fiunt pericula mortis; Et„ successivè major animi firmitas requiritur, ne retrahatur à sequelâ rationis, & à bono communi: Ut clariùs in motu sequenti explicabitur.

Moveor secundò rationibus: Siquidem major fortitudo, seu firmitas animi requiritur ad resistendum pluribus, quàm paucioribus inimicis: In bello autem navali plures sunt inimici, quàm in bello terrestri; in hoc etiam sunt tantùm homines, in illie verò homines, & mare, seu tempestates. Tùm quia, fortitudo consistit propriè, ut notavimus, citcà pericula mortis, quæ sunt in bello: Ergò ubi bellum est magis periculosum, seu majora mortis pericula continet, ibi requiritur major fortitudo propriè consistit: Adesse majora pericula mortis in bello navali, quàm in bello terrestri videtur manifestum; siquidem in bello terrestri milites tantummodò occidunt, & in bello navali milites, & mare. Scitum enim est illud Biantis dictum de Nauta, quem neque inter vivos, neque inter mortuos reponebat, ut scribit Plato *in Axiocho*, nempe propter instantia quotidie pericula. Hinc Anacharsis Scyts, dum aliquem, qui navigaverat, interrogâsset, quanta esset crassitudo tabularum nauticarum, isque respondisset, quatuor digitorum: Tantillùm, tunc Anacharsis inquit, à morte absuisti: & percunctanti cuipiam, quænam esset securissima navis, ea, respondit, quæ in Portum venerit: Apud Diogenem Laertium: Et iterum interroganti cuidam, an Navigantes inter mortuos, vel inter vivos referret, in utroque, inquit, numero pono; sentiens magna esse navigationis, seu maris pericula: Unde Ovidius.

Nàm propè, tàm lethum, quàm propè cernit aquam

Et Horatius *lib. Carm. 1. Ode 3.* non immeritò execratus est eum, qui primus susus fuit se mari committere.

Primus nec timuit præcipitem Africum.
Decertantem aquilonibus
Nec tristes Hyadas, nec rabiem Nothi.

Et Juven. *Sat. 12.*

I nunc. & ventis animum committe dolato
Confisus ligno, digitis à morte remotus
Quatuor, aut septem, si sit latissima tæda.

Tum etiam, quia in bello, seu pugnâ terrestri solùm milites vulnerati moriuntur; at in bello, seu pugna navali non tam mortem subeunt vulnerati, & à vulneribus immunes, ob submersionem, vel conflagrationem navis, in quâ reperiuntur: Quodque testantur illæ duæ Naves Britannicæ, & Gallica una insinuatæ magnitudinis, Cordigera nuncupata, quæ, ut refert Jovius, *in suis historiis, lib. 71.* cùm in conflictu quodam inter Gallos, & Angelos, harpaginibus connexæ essent, & diu tormentis & facibus dimicâssent; tandem uno tempore, miserabili exitu conflagrârunt, & suprà duo millia hominum, aut discerpta tormentis aut flammis circumventa, aut demum semicombusta sponte in Oceanum præcipitata perierunt,

11 Moveor tertiò exemplo, primò in L. Clauco viro magnæ nobilitatis, qui cùm Hasdrubal, captâ Siciliâ, adversus Romanos, & Metellum eorum Imperatorem pugnaret, Hasdrubalis navim detinens, utramque manum amittere, quàm desistere maluit, ut refert Aristides Milesius, *lib. 1. rerum ficularum* & Plut. *in parallelis*. Secundò, in Cynigero, sive Cynagaro, ut alii scribunt, milite Attico, qui prosequendo hostiles naves fugientes, unam ex illis onustam detinuit dexterâ manu, quâ hostium ferro amputatâ, navim eandem lævâ detinuit; hac pariter vi hostili incisâ, dentibus navim apprehendit, & illam dimittere nunquam voluit, nisi prius truncato sibi capite: Et ita gloriosè moriendo, vivum suæ fortitudinis exemplum reliquit; teste Sabell. *lib. 4. cap. 6.* Justin, *lib. 2.* Val. *lib. 3. cap. 2.* Tertiò in C. Attilio, & ut alii volunt, Acilio milite C. Cæsaris, qui in navali ad Massiliam prælio, injectâ in puppim hostium dexterâ, & abscisâ; eam sinistrâ apprehendit, nec ante dimicare destitit, quàm captam in profundum mergeret: Ita scribit Suetonius *in vitâ Cæsaris*, & Sab. *lib. 4. cap. 6.* Et nostro tempore, in Fabritio ex antiquissima (quæque Magna olim in Italia nuncupabatur,) Familia Rufa, descendente, ut vult Tamusius Tinga, Gestorum Romanorum Scriptor, à Rufo Ascanii Latinorum Regis Filio Secondogenito; ut scribit Valerius Anziates in suo libro, *de præeminentia Romanæ Respublica*, & Hieronymus Eningens, *in suo Theatro Genealogico*, à Pompeo Rufo Sp. Lucratii Tripitani, ex majoribus Romanis Consulibus Filio: Et ut nos non absque fundamento arbitramur, à Guilielmo Rufo Rege, à nobis infrà in Fragmentis tangendo. In Fabritio, inquimus, Rufo ex Ducibus Balneariæ, Magnâ Cruce Hierosolymitanæ Religionis, nec non nobilissimo Capuanensi Prioratu donato, Classis Melitensis Duce; qui cùm in Fortitudine, ab aliis virtutibus minimè semotâ, emineret, non semel de Terribilibus Turcarum Classibus triumphavit, teste Philadelpho Mugnos, *in suo Theatro Nobilitatis Orbis, pag. 96. & 97.* unde meruit magna eum laude, & gloriæ Patriæ à toto Populo, & Nobilitate Melitensi inter publicos, & singulares plausus, Antiquorum Romanorum more excipi Triumphator; descriptâ magni Magistri jussu in Cancellaria Melitensi ejus præclarissimorum Gestorum serie, tanquàm cunctis Posteris, & præsertim Classium Ducibus Fortitudinis exemplari, ut refert Mugnos, loc. cit. Hisce similia adsunt innumera alia exempla, à nobis brevitatis gratiâ omissa, quibus non obscurè patet nostrum assertum confirmari.

12 Concludimus igitur, æqualem, vel etiam majorem requiri fortitudinem pro bello navali, quam pro bello terrestri, à militibus exhibendam.

13 Ad opposita respondemus: Ad primum, negando minorem, ut patet ex primò, & secundo motu: Difficultates enim periculis æquiparantur; & ubi adsunt majora pericula, majores difficultates reperiuntur.

14 Ad secundum, eodem modo respondetur, nempè concessâ majori propositione, negatur minor; cùm timor contingat, & augeatur ad mensuram periculorum, quæ majora adesse in bello navali satis validè fuit à nobis probatum.

Ad tertium, facit eadem responsio; sunt enim ferè synonymæ rationes ibi adductæ, ab ore cujusdam Theologi amici mei receptæ, quem circà hanc difficultatem consulere duxi. 15

Infero primò ex dictis, ad bellum navale milites majori fortitudine prædictos esse destinandos; atque magis strenuos, & robustos, nec non alacres, ut vult Leo Imperator *de bellic. apparat. cap. 19. num. 18.* esse in summâ triremis parte, potissimum constituendos, qui possunt consertis manibus cum hostibus dimicare; ignaviores verò esse in inferiorem ordinem remorum depellendos. 16

Infero secundò, debere Ducem Classis, antequam prælium immineat, verbis idoneis, & imperiosis; nec non, & effectuosis etiam exhortationibus Classiarios, seu milites suæ Classis animare ad pericula suscipienda, ut partim supplíciorum timore, partim suâ exhortatione, atque incitatione strenui, fortesque fiant, & in ipso dimicationis discrimine manus, & arma in hostes exerceant. 17

Infero tertiò, fortitudinem, quæ præcipuè virtus est animi ad hostes invadendos necessaria, comparari, & conservari, tùm puritate conscientiæ, tum integritate vitæ. Sic Leo Imp. loc. cit. *num 34.* 18

Infero quartò, ad faciliùs moderandum audaciam, & cohibendum timorem in periculis pugnæ navalis, qui est effectus fortitudinis, classem esse lunandam, seu ad semicirculi formam instruendam, aliis triremibus hinc atque illinc, quasi cornubus, aut manibus collocatis, & in summâ fronte potissimùm fortiores, atque alacres milites constituendos; & ipsius semicirculi centrum esse à Duce Classis occupandum, ut omnia possit perlustrare, instruere, & administrare, & eò præsidia mittere, ubi præsidio opus erit. 19

Infero quintò, consultiùs fore, ob victoriam in pugnâ navali obtinendam, paucos milites fortes, ac strenuos, nec non alacres in paucis triremibus collocare, quàm multitudinem triremium, plures ignavos viros continentium, habere: Bellum enim, non multitudine aut virorum, aut navium feliciter geritur, sed militum alacritate, fortitudine, & strenuitate. 20

Infero sextò, in pugna navali ad victoriam reportandam esse cum impetu maximo hostes invadendos, testatur hoc M. Portius, qui cùm saltasset impetu magno super Classem hostium Carthaginensium, perterritis hujusmodi gestu terribili inimicis, ab eisdem armis relictis, multas ipsorum naves submersit, Ferret, *de re navali, lib. 6. num. 8.* 21

Infero septimò, ad fortificandos in pugnâ navali debiles summopere juvare præmiorum, & honorum collationem; ideò ob virtutis bonorem, & decus suos milites honorabat, & muneribus recognoscebat. Antiquitas pro optimè gestis in militia, tùm terrestri, tùm navali: Quem morem prosequutus Magnus Galliarum Rex Ludovicus XIV. tot Martes effecit, & habuit, quot milites, & Classiores; propterea potentissimus evasit in terra, & in mari. 22

23. In-

22 Infero feptimò, ad fortificandos in pugnâ navali debiles fummopere juvare præmiorum, & honorum collationem; ideò ob virtutis honorem, & decus fuos milites honorabat, & muneribus recognofcebat Antiquitas pro optimè geftis in militia, tùm terreftri, tùm navali: Quem morem profequutus Magnus Galliarum Rex Ludovicus XIV. tot martes effecit, & habuit, quot milites, & Claffiarios; propterea potentiffimus evafit in terra, & in mari.

23 Infero octavò, ad Ductorem Exercitus, & Claffis fpectare blandis verbis, fpe victoriæ, aliifque aptioribus modis mæftitiam tollere fuorum militum, fugando ab illis timorem, periculo mortis, aut aliâ causâ conceptum, tanquàm militari Fortitudini adverfantem. Eutides Dux Lacedæmoniorum cùm effet terreftri, aquaticoque exercitu uno die cum hoftibus pugnaturus, victoriæ, quam diffimulavit, divulgatione fuos non parùm mæftos animando, commiffo prælio, vicit, & duplicem de hoftibus palmam, in terra fcilicet, & aqua gloriosè reportavit, ut refert Ferret. *de re. nav. lib 12.n.18.*

24 Infero nonò obiter, folâ famâ probari eum, qui fuit adfcriptus Claffi, effe mortuum nitrà mare contrà Saracenos, vel alios hoftes beilando: Ita pariter Bar. & alii, quos producit, & fequitur Card. Albanus *in Lucubrat. in d. Bart. in l. de minore, §. Plurimùm.ff. de quaft. n.* 1.

25 Infero decimò, non effe aliqua cunctatione, aut formidine rejicienda, quæ maturè funt deliberata atque conftituta; eftò Dux, cæterique Officiales debeant tardè, ac circumfpectè deliberare; nam timor res tuta non eft, & rebus bonis inventis adverfatur, ut tradit Leo Imp. *de bellic. app. cap. 20. num. 9.*

26 Infero undecimò, debere Milites priusquàm ad Claffem procedant, fua peccata cum vero dolore Sacramentaliter confiteri, Divinam Euchariftiam devotè fufcipere, precibus, ac piis votis fe DEO commendare, & bonam, profperamque maris navigationem ab eo adverfùm hoftes humiliter petere.

27 Infero duodecimò, confecto, five in mari, five in terra bello, effe ex æquo, & bono fpolia Militibus difttribuenda, tanquàm eorum fortitudinis argumenta; nec non lautas menfas apparandas pro his, qui ie in bello fortiter gefferunt; minimè verò pro his, qui aliquid Milite indignum patraffent; quos fupplicio, ac pœnâ effe coercendos, jubet Leo Imp. *de bell. app.cap. 19.n.68.*

II. DIFFICULTAS.

An exiftente in Præfecto, feu Duce Claffis, majori morum integritate, victoria de hoftibus faciliùs queat obtineri?

1 NOtandum primò, contrà Cornelium Janfenium, nulla DEi præcepta homini jufto volenti, & conanti, fecundùm præfentes, quas habet vires, effe ad obfervandum impoffibilia; neque illi deeffe Gratiam, quâ poffibilia fiant. Contrarium fuit damnatum ab Innocentio X, in Conftit. incip. *Cum occafione:* Quemadmodùm antea Concilium Tridentin. *de juftificatione, Can. 18.* fub pœna excommunicationi prohibuit afferere, DEI præcepta homini etiam juftificato, & fub gratia conftituto, effe ad obfervandum impoffibilia; Atque adeò omnes Milites tum Officiales, tùm privati, poffunt etiam militando, omnia DEI præcepta obfervare, & fucceffivè morum integritate fulgere.

Notandum fecundò, virtutem, quæ fecundùm fe, non eft feipsâ major, vel minor, poffe refpectu fubjecti effe majorem, vel minorem, vel fecundùm variationem temporis in eodem, vel fecundùm inclinationem majorem in diverfis, vel aliquo alio accidenti naturæ, vel gratiæ, ita D. Th. 1. 2. *quaft. 66. art.* 1. in corp. ubi concludit, unam virtutem dici fecundùm fpeciem aliâ majorem, & excellentiorem. 2

Notandum tertiò, virtutes morales perfectas, quæ funt habitus inclinantes in bonum opus benè agendum, effe inter fe adeò connexas, ut altera fine alterâ effe non valeat; Secùs verò, loquendo de virtutibus moralibus imperfectis, quæ funt quædam inclinationes in homine exiftentes, ad opus aliquod de genere bonorum faciendum, D. Th. 1. 2. *quaft. 65. art.* 1. in corp. 3

Notandum quartò, virtutes morales, quibus homo dicitur bonus fimpliciter, D. Th. 1. 2. *quaft. 66. art. 3. ad* 2. verfari non folùm circà affectus animi, quos moderatur, & temperat, fed etiam circa actiones; Dicit enim Arift. *lib. 5. Ethic. cap. 4.* virtutis potiùs effe bene agere, & operari, quàm benè pati aut turpè non agere. Et Azor. *p. 3. Inftit. Moral. lib.* 1. *cap. 9. lit. E.* fubdit, virtutis effe bonum eligere; item fobriè & caftè vivere, fortiter pugnare, pietatem eum Indigentibus exercere, &c. 4

Notandum quintò, amore juftitiæ effe beliandum, & victoriam acquifitam effe attribuendam ipfi Omnipotenti DEO, qui Dominus eft exercituum; Ifa. *Cap. 6.* & non humanæ virtuti; cùm omnis victoria ortum habeat ab ipfo DEO, fine quo factum eft nihil. Joan. *Cap. 1. num. 3.* 5

Notandum fextò, priusquàm expeditio claffica fiat, effe toto corde orandum, ut profperum iter faciat; debere, inquam, precibus, ac piis votis fe mutuò Milites DEO commendare, ut eam tueatur, eique fit turris fortitudinis à facie inimici, & nihil proficiat inimicus in ea, & filius iniquitatis non apponat nocere ei; Leo Imp. *de bellic. app. cap. 19. n. 21.* 6

Notandum feptimò, in omni bello magis effe timendum DEUM, quàm omnes homines etiam in armis potentiores; In DEO enim ftat omnis poteftas, quâ ipfe debilitat Fortes, & fortificat Debiles; quâque deponit fuperbos, & exaltat Humiles: in DEO funt omnia jura, & Regna Mundi, quæ ipfe dat, & tollit tacito judicio fuo Divino; Unde cuilibet Principi, Regi, & armorum Duci inquit Ecclefiafticus, *cap. 32. num. 1. Rectorem te pofuerunt, noli extolli: Efto in illis, quafi unus ex ipfis. Curam illorum habe, & fic confide* 7

Notandum octavò, omnia præcepta moralis, quæ funt, juxtà D. Th. 1. 2. *quaft. 100. art.* 1. in corp. aliquâ ratione ad legem naturæ reducenda, effe 8

esse de illis, quæ secundùm se ad bonos mores pertinent; & hæc esse, quæ rationi conveniunt: hinc sequitur, illos mores dici bonos, qui congruunt rationi, quæ est proptium principium humanorum actuum; & illos dici malos mores, qui à ratione discordant.

9 His adnotatis, ad difficultatem propositam, an existente in præfecto, seu Duce Classis majori morum integritate, victoria faciliùs obtineri queat, videtur negativè respondendum; siquidem ex *l. 1. Cod. de Navicularijs, seu Naucleris, publ. species transport. lib. 11.* & alijs juribus, sapientes Classium Duces, ob felicem finem obtinendum, debent benè munire suas Naves viris expertis, armis multiplicatis, debitis annonis, & munitionibus, & alijs necessarijs pro victu, salute, & pugna classica, & Classis defensione: Et præfati Textus nil penitùs de morum integritate loquuntur. Præterea Ludovicus IX. Sanctissimus Galliarum Rex, accepto ab Episcopo Parisiensi Vexillo, mare cum ingenti exercitu trajiciens, bellum Saracenis indixit, victoriam verò minimè obtinuit, sed victus ipse, captusque remansit; Ergò ad victoriam in bello, sive navali, sivè terrestri reportandum, nil prorsus morum integritas, & vitæ sanctitas videtur conferce. Præterea Apostoli primi Ecclesiæ Militantis Duces, sequentes in navicula Magistrum, qui Dominus est Exercituum, adversum tartareas Potestates pugnaturi ob motum magnum factum in mari, quasi perierunt, dicentes; *Domine: Salva nos, perimus:* S. Matth *cap. 8. n. 25.* Ex quo patet, neque juvare vitæ Sanctitatem ad evitanda pericula, quibus mare infamatur.

10 Contrarium tamen, nempe majorem morum integritatem, in Duce Classis existentem, ad victoriam faciliùs reportandam, conferre, esse verum, saltem apud Catholicos, infallibiliter puto. Leo Imp. *de bellic. app. cap. 2. num. 19. cap. 19. num. 34. cap. 20. num. 3.* Julius Ferret. *de jure, & re naval. lib. 14. n. 11.* & alii.

11 Moveor primò juribus, *in cap. Noli existimare, causa 23. quæst. 1.* ubi habetur, virtutem opportunam ad propugnandum, & vincendum esse donum DEI: Habere autem majus DEI donum, seu majorem bellicam virtutem, qui DEO ardentiùs fervit, qui sanctior est, non videtur inter Catholicos controvertendum; & à majori virtute bellica facilitas victoriæ derivatur; *Et in Cap. Nos, 40. Dist.* uam dicit Textus. „Nos qui „ præsumus, non ex locorum, vel generis digni- „ tate, sed morum nobilitate innotescere debe- „ mus, nec Urbium claritate, sed fidei puritate; Ex quo patet, ad quemcunque honestum finem obtinendum, requiri in his, qui præsunt, majorem vitæ integritatem.

12 Moveor secundò rationibus; Siquidem quales sunt in Castris Duces, sive Principes, tales quoque reliqui solent esse Milites; Imperatoris enim sui virtutem animo repetentes, virtuti student, DEUM colunt, imperata faciunt, perfectè obediunt: Obedientia verò, quæ nervus est militiæ, ut alibi demonstravimus, suâ virtute hostes superando, victoriâ, & gloriâ coronatur. Tùm quia, quo magis homo est morigeratus, & bonus, eò magis bono communi est proportionatus; & successivè bonum commune faciliùs habetur; cùm melius existat ex partibus sibi magis proportionatis. Quò igitur magis bonus est Classis Dux, & ad ejus exemplum magis boni sunt Milites, majori facilitate bonum commune, quod est victoria, mediâ pugnâ, obtinebitur. Tum etiam, quia quando quis amat aliquem amore amicitiæ, vult ei bonum, sicut & sibi vult bonum; inde est, ait D. Th. 1. 2. *quæst. 28. art. 1.* in corp. quòd amicus dicitur esse alter ipse, & S. Aug. dicit in 4. *Confess.* Benè quidam dixit „ de amico suo; Dimidium animæ suæ; scimus „ autem bonitatem suiipsius inveniri amatores: „ unde si Dux Classis est bonus, à suis amabitur; & magis amabitur, si magis bonus: Si igitur Dux magis bonus magis à suis amabitur, magis erit eorum studium in procurando ejus bonum, tanquam suum bonum, quod est victoria. Diligere enim aliquem est velle ei bonum, concludit Doctor Angelicus, *Opuscul. 61. cap. 3.* Tum denique, certum est à fortitudine, quæ est major, faciliùs victoriam promitti; & majorem fortitudinem esse illam, quæ est Divina, quàm dubio procul acquirunt Dux, & Milites, si boni, & virtuosi sunt: Nam si virtuosi sunt, Deum amant, & Deum magis amant, si magis sunt virtuosi: Amando Deum, in Deum transferuntur; omnis enim amor, inquit D. Thom. *in 3. dist. 31 quæst. 1. art. 1. ad 3.* transfert quodammodò amantem in amatum, & translati in DEUM, qui est Fortitudo. *Diligam te Domine Fortitudo mea. Ps. 17.* fortes divinitùs evadunt; ideoque aptissimi ad victoriam de hostibus faciliùs, obtinendam.

Moveor tertiò exemplo; primò à pari, in Gubernatore Navis, qui quamquàm valdè peritus sit, si venti minùs secundi fuerint, artem habet penè inanem; sin ventum nactus fuerit, & artem suam quoque adjunxerit, celeritatem cursus feliciter duplicat. Sic Classis Dux, si milites plures habet, non virtutem, neque bonitatem, in vanum laborat; si verò bonus, & virtuosus est & benevolentiam DEI suâ virtute collegerit, copias suas, munusque Ducis cum vigilantia, industriàque optimè administraverit; & creditum sibi exercitum sine offensione reget, & magnitudine sapientiæ suæ hostes faciliùs oppugnabit. Hinc Leo Imp. *de bellic. app. cap. 2. num. 39.* Exercitus Imperatori sic ait, „ Ante omnia, ô Imperator, tibi hanc cohortationem, & præce- „ ptum trado, ut pietatem, & justitiam colas, & „ assiduè antè oculos DEUM habeas, illum reve- „ rearis, omnique corde, & mente tuâ illum „ diligas, & illius imperata facias, & illius bene- „ volentiam inde acquiras, &c. Certò enim scias, „ absque Divina benevolentia, quamquàm magnâ „ prudentiâ esse videaris, te, quod cupis, minimè „ præstiturum, neque hostes, quamvis imbelles, „ superaturum: Quia omnia Divinâ Providentiâ „ continentur; & quæ minutissima sunt, illius „ tamen Providentiâ administrantur. Deinde „ directè, quamvis sit de bello terrestri; par „ enim est ratio, in Simone, Comite Monfortio, Christianis prædito virtutibus, qui cum esset in bellis strenuissimus, omni tamen die Missam, & Horas Canonicas omnes audiebat, semper sub armis, semper in periculo; spretâ, pro DEI servitio, Patriâ; & ideò propter virtutem admirabilem in partibus illis Comes fortis vocabatur, ut te-

ut refert Rigordus, *in Gest. Phil.* denique in bello adversus Petrum Aragonium cum octingentis Equitibus centum millia hostium invasit, & victoriam obtinuit; ipsomet Rege unâ cum suis interfecto; estò non fuerit dignatus Christianissimus Comes in bello aliquem percutere, ex quo fugientes vidit, & vertere sibi tergum: Et intelligens victoriam adeò insignem, imò miraculosam, DEI virtute, non humanis viribus obtentam esse, ab illo loco, quò descenderat, nudus pedes ad Ecclesiam perrexit, Omnipotenti DEO pro collata victoria gratias repensurus; equum etiam suum, & arma dedit pauperibus in eleemosynam, ut scribit Odoricus Raynaldus, *tom. 13. Annal. Ecclesiast. sub Anno Christi 1213.* sub Innoc. Papa III. *num. 57. 58. 59.* ubi addit „Discant ex insigni adeò victoriâ Principes virtutem bellicam pietatis studio non enervari, sed confirmari.

14 Concludimus igitur, existente in Præfecto, seu Duce Classis majore morum integritate, seu bonitate, facilius de hostibus victoriam obtineri.

15 Ad opposita respondemus: ad primum concedendo, Legislatorem non loqui in Tex. alleg. de morum integritate; id enim omisit, sciens propriùs esse ab Ecclesiasticis inculcandum Militibus; non quòd existimaverit, morum integritatem ad faciliùs victoriam consequendam minimè juvare.

16 Ad secundum, respondeo cum Apostolo, *Rom. cap. 11. n. 33. O altitudo divitiarum sapientiæ, & scientiæ DEI, quàm incomprehensibilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ ejus!* Præterquam quod, dicit historia, relata in prima lectione ejus Officii, quòd primo prælio Saracenos fugavit, quos si omnimodè non debellavit, hoc provenit ex pestilentia, quâ magna suorum Militum multitudo periit; ita permittente DEO, ut asserunt Animæ contemplativæ, qui maluit ob Christianorum peccata, & præsertim irreverentias in Ecclesiis commissas, Loca illa Sancta in Infidelium ditione remanere, quàm ad Imperium Catholicum devenire.

17 Ad tertium, quod Dominus voluit probare Apostolos suos in virtute patientiæ. Deindè, quòd maximas procellas passa est Navis Apostolorum ob occultum peccatum Judæ Iscarioth; ut dicitur *in Cap. Non turbatur, causa 24. quæst. 1.* En verba Textus. „Non turbatur Navis, quæ Petrum habet, turbatur illa, quæ Judam habet; pro cujus intelligentia, subdit ibi Gloss. Sciendum est, quòd antè Passionem Christi omnes Discipuli simul erant in navicula quadam super mare cum Juda proditore; & tunc factus est ventus validus & navicula cœpit ferè periclitari. Post passionem verò Christi, navigabat Petrus in quadam navicula sinè Juda; & illa nullam turbationem passa est. In utraque igitur Petrus erat; sed qui suis meritis firmus erat, turbatur ex alienis; unde vitandi sunt perfidi, & proditores ne possimus fluctuare per ipsos. Hæc Gloss.

18 Infero primò ex dictis, Classium Duces, Principes, & Gubernatores teneri esse meliores, quàm sint reliqui inferiores. Non rarò sane evenit, ob majorum delicta Principum, alios gubernantium minores affligi, ut per Text. *in Cap. Ecclesia, causa 1. quæst. 4.* ubi habetur, quòd propter peccatum Achor Principis in Ecclesia commissum, totus populus Israeliticus præda hostium remansit.

Infero secundò, in mari non esse omnimodè 19
opem ponendam in arte maritima, in multitudine navium in armorum peritia, in viris expertis; & multò minùs in viris inexpertis belli navalis, qui pavitant in aqua, tremebundi maris jactatione; sed in virtutibus animi, quæ firmitatem habent, & fortem efficiunt eas possidentem; cùm inter se unitæ, & connexæ sint, atque in DEO, cui venti, & mare obediunt, S. Matth. *cap 8. n. 26.*

Infero tertiò, esse puniendos, tum in exer- 20
citu terrestri, tum in Classe, illos Milites, qui moribus depravatis adversus Christianam pietatem inverecundè militant; cùm malorum, quæ bellorum victoriæ, & mortalium paci opponuntur, causa potissimùm sint delicta reorum impunita. Hinc Cardinalis Albanus hæc considerans, zelo verè Ecclesiastico lacessitus, lacrymando dicit *in Lucubrat. in Bart. in l. Congruit, ff. de Off. Præsid. num. 26.* „Non enim Præsides contrà malos proferunt eas, quæ jure ferri deberent, sententias, & eorum nefarios ausus, quibus alii, deficiente justitiâ, ad iracundiam provocantur, suâ potestate compescere non curant: hæc enim, ut à malis acceptum est experimentis, omnium ferè malorum causa est. Hinc bella intestina civium; hinc cædes; hinc denique eversiones familiarum, & Urbium oriuntur; quorum omnium rei sunt Præsides ipsi, qui vel prece, vel pretio à justitiæ, & æquitatis tramite declinantes, nonnunquàm probis viris infesti sunt, eis detrahunt, innocentes damnant, & sæpè, quos jure deberent opprimere, impudenter extollunt, eorumque familiaritate virulentissima delectantur, atque illorum vitia, & scelera augere indulgentiâ non verentur, contra id, quod eleganter traditum est *in l. si apparitor, Cod. de cohort. lib. 12.* & memoriâ non repetunt, eos, qui malis parcunt, nocere bonis, secundùm Glos. *in §. homicidia, in voce supplicium, in Auth. de mand. Principis,* Bald. *super pace Constantiæ,* in princ. eumque misericordem non esse, qui parcit vitiis, ne turbet delinquentem. *Cap. qui vitiis, causa 23. q. 5.*

Infero quartò, debere quidem adesse in Clas- 21
se Aromatarios plures Medicos, & Chirurgos expertos cum aromaticis, aptis ad medendum infirmitates, & vulnera corporis, sed potissimùm Medicos spirituales, Sacerdotes nempe, & Confessarios, non quoscunque, sed optimis moribus, & vitæ integritate fulgentes; ut sciant Animarum infirmitates, & vulnera, quæ absque debita cura, mortem æternam inferunt, perfectè mederi.

Infero quintò, debere Duces Classis, & ex- 22
ercitus terrestris, si victoriam consequi intendunt, habere inter cæteras virtutes, continentiam, sobrietatem, & diligentiam in suo munere, ad exemplum antiquorum Imperatorum. Id etiam firmat Tex. *in Cap. sexto die, 35. Dist.* ubi commendatur discreta ciborum abstinentia,

quæ respicit valetudinem personæ, & causat castas mentis cogitationes. Facit etiam *Cap. Si quis Presbyter, 30 Dist. Cap. Quod dicit, 41. Dist. juncto Cap. Quinque, & Cap. Non mediocriter, de Consecrat. Dist. 5.*

23 Infero sextò, prudentiam quoque, & sagacitatem necessariam esse Classium Ducibus; cùm debeant considerare diu, noctuque tempora præterita, pro exemplo futurorum negotiorum; præsentiaque, & futura tempora pro salute suæ Classis, & hostium ruinâ, non pugnando, nisi necessitate coacti; aut à spe certa victoriæ inducti.

24 Infero septimò, debere Classium Duces, serenitatem, & alacritatem, quâ suâ bona conscientia, seu internum eorum virtuosum potitur, in vultu demonstrare; ut possint faciliùs mæstos Milites ad ardua amplectenda animare, exemplo Scipionis, qui dum ex Italia transportaret exercitum in Africam cum classe, cognoscens suorum mæstitiam. „ Ludite, inquit, Milites, Africam oppressi, quos tali dicto, hilari & placidissimo vultu prolato, summopere animavit, ut refert Ferret. *de jur. & re naval. lib. 10. num. 3.*

25 Infero octavò, teneri Prælatos virtutes morales, & Divinas habere, & exercere; & subditos esse, ad imitationem Prælatorum, virtuosos, & omnes simul, Prælatos nempè, & subditos, esse constantissimos in Fide Catholica, & contra infideles, peccata, & malos spiritus, pro honore DEI defendendo, viriliter pugnare; semetipsos generosè vincendo, & propriam carnem, & corpus castigando, ad exemplum Pauli, dicentis: *Castigo corpus meum, & in servitutem redigo. 1. Cor. cap. 9. num. 27.* cùm major laus, victoria, gloria, & triumphus sit in Christi Militibus, seipsos superare ratione, spiritualiter pugnando contrà peccata, quæ sunt hostes intrinseci, & invisibiles, quàm visibilium hostium exercitum armis devincere.

26 Infero nonò, opus esse, ut Classium Duces, aliique virtutibus præfulgentes, possideant in gradu perfecto patientiam, & constantiam ad resistendum Invidorum calumniis, quod rarò apud Principes, & in Aulis deesse experimentum docet. Quisq; enim scit, virtute præditis invidert, non ignaria & vilibus, ut inquit Glos. *in l. nè quicquam, §. fin. ff. de Offic. Proconf.* propterea à malis hominibus sæpe infamantur, opprimuntur, deridentur, & illuduntur; nisi iniquitas impiorum æqua jusdicentis authoritate coerceatur, nullâ penitus in eos indulgentiâ adhibitâ: Misericordia enim crudelis esset aliquibus parcere, & alios in discrimen adducere. *Cap. Sed illud, 45. Dist.* & ita quis agendo ad omnia damna resarcienda teneretur, ut vult Felin. *in Cap. Quoniam contrà, de probat. n. 38.*

27 Infero decimò, Principes, Militum Ductores, Episcopos, & Superiores, videntes lacrymas innocentium vel nocentium crimina, & connivuentes, non solum DEO esse rationem reddituros, ut DEUS ipse affirmat in Ezechiel. *cap 34 num 2. Væ pastoribus Israel, &c. Quod infirmum fuit, non consolidastis, & quod ægrotum non sanastis, quod confractum est non alligastis, & quod abjectum est non reduxistis, & quod perierat non quæsistis, sed cum austeritate imperabatis eis, & cum potentia;* sed etiam in præsenti sæculo pœnis obnoxios fore, tanquàm conscios, & consocios delictorum, ut tradunt Bald. *in l. non solùm, Cod. de comm. & merc* & alii *in l. mancipia, Cod. de serv. fugit.* cum concord. adductis per Albert. Brun. *in cons. 31.*

Infero undecimò, bonos, & virtuosos Classium Duces, debere inter ea, quæ agere debent, primitùs ad DEUM recurrere vivâ fide, & spe firmâ, validum ejus auxilium in necessitatibus consequendi; unde in ingressu Classium, celebrata primitùs Missâ de Spiritu Sancto, & purgatis Confessione Sacramentali conscientiis, expediens erit hanc votivam orationem flexis genibus, & ardenti devotione recitare. *Jussisti Domine JESU Christe Discipulos tuos ascendere naviculam, & praecedere te transfretum; & tu Domine ascendisti naviculam, & transfretasti mare, & pervenisti in Civitatem tuam: Ita digneris hanc Classem tuam salvam fore, & tutam, ut navem Discipulorum tuorum, & Petrum deambulantem in aqua servasti.* Et placatus Dominus succurret bonæ menti humilium precantium, & firmiter credentium. Fides enim servat Fideles rectè credentes, cujus meritum est credere id, quod non videtur, Evangelio teste, *Quia vidisti me Thoma, credidisti. Beati qui non viderunt, & crediderunt.* Jo. *cap. 20. num. 29.* 28

III. DIFFICULTAS.

An liceat Sacerdoti habenti privilegium celebrandi extrà Ecclesiam, dum est in mari, Militibus serviens in qualitate Capellani, erigere in Navibus magnis Altare, & Missam ibi celebrare.

NOtandum primò, inspecto jure communi, & ordinario, non posse licitè, & citrà culpam mortalem, sacrificium offerri, seu Missam celebrari extrà Ecclesiam, & locum Sacrum, ad hoc ab Episcopo deputatum, *Cap. Sicut, & Cap. Nullus Presbyter, de Consecr. dist. 1.* & Concil. Trid *Sess. 22. Decret. de servand. & evitand. in celebr. Missæ.* Et ita tradunt Henriq. *lib. 9. de Missa. cap. 27.* suprinc. Azot. *par. 1 Instit. Moral. lib. 10. cap. 26. quæst. 1.* Suarez, *tom. 3 in 3. p. disp. 81. sect. 3.* Laym. *lib. 5. sum. tract. 5. cap. 5. n. 1.* & alii. 1

Notandùm secundò, nostram difficultatem non procedere de Missa, quæ dicitur ficca, quæque, ut scribunt Azot. *par. 1. Inst. Moral. lib 7. cap. 7. quæst. 6.* Henriq. loc. cit *num. 3.* fit à Sacerdote navigante, vestibus Sacris induto, & Altari erecto, in qua tantummodò introitus, Epistola, Evangelium, & aliæ Orationes recitantur, absque Consecratione Corporis, & Sanguinis Domini JESU Christi, & absque ulla Sacrificii oblatione; sed de Missa completa, prout scilicet dicit etiam Consecrationem, & oblationem Sacrificii. 2

3. No-

3 Notandum tertiò, cuilibet Capellano Exercitûs ordinariè concedi vel à Summo Pontifice, vel ab Episcopo Privilegium celebrandi extrà Ecclesiam, id exigente Militum commoditate; præsertim quando in Castris commorantur.

4 Notandum quartò, quatnor teneri Sacerdotem observare, præter essentialia in celebratione Missæ, quæ sequenti carmine continentur.

Apta, locus, vestis, tibi sint Altare, Minister.

& præsertim inter hæc locum, qui debet esse aptus, nempe consecratus ab Episcopo, non pollutus, ut notat inter alios, Molfesius, *in sum. p. 1, tract. 3. cap. 10. n. 29.*

5 Notandum quintò, extrà locs consuets, posse Sacrificium Missæ offerri, quando adest necessitas, ut puta in Castris pro Militibus, in littore pro Navigantibus, si diu, ut per mensem, Missâ caruissent; nec non in aliis casibus necessitatis, notatis à Doctoribus cum De Lugo, *de Eucharist. disp.* 20 *sect.* 2. *num.* 48. Fagundez, *in* 1. *præcept. Eccles. lib.* 3. *cap.* 13. *num.* 14. Pasqualig. & aliis.

6 Notandum sextò, posse à Summo Pontifice Privilegium concedi Missam celebrandi in quocumque loco decenti, cum Altari portatili, ut docet praxis quotidiana; & etiam in Navibus præsertim grandioribus, etiam dùm iter faciunt, ut vult De Lugo, loc. cit. & Granad. qui 3. *p. controvers.* 5. 6. *tract.* 14. *d.* 15. *num.* 2. asserit, ad hoc sufficere solam Episcopi licentiam, quod negat Coninch. *de Sacram, qu.* 83. *art.* 3. *disp.* 1. *num.* 226.

7 Notandum septimò, nostram difficultatem locum habere quando multo tempore navigantes Milites longè absunt à terra, ita ut non possint appellare pro offerendo Sacrificio; & reduci ad quæstionem facti, videlicet, an adsit, vel non adsit in mari, cùm Missa celebratur, periculum effusionis Sanguinis.

8 His adnotatis, ad difficultatem propositam, an Sacerdoti, habenti privilegium celebrandi extrà Ecclesiam, dum est in mari, Militibus serviens in qualitate Capellani, liceat erigere in Navibus magnis Altare, & Missam celebrare, negativè videtur respondendum cum pluribus Doctoribus, quos recenset Pasqualigus, *tom. 1. de Sacrificio novæ Legis, tract. 1. quæst. 471. num. 1.* Non enim celebrandi Missam adest consuetudo, quæ habet vim obligandi. Dein Navis non videtur decens locus ad celebrandum. Præterea habetur prohibitio celebrandi in loco fluctuanti, & expressè in mari, & in flumine, contenta in quodam Rituali, à Leone X. approbato, *par.* 1. *tract.* 5. *cap.* 35. & à Navarr *de Orat. Miscellan.* 90. citata. His accedit Decretum Sacræ Congregationis, quæ ad dubium ab Archiepiscopo Limen. in Indiis Occidentalibus propositum, an Episcopi debeant prohibere, tam Sacerdotibus sæcularibus, quàm Regularibus, ne celebrent Missæ Sacrificium in Navibus, tàm dùm navigant, quàm dum non navigant, ita declaravit, *Sacra Rituum Congregatio respondit, Ordinarios in casu proposito tam Sacerdotibus Regularibus, quàm sæcularibus prohibere debere. Die 12. Februarii, Anno 1633.*

Emmanuel Episcopus Portuensis Cardinalis Pius,
Julius Rospiliosus Secretarius.

Locus ✠ Sigilli.

Hanc declarationem refert Diana, *p.* 9. *tract.* 1. *Resol.* 45. in fin. Addit Navar. *in Man. cap.* 25. *num* 82. sublatum esse Privilegium Fratrum Prædicatorum, & Minorum celebrandi in quovis loco honesto. Hinc Pet. Palud. *in* 4. *dist.* 13. concludit, nullâ necessitate licere in Navi, in mari, vel super flumina celebrare Missam, ubi probabiliter timetur de effusione Sanguinis propter agitationem Navis.

Fateor, hanc opinionem esse communem, & ad praxim extrà casum magnæ necessitatis deducendam; Contrariam tamen, gravi urgente necessitate, puro probabilitate non carere, si periculum eversionis Sanguinis non adesset, adhibitâ debitâ cautelâ, & prudenti circumspectione, infrà in conclusione exprimendâ. Durand. *in Rationali Divin. Off. lib.* 4. *cap.* 1. *num* 41. Sà, verbo *Missa, num.* 19. Major. *in* 4. *dist.* 13. *qu.* 4. Laym. *lib.* 5. *Theol. Moral tract.* 5. *cap.* 5. *num.* 6. Fagundez, *in* 1. *præc. Eccles. lib* 3. *cap.* 10. *n.* 15. Gaspar Hurtad. *de Sacram. disp.* 4. *de Sacrific. Missæ, diff.* 6. *vers. observandum*, in fin. Palaus, *par* 4. *Oper. Moral. tract.* 22. *disp. unic. punct.* 8. *num.* 10. Card. de Lugo, *disp.* 20. *de Eucharist. sect.* 14. Duard. *in cap. Omnis utriusque disp.* 12. *sect.* 31. *num.* 2. Pasqualig. *tom.* 1. *de Sacrif. novæ Legis tract.* 1 *de loco, quæst.* 471. *n.* 3. Julius Ferret. *de jure, & re navali, lib.* 14. *n* 10. 9

Moveor primò juribus, *in l. adigere*, §. *quamvis, ff. de jure patr. l. quod dictum* 33. *ff. de pactis, cap. Cum cessante, de appellat.* ubi habetur, quòd cessante ratione legis, cessat lex. Et favet Tex. *in cap. Sicut, de consecrat. dist.* 1. ubi prohibetur celebratio Missæ extrà loca Sacrata, sed ibi excipitur casus necessitatis. Et *arg. in l. minimè, ff. de legibus*, ubi habetur, consuetudinem antheuticè introductam dici optimam rei dubiæ interpretem. Scimus autem antiquam esse consuetudinem celebrandi in mari, teste Baronio, *tom.* 8. *Annal, sub Anno* 700. *num.* 3. & hanc consuetudinem esse authenticè introductam, dubitandum non est; cùm fuerit introducta authoritate Summi Pontificis. Re enim diu, multùmque perpensâ, duo Summi Pontifices, nempe Clemens VIII. & Paulus V. ad instantiam PP. Societatis JESU concesserunt facultatem celebrandi Missam in Indiarum Orientalium navigatione, Cœlo tamen sereno, & ipso mari tranquillo. Sic refert Fagundez, *in Præcept* 1. *Eccles.* loc. cit. in princ, unde quamvis Concessio Pontificia faveat directè Navigantibus ad Indias; nihilominus, attentâ petitione ratione difficultatis, videtur etiam omnibus Navigantibus favere; cùm fuerit quædam declaratio, quòd liceat in mari celebrare; atque adeò quòd aliquando cessat periculum effusionis Sanguinis: Et successivè, cessante periculo, sit licitum omnibus, licentiam celebrandi extrà loca deputata habentibus, celebrare. 10

Moveor secundò rationibus: Nam sacrificium offerre in mari nullum jus præcisè & abso- 11

lutè prohibet, neque naturale, neque Divinum, neque humanum: Cur igitur non licebit Sacerdoti licentiam habenti celebrare extrà Ecclesiam, offerre Sacrificium in mari, si locus sit decens, & mare tranquillum? Tum quia tota difficultas reducitur, ut notavimus, ad quæstionem facti, an scilicet adsit, vel non adsit periculum effusionis Sanguinis. At non adesse hujusmodi periculum, quando mare est tranquillum, & Cœlum serenum, testantur ferè omnes maritimæ navigationis Periti, quorum relationi standum esse probat Tex, *in l. semel, Cod. de re militar. & in cap. Proposuisti, de probat.* ubi Felin, *num. 6.* Abb. *num 4.* Bart. *in l. 2. Cod de rescind. vendit.* & alii.

12 Moveor tertiò exemplo, in Sancto Uulfranio Senonensi Archiepiscopo, qui in Oceano Missam celebravit, & celebrando prolapsâ in mare è Ministri manibus Patenâ, oratione suâ impetravit, ut è profundo ad Diaconi manus rediret. Ita refert Baronius, *in Annal. sub Anno 800.* ex Surio, *tom. 2. die 20. Martii.* Et idem innuit sub *Anno 57.* ex Eusebio, *lib. 7. cap. 17.* Et tradit Jo: Diaconus, *in Vita Gregorii, lib. 1. cap 33.* D. Gregorius, *lib. 3. Dialog. cap. 36.* mentionem facit de aliquibus, qui cùm essent cum Maximiliano in Navi conquassata, Sacram Communionem laudabiliter sumpserunt; Quod sanè probabiliter ostendit, Missam in illa Navi fuisse celebratam. Fagundez, loc. cit. testatur audivisse à quodam ejus Patre Societatis JEsu, se plusquàm vigesies in Indica navigatione celebrasse absque ullo periculo. Idem pariter se fecisse testati sunt ex nostra Congregatione P. D. Andreas Borromæus, Apostolicarum Missionum Præfectus in Mingrelia, vir magnæ pietatis, prudentiæ, atque sinceritatis; P. D. Antoninus Vintimiglia, præclaris, & heroicis virtutibus exornatus, dilectissimus mihi in Novitiatu Submagister, qui in Borneum primus intulit Evangelium, ad illam vastissimam Insulam, Innocentii XII. Summi Pontificis speciali Diplomate Vicarius Apostolicus, ut notat P. D. Bartholomæus Fertus, in tomo secundo Missionum Clericorum Regularium, lib. 5. circà finem, quamprimùm typis tradendo; aliique Theatini Sanctæ Apostolicæ Sedis Missionarii ad varias Infidelium Provincias navigantes, & hoc quidem citrà ullum periculum, quibus rationabiliter credimus; quia magnæ Naves ita suo pondere, & anchoris firmantur, ut levis maris perturbatio non sufficiat ad eas concutiendas, aut movendas.

13 Concludimus igitur, licere Sacerdoti, habenti privilegium celebrandi extrà Ecclesiam, dum est in mari, Militibus serviens in qualitate Capellani erigere in Navibus magnis Altare, & ibi celebrare; dummodò Cœlum sit serenum & mare placidissimum, & adsit alius Sacerdos, qui consecratum Calicem manu firmet, ne cadat; cùm tunc cesset periculum effusionis Sanguinis.

14 Ad rationes in contrarium respondemus: Ad primam negando assumptum. Adest enim consuetudo authenticè introducta, quia introducta Pontificiâ Authoritate; Et præter dicta, testatur Thomas Hurtadus, *par. 1, tract. 2, cap. 6, ref. 26. num. 282.* & Granad. *3. p. controvers. 6. tract. 14. disp. 13 num. 2.* ex Episcopo Cyrenensi extare de hoc Breve Apostolicum, tribuens facultatem celebrandi in mari absque ullo scrupulo.

Ad secundam, negamus pariter, Navem magnam non esse locum decentem ad celebrandum. 15 Scimus enim olim in Navi Sacram Eucharistiam fuisse delatam: Testibus S. Ambrosio, *in Orat. funebri, de obitu Fratris Satyri*, Metaphraste, *in vita S. Theoctistis*, Baronio, *in Annal. sub Anno 57. Anno 404. num. 32.* & Surio, die 25. Augusti, ubi scribit, S. Ludovicum Francorum Regem in Navi Sacram Eucharistiam detulisse. Qui mos Sacram Eucharistiam in Navibus deferendi non ampliùs videtur licitus, ut indicat Baronius, *Anno 57.* Contrarium sentit Granad. *controvers. 6, de Eucharistia, tract. 4, disp. 13. art. 3.*

Ad tertiam, respondet Pasq. loc. cit. *n. 10.* 16
ibi allegans Card de Lugo, non constare allegatum Rituale positivè approbatum fuisse, sed tantum fuisse permissum; unde ex hoc dicit non „
acquirere authoritatem aliquam; nam ut po- „
tuerit permitti, sufficit, si non contineat ali- „
quid, quod non sit conforme probabili doctri- „
næ, qualis tunc præsertim erat, quòd non posset „
celebrari in mari. „

Ad quartam, videtur respondendum, mentem Sacræ Congregationis, si reverà fuerit supposita declaratio, fuisse prohibendum esse per Episcopos quibuscunque Sacerdotibus celebrare in mari, dum navigant, quando mare fluctuat, & adest periculum eversionis Sanguinis, & si non adsit aliqua necessitas; & dum non navigant, quando nulla est necessitas, & possunt commodè in alio decenti loco celebrare. Hanc meam responsionem, meque totum humiliter sapientissimo Oraculo Sacræ Congregationis subjicio. 17

Ad quintam respondemus, præfatum privilegium, si verè fuerit sublatum, quod nobis non constat, intelligi extrà casum necessitatis. 18

Infero primò ex dictis à fortiori, in duobus præsertim casibus, licitùm esse celebrare in mari; & quidem absque dubio, supradictis conditionibus servatis; nempè in diebus festivis, quando urget præceptum audiendi Missam, & quando alicui Moribundo dandum est Sanctum Viaticum. Ita etiam docet Pasq. loc, cit. *quæst. 472. num. 1.* 19

Infero secundò, licitum esse celebrare in flumine, si adest locus congruus, & instat necessitas ministrandi Moribundo S. Viaticum; aut urgeret præceptum audiendi Missam, & nullo modo posset in Ripâ celebrari, ratione pestilentiæ, aut belli, aut alterius rationabilis impedimenti. Pasq. loc. cit *q. 473 n. 3 & 5.* secùs verò extrà præfatos casus. 20

Infero tertiò, non posse ab Episcopis concedi hujusmodi licentias, & declarationes celebrandi in mari; cùm eorum Jurisdictio sit coarctata intrà limites suarum Diœcesum; undè non possunt concedere suis subditis facultatem celebrandi in aliena Diœcesi extrà loca deputata. Tenet etiam Coninch. *de Sacrament. quæst. 83. art. 3. dub. 1. num 226.* Dicastil. *eod. tit tract 5. disp. 4 dub. 6. num. 90.* Contrarium sentit Granad. *3 p. controv. 6. tract. 14. disp. 23. num. 6.* 21

22. In-

22 Infero quartò, Regulares Missionarios, qui cum derogatione Tridentini habent privilegium celebrandi extrà Ecclesiam, posse, etiam contradicente Episcopo, celebrare in mari, dummodò adsint conditiones in nostra conclusione relatæ; cùm Episcopus non possit tollere, aut restringere privilegium, quod hujusmodi Regulares habent celebrandi extrà Ecclesiam; quod declaravit Sacra Congregatio, ut refert Armendar. *in addit. ad recop. Legum Navarra, lib. 1. tit. 18. l. 7. de Episcopis, num. 70. & 71.* Vide Barbos. *in Trid. Sess. 22. de sacrificio Missæ, cap. 8. num. 19. & 20.*

23 Infero quintò, licitum esse celebrare in mari, vel ad gratias agendas DEO pro liberatione à tempestate; vel pro implorando auxilio DEI ad superandum aliquod periculum. In bisce enim casibus esse videtur aliqua necessitas celebrandi etiam in mari, si adsint prædictæ conditiones. Ita docet Franciscus Lugo, *lib. 5. de Sacrament. cap. 6. quæst. 1. num. 14.* ubi adducit pro se praxim.

24 Infero sextò, esse peccatum valdè grave impedire Sacrificium offerre in mari, vel in flumine, quando ejus oblatio putatur necessaria pro gravi, & publica necessitate, Sacerdoti, ad quem pertinet curare publicam utilitatem. Ita etiam Pasq. loc. cit. *q. 488. n. 4.*

25 Infero septimò, quando adest necessitas evidens celebrandi in mari, vel in alio loco, non esse necessariam aliam licentiam, cùm habeatur à Jure, quod prohibens celebrare Missam extrà loca deputata, excludit casum necessitatis, quæ legibus non subjacet, *cap. Mutationes, & cap. Scias frater, causa 7. q. 1. cap. Non minus, de Immunit. Eccles. & cap. Nemo, de regul. jur. in 6.* atque adeò casus necessitatis tanquàm exclusus à lege non remanet sub ipsius dispositione prohibitiva, sed sub concessiva.

26 Infero octavo, celebrare Missam absque licentia, & sine necessitate evidente extrà loca deputata, esse peccatum mortale ex genere suo; cùm Jura simpliciter statuant, id non esse licitum.

27 Infero nonò, non esse improbabilem opinionem dicentium, Celebrantes Missam absque licentia, & necessitate, aut Facientes celebrare in aliis locis, quàm à jure concessis, esse ipso facto ab Ecclesiæ ingressu interdictos. Duard. *In cap. Omnis utriusque disp. 12. sect. 3. n. 3.*

28 Infero decimò, non esse erigenda Altaria pro Venerabili, & adorando Sacrificio offerendo in Cameris, & Aulis, ubi liberè agitur, & scelera plurima committuntur Turrecrem. *in d. cap. Sicut de Consecrat. dist. 1. §. Ad tertium, num. 3.*

29 Infero undecimò, quòd olim licitè, & laudabiliter, sæviente contrà Ecclesiam persecutione Tyrannorum, sacrificia offerebantur in Cryptis, speluncis, & in domibus privatis, &c. & hodiè quoque Sacerdotes Catholici metu Hæreticorum in Anglia, & in aliis Partibus infidelibus, licitè Missam celebrant in domibus privatis Catholicorum, in Cryptis, & Cavernis Sacramenta ministrant, cum altari tamen Sacrato portatili, justâ existente causâ.

30 Infero duodecimò, causas justas necessitatis celebrandi Missam extrà locum Sacrum, tam in Terris Infidelium, quàm etiam in Terris Catholicorum, multas esse, ut pura quando Ecclesiæ alicubi dirutæ sunt, *cap. Concedimus, de Consecrat. dist. 1.* Quando exercitus adest in Castris, Quando fit longa peregrinatio per Loca Infidelium, ut notat Laym. *lib. 5. sum. tract. 5. cap. 5. num. 3.* ubi alias causas producit.

IV. DIFFICULTAS.

An milites per mare navigaturi ad bellandum, possint ante navis ingressum, à quovis Sacerdote approbato absolvi ab excommunicatione, sive Pontificis, sive Episcopo reservata.

Notandum primò, in articulo mortis excommunicatum posse à quolibet peccato, & à qualibet excommunicatione tam juris quàm hominis absolvi à quolibet simplici Sacerdote. D. Thom. *in 4. dist. 18. & dist. 20.* Innoc. Archi. *De pæn. dist. 1. Cap. Quem pænitet; & de sent. excommun Cap. Non dubium.* Syivest. *in summ. verb. absolutio 1. num. 8.* Esto hujusmodi Sacerdos esset in peccato mortali, quòd DEUS avertat: In quo tamen casu Sacerdos tenetetur se disponere saltem per actum contritionis. Contraria propositio fuit damnata in Concil. Trident. *Sess. 14. de Sanctissimo Pænitentia Sacramento, Can. 10.* 1

Notandum secundò, periculosam esse admodùm navigationem maris præcipuè tempore hyemis, *l. Civitas Phodiorum, Cod. de Offic. Rect.* unde Cato dicere solebat, trium, quæ in vita egit, se pœnituisse. Primum fuit, quòd arcana fœminæ credidisset. Secundum, si quis dies ipsi absque fructu effluxisset. Tertium denique, si quopiam navigio vectus esset, quo pedestri itinere pervenire licuisset; sentiens magnis mixtam periculis maris esse navigationem. 2

Notandum tertiò, secundùm Ant. Buttrium, & alios apud Menochium, *de arbitr. jud. lib. 2. cent. 1. cas. 61. num. 4.* tunc dici nos esse in periculo mortis, cùm mare navigandum est; vel cùm per loca periculosa est transeundum, & tenet Sayr. *in suo Thesauro, lib. 3. cap. 28. n. 16.* 3

Notandum quartò, secundùm Abb. *in Cap. Quoniam frequenter*, & alios, non esse omninò certum, mare navigantes esse semper in periculo mortis, sed id esse judicis, aut viri prudentis arbitrio relinquendum. 4

Notandum quintò, Judicem, aut virum prudentem posse arbitrari, navigantes dici in mortis periculo, si certis temporibus, quibus maria clauduntur, navigant; ut à die tertio Idus Novembris, usque ad diem sextum Martii; cùm tali tempore lux minime, noxque prolixa, nivium densitas, aeris obscuritas, ventorum, imbrium, vel nivium geminata sævitia, non solùm naves à pelago, sed etiam commeatus à terrestri itinere deturbet; ut notat Vegetius, *de re milita. lib. 4.* Secùs verò, scilicet non dici in periculo mortis eos, qui navigant maria consueta navigari, ut mare Adriaticum, Ligusticum, Hispanum, & his similia congruis temporibus, 5

 nempe

nempe à Kalend. Aprilis, usque ad Kalend. Octobris, ut dicit Tex. *l. quoties*, in fin. *Cod. de naufrag. lib. 11.* ubi sic „Susceptionis autem necessi„tas, ex Kalendis Aprilis in diem Kalendarum „Octobris mensura servabitur.

6 Notandum sextò, nunquàm licere Laico absolvere ab excommunicatione, & à peccato; cùm non habeat claves, ut in *dict. cap. Quem pœnitet. Dist. 1. de pœnit. & cap. Qui vult. Dist. 6. eod. Tit.* Trident. *Sess. 14. Can.* 10. qui est „Si quis „dixerit, non solos Sacerdotes esse Ministros ab„solutionis, sed omnibus, & singulis Christi fi„delibus esse dictum, Quæcunque ligaveritis „super terram, erunt ligata, & in Cœlo: Et „quæcunque solveritis super terram, erunt so„luta & in Cœlo, & quorum remiseritis peccata, „remittuntur eis, &c. anathema sit, & tradit Ant. Butr. *in cap. Pastoralis, de Offic. Ord. § Præterea, num.* 16. Et ex alia parte possit excommunicato subveniri post mortem, si constet de contritione per aliqua signa, ut *in cap. A nobis. de sentent. excomm.*

7 Notandum septimò, In naufragio non facilè posse constare de contritione excommunicati, si omnes submergerentur; cùm tunc sit periculum commune omnium. Ita Butr. *in d. cap. Postulasti, §. Præterea, num.* 16. *de Offic. Ordin.*

8 Notandum octavò, Decreto edito à Sacra Congreg. Episcop. & Regular. relato à Nald. *in summâ*, in verb. *Casus reservatus*, *sub. n.* 15. prohiberi tam Sæcularibus, quàm Regularibus virtute privilegiorum quorumcunque concessorum, etiam Societati JESU, absolvere à casibus, Summo Pontifici in Bulla Cœnæ, vel aliter reservatis; & etiam à reservatis, vel in posterùm reservandis locorum Ordinariis, sub pœna excommunicationis, privationis Officii, ac inhabilitatis ad ea eo ipso incurrendâ: Et absolutiones aliter obtentæ invalidæ declarantur. Deinde aliud Decretum ejusdem Sacr. Congreg. de mandato Pauli V. editum fuit, relatum ab eodem Naldo, loc. cit. versùs fin. ad declarandum, quòd per prædictam prohibitionem absolvendi à reservatis per Ordinarios locorum continentur etiam excommunicationes eisdem reservatæ. Et ideò Alexander VII. justè damnavit Doctrinam asserentium, Mendicantes posse absolvere à casibus Episcopis reservatis, non obtentâ ad id Episcoporum Facultate, quæ est propositio 12. in ordine ab eo damnatarum.

9 His adnotatis; ad difficultatem propositam, an milites mare transfretare volentes, possint antè ingressum navis, per quemlibet Sacerdotem approbatum absolvi ab excommunicatione, Pontifici, aut Episcopo reservatâ, videtur absolutè affirmativè respondendum, quia jam videntur esse in mortis periculo.

10 Scio hanc opinionem, quam alibi secutus sum, esse quasi communem, sed non esse ita absolutè veram, re meliùs consideratâ, firmiter arbitror; cùm in jure constituatur discrimen inter constitutum in mortis articulo, & navigantem mare; quia navigans non censetur esse in periculo, quando opportunis temporibus navigat, seu navim ingreditur, ut ostendit Paulus *in l. utique §. Culpa, ff. de rei vend.* dum negat eum esse in culpâ, qui tempore congruo ultra mare navigans, naufragium fecit. Affero igitur, milites excommunicatos, mare transfretare volentes, posse per quemlibet Sacerdotem, dummodò non adsit Episcopus, vel proprius Sacerdos habens necessariam facultatem, ab excommunicatione reservata absolvi, si mare ingrediuntur tempore periculoso, nempè à die tertio Idus Novembris, usque addiem sextum Idus Martii. Vel maria ingrediuntur non consueta navigari. Ita sentire videntur Hostien. *in sum. lib. 5. tit. de sent. excomm num. 4. §. Super illo, vers. secunda regula;* Summ. Astens. *p. 2. lib. 7. tit. 5. art. 3.* Ant. Butr. loc. cit. & alii, quos recenset, & sequitur Sayr. *in suo Thesauro. lib. 3. cap. 28 n.* 16.

Moveor primò juribus, *in l. Civitas Phociorum, Cod. de Off. Rect.* ubi habetur, navigationem maris in byeme esse periculosam: *& arg. in l. sed & si quemcunque, ff. ad leg. Aquil.* ubi dicitur, fatuum esse dicere, quòd post mortem ad medium recurratur; sicut dicitur, in defensione non esse expectandum primum ictum: Atque adeò, cùm adsit periculum in navigatione, non tenentur exspectare milites excommunicati absolutionem quærere ab excommunicatione reservata, & se exponere periculo catendi post mortem beneficio absolutionis, quamvis signa dederint contritionis; cùm omnes possint in naufragio submergi. *Et l. scire leges, ff. de leg. & l. benigniùs, eod. ff.* ubi habetur, leges esse benignè interpretandas; unde legem excommunicationis reservatæ non esse intelligendam, obligare in periculo mortis; & sic in transfretare mare volentibus, quando imminet ejusmodi periculum, locum non habere, nisi cessante impedimento. 11

Moveor secundò rationibus: nam Ecclesia, quæ est pia Mater, in casu necessitatis, vel cùm alia adsit causa justa, præsumitur concedere facultatem etiam inferioribus Confessariis ad absolvendum Pœnitentes etiam à casibus, & censuris reservatis, licet cum onere, cessante impedimento, se præsentandi Reservatori; aliàs non provideret suis Filiis de necessariis. Tum etiam, quia in periculo esse mortis navigantes, seu navigantes tempore byemali, à nobis notato, videtur certum: atque adeò Anacharsis Sebita cuidam interroganti, an navigantes certis temporibus inter mortuos, vel inter vivos referret, respondit--*In utroque numero pono*, sentiens maximum esse navigationis certis temporibus periculum. Posse autem Pœnitentem, per quemvis Confessarium à casibus, & censuris reservatis absolvi, omnes fatentur, in absentia tamen Ordinarii, vel alteriùs Sacerdotis babentis facultatem necessariam. 12

Moveor tertiò exemplo, seu potiùs praxi continuâ. Scimus enim, à quovis Confessario, imminente naufragio, seu periculo mortis, absolvi pœnitentes ab omnibus peccatis, & censuris reservatis, & à nemine ejusmodi absolutionem damnari. 13

Concludimus igitur, milites, cæterosque mare navigare volentes tempore periculi probabilis, secundùm arbitrium viri prudentis, posse per quemvis Confessarium inferiorem absolvi ab excommunicatione, aliisque Casibus reservatis; dummodò voluntatem babeant, cessante impedimento, 14

mento, se præsentandi Reservatori, quem adire tunc non possunt justâ causâ impediti; Secùs verò, si maris navigationem suscipiunt aliis temporibus congruis juxtà notata.

15 Ad fundamentum opinionis communis respondemus, non esse verùm, absolutè loquendo, eò quòd quis ingreditur mare esse in periculo mortis; aliàs nullus, ut optime advertit Ant. Butr. loc. cit. mare intraret.

16 Infero primò ex dictis, absolutum in articulo mortis à casibus Papæ, aut Episcopi reservatis, quibus est annexa excommunicatio, si supervixerit, teneri, cessante periculo, se conspectui Apostolico, aut Episcopali præsentare quàm citiùs commodè poterit, Navar. *in sum. cap. 26. num. 26.* Coninch. Regin. & alii.

17 Infero secundò, absolutum in periculo mortis à censurà reservatà, per alium, quàm per Reservatorem, vel ab ipso Delegatum, incidere in eandem excommunicationis sententiam, si cessante periculo, Reservatori non se præsentet, ut per Text. *in cap. Eos, de sent. excomm. in 6.* ubi dicitur, *Quàm citiùs opportunitatem habuerit.* Habuisse autem opportunitatem, & commodè potuisse, dicitur, quando cessante impedimento, & habito tempore sibi providendi de necessariis, non vult se præsentare cui debebat, *arg. in l. ab hostibus, §. fin. ff. ex quibus caus. major.*

18 Infero tertiò, constitutum in periculo mortis, si dùm absolvitur à Confessario inferiori à Casibus reservatis quibus est annexa excommunicatio, non habet ante beneficium absolutionis voluntatem se præstandi Reservatori, si cessaret periculum, sciens se habere talem obligationem, peccare mortaliter, & sic non tenere absolutionem, & teneri reiterare Confessionem. Ita docet etiam Molfesius *in summ. p. 1. tract. 7. cap. 21. num. 49.*

19 Infero quartò incidenter, donationem causâ mortis dici, & valere, quando qui donat, peregrè est profecturus; & præsertim, quando mare est periculosè navigandum, Menochius, *de arbitr. jud. lib. 2. cas. 61. num. 3.* asserens in hoc sensu esse intelligendam *leg. 3. ff. de donat. caus. mort.*

20 Infero quintò, in bello campestri contrà Turcas, vel alios, posse Pœnitentem per Confessarium inferiorem absolvi à censuris reservatis, si justum & manifestum appareat periculum mortis; Secùs verò, si arbitrio prudentis viri probabile periculum non adsit.

21 Infero sextò, licere Inferiori Confessario absolvere à Casibus reservatis positum in obsidione, si locus obsessus, expugnetur cum machinis, & adsit commune periculum. Secùs verò, si locus obsessus non expugnatur machinis, & hostium exercitus sit à longè; quia tunc non censetur adesse periculum. Tradit etiam Ant. Butr. loc. cit. ubi inquit, ponderandum esse à Confessario, priusquàm absolvat, in obsesso modum obsessionis, & qualitatem personæ; an scilicet sit bellator, & quibus periculis sit à suo Duce exponendus;

22 Infero septimò, posse absolvi per Confessarium inferiorem à Casibus reservatis Pœnitentem, si sit per loca periculosa transiturus; si timet hostes, prædonem, vel crudelitatem potentis; dummodò in hisce casibus adsit probabile mortis periculum. Sayr. loc. cit.

23 Infero octavò, à Casibus reservatis per Confessarium inferiorem posse absolvi mulierem prægnantem, si aliàs non pepererit; & multùm timeat partum, & sit valdè debilis. Secùs verò, si fortis, & robusta sit, & alios habuerit filios, & facilè peperit. Ita etiam docet Ant. Butr. loc. cit. *num. 17.*

24 Infero nonò, habentem excommunicationem reservatam, & petentem ab ea absolvi in periculo mortis; si morte præventus, absolutus non erit, & ante mortem apparuerint in eo signa contritionis, nec per eum steterit quominùs absolveretur, posse post mortem absolvi, sed tantùm ab eo, qui poterat illum absolvere vivum. *Cap. A nobis 2. de sent. excom.* quæ absolutio valet, ut possit frui suffragiis Ecclesiæ; & sepulturâ in loco sacro. Sayr. loc. cit. *num. 17.*

V. DIFFICULTAS.

Subditus Principis bellum justum gerentis cum alio Principe, docet hostes sui Principis fabricare quasdam naves ad pugnam navalem aptiores. Dubitatur, num talis subditus, si non habet animum suo Principi nocendi, peccet mortaliter, & dignus sit morte.

1 Notandum primò, Subditum posse dici quatuor modis: 1. causâ originis; 2. causâ domicilii; 3. causâ delicti. 4. causâ sustinentis, ferentisque onera Civitatis: ita communiter Jurisperiti, inter quos Menoch. *cons.* 1140. *num.* 22.

2 Notandum secundò, illum dici propriè subditum, qui subditus est causâ domicilii, quod prævalet origini; seu qui in loco domicilium habet, de quo loquuntur Gloss. *in Clem.* 1. in ver. *Subditos,* in fin. *de for. compe.* Alex. *cons. 34. num. 5.* Decian. *cons. 661. n. 6.*

3 Notandum tertiò, naves fabricandas esse pro navali prælio idoneas, & magis aptas adversùs instructam hostium classem. Leo Imp. *de bell. appar. cap. 19. num. 3. & num. 4.* ubi ostendit qualis debeat esse dromonum, seu triremium confectio.

4 Notandum quartò, classem esse pro bello necessariam, & imperio valdè proficuam: Ita sentientibus antiquis Romanis, Orbis dominatoribus, in omni bello perdoctis; judicantibus, exercitum in terrâ, & classem in aquâ, tàm pro augmento, & tutelâ Imperii, quàm pro bello, & populorum usu, & humana necessitate requiri.

5 Notandum quintò, navium fabricam antiquam esse, & constat ex constructione Arcæ, quàm DEUS fieri jussit per Noë: erat enim illa instar navis, atque eundem cum hac usum habens; & naves fabricari ex ligno Cedrino, & cupressino apud Asiaticos, ex palma apud Ægyptios, ex quærcino apud Europeos.

6 Notandum sextò, peritissimos navium Artifices Italos esse, quoad triremes, aut biremes, quas à Thucydide repertas, Plin. *lib. 7.* tradit; quoad

quoad verò onerarias, Hispanos, Anglos, & hoc tempore etiam Batavos.

7 Notandum septimò, naves fuisse repertas ad navigandum, & ad mercantile negotium pro populorum commoditate, & servitio, ne dum illorum, qui apud maritima loca incolunt, sed etiam ipsorum, qui in montibus, & vallibus degunt, *l. arboribus. §. Naves, ff. de usufructu:* Et esse inventas ad similitudinem piscium natantium, qui caudâ reguntur, & levi motu, & momento veloci in utrumque latus flectunt velocitatem suam; ad similitudinem milui, volantis in aere, teste Plinio, ob alarum, & caudæ motionem, aliarumque avium ex raptu viventium, ut sunt Falcones, Accipitres, & Aquilæ.

8 Notandum octavò, navem propriè esse maritimam; impropriè verò, & generaliter intelligi etiam fluvialem; & Ratem propriè esse, & dici fluviorum navim, *l. solet, ff. de feriis, l. nauta, caupo. stabul. & l. 1. ff. de incen. rui. nauf. & l. 1. ff. de exerc. actio.*

9 Notandum nonò, multas navium esse species, variis nuncupatas nominibus, & plerasque ab usu differentiam sumere, vel à modo eas dirigendi. Sic vocamus Triremes, Biremes, Quadriremes, Quinqueremes à remorum, quibus egitantur, ordine, & numero, teste Ferret. *de jur. & re navali, lib. 2. num. 1.* ubi dicitur, Dromones sex, septem, octo, decem, duodecim, quatuordecim, sexdecim, & ultrà triginta, & usque ad quadraginta ordines remorum fuisse. Easdem vocamus actuarias, quarum meminit Hirtius, *de bello Alexandri.* Vocamus Liburnas à Liburna dictas Dalmatiæ parte: Rostratas à Rostris, quæ navi imponebantur, easdem æratas, quia rostra ex ære erant: hinc Virgil. *lib. 8. Æneyd.*

In medio Classes æratas, actia bella
Cernere erat.

Vocamus Celoces à celeritate dictas, & à Rhodiensibus inventas; Prætoriam, quæ præ cæteris prima est, & quam nos Capitaneam dicimus, in qua Classis Præfectus navigat. Sunt aliæ naves, quæ vocantur Onerariæ, Frumentariæ Marinæ, Piscatoriæ, Prædatoriæ, Piraticæ, Speculatoriæ, Constratæ, quæ & tectæ, Bellicæ, &c.

10 His adnotatis, ad difficultatem propositam, an subditus Principis, bellum justum gerentis cum alio Principe, si doceat hostes sui Principis fabricare quasdam naves ad pugnam navalem aptiores, præciso animum suum Principem lædendi, peccet mortaliter, & dignus sit morte; videtur negativè respondendum; siquidem peccatum non intelligitur, nisi ratione corruptæ intentionis. Præterea, docere artem per se licitam; licitum est. Insuper, Subditus Principis docendo hostes naves fabricare, forsitan de Principe, & multò minùs de DEO actu non cogitat, sed tantùm de lucro; & ideò quamvis peccarét, ejus peccatum non esset offensa DEI, & Principis; neque peccatum mortale, dissolvens amicitiam DEI, neque æternâ, aut temporali pœne dignum.

11 Veritas tamen est, hunc subditum, docendo hostes sui Principis naves fabricare ad conflictum fluvialem, vel maritimum aptiores, graviter peccare, & pœnam capitalem mereri: Ita sentire videntur Cu. *in conf. 161.* Soc. *in conf. 17. lib. 3. col. 8.* verb. *nunc capio quartam difficultatem,* Dec. *conf. 604. num. 2.* Decian. *in tract. crimin. lib. 7. cap. 13. num. 19.* & ita communiter Theologi & Jurisperiti.

Moveor primò juribus, *in Cap. Quæ contra, 8. dist.* ubi dicitur, quòd turpis est omnis pars, quæ suo universo non congruit; unde Subditus, si non congruit suæ Reipublicæ, cujus est pars, imò ab eâ dissentit, ejus hostibus congruendo in instructione navium, quibus illa faciliùs impugnatur, non potest turpitudinem, seu deformitatem culpæ effugere; & apertè *in l. ult. Cod. de pœnis,* ubi supplicio capitali punitur, qui docet Barbaros naves ædificare; & appellatione Barbarorum veniunt etiam hostes, ut explicat Glos. *in Proœm. Instit. §. Quorum utrumque* in verb. *Barbarica.* Facit quoque Text. *in l. cujusque, ff. ad leg. jul. majest.* vers. *cujusvè opera* ubi de gravi crimine notantur illi, quorum ope hostes adjuti erunt, id est, explicat ibi Glos. auxilium hebuerunt. 12

Moveor secundò rationibus; nam Subditus, docendo hostes sui Principis naves ædificare, quibus potest ipse faciliùs offendi, graviter deficit in fidelitate, quam tenetur ei omni tempore exhibere. Tum quia, qui defert ad Infideles prohibita in Bullâ Cœnæ, quamvis non habeat animum offendendi Ecclesiam Catholicam, nihilominùs peccat mortaliter, quod est certissimum; incidit enim in excommunicationem Pontifici reservatam, quæ non infertur, nisi pro eo, quod est mortale, ut advertit Sylv. *in summ. v. de artibus, num. 6.* & gravi pœnâ punitur, quæ est ipsamet excommunicatio. Ergò idem dicendum est ob identitatem rationis de Subdito docente hostes sui Principis naves aptiores ad pugnam ædificare; nempe eum graviter peccare, & pœnam gravem mereri, licet animum non habeat suum Principem lædendi. 13

Moveor tertiò exemplo, in Tusculis lege flaviâ damnatis, quòd Veliternis, Privernatibusque opem, & consilium dedissent contrà Populum Romanum, ut refert Livius, *lib. 8.* apud Decian, loc. cit. *num. 2.* Additur praxis quotidiana: Videmus enim Artifices, qui proprias artes in favorem hostium suæ Reipublicæ, seu sui Principis exercent, ad mortem, vel saltem ad triremes, si minus fuit delictum, seu opus, infallibiliter damnari. 14

Concludimus igitur, Subditum Principis, bellum justum gerentis cum alio Principe, si doceat hostes sui Principis fabricare naves ad conflictum navalem, vel fluvialem aptiores, peccare mortaliter, & mortem mereri, quamvis animum non habeat suum Principem offendendi. 15

Ad opposita respondemus: ad primum, concedendo ant. ergò intentio Subditi, de quo egimus, non est corrupta, negamus hanc consequentiam: Siquidem iste Subditus nonne scit gentes, quas edocet naves fabricare, contrà suum Principem bellare? Nonne scit hostes sui Principis hisce navibus effici potentiores? Quomodò ergò efficiendo id, quod est sui Principis offensivum, non intendit suum principem offendere? Corrupta sane censenda est ejus intentio. 16

Præter-

Prætetquam quòd, docet D.Thom. 1.2. *quæft. 18. art. 10.* malitiam actus moralis etiam ex circumftaotiis defumi.

17 Ad fecundum, diftinguendo ant; docere artem per fe licitam, & quæ ex circumftantiis non evadit illicita, concedimus effe licitum; at fi ex circumftantiis fiat illicita; negamus hoc licere. Cettum eft autem, attentâ circumftantiâ temporis, quo bellatur, illicitum evadere quidquid in hoftium auxilium præftatur.

18 Ad tertium, negando confequentiam; nam qui facit opus illicitum, vel ex fe, vel ratione circumftantiarum, quamvis actu non cogitet de DEO, neque intendat DEUM offendere, nihilominùs DEUM offendit graviter, vel leviter juxtà qualitatem materiæ: Ad conftituendam enim malitiam motalem fufficit cognoicere opus, quod fit, effe malum, ut tradunt communiter Theologi: Et ideò rectè fuit à fel. record. Alexandri VIII. 24. Augufti, Anno 1690. tanquàm fcandalofa, temeraria piarum aurium offenfiva, & erronea profcripta hæc propofitio *Peccatum philofophicum, feu morale eft actus humanus, difconveniens natura rationali, & recta rationi. Theologicum verò & mortale eft tranfgreffio libera Divina Legis. Philofophicum quantumvis grave in illo, qui DEUM, vel ignorat, vel de DEO actu non cogitat, eft grave peccatum, fed non eft offenfa DEI, neque peccatum mortale diffolvens amicitiam DEI, neque æternâ pœnâ dignum.*

19 Infero primò ex dictis, quemlibet fubditum ad fidelitatem teneri, etiamfi Feudatarius non fit. Sic etiam docet Bart. *in extravag. ad reprimend. in Glof. 3.* Alciat, *refpon. 172. num. 6.* Oldrad *conf. 156.*

20 Infero fecundò, Subditum Vaffalli committentem rebellionem contrà Principem ipfius Vaffalli, vel contrà ipfum Vaffallum, fi Princeps damnum patiatur, dici rebellem Principis, eidemque applicari bona publicanda. Nobis pariter confentit Boff. *in tit. de crim. læfa majeft. num. 99.* ubi plures allegat: Efto fubditus Vaffalli, feu Feudatarii non dicatur propriè Principis Subditus, ut vult Menoch. *in conf. 1156. num. 59.*

21 Infero tertiò, Subditum origine, v. g. Regis Gallorum, habitantem in ditione Regis Poloniæ, fi refiftat Regi Gallorum, dici contrà eum rebellionem committere. Sic tenet quoque Boff. *d. tit. de crim. læfa majeft. num. 95.* Decian, *in tract. crim. lib. 7. cap. 32. num. 40.* & favet Text. *in Clem. Paftoralis, in §. Rursùs de re judic.*

22 Infero quartò, licere Principi bellum indicere Subditis, qui rebellant, fi alio modo eos punire non valet. Sic tradit Ifern. *in Conft. Regni, fub tit. de cultu pacis,* incip. *Pacis cultum,* in verf. *Contrà rebelles:* fequitur Gig. *fub. tit. de rebell. quæft. 21. num. 5.* Decian. loc. cit. *num. 28,* ubi addit, *num. 29.* quòd fubditi, qui rebellant, non poffunt prætendere aliquam juftam caufam refiftendi, cùm pro Principe femper præfumatur, & pro geftis ejusdem, ut not. *in l. quoties, Cod. de precib. Imperat. offer.* & tenet etiam Guido Papa, *quæft. 589. num. 3. verf. ne fubditus;* & fucceffive, attentâ juftitiâ hujusmodi belli, poteft Princeps tutâ confcientiâ incendere, & ad nihilum redigere Civitates, & Oppida, ubi rebelles degunt, fi alio modo fuperari non poffunt.

Infero quartò, non effugere infamiam, & 23
pœnam criminis læfæ majeftatis eum, qui in infidias hoftium deduxit exercitum fui Principis, vel hoftibus illum prodidit; Apertus eft etiam Text. *in d. l. cujusque,* in princ. *ff. ad leg. jul. majeft.* & tradit Gig. *in de tract. de crim. læfa majeft. fub tit. qualiter, & à quibus, quæft. 60.* & bonus Text. *in l. proditores, ff. de re milit.*

Infero fextò, graviter peccare, & suppli- 24
cium capitale mereri eum, qui mutuavit hoftibus fui Principis pecuniam falfam, vel reprobam, fi poffunt eâ juvari. Ita Gig. loc. cit. *q. 34. n. 19. & feq.*

Infero feptimò, Vaffallum, qui contraxit ami- 25
citiam cum inimicis fui Principis, effe Feudo privandum. Sic etiam not. per Gloff. *in l. 1. §. Cum patronus, de Offic. Præf. Urb, & in l. liberti,* ubi Gloff. & Bald. in fin. *Cod. de inoff. teft. & in cap. 1. qui mo feud. amitt.*

Infero octavò, peccare Artifices, fi inter 26
fe conveniant, & pacifcantur de aliis non inftruendis circa opera favorabilia fuo Principi; aut de non vendendis rebus, nifi certo modo, fi hoc faciant fraudulenter, puta pro auxilio hoftibus præftando. Innoc. *in cap. Significante, de app.* Secùs verò, fi ex privilegio, vel confuetudine. Sylv. *in fum v. de artibus, fub num. 2.*

Infero nonò, non effe peccaminofum extrà 27
tempus belli docere quosvis (Turcis, & Hæreticis exceptis, qui funt habitu, fi non actu, Reipub. Catholicæ hoftes,) artificia bellica, vel modum illa conftruendi, vel confervandi, puta incidere ligna decrefcente Lunâ, pro fabricandis navibus liburnis, & triremibus bellicis ex cupreffu, pinuque domefticâ, vel fylveftri, tilia rubea, aut abiete, hyemali tempore, quo arbores non fentiunt humorem; cùm ligna tunc incifa conferventur à tineâ, feu à carie, ut notat Ferret. *de jur. & re nav. lib. 1. n. 6.*

Infero decimò, non licere Peritis docere 28
hoftes fui Principis magnam Claffem brevi tempore fabricare, ut fuit illa, quâ Publius Cornelius Scipio, pofteà Africanus dictus, devictâ Africâ, à nemore excifâ, infrà quadraginta quinque dies fabricatâ, & munitâ quinque ordinibus remorum, celeriter navigavit in Siciliam, & repentè in Hifpaniam, ubi hoftes pluries rupit ut narrant Hiftoriæ.

Infero undecimò, Vaffallum, qui propter 29
opem hoftibus fui Principis præftitam, vel propter aliud delictum contrà fuum Dominum commiffum, non fuit feudo à fuo Domino, feu Principe privatus, aut poterat de jure privari, non poffe à Succeffore Principis indulgentis eo privari; nam perinde fe habet, ac fi nihil in Dominum commififfet; *arg. l. omnimodò,* cum Gloff. *Cod. de inoff. tefta.* & ita inquit Albertus Brunus, *in Concil. 107.* cum aliis, quos producit, & fequitur Card. Albanus, *in Lucubrat. in Bart. in l. Iuris gentium, §. quin imò, ff. de pactis, n. 8.*

Infero decimo tertiò incidenter, effe prohi- 30
bendas etiam in domibus immundas artes, à quibus fætor excitatur, tanquam publico, & privato Bono, feu publicæ & privatæ faluti no-

civas, ob periculum putrefactionis aeris. Ita etiam Episcopus Verulanus, *ad Statuta Faventia, tom. 1. observat. ad Rubr. 70. lib. 4. num. 1.* ubi per se allegat. Cæpol. *de servit. Urb. præd. cap. 48. num. 3.* Zach. *Q. Q. Medicolegal. lib. 5. tit 4. quæst. 7.* Paciheil. *de distan. cap. 6. memb. 6. num 15.* addens ibi *num. 4.* successivè, artem fabricandi candelas sebaceas esse seorsim ab aliis, & in extremis partibus Civitatum collocandam, cum expressa prohibitione, ne alibi in Civitate exerceatur.

VI. DIFFICULTAS.

Titius construit Naves incendiarias, quæ vulgò Brulotti *nuncupantur, quæque in bello navali solent adhiberi. Dubitatur, num hujusmodi constructio sit licita?*

1 NOtandum primò, Naves incendiarias ortum habuisse, ni fallor, à quodam genere ignis incendiarii, quem Calymachus Græcus Architectus, ut refert Jul. Ferret. *de jur. & re navali, lib. 7. num. 15.* docuit Romanos pro bello navali, qui bulitio nuncupabatur, & faligineo carbone, sale, aquavitis, sulphure, pice, thure, lana, filo, bombice, stuppa, & cannabe componebatur.

2 Notandum secundò, ignem incendiarium, à quo Naves, de quibus est sermo, nomen desumunt, esse mixturam coctam, quæ fit cum carbonibus pistis salicis aquavitis, salnitro, pice, camphorâ, rasapineâ, oleo saxi, terræbinthinâ, vernice liquidâ; omnibus insimul mixtis, servatâ quantitate æquali uniusvis rei: Quæque mixtura involvenda est cum stuppa circum crumenam telæ crassam, factam arbitrio facientis, priùs tamen impleatam pulvere crassorum instrumentorum bellicorum. Fit dein foramen unum intrans in crumenam, & illud impletur pulvere optimè nitrato, ut citiùs ignis operetur.

3 Notandum tertiò, Naves incendiarias tantam vim habere comburendi, quòd una sola potest plures Naves incendere, teste Cassio, qui, ut narrat Ferret. loc. cit. *num. 12.* cùm haberet aliquas veteres naves onerarias, quandam mixturam incendiariam in se continentes, efflante vento opportuno illas incendit, easque subitò impulit in hostium Classem, quæ fuit ab illis incendio consumpta. Hæc nempè incendia Navium, quæ in mari sequuntur, Lucanus Poeta Cordubensis, nepos doctissimi Senecæ, describens, ait,

Quam pelago diversa lues, nam pinguibus ignis.
Affixus tedis, & tecto sulphure vivax
Spargitur ad faciles, præbent alimenta Carina.
Nunc pice, nunc liquida rapuere incendia Cera.
Nec flammam superant unda, sparsisque per aquor.
Jam ratibus dirus certò, sibi vendicat ignis.

4 His adnotatis, ad difficultatem propositam, an Titius construens Naves incendiarias, quæ vulgò *Brulotti* nuncupantur, quæque in bello navali solent adhiberi, licitè agat, videtur negativè respondendum; siquidem harum Navium venditio, vel donatio tendit in ingentia alterius damna; unde Titius has Naves construendo, reus fit omnium, quæ inde sequuntur, juxtà Tex. *in cap. Si tu, causa 27, quæst. 5.* & omnium debet pœnam sustinere, cùm sit cooperator, *cap. Notum, causa 2, quæst. 1.* Tum quia Summa Ang. dicit, peccare eos, qui faciunt fucos & alia, quæ possunt inservire peccato: Ergò dicendum est, peccare pariter Titium construendo Naves, de quibus loquimur; cùm possint inservire, imò cùm inserviant primò, & directè peccato, nempe proximi damno, & fortassè etiam bello injusto. Præterea, adest Tex. apertus, *in cap. unic. de Sagit.* ubi sub anathemate interdicitur ars respiciens hominum internecionem ex insidiis; estò dicant communiter Doctores, quòd iste Canon non est latæ, sed ferendæ sententiæ, ut notat Sylv. verb. *de artibus, num. 6.*

5 Veritas tamen est, Titium minimè illicitè agere, Naves incendiarias construendo, si recta sit ejus intentio, infrà in Conclusione explicanda; & has minimè faciat; aut vendat, ut homines hisce abutantur; nec has donet, vel vendat illis, quos scit, aut credit in bello injusto se eis abusuros, D. Th. 2. 2. *quæst. 163. art. 2. ad 4.* Pis. verf. *negotiatio*, §. *4. 5. 6. & 7.* Ray. quem producit, & sequitur Sylv. *p. 5. de artib. num. 3.* Rosella, verf. *negotiatio*, §. *3. 4. 5. & 6.* Angelica, verb. *ars*, Tabien. eod. verb. *sub n. 6.*

6 Moveor primò juribus deductivè, *in cap. Dominus noster, causa 23. quæst. 2. & cap. Ut pridem ead. causa, quæst. ult.* ubi habetur, omnia in bello justo licita esse; nempe insidias, arma, machinas, & similia; undè quicunque hæc construit ob talem finem, licitè agit. Facit quoque Tex. *ind. cap. unic. de sagit.* ubi Summus Pontifex prohibet sub anathemate exercere artem mortiferam, & odibilem Ballistariorum, & Sagittariorum adversùs Christianos, & Catholicos; cùm hæc causam homicidio præstare soleat, quando bellum est injustum: Secùs verò, quando justum est bellum, ut explicat Gloss. ibi in verb. *Christianos*, dicendo: *Intellige de bello injusto; arg. in cap. Sicut: Et infrà. Si constiterit* il terzo, *de jurejur.* & consentit D. Th. 2. 2. *quæst. 40. art. 1. ad 4.* & ibi Cajet.

7 Moveor secundò rationibus: Siquidem id, quod nullo jure prohibetur, nec ex se malum est, aut ex circumstantia, aut ex fine, vel intentione, non potest dici illicitum; talis est constructio Navium, de quibus loquimur: Nullibi eam constat prohiberi; Ex se mala non est; cùm sit actio indifferens; neque ex circumstantia belli, ad quod ordinatur, quia supponitur justum; neque ex fine, cùm sit lucrum ad subveniendum suis; neque ex intentione, quam rectam supponimus: Ergò, &c. Tum quia datâ justitiâ belli, licitum est quibuscumque armis, & instrumentis uti, & pugnare; imò & hostes decipere, & damna inferre, ut patet ex dicto *cap. Dominus;* & successivè licebit Artifici Naves incen-

incendiarias construere, tanquàm instrumenta pro pugna navali necessaria. Tùm etiam, quia cooperari ad finem licitum, & justum, licitum est secundùm omnes Philosophos, & Theologos, dummodò media sint licita, aut indifferentia. Quid autem facit Titius Naves incendiarias construendo? Profectò, cooperatur ad finem, qui licitus, & justus supponitur, & medio quidem ex se indifferenti, & licito: Ergò, &c.

8 Moveor tertiò exemplo, in artificibus, & Venditoribus fucorum, & aliorum ornamentorum, quos D. Th. 2 2. *quæst. 169. art. 2. ad 4* communiter receptus, asserit licitè se gerere, & nullatenùs peccare in usu talis artis, nisi fortè interveniendo aliqua curiosa, & superflua; & adducit rationem, quia mulieres licitè se possunt ornare, vel ut conservent decentiam sui status, vel etiam ut placeant viris suis; estò hujusmodi ornamenta frequentiùs sint peccata mortalia. Additur ad rem nostram praxis quotidiana. Scimus enim, Naves incendiarias passim ab Artificibus construi, & ab eisdem classes noo tatò incendi, ut nostris temporibus in Portu Panormi tempore belli evenit; & nihilominùs videmus hos Artifices, nec à Theologis, nec à Sancta Sede, nec à Principibus laicis ob hujusmodi artis exercitium damnari.

9 Concludimus igitur, licere Titio Naves incendiarias, quæ *Brulotti* vulgò nuncupantur, construere dummodò recta sit ejus intentio, ut scilicet ex lucro subveniat suis, vel alienis indigentibus, ut decenter vivat; & minimè faciat, aut vendat, aut donet bis, quos scit, aut credit in bello injusto se illis abusuros; quo in casu peccaret, quia cooperaretur talibus in crimine, ut per Text. *in Cap. Notum, causa 2. q. 1.* quod tameo Titius non debet facillimè credere, nisi appareant signa manifesta; cùm nemo sit judicandus immemor salutis æternæ. *Cap. Jubemus, causa 1. q. 7.*

10 Ad opposita respondemus; ad primum, concedendo ant. & distinguendo consequens. Titius fit reus, &c. si bellum, cui inserviunt hujusmodi Naves, est injustum, concedimus; si est justum, negamus. Concedimus enim Titium fieri reum, Naves incendiarias construendo, si sciat eas ad bellum injustum ordinari.

11 Ad secundum, negando antecedens; non enim admittimus opinionem sum. Ang. uti nimis scrupulosam, inhærentes soliditati doctrinæ nostri Doctoris Angelici, in nostro tertio motu relatæ.

12 Ad tertium, patet responsio ex primo motu; non enim Summus Pontifex intendit prohibere artem Ballistariorum, & Sagittariorum, seu artem occidendi ex insidiis in bello justo; sed tantùm in bello injusto; nec attinet ad justitiam, utrùm quis apertè, vel ex insidiis pugnet, ut ostendit Text. *in d. Cap. Dominus, causa 23. quæst. 2.* Præterquam quòd Textus loquitur de his, qui exercent artem illam Ballistariorum, & Sagittariorum, ut notat Aud. Vallen. *in Paratit. juris Canonici, lib. 1. tit. 15. num. 1.* non verò de his, qui ballistas: & sagittas faciunt: minùs est enim ballistas, & sagittas facere, aut vendere, quàm eis uti; unde non videtur nobis obstare, nisi deductivè, quando scilicet ageretur de bello injusto, extrà cujus limites nostra procedit conclusio.

13 Infero primò ex dictis, licere, quando bellum navale est justum, constituere, & ad praxim deducere præfatam Græcorum bulitionem, etiam additâ vernice liquidâ, & libtario oleo petrolio, cum terræbentina, & forti aceto compressis, & ad Solem desiccatis, acutis ferris funiculo contextis, & probe aptatis collofonia, & sulfure cum tædis: quo igne in hostium Naves projecto, Naves brevi temporis spatio consumuntur. Hoc igne Leo Imperator mille & octingentas Naves Orientales, ad Obsidionem Byzantii ductas consumpsit, ut refert Ferret, *de jur. & re naval. lib. 7. num. 16.*

14 Infero secundò, licitum esse, bello justo ita exigente construere pilas incendiarii ignis, in hostes, & in eorum Naves validis manibus, aut bellicis instrumentis trahendas; quæ fiunt, captis quinque partibus pulveris tartarei crassioris instrumenti bellici, & tribus partibus salnitri reffinati, & duabus sulphuris, unâ rasipineæ, & mediâ canforæ, & totidem terrebentinæ, mediâ quoque parte vitri mediocriter pisti, & mediâ parte salis communis, & totidem olei saxi, & mediâ parte aquævitis; mixtis insimul omnibus: inde capto fragmento uno telæ lini tanto, ut pila fiat in modum crumenæ infutæ, impletur ex dicta materia; in ea fiunt duo, vel plura foramina; sed etiam sufficit unum, stylo ferreo rotundo minoris crassitudinis, quam sit auricularis digitus; ponitùrque in dictis foraminibus ligneum fustum: Quæ mixtura ignita etiam fieri potest lo vase cupri.

15 Infero tertiò, licitum esse, quando adest justa causa, facere lapidem, qui sputo, aut aquâ incendatur; quique fit ex una portione tutiæ alexandrinæ non præparatæ, & parte unâ magnetis, tribusque partibus canforæ, & duabus salnitri optime pluties reffinati, & totidem vivæ calcis, & partibus duabus sulfuris vivi: quæ tea debent tundi, & immisceri, atque in vasculis duobus poni, quibus uti solent artifices in suæ artis exercitio, benè clausis, cum partibus quinque cretæ, cum cimatura panni, mediâ portione, & parte unâ stercoris asini, & portione simili pulveris ferri, quæ extat prope incudem ferri Fabrorum; & cum aqua debet fieri compositio lotiralis, quam Periti lutum sapientiæ vocant, & poni in vasculis benè obturatis, in quibus adest præfata materia, & collocari in fornace lapidum: Et hæc vascula debent à fornace extrahi, quando lapides cocti extrahuntur; & in his vasculis erit lapis ignitus, qui sputo & aquâ accendetur, in re bellica, tam terrestri, quàm maritima, variis in casibus perutilis.

16 Infero quartò, licitum quoque esse construere tubas ignis ardentis pro omni bello terrestri, & aquatico perutiles, præsertim ad loca obsessa defendendum in eorum expugnatione; pro quarum constructione addi mixturæ prædicti lapidis mediam partem vitri, & totidem salis communis, docet Ferret. loc. cit. *num. 20.* ubi alia requisita ad fabricandas has tubas clare exponit.

17 Infero quintò, licitè pariter fieri vasa victilia, quæ in furno cocta implentur per tres partes pulvere tartareo instrumentorum bellicorum, parte unâ salnitri, & parte mediâ terræbentinæ, & totidem picis, sulphurisque parte unâ cum media parte salis communis non pisti; nam igne accensis, si projiciantur in hostes, aut in eorum Naves, incendium irreparabile erit.

18 Infero sextò, Naves hostium hisce, & similibus ignibus facilè capi posse, Scipionis exemplo, qui in bello navali amphoras pice, & tædâ plenas, igne accensas projecit in hostes, & in eorum Naves, quæ incendio destructæ remanserunt.

19 Infero septimò, à nobis non reprobari, quod Annibal Barcha, filius Amilcharis, Dux Pœnorum, in omni doctus bello, docuit Regem Antiochum; nempè jactare in hostium Naves vascula viperis; nepis, aliisque mortiferis animalibus plena, ut ab exercitio navali desistant, & à pugna, & faciliùs capiantur: ob hujusmodi artis exercitium Exercitus Eumenis Regis Pergami fugam arripuit. De hac arte mentionem facit Leo Imp. *de bellico app. cap. 19. num. 53.*

20 Infero octavò incidenter, Navem igne incendiario, vel alio modo destructam, & refectam in eadem carina, seu in eodem fundo, dici eandem Navem, *l. quod in rerum, §. fin. ff. de lega. 1.* & ita tradunt DD. *in l. inter stipulantem, §. sacram, ff. de verb. oblig.* sæpè enim refecta Navis remotis tabulis veteribus, nova non dicitur, sed vetus, per Tex. *in l. proponebatur, ff. de Jud.* & docet Felin. *in Cap. Cum accessisset, de Constit.* & in *Cap. Consuluit, de judi.* & ideò si legaretur Navis, quæ fuit destructa, & postea refecta super eodem fundo, seu carina veteris destructæ, Navis legato facto erit obnoxia, & tenebit legatum per *d. l. quod in rerum*, & ibi Bar. *ff. de lega. 1.*

21 Infero nonò pariter incidenter, incendiarium casu, id est negligentiâ, teneri damna resarcire, *Cap. Si egressus, cap. Si quis domum, de injur.* aliàs castigabitur, *l. si fortuitò, & l. qui ades, ff. de incend. rui. & naufrag.* ubi etiam agitur de pœna ponentis ignem in Civitate, vel Oppido, dolo, odio, vel inimicitiâ, noctu, vel die, non secuto effectu; & incendiarium à consilio præter testitutionem damnorum debere per tres annos, juxtà dispositionem Sacrorum Canonum, *de cap. Si quis domum,* agere pœnitentiam. De pœna incendiarii extrà casum justi belli, habetur *in l. ultima, ff. de incend. rui. & nau.* ubi juxtà qualitatem personæ punitio corporalis præscribitur; *& causa 23. quæst. 8. Cap. Si quis, cap. Pessimam,* ubi incendiarii, qui sunt hostes humanæ naturæ, excommunicantur.

22 Infero decimò, illicitum esse negotiari in illis artibus, quæ nec per se, nec cum aliarum rerum admixtione possunt humano usui inservire; & adest etiam *l. quod sæpè, §. venenì, ff. de contraben. empt.* Secùs verò, quando addito, admixto possitur humano usui inservire; & ideò licet negotiari in veneno, quia admixtum potest usui in medicinis inservire, vel etiam purum, pro feris occidendis Tabien. verb. *Ars, sub num. 6.*

Infero undecimò, licitam esse formationem, & venditionem, instrumentorum musicalium; quamvis aliquando sint incentiva lasciviæ in choreis, & causa aliorum peccatorum, putà quando quis illis utitur ad nimiam complacentiam sensualem, vel ad formandum in Divinis Officiis cantiones laicas, & chorearum potiùs quàm Ecclesiarum proprias, quod in magnam DEI irreverentiam redundat. Sylv. *v. de artibus, num. 7.* ubi indecisum relinquit, an hoc sit peccatum mortale, vel veniale. 23

Infero duodecimò, omnes illas artes esse licitas, & illas solas dici artes, quarum operibus nos possumus benè & malè uti; undè Chrysostomus, *Hom. 50. in Matth. cap. 14. in med. tom. 2.* dicit: „ Quòd illas solas artes oportet appellare, quæ necessariarum rerum, quibus vita nostra „ continetur, sunt constructivæ; Et illas artes „ esse illicitas, quarum operibus uti non possumus absque peccato; & successive peccare Artifices illas faciendo, docet D. Th. *2. 2. quæst. 169. art. 2. ad 4.* 24

Infero decimo tertiò, licere cuilibet artem aliquam exercere, quando concurrunt hæc quatuor. Primum est, si adsit recta intentio, putà si velit ex lucro suæ domui, vel suo proximo indigenti consulere, vel otium evitare. Secundum, si talis artis exercitium non sit sibi specialiter prohibitum, puta bellare, quod Clericis Sacri Canones specialiter vetant. Tertium, quòd hujusmodi ars ex se non sit illicita, id est naturali jure, vel Divino interdicta, puta exercitium fœnerandi. Quartum, si exerceatur cum debitis circumstantiis, puta tempore non festivo, in loco non Sacro, modo debito, & non fraudulento, aut doloso, aut mendaci. Quæ omnia sedulò sunt adnotanda à Confessariis, & Concionatoribus, ut sciant Artifices edocere, quæ sunt licita, ut possint ea sine scrupulo ad praxim deducere; & quæ illicita, ut ab illis abstineant, & abhorreant. 25

VII. DIFFICULTAS.

An subditi teneantur in conscientia solvere gabellas, quas Princeps imponit, & exigit pro bello navali, aut terrestri, de quo dubitatur, an sit justum, vel injustum?

Notandum primò, gabellam, quæ non habet propriam derivationem, esse nomen italicum, significans generaliter omnem exactionem, sive tributum, quòd à legitimo Superiore imponitur subditis, ut habetur in Lexico juris, in verbo *Gabella.* Sylv. d. verb. n. 1. Navar. *in sum. cap. 17. n. 203.* 1

Notandum secundò, gabellam variis nominibus, secundùm diversos respectus, nuncupari, ut est, pedagium, guidagium, vectigal, teloneum, duana, datium, salinarium, portorium, tallia, collecta, pensio, census, decima, munus, tributum, angaria, & perangaria, ut habetur *in l. 1. ff. si ager. vectigal. vel emphyt. & in l. 2. § si quid. ff. de heret. vel acti. vend.* Gloss. in- 2

in cap. Si tributum, causa 11, quæst. 1. & tradunt plures, quos recenset, & sequitur Ægidius Bossius, *tit. de vectigal. num. 1.* & Alter. *in Bullam Cœnæ, lib. 5. disp. 6. cap. 1.*

3 Notandum tertiò, quatuor requiri ad justificationem gabellæ: Primum, ut imponatur à legitimo Superiore, habente talem potestatem: Secundum, ut imponatur pro bono communi, & non pro utilitate privata: Tertium, ut non excedat facultates singulorum, ne aliquis plùs alio gravetur: Quartum, ut exigatur à personis subjectis. Ita Cajet. in verb. *vectigalia iniqua*, Molina, *in tract. de majorat. & trib. disp. 666.* Navar. Megal. Vasq. & alii, quos recenset, & sequitur Molfesius, *in sum. p. 2. tract. 12. cap. 22. n. 37.*

4 Notandum quartò, permissum esse Principi exigere vectigal, quando justum est, de omnibus, & quibuscumque rebus, quæ transvehuntur, invehuntur, & advehuntur. Et ita jure communi constitutum est *in l. Universi, l. omnium, & l. ex præstatione, Cod. de vectigal. & publica.* Sic Gloss. & Doctores communiter.

5 Notandum quintò, subditos, secundum omnium doctrinam, excusari in foro conscientiæ à solutione gabellarum, quando clarum est, gabellas esse injustas; vel quia cessaverit causa, quæ illas justificabat, vel quia Princeps non fuerit executus munus suum, & sic de aliis, ut videre est apud Molf. loc. cit. *num. 140.*

6 Notandum sextò, hanc nostram difficultatem procedere in sententia communi, asserente, gabellas justas solvendas esse in foro conscientiæ, etiam si non exigantur, ut scribunt plures, quos recenset Menochius, *in cons. 1061. num. 7.* & Sayr. *in sua Clavi Regia, lib. 9. cap. 16. num. 30.* nam in opinione contraria, nempè asserente, subditos, & vassallos non peccare mortaliter, defraudando gabellas, & vectigalia Regia, quamvis justa, ut tenent aliqui relati à Sayr. loc. cit. *n. 29.* nulla esset difficultas.

7 His notatis: ad difficultatem propositam, an subditi teneantur in conscientia solvere gabellas, quas Princeps imponit, & exigit pro bello navali, aut terrestri, de quo dubitatur an sit justum, vel injustum, negativè respondent Lessius, *lib. 2. cap. 33. dub. 9. num. 67.* Sanchez, *in oper. moral. tom. 2. lib. 6. cap. 3. num. 7.* Megala, *in 1. 2. lib. 2. cap. 17. quæst. 8. num. 131. & 132.* Navarr. Reginald. Vega, & alii: Quia in dubio melior est conditio possidentis; Subditi verò, quando dubitant, an bellum sit justum, aut injustum, pro quo imposita fuit gabella, possident; & sic in foro interno ad solutionem non tenentur. Præterea, quando apparent hinc indè rationes, causam gabellæ, nempè bellum, esse justam, & injustam; si Princeps exigat, justè operatur, seu justè exigit; atque adeo & subditi si negent solvere, justè negant; quasi bello utrinque justo ex ignorantia: Et sic sine ullo conscientiæ scrupulo gabellas hi fraudant.

8 Fatemur, hanc sententiam esse probabilem, & in conscientia tutam; nihilominùs procedendo in sententia asserente, justas gabellas esse in foro conscientiæ solvendas, firmiter arbitramur, non posse subditos, & vassallos excusari à solutione gabellæ, impositæ pro bello navali, de quo dubitatur, an justum sit, an injustum, Suarez, *de legib. lib. 5. cap. 18. num. 20.* Vasq. *de restit. cap. 6. §. 3. dub. 5. num. 78.* Trullen. *in 2. 2. tom. 2. disp. 46. dub. 6. num. 5.* Diana, *tom. 7. tract. 6. de parlament. Res. 32.* & alii.

Moveor primò juribus, *in l. meritò, ff. pro socio, & l. quoties, §. qui dolo, ff. de probat. & cap. Dudùm, & cap. fin. de præsumpt.* ubi habetur, quòd in dubio debet præsumi, quòd Princeps tanquàm bonus & rectus justè agat; & sic, cùm non constet evidenter de injustitia belli, esse solvendam gabellam, quam pro bello imponit, ratio suadet. 9

Moveor secundò rationibus: Nam subditi in dubio tenentur se conformare judicio Superioris, si nullam habent causam, cur sentiant contrarium: Undè dum Princeps judicat, causam gabellæ esse justam, tenentur ratione conformitatis ad ejus judicium, gabellam solvere; aliàs non solvendo, exponerent se periculo peccandi mortaliter, quod nullatenùs asserere possumus. Tum quia, licèt subditi possint judicare, injustam esse gabellæ impositionem, & illud judicium sit probabile speculativè, nihilominùs practicè possunt certò judicare bellum, seu causam gabellæ esse justam; quia, ut hoc sit certum, sufficit, ut constet, quòd Princeps ductus fuit, vel certè duci potuit probabili ac sufficienti ratione ad illud bellum indicendum, & ad illam gabellam imponendam; & ideo subditi Principis ita censentes, obligantur ei parere, & sic gabellam solvere. Præterquam quòd, in dubio semper præsumendum est pro Principe. 10

Moveor tertiò exemplo, seu praxi: Scimus enim, viros timoratæ conscientiæ, quamvis opinentur, injustam esse tributi impositionem, nihilominùs illud fraudare non audent, ne periculo se exponant peccandi mortaliter, illud non solvendo. 11

Concludimus igitur, subditos teneri solvere gabellas, à Principe impositas pro bello navali, aut terrestri, de cujus justitia dubitant; cùm debeant subditi communiter præsumere, quando res est ex æquo dubia, ex parte Principis, vel Reipublicæ exigentis, esse justitiam; quia melior est conditio ex parte Principis, vel Reipublicæ, in dubio æquali, ut patebit in responsione ad rationes in contrarium. 12

Ad rationes in contrarium respondemus: Ad primam, concedendo in dubio meliorem esse conditionem possidentis, sed hanc regulam Principi, imponenti gabellam, favere, non verò subditis; cùm in dubio æquali melior sit conditio ex parte Principis, vel Reipublicæ, eò quòd Principes, vel Respublicæ non soleant leges, vel statuta condere, aut aliquid jubere, nisi priùs pluribus viris piis, & doctis consultis; nec ad subditos pertinet suorum Superiorum jussa examinare. 13

Ad secundam, patet responsio ex dictis: Nam cæteris paribus, in dubio præferendum est jus Principis, & superioris, maximè quando practicè constat, illum justè præcipere, ut accidit in hoc casu; cùm habeat rationes probabiles pro impositione gabellæ. Ita Diana loc. cit. 14

Infero primò ex dictis, subditum dubitantem de justitia cujusvis legis teneri Legislatori parere; cum possit practicè judicare legem esse 15

justam: Pro quo judicio formando satis est, ut constet Legislatorem ductum esse, vel certè duci potuisse probabili, ac sufficienti ratione ad illam ferendam. Ita Suarez loc. cit.

16 Infero secundò, subditum, qui dubitat de justitia gabellæ, si docti, & boni viri, quos consulit, asserant gabellam esse injustam, non teneri illam solvere. Ita etiam docet Azor. *p. 3. Institut. moral. lib. 5. cap. 22. quæst. 7.* Secus verò, si viris doctis, & bonis consultis, injustitia non constat, sed res manet semper ex æquo dubia.

17 Infero tertiò, Principem, & ejus Ministros teneri oculatim examinare causas, quibus inducuntur ad imponendas gabellas; aliàs cæco more progrederentur; & sic peccarent mortaliter, & impositio esset nulla, cum onere restituendi, ut etiam docent Cajet. communiter receptus, in verb. *vectigalia 5.* Petr. Navarr. *lib. 3. de restit. cap. 1. num. 255.* Less. Salon. & alii, quos recenset & sequitur Molsef. *in sum. p. 2. tract. 12. cap. 22. num. 73.*

18 Infero quartò, Exactorem, qui speculativè tantùm dubitat de gabellæ justitia, non teneri restituere; quia in dubio tantùm speculativo tenetur acquiescere Principi, si est subditus; cùm subditi teneantur magis consulere Principum utilitati, quàm extranei. Secùs verò, si esset extraneus (nisi constaret posteà impositionem fuisse justam) nam si Exactor esset extraneus, non teneretur cum tali dubio gabellam exigere, exponens se periculo cooperandi injustitiæ Navarr. *cap. 27. num. 61. & 70.* Less. *cap. 33. n. 45. 46.* & alii.

19 Infero quintò, Principem, & ejus Consiliarios, quorum judicio, & prudentiâ gabella imponitur, teneri sequi probabiliorem sententiam; cùm tanquàm Judices se habeant in imponendis tributis. Sic etiam Vasq. *cap. 6. de restit. §. 3. num. 75.* Molsef. *in sum. p. 2. tract. 12. cap. 22. num. 79.*

20 Infero sextò, etiam Infidelibus esse tributa solvenda à subditis, qui dubitant de justitia belli, si inter illos justo titulo Regnum habent. Secùs verò, si vi & bello injusto terras occuparunt; tunc enim possunt eorum subditi frandare gabellas, dummodò absit scandalum, & periculum majoris mali. Ita etiam docent Sylv. Vasq. quos recenset, & sequitur Molf. loc. cit. *num. 60.*

21 Infero septimò, gabellas, collectas, pedagia, aliaque tributa, si justa sunt, esse, secundum multorum sententiam, in conscientia solvenda, etiam si non petantur; præsertim si res, ex quibus debentur, occultè per fraudem, vel mendacium transferuntur, vel venduntur, vel alienantur, ne Conductor gabellarum aliquid sciat, & gabellas exigat. Ita Covar. Cordub. quos recenset Azor. loc. cit. *cap. 22.* Contrarium tenent Sot. *lib. 3. de justitia, q. 6. art. 7. & lib. 4. q. 6. art. 4.* Tabiena, & alii.

22 Infero octavo, Christianos, qui transferunt merces per Terras Infidelium, vel deferunt eas ad Portum, & Civitatem, teneri in sententia asserentium justas gabellas esse solvendas, teneri, inquàm, solvere gabellas Principibus, ac Dominis Infidelibus saltem vel quia spontè se subjiciunt statutis eorum, quantùm ad gabellas; vel ex eò quòd Christianis præbeant securam, & tutam viam, per quam merces transferuntur, aut ex alio titulo, Christianis commodo, & utili. Contrarium tenent Sylv. *v. Gabella 3. q. 4.* Angelus verb. *pedagium, num. 7.* Rosella, & alii post Hostiensem.

Infero nonò incidenter, Conductori gabellarum, seu vectigalis, impedito causâ belli, sive justi, sive injusti, quod Principis facto contingere certum est, remittendam esse mercedis præstationem. Ita Ancharan. in *cons. 414. n. 1.* Bologn. *in addit. ad Ioan. de Anua, in cons. 74.* Barbat. *in cons. 21. col. 4* & alii, quos producit Menoch. *in cons. 671. num. 5.* 23

Infero decimò, Mercatores, qui deferunt suâ spontè merces ad usum exercitus, de cujus justitia bellandi dubitant, teneri solvere gabellas; Secùs verò, si deferant mandato Principis. Bossius, *tit. vectigal. pro quib. reb. num. 3.* Menoch. *in cons. 244. num. 14.* & habetur in jure, *l. licitatio, §. res exercitus*, ubi Glos. magna, in fine, & *l. si publicanus, §. de rebus, ff. de publica. & vectig.* 24

Infero undecimò, Confessarios teneri in dubio, ante factum semper prohibere fraudationem gabellarum, ne fraudantes exponant se periculo peccandi; Et post factum, seu sequuta fraudatione, debere eos cogere ad restitutionem; quoad secundum membrum dissentit à nostro affecto Sylv. *in sum.* verb. *Gabella, 3. num. 29. quæst. 14.* hoc fretus fundamento; quia in pari causa turpitudinis potior est conditio possidentis; tùm quia exponerent se periculo auferendi ab isto, quod suum est. 25

VIII. DIFFICULTAS.

An Naves oblongæ, & deputatæ ad Belli usum, si capiantur ab Hostibus, ac postmodùm de eorum manibus eripiantur, gaudeant Privilegio Postliminii; ita ut debeant prioribus Dominis restitui.

Notandum primò, hanc vocem. *Postliminium*, quæ secundùm Servium rejiciendum, est verbum sine significatu, componi ex *post*, quod reditum notat, & *limine*. Limen enim, & limes, si spectemus originem, & primitivam notionem, idem sunt, ut materia, & materies; nam veniunt ab antiquâ voce *limo*, quæ transversum significat. Si verò observemus exitum, & flexionis modum, differunt, & usu antiquiori factum est, ut limen magis privata, & limes publica respiciat; Et ideò à veteribus eliminare dicebatur è finibus ejicere, & exilium nuncupabatur eliminium. 1

Notandum secundò, postliminium esse jus, quo, qui de captivitate ad propria redeunt, omnia pristina jura, & res recipiunt, etsi ab aliis usucaptæ essent, aut præscriptæ; atque adeo postliminium esse in sua jura amissorum omnium recuperationem, ut plenè constat ex *cap. Primâ actione, caus. 16. quæst. 3.* 2

3 Notandum tertiò, postliminium ab aliis clariùs dici privilegium à jure datum, quo res aliqua capta ab hostibus, & extrà limen, & terminum Regni perducta, si bello extracta de hostium potestate, sive quacunque alia ratione, perindè reputatur, ac si nunquàm fuisset extracta: Atque adeò jura omnia, quæ anteà habuerat, retinet, seu obtinet.

4 Notandum quartò, nostram difficultatem non procedere, quando bellum ex parte hostium, qui naves acceperunt, injustum est; Certum est enim tunc naves esse prioribus Dominis restituendas, sive illi de nostra Republica sint, sive de aliena; quamvis bellum cum hostibus nostris esset justissimum, cùm priores illi Domini non amiserint suum dominium.

5 His adnotatis; ad difficultatem propositam, an Naves oblongæ, ad usum belli deputatæ, captæ ab hostibus in bello justo, si de eorum manibus eripiantur, seu recuperentur, gaudeant privilegio postliminii, ita ut debeant prioribus Dominis restitui, negativè videtur respondendum: Nam naves, à Piratis captæ, fiunt eorum, qui eas eripiunt Piratis: Neque enim iniquum est, ut privata res publicæ utilitati cedat, præsertim in tanta recuperandi difficultate. Ergò idem dicendum de navibus captis ab hostibus, & de eorum manibus, extractis, cùm non sint majoris conditionis. Præterea, jure Cæsareo, *l. si quid bello, ff. de capt. & postlim. reverf.* & aliis juribus sancitum est, res mobiles, quæ bello ex hostibus recuperantur, fieri capientium, & sic non esse prioribus Dominis restituendas, quando ad tutum locum ab hostibus erunt perductæ: Naves verò inter res mobiles computari certùm est: Ergò privilegio postliminii minime gaudent.

6 Contrarium verò, quod probabiliùs nobis videtur, libenter amplectimur, & defendimus cum Molin. *tom. 1. de just. tract. 2. disp. 118. §. Ex rebus.* Menoch. *in Consil. 103. num. 5.* Cesped. *in suis dubiis milit. dub. 80.* & aliis.

7 Moveor primò juribus, *in l. Navibus, & l. eos, ff. de capt. & postlim. reverf.* ubi habetur, eas quæ ab hostibus capiuntur, & dein recuperantur, jure postliminii reverti. Idem habetur *in dict. cap. Primâ actione, causa 16. quæst. 3.*

8 Moveor secundò rationibus. Postliminium omnia restituit, ut videre est in toto titulo 15. *ff. de cap. Et postlim. lib. 49.* & tradit Menochius *in de cons. 103. num. 5.* Atque adeò & naves, quæ bello possunt inservire, favore restitutionis non debent privari. Tum quia, id placuisse Gentibus videtur, ut recuperandi spes, ad ea, quæ in bello usum habent, comparanda, alacriores homines redderet.

9 Moveor tertiò exemplo, in Lacedæmoniis, qui Æginam insulam Atheniensibus ereptam, veteribus Dominis reddiderunt. Stabo, *lib. 8.* & in Justiniano, aliisque Imperatoribus, qui agros, ex Gothis, & Vandalis recuperatos, veterum possessorum hæredibus reddiderunt. Si verò immobilia postliminio gaudent, cur postliminio non gaudebunt mobilia, saltem aliqua, inter quæ naves oblongæ, & ad usum belli deputatæ enumerantur?

Concludimus igitur, restituendas esse prioribus Dominis naves, quæ de hostium potestate recuperatæ sunt; & in posterum lethaliter peccare recuperatores, si naves, aut alias res, infrà tangendas, quas extraxerint, non restituant, prioribus Dominis, qui reverà dominium earum usq; ad recuperationis punctum habebant; & hoc certum esse, si spectetur jus Cæsareum antiquum quod non amplius videtur esse in usu, introductâ in contrarium consuetudine, ut mihi asserunt plures milites, & quidem Officiales, à me per litteras circà hanc materiam consulti; Et id, quod consuetudine rationabiliter est introductum, licitum in se fit. His accedit præsumpta Principum voluntas, qui cum possint aliter statuere, minimè statuunt. 10

Ad rationes in contrarium, stando in jure Cæsareo antiquo, respondemus ad primam, de Navibus à Piratis captis, non valere universaliter de omnibus navibus; cùm bujusmodi naves fiant eas capientium ex lege particulari. 11

Ad secundam, nempè captum in bello, in præda esse, nec postliminio redire, quæ est oppositio Labeonis, respondemus ab hac regula excipi Naves oblongas, atque etiam onerarias, eò quòd ad belli usum sint accommodatæ. 12

Infero primò ex dictis, non gaudere privilegio postliminii naves piscatorias, aut lusorias, aut alias agiles, voluptatis causâ paratas: quia non sunt ad usum belli accommodatæ. 13

Infero secundò; gaudere postliminii privilegio equos, & equas, quæ fræni essent patientes; currus, quadrigas, mulos pro campo deferentes arma, bombardas, machinas, victualia; nec non ipsorum curruum boves, & quadrigatum, & alia similia. 14

Infero tertiò, eos, qui hostibus deduntur sine ulla pactione, postliminio reverti; Ita tradit Modestinus. Secùs verò interveniente pactione. 15

Infero quartò, in servis transfugis locum habere postliminium; atque adeò in bos Dominum pristinum jus recipere, Paulus nos docet *in l. postliminium, §. Si verò servus, ff. de capt. postlim.* 16

Infero quintò, postliminium habere agros, scilicet expulsis hostibus ex agris, quos cœperint, dominia eorum ad priores Dominos redire, *l. si captivus, §. Verùm est, ff. de cap. & postlim.* 17

Infero sextò, loca capta ab hostibus, quæ religiosa, & vel sacra fuerant, si ab hac miseria fuerint liberata, quasi quodam postliminio reversa pristino statui esse restituenda, ut per Text. *in l. cum loca, ff. de religiosis, & sumpti funer.* 18

Infero septimò, hominibus apud hostes captivis, jus postliminii concessum fuisse, modò redireat animo non revertendi ad hostes, ut per Text. *l. eos qui, l. postlim ff. de capt. & postlimin. reverf.* 19

Infero octavò, servos captos ab hostibus, gaudere postliminio: Unde redimentem servos captos ab hostibus teneri illos tradere antiquo Domino, vel illius hæredibus pretium sibi offerentibus, tradit etiam Molina, loc. cit. 20

21 Infero nonò, res recuperatas à Fidelibus de potestata Turcarum, aut Saracenorum, qui illas ab hominibus aliarum Rerumpublicarum usurparant, in foro conscientiæ esse prioribus Dominis restituendas; ita docet etiam Molin. loc. cit. dummodò aliqua mutua consuetudo in contrarium non adsit.

22 Infero decimò, circa materiam de jure postliminii expediens esse leges clarias à Principibus condi; quia materia hæc valdè confusa est, ab Auctoribus antiquis accuratiùs tractata, sed sæpè confusè nimis; Unde milites, Confessarii, Judices, aliique, cùm nesciant distinguere, quæ juris sunt gentium, & quæ juris Civilis Romani, nequeunt stabilire, quid in hac parte liceat, aut non liceat: Atque adeò, si leges circà hanc materiam claræ conderentur, omnibus constaret quid licet, & quid non liceat.

23 Infero undecimò, fictionem postliminii locum non habere in iis, quæ sunt facti. Ita etiam Card. Albanus *in Lucubrat. in Bart. in l. denique, ff. quibus ex caus. majo. num. 1.* An verò, & quomodò procedat fictio in iis, quæ sunt facti, tradit Bart. videndis *in l. non dubium, Cod. de legi. in l. cum heredes, ff. de acquir. hered. & in l. 1.* §. 2. in princ. ubi Alex. & alii, *ff. de acquir. possess.*

IX. DIFFICULTAS.

An Christiani captivi apud Turcas, vel alios Christiani nominis hostes, possint licitè, non metu mortis, sed lucri gratiâ, fabricare militaria navigia, seu bellicas triremes, quibus Turcæ solent impugnare, & deprædari Christianos?

1 NOtandum primò, Corinthios omnium primos naves concinnasse, quæ formam præcipuè præferent, frequentior quæ nunc est ità testantur Thucydides, & Libaurus in quadam declamatione, & alii asserentes, eosdem Corinthios inter Græcos primas triremes compegisse.

2 Notandum secundò, diversas esse naves, parvas, scilicet, & magnas, mercantiles, quæ ad exercitium mercaturæ inserviunt; bellicas, quæ ad usum belli sunt accommodatæ; mixtas, quæ bello serviunt, & mercaturæ,

3 Notandum tertiò, locationem esse personæ, vel rei ad usum factam concessionem, merceda in pecunia numeranda conventâ; aliàs si pro mercede alia res datetur, non esset locatio, sed alius contractus innominatus, ut observat, & docent Sylvest. in verb. *locatio, num. 1.* Azor. *in summa, tit. de locato.* Hostiensis, *in summa, eod. tit.* §. *Quid sit locatio.* Bartolus, & alii, *in Rubr. ejusd. tit.*

4 Notandum quartò, necessitatem dividi, secundùm Bart. *in l. 1. num. 5. Cod. quom. & quando jud. & in l. res, quæ pignori, num. 7. ff. fam. ercis.* in præcisam, causativam, & honestatis causâ: Et secundum Bald. *cons 448.* & Menochium, *de arbitr. jud. cas 182 sub. num 19.* necessitatis divisionem aliam esse famis, aliam belli, aliam casus adversi: Et secundùm Sylvest, *in summ.* in verb. *necessitas num. 1.* necessitatem juridicè dividi in triplicem, nempè absolutam, quæ est ejus, sine quo vita corporalis sustentari non potest; ut est necessitas cibi: In opportunam, id est ejus, sine quo vita commodè sustentari non potest: Et in proficuam, id est eorum, sine quibus vita utiliter non sustentatur.

Notandum quintò, necessitatem absolutam excusare à censuris, quæ continentur in Pontificum Bullis, quotiescunque latæ sunt pro eo, quod non est intrinsecè malum; cùm absoluta necessitas in universum à lege positiva excuset, quando lata est de eo, quod non repugnat rectæ rationi, nec est malum secundùm se, ut *in cap. Licèt, de feriis:* Et communiter Doctores; & tradit Card. Albanus *in Lucubrat. in Bart. in l. 1. Cod. de oper. libert. n. 1.* 5

Notandum sextò, causam lucrativam illam esse dici, quæ originem, & principium habet lucrativum, ut notavit Glos. *in l. si duo, ff de acquir. hered.* Dec. *in l. in eo, quod vel is, in fin. ff. de reg. jur.* 6

His adnotatis, ad difficultatem propositam, an liceat Christianis captivis apud Turcas, vel alios Christiani nominis hostes, non metu mortis, sed lucri gratiâ fabricare militaria navigia, seu bellicas triremes, quibus Turcæ solent impugnare, & deprædari Christianos, affirmativè videntur respondere Toletus, *in explicatione Can. 7. Bullæ Cœn.* Navarr. *in cap. Ita quorundam, not. 10. num. 41. de Judæis*, & alii negantes, incidere in censuram saltem Bullæ Cœnæ eos, qui res prohibitas vendunt Turcis, aut aliis Infidelibus; dummodò eas non deferant, aut transmittant; cùm constitutio sit pœnalis, undè verba sunt intelligenda in propria significatione: Dum autem Christiani, captivi apud Turcas, lucri gratiâ fabricant triremes, non deferunt, aut transmittunt eas: Et ideò saltem ex vi Bullæ Cœnæ nefas illis non est illas fabricare; neque *ex cap. Ita quorundam, de Judæ.* quoniam ibi excommunicantur solùm hi, qui deferunt lignamina Sacracenis, non verò qui vendunt solùm, aut fabricant, & non deferunt ad eos naves, vel galeas. Prætetea, necessitas facit delictum probabile, & excusabile, quòd aliter non esset, ut per Tex. *in cap. Si quis propter, de furt.* ubi habetur, quòd necessitas magna excludit delictum: Captivi autem apud Turcas, aut alios Infideles semper sunt in necessitate quapropter eis licere videntur triremes gratia lucri frabricare. 7

Fateor, hanc sententiam non carere aliquâ probabilitate, & miseris captivis multùm favere propter ultimam rationem, cui innititur, Mihi verò longè probabilius est contrarium, cui adhæreo cum Sylv. *in summa*, in verb. *excommunicatio 7.* §. *64* Duardo, *in Bull. Cœn. in Can. 7. lib. 2. quæst. 18.* & aliis. 8

Moveor primò juribus, *in l. 1.* §. *generaliter. ff. de le. præstan.* ubi habetur, legem generalem debere generaliter intelligi, *in l. ult. Cod. de pæn.* ubi Naves ædificate docens Barbaros capitali supplicio plecti debet: Et ideò à fortiori hac lege prohiberi video fabricare Naves lucri gratia: *Et in cap. Ad liberandam, de Judæis*, quo jure non solùm de non deferendis, sed nec de vendendis rebus prohibitis Christiani nominis hostibus tantum est, 9

est. *Et in cap. Ita quorundam, eod. tit.* ubi excommunicantur subministrantes necessaria ad impugnandum Christianos. Quis non videt, triremes esse ad hanc impugnationem necessarias?

10 Moveor secundò rationibus; nam delatio Navium ad Infideles, vel aliarum rerum prohibitarum, non est prohibita, nisi gratiâ venditionis, aut donationis, vel cujuscunque traditionis, ut notat Sylvest. in verb. *excommunicatio 7. num. 64.* atque adeò captivi Christiani, quamvis non deferant triremes, sed solùm illas lucri gratiâ fabricent, hujusmodi prohibitioni sunt obnoxii. Tum etiam, quia secundùm aliquorum opinionem illicita est delatio rerum prohibitarum absque traditione; undè incurrit excommunicationem illas deferens, & non tradens; à fortiori prohibita videtur sub eadem poena triremium fabricatio, quamvis non interveniat delatio. Praeterquam quod scimus, triremes, & omnia lignamina, ad triremes accommodata, deferri ad Turcas, aliosque Infideles, esse prohibitum, ne ipsi ad impugnandum Christianos fiant potentiores; Potentiores absque dubio evadunt Infideles contrà Christianos, dùm Christiani apud ipsos captivi triremes fabricant, aut alias bellicas Naves: Augent enim cum instrumentis ad bellum vires, & audaciam Bellantium.

11 Moveor tertiò exemplo, seu casu proposito in Sacra Congregatione Sanctae Inquisitionis coram Urbano VIII. die 13. Augusti 1630. in bisce terminis, Utrùm Fabri lignatii captivi, qui non solùm impendunt suam operam triremibus, & aliis Navigiis Turcarum, quibus isti impugnant, & depraedantur Christianos, & interdum etiam mercaturam exercent; sed praeterea lucri gratiâ, sine metu, locant etiam aliis Infidelibus, ad eadem Navigia fabricanda, peccent, & teneantur ad restiturionem aliquam, ita fuit resolutum. *Placuit omnibus interponi ibi lucri gratiâ, ad evitandum grave damnum, & ad necessariam sui conservationem.* Ex qua decisione apparet, nullatenùs licere, quando non adest gravissima causa, juvare Infideles contrà Christianos.

12 Concludimus igitur, Christianis Fabris lignariis, captivis apud Turcas, vel alios Christiani nominis hostes, minimè licere lucri gratia fabricare triremes, aut alias bellicas Naves, quibus uti possint Infideles ad impugnandum Fideles; cùm gravissima causa non sit lucrum, sed gravis metus duntaxat mortis, vel alterius notabilis nocumenti, aut necessitas absoluta vitam sustentandi. Non dedigoentur igitur Christiani captivi apud Turcas, aut alios Infideles, aliquod lucrum temporale amittere, ad evitandam aeternae Gloriae amissionem. Quid enim prodest homini etiam totum Mundum lucrari, si Animae suae detrimentum patiatur?

13 Ad rationes in contrarium respondemus. Ad primam patet responsio ex dictis, praecipuè in primo, & secundo motu.

14 Ad secundam, dicimus non quamlibet necessitatem excusare delictum, sed tantùm magnam, ut docent unanimiter omnes Canonistae, & notat Graff. *p. 2. decis. lib. 2. de homicid. cap. 19.*

Infero primò ex dictis, peccare lethaliter, & incidere in excommunicationem deferentes ad se defendendum arma ad terras Infidelium; & deinde gratia lucri vendentes illa Turcis; Secùs verò, si illa vendant famis necessitate coacti, vel ad evitandum aliquod grave nocumentum, aut in persona, aut in bonis. 15

Infero secundò, illicitum esse etiam tempore pacis, fabricare pro Infidelibus funes, anchoras, & alia hujusmodi Navibus necessaria; cùm enim sit illicitum naves fabricare, easque illis vendere; etiam & omnia ea, sine quibus Naves essent inutiles. Ita docet pariter Sylv. *in sum.* verb. *excommunicatio 7. num. 64.* 16

Infero tertiò, non licere Christianis captivis apud Turcas, erudire discipulos in arte fabricandi triremes, aliasque Naves bellicas, sive lucri gratia, sive sponte sua, ut fiant suorum laborum coadjutores, & sublevatores. 17

Infero quartò, non licere Christianis locare operam suam Infidelibus ad bellica navigia fabricanda extrà casum magnae necessitatis. 18

Infero quintò, non licere Christianis causâ lucri operas suas locare ad fabricandas Naves onerarias, si sunt ad bellum aliquando destinandae contrà Christianos. Secùs verò, si abesset periculum hujusmodi belli; cùm tunc sufficiat metus damni ad reddendam licitam hujusmodi fabricationem. 19

Infero sextò, lucrum ex hujusmodi fabricatione, aut ex aliquo alio turpi quaestu, & maleficio non communicari, seu non posse in societatem conferri, ut per Tex. *in l. si fratres*, §. *socium, in universa, ff. pro socio: & in l. quod autem, eod. tit.* ubi habetur, socium omnium bonorum non cogi conferre, quae ex prohibitis causis acquisierit; & tradit Menochius, *in cons. 860. num. 16.* 20

Infero septimò, Christianos, sive captivos, sive liberos, fabricantes extrà casum necessitatis bellica navigia, quibus Infideles impugnant Christianos, non solùm peccare mortaliter, & incidere in excommunicationem, sed etiam restitutioni damnorum esse obnoxios; quia cooperantur ad rem injustam, ut est bellum Infidelium, seu Turcarum, quod injustum est. 21

X. DIFFICULTAS.

An liceat Catholicis, captivis apud Infideles, cum Christianis bellantes, procurare in Triremibus eorundem aliqua officia.

Notandum primò, non ratò evenire, paupertimos Fideles, qui ab Infidelibus in servitutem redacti, & in eorum Triremibus remigio mancipati sunt, aliqua procurare officia, ut commodiùs in captivitate, & honoratius vitam transigant. 1

Notandum secundò, inter captivos Fideles apud Infideles, aliquos reperiri, qui non sistentes inter limites remigii necessarii, aut sufficientis; non ut commodiùs vivant, sed ad evitanda majora incommoda, ut puta verbera, oppro- 2

bria, & etiam mortem, student excellere in illa arte, ac ad gradus quosdam, qui de *Vogaavanti*, & *spalliere* nuncupantur, aspirant, obtinent, & aliqua emolumenta comparant.

3 Notandum tertiò, ex officiorum exercitio, quæ dantur in Triremibus, sæpe sæpiùs accidere detrimentum Fidelium, cum quibus bellum gerunt Infideles.

4 Notandum quartò, ex vi Bullæ Cœnæ, & aliorum jurium Canonicorum excommunicationi, & ex vi juris Cæsarei, pœnis pecuniariis, & etiam pœnæ capitali obnoxios esse omnes, & singulos Fideles, auxilium, consilium, vel favorem præstantes Infidelibus in Christianorum perniciem, & damnum Catholicæ Religionis.

5 Notandum quintò, quòd lex Ecclesiastica, quamvis possit ob bonum publicum Reipublicæ Christianæ, obligare ad pœnam excommunicationis cum periculo vitæ; tamen dum id clarè non exprimit, non censetur in tali casu velle obligare; cum odiosa sint restringenda, & non amplianda; & Ecclesia non censeatur ferre pœnam excommunicationis, nisi in contumaces; Ut asserunt communiter DD.

6 Notandum sextò, duabus legibus simul concurrentibus, naturali, scilicet, & positivâ, striċtiùs obligare naturalem; unde non peccare præferentes legem naturæ de se conservando, legi humanæ de non præstando Infidelibus auxilio, Sayr. *in suo Thesauro, lib. 3. cap. 11. num. 18.*

7 Notandum septimò, metum mortis excusare quidem ab excommunicatione, ut vult Sylvest. *v. excommunicatio 5. num. 6.* Navat. *in cap. Ita quorundam, notab. 11.* Vasq. 1. 2. *disp.* 161. *n.* 27. & alii, non tamen à peccato mortali, quando instat periculum alicujus gravis damni Reipublicæ Christianæ, ut esset captio insignis Arcis, aut Civitatis, aut Triremis, aut Personæ Reipub. valdè utilis, & necessariæ; cùm bonum publicum sit præferendum privato.

8 His adnotatis; ad difficultatem propositam, an liceat Catholicis, captivis apud Infideles, cum Christianis bellantes, procurare in Triremibus eorundem aliqua officia, ut commodiùs in captivitate, & honoratiùs vitam transigant, affirmativè videtur respondendum; quia hujusmodi officia sunt res indifferentes, & hac difficultate proposita Sacræ Congregationi de propaganda Fide à Francisco Longobardo Missionario Tuneti, & postcà Generali Ordinis Minimorum, ut scribit Peyrinus, *de privilegiis Minimorum, tom. 2. in addition. ad Constit. Leonis X. cap. 4. num. 34.* responderunt Theologi ejusdem Congregationis, *Actiones omnes indifferentes, de quibus in casu consultatio quæritur, esse licitas; sed laudare, exhortari, consilium præbere, ut navigia comprehendant Christianorum, & similes alias actiones peccata esse lethalia:* Atque adeò Christiani captivi ejusmodi officia procurantes, obtinentes, nec non & exercentes, si non laudant, nec hortantur, nec consilium præstant ad capienda Christianorum navigia, nihil agunt illicitè, non peccant, nec excommunicationem incurrunt.

9 Huic sententiæ putabam adhærere, re ipsâ tamen longè meliùs perpensâ, & examinatâ, contrarium visum est veriùs, & quidem sustinendum; cùm practicè ferè sit impossibile hujusmodi Officia exercere in Triremibus Infidelium, cum Christianis bellantium, absque gravi Christianorum detrimento; unde arbitramur, & firmiter sustinemus, minimè licere Christianis captivis apud Infideles, cum Christianis bellantes, procurare in eorum Triremibus officia, ut commodiùs, & honoratiùs in captivitate vivant. Azorius, *Instit. Moral. p. 1. lib. 8. cap. 23. quæst. 17.* Molin, *tom. 1. de just. & jure, disp. 115. conclus. 3.* Duardus, *in Bull. Cœn. lib. 2. Can. 3 quæst. 15. n. 18.* Et ita sentire videntur Bar. *in l. licitatio*, §. *qui illicitè, n. 4 ff. de publica. vectiga.* Ruio. *cons. 43. num.* 19. & alii asserentes, offensam illam dici, quâ quis alterum injustè lædit.

Moveor primò juribus, *in l. si quis ex signatoribus, ff. quemadmodùm testa, aper.* ubi habetur, iniquum esse damnosum fore cuiquam officium suum; & magis probat Tex. *in l. inter officium, ff. de rei vind. & l. post legatum*, §. *Advocatum, ff. de his, quibus ut indig.* Constat autem, horum captivorum officium damnosum esse, & ipsismet captivis, quibus excommunicationem affert, & Christianis, qui ab hoste infideli oppugnantur. Et in *cap. Ita quorundam, de Judæis*, ubi excommunicantur regimen, & curam gubernationis gerentes in galeis, & piraticis Saracenorum Navibus. Præfata enim officia ad galearum gubernationem spectant. 10

Moveor secundò rationibus: Nam lege charitatis tenemur non adjuvare Infideles contrà Christianos. Tum quia, illa major excellentia, cui student captivi in arte maritima, & officium, quod exercent, puta, di *Vogaavanti*, re ipsâ cedunt in damnum, & injuriam Christianorum, quod fieri tot jura vetant. Tum etiam, quia quivis tenetur, si commodè possit, impedire damna, quæ proximis injustè inferuntur, ne dum ad illa neque per accidens cooperari. Quomodò ergò licebit Christianis captivis, ut commodiùs in captivitate sua vivant, officium procurare, necessariò exercendum cum notabili Christianorum detrimento? 11

Moveor tertiò exemplo, seu casu in Sacra CongregationeSanctæ Inquisitionis coram Urbano VIII. die 13. Augusti, Anno 1630. proposito, in quibusdam Christianis Remigibus apud Turcas quærentibus, an sibi liceret præfata officia in Triremibus Turcarum procurare. „Fuit decretum, licere hujusmodi gradus procurare, „ dummodò nunquàm intendant uti contrà Christianos; Non enim licet strenue remigare causâ „ lucri, vel alicujus commodi temporalis in Infidelium Triremibus contrà Christianos, sed solùm possunt remigare, & alias actiones indifferentes facere ob metum mortis, vel verberum. „ Alios verò hortari ad strenuè remigandum, „ laudare, vel contumeliis afficere, est omninò „ illicitum. „ 12

Concludimus igitur, licere quidem captivis remigibus apud Infideles, metu notabilis detrimenti remigare, aliasque actiones facere indifferentes, non verò remoto metu mortis, vel verberum, sed ut vitam commodiùs; & honoratiùs transigant, studere excellere in illa arte, & ad gradus quosdam in Christianorum perniciem redundantes aspirare, eosque exercere. 13

14. Ad

14 Ad rationes in contrarium patet responsio ex dictis,& præcipuè ex verbis allegati Decreti S.Inquisitionis.

15 Infero primò ex dictis, peccatum lethale committere illos captivos Christianos apud Turcas, qui ad præfata officia jam promoti, cùm Christianorum Naves insequuntur, vel fugiunt, concaptivos remigantes ad validiorem remigationem, laudando, corrigendo, contumeliis afficiendo, vel alios excitando, impellunt, tum ut officio suo satisfaciant; tum ut longioris cursus laborem subterfugiant; non verò ut mortem comminatam, aut verbera effugiant.

16 Infero secundò, declinare ictus tormentorum ad propriam vitam salvandam esse illicitum, si tendant ad damnum aliquod notabile Reipublicæ Christianæ, ut puta, ad submersionem, vel captionem alicujus insignis Christianorum Navis; quia bonum publicum præferendum est privato. Præter Doctores suprà relatos, tenet etiam Suarez, *de censuris, disp. 21. sect. 2. num. 62.*

17 Infero tertiò, remoto metu notabilis detrimenti, non licere Christianis, remigantibus in Triremibus Turcarum contrà Christianos, remigare, propugnacula ædificare, sarcinas, machinas, & alia necessaria ad bellandum offerre. Secùs verò, si adest ejusmodi metus. Tenent etiam Cordub. *in summa, quæst. 137.* Molina, *tract. 2. disp. 115.* Sanchez, *de matrim. lib. 9. disp. 31.* Less. *lib. 2. de just. & jur. cap. 9. num. 122.* & alii plures.

18 Infero quartò, Christianos absque metu mortis remigantes in triremibus piraticis, & majori excellentiæ in arte piratica studentes ad impugnandum Fideles, non solum peccare mortaliter, sed etiam incidere in excommunicationem *Can. 3. Bulla Cœn.* aliorumque jurium. Secùs verò, si adest metus mortis cadens in virum constantem, & etiam absque ipsorum remigatione adhuc Fideles impugnarentur, propter multitudinem Piratarum remigantium.

19 Infero quintò, in omnibus casibus illicitis præfatis captivos Christianos apud Infideles in eorum Triremibus contrà Christianos, remoto mortis metu, remigantes, non solùm peccare mortaliter, sed etiam in excommunicationem incidere; quia Infidelibus contrà Christianos auxilium præstant, quod Jura sub pœna excommunicationis prohibent: Et expressè habetur in præfato Decreto Sanctæ Inquisitionis.

20 Infero sextò, Ecclesiæ subditum ex vi ejus præcepti, & censuræ, teneri non remigare, etiam cum discrimine vitæ quando ex opposito actu grave nocumentum Christianæ Reipublicæ immineret. Tradit etiam Suarez, & optimè probat loc. cit. ubi asserit, ordinariè vel non imminere hoc periculum, vel non impediri propterea, quòd unus, vel alter à remigando cesset.

21 Infero septimò, Christianos captivos apud Infideles, remigantes absque metu mortis, aut verberum in triremibus, eorundem ad impugnandum Christianos, esse excommunicatos, & non posse extrà articulum mortis ab hujusmodi excommunicatione absolvi, nisi à Summo Pontifice, cui est reservata; & absolvere præsumentes excommunicari; nisi excuset eos navigatio, in qua dicuntur esse in articulo, seu in periculo mortis, in quo quilibet Confessarius habet potestatem absolvendi ab omnibus casibus reservatis.

Infero octavò, hujusmodi excommunicatos nullatenùs posse absolvi, sive per Pontificem, sive per alium Confessarium, nisi desistant ab illis actionibus, ob quas peccaverunt, & fuerunt excommunicati; cùm absque intentione,& proposito desistendi ab ejusmodi actionibus non supponatur debita dispositio in pœnitentibus. 22

Infero nonò, Christianos apud Infideles captivos, & in triremibus Infidelium remigantes, teneri etiam mortem temporalem sustinere, ad evitandum peccatum, & excommunicationem, ne à captivitate hominum Infidelium transeant ad dæmonum captivitatem, & ab aquis maris ad æternum flammarum omniumque miseriarum transeant mare. 23

XI. DIFFICULTAS.

An Christiani Turcarum captivi lethaliter peccent, remigando coactè in Triremibus, quando Turcæ Christianos invadunt.

Notandum primò, metum esse mentis consussionem, sivè trepidationem provenientem ex aliquo accidenti terribili, sivè in proprio corpore, sivè conjunctis personis, ut per Tex. *in l. 1. ff. quod metus causa,* & tradit Tiraq. *tract. de pœn. causa 51, num. 71.* 1

Notandum secundò, quòd coactio seu violentia facit cessare dolum. Ita docet Menochius, *in cons. 307. num. 14.* ubi alios allegat. 2

Notandum tertiò, mala, quorum metus probabilis dicitur justus, sivè cadens in constantem virum esse quædam mala corporalia majora quibusdam aliis, quæ pertinent ad personam, ut mors, verbera, dehonestatio per stuprum, & servitus, nec non & vincula, quæ reducuntur ad servitutem. Sylvest. in verb. *metus, num. 1.* 3

Notandum quartò, quemlibet teneri etiam cum periculo propriæ vitæ id non efficere, ex quo sequitur maximum Reipub. damnum, ut captio insignis Castri, aut Civitatis, aut Principis, aut alterius personæ, communi bono perutilis, quod tarò solet evenire. Et ratio est, quia quisque tenetur sub reatu culpæ lethalis pro maximo Reipub. bono vitam propriam exponere, ut optimè Molina, *tom. 1. de justitia, tract. 2. disp. 115.* demonstrat. 4

Notandum quintò, non imminente mortis periculo, aut notabilis alterius detrimenti, non licere Turcarum captivis, ea efficere, quæ sunt aliquo modo illicita; & præcipuè ea, quæ damnum respiciunt innocentium. Ita tenet etiam Molina, *tom. 1. de justitia,* loc. cit. 5

6 His adnotatis; ad difficultatem propositam, an scilicet Christiani captivi apud Turcas lethaliter peccent, si coacti remigant in triremibus, quando Turcæ Christianos invadunt, & non possunt sine magno incommodo, vel etiam vitæ periculo desistere; affirmativè respondet Navar. *in Manu. cap. 27. num. 63. & in cap. Ita quorumdam, not. 11.* nam talis actio, hic & nunc facta, revera est cooperatio ad lethale peccatum illam imperantium; cùm sit auxilium necessarium, vel utile, quod præbetur his malefactoribus ad nocendum innocentibus, seu ad suas injustitias exercendas.

7 Fateor, hanc opinionem, quæ est etiam Bonacinæ, & aliorum, probabilitate non carere; contrariam tamen, quam veriorem, & clementiorem, seu favorabilem miseria captivis esse videmus libenter amplectimur, & sustinemus cum Torriano, 2. 2. *disp. 96. dub. 3.* Reginaldo, *tom. 2, lib. 21. num. 119.* Molina, *tom. 1. de justitia, tract. 2. disp. 115. conclus. 5.* & aliis pluribus, quos recenset, & sequitur Diana, *p. 3. tract. 6. & Miscell. 2. Ref 48. & Coordin. tom. 7. Ref. 76. num. 9.* Et ita sentire videntur Decius, *in l. ut vim, 2. notab. de just. & jur.* Clarus, *lib. 5. sent. juris, §. fin. quæst. 60. vers. Quæro modo,* & alii plures.

8 Moveor primò juribus, *in cap. de rebus, causa 12. quæst. 2. & in l. Quod Principis, ff. de aqua pluv. arcen.* ubi habetur, authoritatem majoris excusare in illicitis, & idem tenet Glos. *in cap. Dixit Dominus, causa 14. quæst. 5.* Et ratio videtur esse, quia authoritas, seu mandatum majoris secum affert coactionem; & probat *l. scientiam, § qui cum aliter, ff. ad l. Aquil.*

9 Moveor secundò rationibus; nàm remigare versùs Christianos in se non est malum; fit enim tantum malum ex ordinatione Turcarum; sed est actio per se indifferens; atque adeò potest à cooperatione ad malum abstrahi. Tum quia captivi, coactè remigando, non intendunt cooperari ad malum; videlicet ad peccatum, seu injustitias Turcarum, nec Christianis nocere, sed tantum proprium malum evitare, verbera nempe, aut mortem, quod jure naturæ cuilibet videtur concessum.

10 Moveor tertiò exemplo, in pluribus Christianis apud Turcas captivis, quorum aliqui à triremibus liberati piarum personarum eleemosynis; & eleemosynam hic Romæ mendicantes à me interrogati, an unquàm in triremibus Turcarum contrà Christianos remigaverint, respondernnt affirmativè, sed coactè ob metum verberum, & mortis, & sine ullo scrupulo peccati; cùm ageretur de conservatione vitæ, quæ est de jure naturæ juri positivo minimè postponendo.

11 Concludimus igitur, ne addatur afflictio afflictis, Christianos, apud Turcas captivos, in Triremibus Turcarum coactè remigantes contrà Christianos, non peccare mortaliter, neque excommunicationem incurrere; dummodò non agatur de maximo Reipub. damno, juxtà notata; nec intendant damna inferre Christianis, & præcipuè si remisse, & non totis viribus, quibus possent, suum officium coactum exerceat.

Ad rationem in contrarium respondemus, negando, peccare lethaliter eos, qui justa de causa, & optimo fine cooperantur ad aliquod, quod de se est indifferens; Est enim tantummodò cooperatio graviter peccaminosa, quando, id quod fit à cooperante, est intrinsecè malum, quod non est in casu nostro; cùm remigare per se sit actio indifferens; aliàs omnes remigantes peccarent. 12

Infero primò ex dictis, non peccare lethaliter Christianos captivos, cognoscentes injustitiam belli Turcarum, & Saracenorum, adversùs Christianos, asportando coactè sarcinas, & alia necessaria ad bellum contrà Christianos, aliaque ejusdem generis militari labore opera perficiendo. 13

Infero secundò, teneri Christianos captivos, non imminente eis notabili detrimento, quando commodè possunt, opera præfata evitare, & minorem industriam, & vim adhibere in remigando. 14

Infero tertiò, crimen læsæ Majestatis non committi à vassallo, qui gravi metu coactus, recognoscit alium Dominum, eique juramentum fidelitatis præstat. Ita censuit etiam Abb. *in conf. 2. in 6. q. lib. 2.* Imola, *in conf. 34. col. ult. vers. circà secundum.* Cravet. *in conf. 6. num. 84.* Grammat. *in conf. 31. in criminal.* Decius, *in conf. 604. num. 9.* & clatiùs *in conf. 690. num. 12.* & alii plures. 15

Infero quartò, exercentem aliquod ex illis officiis, quæ coactè suscipiuntur, & coactè geri debent, ut puta, tutela, cura, & his similia, juri suo proprio non præjudicare; ut puta si Advocatus fuisset coactè alicui datus, is patrocinium suum pro Cliente præstando, juri suo non præjudicatet, & facit *lex ult.* in princ. *ff. de inoff. test.* cum aliis relat & explicat, à Menochio, *in conf. 58. num. 61.* ubi plures DD. recensentur, qui huic favent sententiæ, seu conclusioni. 16

Infero quintò incidenter, illum, qui non infert, seu cogit, non mereri, ut ei servetur promissum, juxtà *cap. Frustra, de usuris,* & tenet Menochius, *in conf. 917. n. 34.* 17

Infero sextò, cogentes proximum ad faciendum aliquod, quod præcipuè in se malum est, gravissimè peccare, tanquàm magnam injuriam inferentes non solùm proximo, sed & DEO; qui quandoque mavult peccatum permittere, quàm cogere peccatorem ad non peccandum. 18

Infero septimò, non esse improbabilem opinionem Doctorum, quos producit, & sequitur Card. Albanus, *in Lucubrat. in Bart. in l. si arrogator, ff. de adopt. num. 6.* asserentium, eum, qui aliquid fecit, ad quod sciebat se posse compelli, non dici id spontè fecisse. De hac re agit Felin. *in cap. Cum M. Ferrariensis, num. 73. de Constit.* 19

Infero octavò, coactum multùm mereri apud DEUM, si patienter suffert coactionem, seu illam violentiam; præsertim si potiùs eligat mori, quàm malum, quod cogitur, patrare. 20

XII. DIF-

XII. DIFFICULTAS.

An liceat Militibus Classiariis, seu super Naves contrà Turcas, vel Hæreticos pugnantibus, Navem mergere vel incendere, ne hostes eâ potiantur, quando aliter Hostium manus non possunt effugere.

1 NOtandum primò, in nullo eventu licere seipsum occidere. Contrarium asserere implicat hæresim, ut notant Philastrius, & S. Aug. *lib. de hæres. cap. 69.* loquentes de quibusdam viris vagis, quos D. Aug. appellat Circumcelliones, & Philastrius Circuitores, qui fuerunt tempore Julii Papæ, & Constantii Imperatoris; & docebant, quemcunque hominem occidentem, aut jubentem alteri, ut ipsum occideret, esse martyrem. Ita scribit Gabriel Prateolus, *in Elencho hæres. lib. 3 cap. 19.*

2 Notandum secundò, licere cuique in prælio patriam defendenti, & certo de sua morte, facinus aggredi, quod redundet in patriæ salutem, & magnum hostium detrimentum. Victor, in *relect. 10. de homicid. §. Ad ultimum, de Samsone.* Gregor. de Valentia, *tom. 5. disp. 5. quæst. 8. punct. 22.* in fine Sayr. *in sua Clavi Regia, lib. 7. cap. 9. sub num. 9.*

3 Notandum tertiò, dupliciter posse aliquem seipsum occidere, vel alium, directè scilicet, & positivè; & indirectè, & negativè: Directè inquam, & positivè operando, sumendo venenum, laqueo se praefocando, præcipitio aut flumini se tradendo: Indirectè verò & negativè, aut faciendo id, ex quo sequitur mors; aut id non faciendo, quo vita conservari posset, ut puta, non sumendo cibum, non fugiendo hostem obviam venientem.

4 Notandum quartò, Milites custodientes Navem, aut Arcem, aut alia loca, debere potiùs mori, quàm hujusmodi loca, seu signa relinquere; & aliter facientes, peccare mortaliter, cum onere restitutionis damnorum, ut tradit Molfesius, *in summa, p. 1. tract. 11. cap. 19. num. 144.* ubi citat pro se Regin. & fuit à nobis alibi explicatum.

5 Notandum quintò, communiter laudari Milites, qui videntes Navem, vel Aciem exercitus inimicorum in aliqua parte firmiorem, ad illam toto conatu se convertunt, illam invadunt, fortiter pugnant; propriam vitam exponentes voluntariè periculo mortis, & moriuntur, ut propriæ obligationi satisfaciant. Sic fecit Judas, sic fecerunt cæteri ejus Machabæi, ut habetur 1. *Machab. cap. 9. cum seqq.*

6 Notandum sextò, teneri Milites fortiter militare, ut hostes vincere possint; Et hoc quidem sub pœna peccati mortalis, ut tenet etiam Molfesius, loc. cit. & nos alibi demonstravimus.

7 His adnotatis; ad difficultatem propositam, an liceat Militibus, super Naves contrà Turcas, aut Hæreticos pugnantibus, Navem mergere, vel incendere, ne hostes illa potiantur, quando aliter non possunt hostium manus effugere; affirmativè respondent Sylvius, *in 2. 2. quæst. 64. art. 5. ad 4.* Less. *in lib. 2. de just. & jur. cap. 9. dub. 6. num. 34.* Maldeрus, *in 2. 2 tract. 3. cap. 1. dub. 19.* quia hujusmodi Milites ignem pulveri injiciendo non intendunt occidere se ipsos, sed inimicos; & impedire, ne hostes Navi cum publico damno potiantur. Imò Navem accendunt cum aliqua spe aufugiendi mortem, ab hostibus certissimè inferendam, se mari committendo. Præterea, Sampson ut interficeret hostes populi, Templi columnas evertit, cujus ruinâ etiam ipsi obiit. *Judic. 16* Sic etiam Eleazarus interfecit Elephantem; à quo videbat se opprimendum. Sic Sancta Apollonia seipsam injecit in ignem. Sic Beatus Vincentius ultroneus conscendit machinam tormentorum. Sicque alii Sancti se morti objecerunt, & ultro se in ignes, & aquas injecerunt, & se præcipitaverunt, quos laudat Ecclesia, eorumque festivitates celebrat. Cur igitur non licebit Militibus contrà Turcas, aut Hæreticos in Navi pugnantibus, Navem mergere, aut incendere, si adest justa causa, ut est bonum Reip. etiam si sciant, non posse mortem effugere?

Fateor, hanc sententiam apud aliquos censeri probabilem; Contrariam tamen, quam veriorem, & tutiorem esse arbitror, libenter amplector, & sustineo; & sic sentire videntur D. Th. 2. 2. *quæst. 64. art. 5.* Alex. de Ales. *part. 3. quæst. 34. memb. 1. art. 2.* Sylvest. *v. homicidium 1. quæst. 1.* Tiraq. *de nobilitate, cap. 31. num. 560.* Plaz. *lib. 1. epito. delict. cap. 23. n. 1. 2.* Uvigers, *de justitia, tract. 2. cap. 2. dub. 18. num. 106.* & alii plures, quos recenset, & sequitur Sayr. *in sua Clavi Regia, lib 7. cap. 9. sub num. 3.* 8

Moveor primò juribus, *in l. liber homo, ff. ad leg. Aquil.* ubi habetur, quòd nemo est Dominus membrorum suorum, & ideo nemo potest sibi mortem inferre: *Et in l. si quis aliquid, §. Miles, ff. de pœn. & in l. omne delictum, §. qui se vulneraverit, ff. de re milit.* ubi Miles seipsum percutiens, ut se interficiat, pœna capitali punitur. Et Concilio Bracbar. 1. *cap. 34. causa 23. quæst. 5. cap. Si non licet*, ubi habetur, nemini licere sibi mortem inferre. Infert sanè sibi mortem, Navem, in qua est, Miles, vel Nauta, mergendo, aut accendendo. 9

Moveor secundò rationibus: Nam qui se occidit, naturam lædit; quia quælibet res creata seipsam amat, & quærit omni vi, & conatu se conservare, non autem perdere ut notat Cicero, *lib. 1. de Offic.* offendit Rempub. cujus ipse est, cùm parte ipsam privet; Ut testatur Aristoteles, *lib. 5. ethic. cap. 11.* violat charitatem, quâ quisque tenetur seipsum diligere, cùm dilectio nostri sit mensura dilectionis proximi; insuper occidendo servum alienum peccamus; quia non sumus Domini illius servi: Atque adeò peccamus nosmetipsos occidendo, cùm non simus Domini vitæ nostræ, nec Judices in nos ipsos, sed solus DEUS, ut ipse dicit Deut. 32. *Ego occidam, & ego vivere, faciam*; & Sap 16. *Tu es Domine, qui vita, & mortis habes potestatem.* Cùm igitur injicere ignem pulveri, seu Navem io ictu oculi incendere, causet aliis & sibi mortem, ut experientia docet, & solùm per accidens quis vivus in tali eventu 10

eventu remaneat, fatendum est illicitam esse hujusmodi actionem.

11 Moveor tertiò exemplo, Primò in Razia, 2. *Machab. 14.* qui se occidendo, ne fieret subditus peccatoribus, graviter peccavit, ut vult Sylvest. in verbo *homicidium 1. quæst.* 1. in fin. Burgensis *super 14. cap. lib. 2. Machab.* & alii plures, quos refert Sayr. *in sua Clavi, lib. 7. cap. 9. sub num. 10.* quamvis factum Raziæ Nicolaus de Lyra, *in d. tex. Machab.* excuset à peccato. Secundò in Annibale, qui ne in inimicorum manus veniret, hausit cicutam, & simul moriens dixit, „ Solvamus ingenti cura Populum Romanum. Plutarchus, *in ejus vita*, & refert Menochius, *in lib. de arbitr. jud. casu 284. num. 4.* Et hoc Annibalis factum, licèt ab aliquibus viris sanguinariis, & gloriæ mundanæ cupidis laudetur, nihilominùs ut illicitum à Prudentibus, & Sapientibus vituperatur.

12 Concludimus igitur, Milites, Nautas, aliosque mortem sibi inferentes, Navem aut mergendo, aut incendendo, dum pugnant contra Turcas, aut Hæreticos, ne ea potiantur, DEUM, Naturam, Patriam, & omnem humanam legem, civilem, & Canonicam offendere: Unde meritò Josephus, *in lib. 3. de bello judaico, cap. 21.* appellat pessimum, & perfidissimum, qui se ipsum occidit: Et à Luciano in Tyrannicidas scribitur, mortem sibi inferre genus mortis præ cæteris miserrimum, multoque atrociùs, quàm si per alium inferatur. Quapropter communis Christianorum sensus ab ejusmodi actionibus, tanquàm horrendis, atque illicitis videtur abhorrere.

13 Ad rationes in contrarium respondemus: Ad primam, negando mortem non intendi. Qui enim vult aliquid facere, ex quo necessariò sequitur mors, vult etiam mortem, juxtà regulam Philosophorum asserentium, velle effectum, qui vult causam, ex qua sequitur effectus.

14 Ad secundam, seu ad exemplum Sampsonis, respondetur communiter, id fecisse ex Divina revelatione: D. Th. 2. 2. *quæst. 64. art. 5.* cæterosque Sanctos id pariter fecisse ex Divino instinctu, & DEI inspiratione. Sic S. Aug. *lib. 1. Civit. cap 23.* Sotus, *lib. 5. de justit. quæst. 1. art. 5.* in fin. Salon. Petr. de Arragon. quos citat, & sequitur Sayr. *in sua Clavi Regia, lib. 7. cap. 9. num. 11.* Molfesius, *in summa, p. 1. tract. 11. cap. 19. num. 143.* Quod non potest dici in casu nostro, ut patet consideranti.

15 Infero primò ex dictis, peccare contra charitatem, & contra justitiam se ipsum directè, vel indirectè occidentem, si esset Reipub. necessarius, ut puta, Rex, Dux celebris, à quo pax, salusque Reipub. dependet. D. Th. 2. 2. *quæst. 64. art. 5. ad 1.* Sot, *lib. 4. de just. quæst. 2. art. 3. conclus. 2.* & alii, quos refert Sayr. loc. cit. *sub num. 2.*

16 Infero secundò, meritò esse, & dici hæreticos, asserentes, licere se ipsum occidere, ad detestationem peccati commissi. Et in hac hæresi fuerunt Donatistæ, quos D. Aug. *lib. 1. Civit. DEI, à cap. 17. ad cap. 27.* impugnat, eò, quòd docuerint, occidentem se propter peccata præterita, non solùm non peccare, verùm etiam martyrem esse.

Infero tertiò, meritò damnari opinionem asserentium licere se ipsum occidere, ad vitandum peccatum futurum proprium, scilicet, ne consentiat in peccatum; tùm occisio sui sit mala ex se; Et non sunt facienda mala, ut veniant bona. Rom. *cap. 3.* 17


Infero quartò, nefas esse sibi mortem inferre ad vitandam ignominiam, vel alias hujus vitæ ærumnas, cùm mors sit malum omnibus malis majus, ut docet Aristot, 3. *ethic. cap. 6.* & Job. *cap. 2.* 18

Infero quintò, non licere mulieri, ad evitandam alienam violentiam, & peccatum alienum, putà, adulterium, fornicationem, se ipsam occidere, quod est maximum crimen, non enim violentatur ejus voluntas ad consentiendum; & ubi non est consensus, non est peccatum. Unde inquit D. Aug. *lib. 1. Civit. DEI, cap. 18.* Cur autem homo, qui mali nihil facit, sibi malefaciat, & seipsum interficiendo, hominem interficiat innocentem, ne alium patiatur nocentem, atque in se perpetret peccatum proprium, ne in eò perpetretur alienum? 19

Infero sextò, nobis non licere negative nos ipsos occidere, id est morti voluntariè nos offerre pro salute temporali hominis privati: Quia quisque sibi potiùs, quàm proximo tenetur; cùm ordo charitatis non solùm sit in consilio, sed etiam in præcepto, saltem quo ad ea, quorum dominium non habet homo, ut est vita proximi. Tradunt etiam Durandus, *in 4. dist. 17. quæst. 6. ad 2.* Petr. Navar, *lib. 2. de restit. cap. 3. dub. 3. num. 41.* & alii. Contrarium tenent Franc. à Victoria, & alii, quos recenset Sayr. *in sua Clavi Regia*, loc. cit. *num. 13.* Qui tamen limitant, dummodò Amicus, pro cujus salute temporali vita ponitur, sit æqualis conditionis. 20

Infero septimò, peccatum mortale committi ab eo, qui herbas crudas, vel alia nociva comedit, quibus vitam propriam finit; aut qui nolit comedere, ut fame pereat, aut longa, & rigorosa jejunia observat, quibus notabiliter vitam suam abbreviat; cùm hoc sit directè se ipsum occidere. Tenent etiam Navarr. Victor. Sot. Reginal. Sayr. & alii, quos producit, & sequitur noster Molfesius, *in sua summa, p. 1. tract. 11. cap. 19. num. 161.* 21

Infero octavò, mortaliter peccare eum, qui recusat sumere remedia, moraliter certus ex judicio Medicorum, se moriturum, eis non sumptis; dummodò nulla adsit causa cohonestans actum illum non sumendi, ut fuit à nobis in primo tomo latè explicatum: Secùs verò, si ea remedia ordinarentur ad vitam solùm protogandam. Ita etiam tenent Victor. Reginal. & Molfesius, loc. cit. *num. 162.* putantes idem esse dicendum de illo, qui impediret infirmo sumere pharmacum, vel aliud remedium à Peritis ordinatum; cum militet eadem ratio. 22



XIII. DIF-

XIII. DIFFICULTAS.

An quando in Navi Turcarum sunt Remiges Christiani, liceat illam bombardarum globis subvertere; quamvis intelligatur, hujusmodi Remiges una cum Turcis esse perituros?

1 NOtandum primò, sæpè sæpiùs in Turcarum Triremibus remigaturos adesse Christianos captivos, aut liberos, nempe, Mercatores ad aliquam Civitatem profecturos, pretium Turris pro vectura Navis solventes.

2 Notandum secundò, non tarò ad jus agendi multa consequi indirectè, & extrà agentis propositum, ad quæ per se jus minimè esset; & ideo magnum discrimen esse inter agere per se, & ex intentione, & agere per accidens, & extrà intentionem.

3 Notandum tertiò, non semper ex omni parte licitum esse, quod juri strictè sumpto congruit; cùm sæpè nostrorum proximorum charitas non permittat summo jure nos uti, quod aliàs nobis permissum esset.

4 Notandum quartò, id, quod facit DEus, interdùm nobis in exemplum non esse trahendum, ob plenissimum illud dominii jus, quod ille in nos habet, nobis verò alteri in alterum minimè ab eo concessum.

5 Notandum quintò, privationem juris sui esse quandam pœnam. §. *Cùm igitur*, *in Authen. de non elig. secun. nuben. Cod. de secund. nup.* undè juris privationem non esse sustripiendam, aut inducendam nisi lege cautum reperiatur: Quod etiam habetur *in l. At si quis, §. Divus, ff. de Religio. & sumpt. fune.*

6 His adnotatis; ad difficultatem propositam, an quando in navi Turcarum aut aliorum Infidelium adsunt Remiges Christiani, liceat illam bombardarum globis subvertere quamvis intelligatur, ejusmodi Remiges una cum Turcis esse perituros, negativè videtur respondendum: Nam *Exod. 23.* habetur *Insontem, & justum non occides:* Cùm igitur Christiani, qui remigant in Turcarum triremibus, supponantur innocentes, tanquàm coactè, & metu mortis hujusmodi officium exercentes; quamvis bellum, quod gerunt cum Turcis Christiani sit justum, non possunt ad mortem una cum Turcis navis subversione damnari. Præterea nefas est in Republica pro delictis malorum punire innocentes: Atque adeo licèt Turcæ sint Christianorum inimici, non licebit pro ipsorum injuria punire innocentes apud ipsos. Deindè certum est, bellum pœnam esse, & nullam pœnam justè innocentibus imponi.

7 Video his ce rationibus probari, nefas esse per se, & ex intentione damna innocenti inferre, quod utique, & ego sentio, & assero; onde non licere per se, & ex intentione Christianos etiam occidendi, bombardarum globis navem Turcarum contrà Christianos bellantium, in quibus Christiani Remiges reperiuntur, subvertere, si intelligatur unà cum Turcis eos esse perituros; per accidens verò, & citrà intentionem hoc esse licitum firmiter arbitror, & sostineo cum Dec. *in cons. 489. num. 7.* Vict. *de jure belli, relect. 6. num. 37.* Covar. *reg. peccatum, p. 2. §. 3. num. 4.* Molina *tom. 1. de just. tract. 2. disp. 119.* Diana *p. 6. tract. 4. res. 11.* & ita videtur sentire Aug. *ad Pub. epist. 154.* ubi ait: „Nec reus est mortis alienæ, qui suæ possessioni murorum ambitum circumduxerit, si aliquis ex ipsius ruinis percussus intereat. „

8 Moveor primò juribus, *in d. l. at si quis, §. Divus, ff. de relig. & sumpt. fune.* ubi habetur, quòd nemo jure suo privari debet, vel per se, vel per alium, nisi expressè cautum sit: Et in regula; *nullus videtur dolo facere, qui jure suo utitur, ff. de reg. jur.* cum similibus.

9 Moveor secundò rationibus: Nam si non liceret per accidens damnum inferre innocentibus, neque bellum gerere contrà nocentes liceret; & sic frustraretur justitia bellantium, quod rectæ rationi repugnat. Tum quia, qui justè agit, non tenetur, juxtà notata, se privare consequutione proprii juris ratione incommodi indè in innocentes sequuturi; cùm incommodum, seu percussio innocentum sit tantùm accidentaria, & præter intentionem. Tum etiam, quia si nobis non liceret per accidens innocentes interficere in Turcarum triremibus, neque nobis liceret injustè obsessis nos defendere ab obsidentibus, si innocentes aliquos invitos in exercitu, aut triremibus ipsi hostes ponerent, quod nemo dixerit, cùm defensio sit de jure naturæ.

10 Moveor tertiò exemplo, seu praxi continuâ tempore belli: Scimus enim in justa obsidione arcis, aut civitatis, in qua scitur non paucos innocentes, ut mulieres, infantes permixtos esse cum nocentibus, globos in eam absque scrupulo mitti, aut ignem illi supponi, aliaque fieri, ut capiatur; quamvis aliquos interficiendos innocentes certum sit. Et nemo ex Theologis audet hujusmodi interneciones, ut illicitas, condemnare; cùm præter intentionem illas efficientium sequantur.

11 Concludimus igitur, existentibus permixtis in navi Turcarum Christianis Remigibus, mercatoribus, aliisque innocentibus, fas esse mittere in eos bombardarum globos, quibus navis subvertatur, etiam cum scientia innocentum mortis; dummodò per se id non intendatur; & etiam caveatur, ne ex ipsa actione bellica majora sequantur mala, quàm vitentur per ipsam; Nam si finis illius conflictus non præponderat, nocentum morti, & damnis aliis inferendis, utique non videtur licere ignem, vel machinas exercere in Navem, aut Arcem, obi cum hostibus reperiuntur innocentes, ut indifferenter opprimantur innocentes cum hostibus.

12 Ad rationes in contrarium, respondemus, nobis non obstare, cùm probent solùm, nefas esse innocentes per se, & ex intentione interficere, quod etiam nos libenter concedimus, & constanter asserimus: Nec non & censemus, nefas pariter esse, Arcem, Navem, aut oppidum expugnare, ubi cum hostibus adsunt permixti innocentes, si ad summam belli victoriam nihil, aut parum conferat expugnatio; & pauci nocentes non possint absque multorum innocentium internecione occidi; quia innocentes non possont, neque

neque per accidens interfici, nisi quando necessitas justi belli ita videtur exigere.

13 Infero primò ex dictis, licere existentibus in Arce, aut Civitate, quæ oppugnatur injustè, & justè defenditur, mittere globos, machinas incendiarias, & alia tormenta in obsessores, & in hostium Castra, scientibus inter adversarios infantes, uxores, aut innoxios reperiri.

14 Infero secundò, licere per accidens, & præter intentionem interficere in bello adversus Turcas, aut Saracenos infantes, aliosque innocentes, à quibus in futurum imminet periculum, seu timetur, ne facti adulti, pugnent contrà Christianos: Secùs verò, per se, & ex intentione; cùm non sint facienda mala, ut eveniant etiam alia mala majora; & iniquum videatur aliquem occidere pro culpa futura; cùm de futuris contingentibus, ut inquit Philosophus, nulla sit determinata veritas.

15 Infero tertiò, licere interficere per accidens eos, qui non sunt de Republica, contrà quàm bellum geritur ut sunt, Peregrini, Hospitantes, Mercatores, aliique ibi non habentes domicilium, quique innocentes reputantur: Uti etiam Clerici, & Religiosi, qui non reputantur Reipublicæ partes. Secùs verò, per se, & ex intentione, ut sentiunt communiter Doctores.

16 Infero quartò, fas esse interficere singulos, qui sunt de Republica, cum qua bellum geritur justum, & hoc etiam per se, quando non potest discerni, qui sunt nocentes, & qui innocentes; nisi de aliquo in particulari constet, illum innocentem esse. Molina, loc. cit.

17 Infero quintò, mittentes globos in Navem, aut Arcem, si occidant per accidens, & præter intentionem innocentes, & in aliis similibus eventibus, non habere obligationem restituendi ejusmodi damna innocentibus per accidens illata. Et tenet etiam Molina, loc. cit.

18 Infero sextò, neminem teneri relinquere illam actionem, quæ in suam justam utilitatem, & bonum publicum redundat, ob damnum, quod per accidens aliis sequitur. Ita Vict. Covar. loc. cit. & communiter Doctores.

19 Infero septimò, ut nostrum consequamur ab aliis retentum, & denegatum, si tantundem accipi non potest plus accipere nobis jus esse, sub obligatione tamen restituendi pretium ejus, quod redondat; quia illud plus, quod accipimus, est per accidens acceptum.

20 Infero octavò, Navem Piratis plenam, quando jus habemus in Piratas, posse tormentis peti, quamvis in eadem Navi sint aliqui innocentes, quibus inde adveniat mortis periculum.

21 Infero nonò, licere justum bellum gerentibus impedire, etiam adjunctâ punitione, ne deferatur frumentum, aliudque comestibile Oppido obsesso, in quo sciunt, adesse cum hostibus infantes, mulieres, aliosque innocentes brevi fame perituros: Unde non damnatur Demetrius, eò quòd, cùm Atticam teneret Exercitu, Athenis famem facturus, Navis frumentum inferre parantis Magistrum, & gubernatorem morte damnaverit; quo modo deterritis cæteris, Urbem obtinuit.

Infero decimò, in bello justo posse licitè everti Turres, aut mœnia, sive tormentorum bellicorum ictibus, sive subjecto igne sulphureo, etiamsi simul nocentes, & Innocentes corruant, vel opprimantur. Docet etiam Diana, loc. cit. 22

Infero undecimò incidenter, Principibus, qui sunt Judices hujus sæculi, certis in casibus, licere unum pro altero, nempe filium pro delicto patris punire, ut in crimine hæresis, *Authen. Gazaros, Cod. de hereticis: Cap. Statutum, eod. tit. & Cap. Cum secundum eod. tit. in 6.* Etiam in crimine læsæ Majestatis humanæ, *l. quisquis, Cod. ad leg. jul. majestatis:* Quæ tamen leges non puniunt patrem pro his delictis à filio perpetratis; Ut tradit Menochius, *in cons. 526. num. 7.* 23

Infero duodecimò, in dubio illum, qui procurat utilitatem suam, dato quòd consequenter aliis noceat, non præsumi facere animo nocendi, & ideo sibi permitti, ut per Glos. *in cap. Si quis verò, causa 11. quæst. 3.* in Glos. 1. in fin. *& not. in l. fluminum, §. fi. ff. de dam. infect.* Et tradit Dec. *in cons. 489. num. 7.* 24

XIV. DIFFICULTAS.

Miles in conflictu navali graviter se vulneravit, ut se interficeret, ne ab hostibus aut caperetur, aut in mare demergeretur. Dubitatur, num hujusmodi vulneratio fuerit peccaminosa, & punitioni obnoxia.

Notandum primò, nostram difficultatem supponere, quòd hic Miles poterat crudeliùs ab hostibus occidi, quàm à se ipso; & ab illis captus magnas miserias pati in captivitate. 1

Notandum secundò, quòd olim apud Græcos aliqui laudi tribuebant, si vel manum sibi inferrent, vel mortem consciscerent, sive jactationis gratia, sive affecti tædio, eo levarentur: Unde Empedocles jactationis causa, ut se, DEUM immortalem effici falsò existimans, in viscera montis Ethnæ conjecit. Alciat. *lib. 4. Parerg. jur. cap. 4.* Tiraq. *de nobilit. cap. 31. num. 512.* 2

Notandum tertiò, inferentem sibi manum, dupliciter facere hoc posse, vel, scilicet, cum causa, vel sinè causa; cum causa, quando adest judicium Civitatis, aut tristis, & inevitabilis fortunæ casus, aut extremi alicujus pudoris coactio, seu impulsio, aut furor, aut doloris impatientia, aut vitæ tædium, aut æs alienum urgens: Sine causa verò, quando hæc omnia deficiunt, solâ existente, & monente jactantiâ, ignaviâ, & formidolosâ animi imbecillitate; In quo casu locum habet *l. 3. §. si quis autem tadio,* in fin. *ff. de bonis eorum, qui mortem.* 3

Notandum quartò, ubicunque est delictum, & aliqua pœna infligitur vulneranti, vel occidenti simpliciter, eadem pœnâ puniri illum, qui seipsum vulnerat. Ita Bald. *in proœm. Decret.* incip. *Rex pacificus, num. 27.* Et ratio est, quia non est minus delictum, sed majus. 4

5. Hia

5 His adnotatis; ad difficultatem propositam, an Miles in conflictu navali graviter se vulnerans, ut se interficiat, ne ab hostibus aut capiatur, aut in mare demergatur, peccet mortaliter, & sit puniendus, videtur negativè respondendum; nam Aristot. loc. cit. dicit, quòd qui se occidit, sibi injuriam non facit; quia sibi sponte injuriam facit nemo. Præterea, Ulpian. *in l. sed si damnum*, §. *si ipse*, *ff. de pecul.* dicit licere servo naturaliter in corpus suum sævire: Cur non licebit id ipsum Militi crudeliter ab inimicis in mare demergendo, aut durè ab iis in captivitate tractando? Deiu Labeo, doctrinâ, & prudentiâ clarus, Pater Labeonis Jurisconsulti, de quo *in l. 2. de orig. jur.* & passim in libris Pandectarum frequentissima habetur mentio, se ipsum interfecit, ut refert Appian. *de bello civ. 4.* atque adeò non videtur esse saltem contrà legem se ipsum occidere; & multò minùs se vulnerare; cùm non sit credibile, tantum Virum voluisse contrà legem operari.

6 Veritas tamen est, hunc Militem, & lethale peccatum commisisse, & punitioni esse obnoxium, Bart. *in l si quis aliquid*, §. *Miles*, *ff. de pœnis*, *& in l. transfigere*, *num. 17. Cod. de transact.* Gram. *decis. 44. num. 1.* Turrecrem. *in cap. Si non licet*, *causa 23. quæst. 5. num. 1.* Menoch. *de arbitr. Judic. lib. 2. cent. 3. casu 284. num. 24.* & communiter D. D. Jurisconsulti, Canonistæ, & Theologi.

7 Moveor primò juribus, *in d cap. Si non licet*, *causa 23. quæst. 5*, ubi expressè prohibetur se ipsum occidere, & consequenter manum sibi inferre, seu se vulnerare, animo se occidendi, *in d. l. si quis aliquid*, §. *Miles*, *ff. de pœn.* ubi pœna capitis Militi se ipsum percutienti, ut se interficiat, indicitur: *Et in l. omne delictum*, §. *qui se vulneraverit*, *ff. de re milit.* ubi idem habetur, *& in l. liber homo*, *ff. ad leg. Aquil.* ubi dicitur, quòd nemo est Dominus membrorum suorum; atque adeò neque potest sibi amputare manum, aut ferire pectus, aut aliud malum suis membris inferre.

8 Moveor secundò rationibus; nam DEI præceptum est; *Non occides*, quod absque dubio ad se ipsum occidentem extenditur, præsertim cùm non addat, proximum suum, & post D. Aug. *lib. 1. de Civit. Dei*, *cap. 18.* relat. *in d. cap. Si non*, est receptissima Theologorum sententia, ut tradit, D. Tho. 2. 2. *quæst. 64. art. 5.* Tiraq. *de nobilit. cap. 31. num. 560.* Plaz *lib. 1. Epito. delicto. cap. 23. num. 1. 2.* Tum quia, qui se vulnerat, ut se interficiat, lædit directè charitatem. Prima enim & ordinata charitas incipit à se ipso, *l. præses*, *Cod. de servit. & aqua.* Imo charitas ergà proximum ordinatur ad exemplum charitatis ad se ipsum: Propterea Glos. *in cap. Si Romanorum, 19. Dist.* dixit absurdum esse aliis benefacere, & non sibi. Tum etiam, quia ingrati nimis est citiùs deserere vitam, quàm velit is, qui vitam donavit; si enim à DEO vitam accepimus, ut essemus, nobis sanè non licet esse desinere, quando nos volumus contrà voluntatem Divinam. Præterquam quòd, qui sibi non parcit ob aliquam causam, multò minùs alteri parcet, & ideò eâdem pœnâ erit puniendus Miles se ipsum vulnerans, ac si alterum vulneraret; quin imò majorem pœnam meretur Miles se vulnerans, ut se interficiat, ne ab hostibus aut in mare demergatur, aut captivetur, quàm si Miles non esset; quia graviùs delinquit; cùm major in eo animi constantiâ, fortitudo, atque intrepidatio debeat existere, quàm in quocumque alio, non milite, ut alibi fuit clarissimè à nobis demonstratum.

Moveor tertiò exemplo, primò, in Juda Deicidii reo, quem detestamur, tanquàm graviter peccantem; cùm se suspenderit, ut se interficeret. Judicet quæsò prudens, & doctus Lector, quis magis peccaverit, Judas reus se suspendendo, an Miles se insontem occidens, seu tentans gravi vulnere se occidere? Secundò in Taurea, qui in conspectu Fulvii victoris se transfixit, nè à Victoribus occideretur; Apud Syll. *lib. 13.* Tertiò in Laterensi, qui cùm se insidias Lepidi cecidisse animadvertisset, se ferro percussit. Plancus *ad Tull. epist. 23. lib. 10. epistol.* & in tot aliis propter easdem rationes se occidentes, aut vulnerantes, qui apud omnes, tanquàm graviter delinquentes, habentur. 9

Concludimus igitur, Militem, qui in conflictu navali se vulneravit, ut se interficeret, ne ab hostibus in mare demergeretur, aut in captivitatem duceretur, non solùm graviter peccavisse, sed etiam esse puniendum, aut Judicis arbitrio, ut vult Menoch. *de arbitr. Judic.* loc. cit. *num. 23.* ubi allegat pro se Plaz. aut eâdem pœnâ, quâ esset puniendus, si alterum vulnerasset, ut tradit Jo. Andr. *in addit. ad spec. in tit. de pœnis*, Bal. *in proæm. Decretalium*, & alii. 10

Ad rationes in contrarium, respondemus: Ad primam, quòd se vulnerans, aut occidens, non solùm sibi infert injuriam, cum se lædat, sed etiam legi, ut fatetur ipsemet Arist. loc. cit. quæ prohibet quemquam interfici; nec non & Civitati, seu Reipub. unde ignominiam instituit contrà sibi mortem dantem, uti Civitati, seu Reipublicæ injuriam facientem. 11

Ad secundam: Videmus stare contrà Ulpian. *l. cum autem*, §. *excipitur*, il secondo, *vers. malus*, *ff. de adil. edict.* ubi declaratur, servum, si se occidat malum dici. 12

Ad tertiam, scimus omnes testari, malè fecisse Labeonem se occidendo, & alios plures se occidentes, ut fuit Cato Uticensis, apud Plut. *in Vitâ illius*: Et Marius Præneste, apud L. Florum, *lib. 88. Epito. & lib. 89.* qui quamvis ab aliquo Gentili laudentur, ab omnibus tamen Catholicis, tanquàm gravis criminis rei, vituperantur. 13

Infero primò ex dictis, Milites multùm dedecere aut metu, aut aliâ causâ se vulnerare, vel interficere. Teste Cleomene, Lacedæmoniorum Rege, qui cùm Amicus quidam, nomine Tericion, illum hortati conaretur, ut sibi manus inferret, per pulchrè, respondit, hoc esse vilis animi, dicendo; „ Sicut turpe est sibi soli vivere; ità turpe esse sibi soli mori, Plutarch, *in Vitâ ejusd. Cleomenis.* 14

Infero secundò, non licere Bannito se ipsum occidere, putanti posse virtute statuti se impune offendere: Et ideò ejus bona publicari, tenent Bald. *in l. 1. col. 7. num. 21. Cod. de serv. fugit.* & Hip. 15

Hip. *in pract. crimin. in §. aggredior, num.* 17. & alii plures.

16 Infero tertiò, Fisco acquiri bona illorum, qui accusati conscientiâ perpetrati criminis, & de quo poterant accusari etiam post mortem, manus sibi inferunt, *l. 3. §. 1. ff. de iis, qui sibi mort. consciu. l. si quis filio exhæredato, § ejus, qui, vers proinde, ff. de injusto rup. & irrito testamento; l. in fraudem, & ejus bona*, il secondo, *ff. de jure Fisci*.

17 Infero quartò, se ipsos necantes, vel criminis conscientiâ, vel metu pœnæ, gravioribus pœnis obnoxios esse, quàm sint cæteri omnes, qui ex aliis causis hujusmodi delictum committunt; Adeoque eorum bona publicari, ipsorum testamenta infirmari, & pœnis aliis infrà explicandis puniri, tradit Decian. *in tract. crimin lib. 9. cap. 2. num. 7.*

18 Infero sextò, nemini licere consentire, ut vulneretur, vel occidatur, Angel. *in tract. malefi.* in vers. *contrà voluntatem*; quia patia sunt aliquid facere, vel per se, vel per alium, *l. 1. §. dejecisse, de vi, & vi arm. l. is damnum. de reg. jur. & in l. hoc edictali, §. si verò plus, Cod. de secund. nupt. & in l. via Cod. de donat.* Et ideò Constitutum in discrimine vitæ, dùm valet se defendere, peccare, ac si se ipsum occidat, si permittat se, nullâ subsistente causâ, occidi, tradit Castr. *in l. ut vim, num. 9. ff. de just. & jur.* & noviter doctissimus Epis. Verul. *tom. 1. ad Statuta Faventia, ad Rubr. 12. lib. 4. num. 5.*

19 Infero septimò, non posse ordinari abscindentem sibi membrum. Archid. *in cap. Maritum, num. 1. 33. Dist.*

20 Infero octavò, non esse publicanda bona illius, qui se vel in mare, vel in flumen, vel in puteum præcipitavit, vel mortem sibi alio modo conscivit, nisi prævia diligentissimâ inquisitione circà causam necis; cum talis præcipitatio, aut internecio ab eo sponte poruerit fieri variis ex causis. Alberic. *in rub. de bonis eor. qui mort. sibi conscuu.* Dec. *cons. 438. num. 1.*

21 Infero nonò, Clericum se vulnerantem, ut se interficeret, secundùm aliquos, obnoxium esse censuræ *Can. Si quis suadente*, Molina, *de just. tom. 4. cap. 51.*

22 Infero decimò, conscientes sibi mortem, sepulturâ carere, non tamen modo statuto à Tarquinio, qui jussit in crucem tolli eorum corpora, qui tædio operis mandati affecti mortem sibi consciverant, & illa feris, volucribusque laceranda relinquenda esse; sed tantùm carere sepulturâ in loco Sacro; cum sint alibi sepeliendi, & pro eis in Divinis nullam fieri commemorationem; & habetur in Bracharensi Concilio I. *cap. 34* relat. *in cap. Placuit, causa 23. quæst. 5.* ubi expressis verbis hoc dicitur; Quam Constitutionem confirmavit Innoc. III. *in cap. Ex parte, de sepul.* & est intelligendum de impœnitentibus, ut explicat Turrecrem. *in d. cap. Placuit.* Secùs verò, si ante obitum pœnitens signa contritionis ostenderit. Sylvest. *v. sepultura, quæst. 9.* Nald *eodem v. num 6.*

23 Infero undecimò, peccare, & posse puniri eum, qui potest obviare, & impedire aliquem ne se occidat, aut vulneret, & non facit. Bald. Angel Rom. *in l. 2. §. si sibi manus. ff. ad Syllan.* Decian, *tract. crim. lib. 9. cap. 1. num. 36.*

XV. DIFFICULTAS.

An Miles, si fuit Classiarius, gaudeat extrà conflictum privilegiis in articulo, seu periculo mortis constituti?

Notandum primò, mare, quod est Congregatio aquarum, quodque ab initio Mundi fuit à DEO productum, in quatuor potissimùm, quinquevè maria ab Hydrographis dividi, in Oceanum, Mediterraneum, Rubrum, Persicum, & Caspium. 1

Notandum secundò, mare Oceanum, quod dicitur Occiduum, ab Occidente, Eoum ab Oriente, Æthiopicum ab Æthiopia, Athlanticum, Scythicum, Britannicum, Germanicum, à Monte Atl nte, à Scythia, à Britannia, à Germania, reliqua maria vastitate, & magnitudine vincere totamque terram ambire: Mare Mediterraneum, quod ex Oceano inter Abylam Mauritaniæ, & Calpem Hispaniæ promontoria irrumpens, per medias terras diffundi, & Africam ab Eur pa distermiuate: Mare Rubrum, quod variè ab Authoribus nuncupatur, nempe Erythræum à Rege Erytra, id est rubro, qui ex suo non ine mare appellavit Sol *cap. 45.* ab aliis Rubrum à primò, qui imperavit Insulæ in mari rubro positæ quique Rubro appellabatur; ab aliis, quod verum puto, rubrum ab arenis rubeis, seu corallis, quibus maris illius fundus scatet, & quorum color in suis aquis repræsentatur, incipere circiter ab Insula Socotora, quæ latinè Dioscoridis dicitur, terminarique ad Septentrionem Oppido Sues, quod à Latinis Posidium vocatur, habereque longitudinis circiter 350. leucas, ut vult Barrius celebris Indiarum rerum Historiographus, *cap 1. lib. 8. decad. 2.* Mare Persicum, quod etiam sinus Persicus à Persidis Populis vocatur, nunc Mesendia, habere longitudinis circiter 280. leucas; Mare denique Caspium, quod Parthi Mare Bachan, Tartari Chuvalias, Comorra, & Chelucelam vocant, omni ex parte terrâ cinctum esse, quasi Insulam, nec ex ullo mari originem ducere Aristo. *li. 2. meteor.* D. Th. ibid. Herod. *in Clio.* Quidquid alii dicant. 2

Notandum tertiò, mare, præter motum aquæ, quo ob ingenitam gravitatem deorsùm meat, & motum, quo ab Oriente in Occidentem fluit, ut observarunt Nautæ, habere motum à ventis causatum, quo nunc in hanc, nunc in illam partem agitur, qui motus accidentalis est; adeoque non semper, sed aliquando, non æqualiter, sed modò plùs, modò minùs, juxtà diversitatem temporum, tempestatibus mare infamatur. 3

Notandum quartò, Naves, quas currus ventorum Lucretius vocat, & equos ligneos Plautus (esseque antiquam earum fabricam ex constructione Arcæ, quam DEus fieri jussit per Noë, constat) dividi in Fluviatiles, Onerarias, Frumentarias, Marinas, Piscatorias, Prædatorias, Piraticas, Speculatorias, Bellicas, Constratas, & Celoces, à celeritate dictas, & à Rhodiensibus iuventas, 4

ut

ut suprà clare demonstravimus; omnemque ab usu differentiam sumere, vel à modo dirigendi; eas a Thucydide fuisse repertas, tradit Plinius, *lib. 7.*

5 Notandum quintò, classem multitudinem navium dici, juxtà Seracium à lignis, quibus naves conficiuntur.

6 Notandum sextò, Classiarium Militem illum dici, qui in Classe stipendia meret.

7 Notandum septimò, plura esse constituti in periculo, seu articulo mortis privilegia, quæ distinctè recenset Pasqualigus, *tom. posthum. de privilegiis Agonizantium*, quæque à nobis hic omittuntur brevitati studentibus.

8 Notandum octavò, mortis articulum dici non solùm periculum mortis ex infirmitate, sed etiam quodlibet periculum vicinum morti; quodque esset, si quis timeret hostem, vel prædonem, vel crudelitatem potentis; vel si navigaturus sit certis temporibus per loca periculosa, aut per insidiosa transiturus, ut suprà fuit ostensum.

9 His adnotatis; ad difficultatem propositam, an Miles, si fiat classiarius, gaudeat extrà conflictum privilegiis in articulu, seu periculo mortis constituti, affirmativè respondemus, quando navigaturus est tempore periculoso, ut à die tertia iduus Novembris usque ad diem sextam Martii, præsertim si tunc navigario sit necessaria; & ita sentire videntur Paulus, *in. l. utique, §. culpa, de rei vend.* Ant. Butr. *in cap. Postulasti, § Præterea, num. 16. de Off. Ordin.* Menochius, *de Arbitr. Jud. lib. 2. cent. 1. cas. 61.* & alii, dùm asserunt, navigationem, tempore hyemali susceptam, esse periculosam.

10 Moveor primò juribus, *in l. Quoties, Cod. de naufr. lib. 10.* & ibi Glos. *& l. Civitas Rhodiorum, Cod. de Off. Rect.* ubi habetur navigationem hyeme susceptam esse periculosam.

11 Moveor secundò rationibus: Navigantibus dicto tempore imminet naufragium, & ideò censentur ejusmodi navigantes esse in periculo mortis. Tum quia tempore non congruo ultrà mare navigantes, si patiantur naufragium, culpantur, ut probat Paulus, loc. cit. quod signum est, navigationem tali tempore periculum mortis præseferre; præsertim si navigandum est per mare Oceanum, aut per alia maria navigari minimè consueta; & ventorum violentiæ passim subjecta, & successivè tempestatibus, ut est mare Mamertinum, quod fœdissimis tempestatibus infame est; siquidem venti è diversa superi, inferique maris regione spirantes, ab alto undas excitant, & procellis infestissimas reddunt. Cùm igitur, ejusmodi maria tali tempore navigantes in periculo adesse mortis censeantur, eis non videntur privilegia constituti in articulo, seu periculo mortis deneganda.

12 Moveor tertiò exemplo, in quinquaginta navibus, quibus Epicles Spartanus ad montem Atho vehebatur, quæque incongruo tempore navigantes, tempestate repentè exortâ, omnes naufragio discerptæ perierunt, atque ex omni virorum numero duodecim soli periculo superfuerunt. Diodor. *lib. 15.* Et in Classe, quam Mardonius, Gobriæ, F. Darii Gener, ex Hellesponto Acanthum misit, quæque Acantho soluta, dum Athon circumvehitur, Aquilo vehementer in eam irruens, Navium plerasque in Athon perpulsas, at trecentas confregit, ut supra viginta millia hominum interierint. Herod. *lib. 6.* Nec non & in Persis, quorum 20. millia circà Athon montem in Macedoniæ ora periere naufragio, violento aquilonis flatu disjectâ eâ classe, quam Darius Persarum Rex in Græciæ perniciem armaverat. Herod. *lib. 7.* Strabo. *lib. 9.*

13 Concludimus igitur, Milites, si fiant classiarii, posse gaudere privilegiis constituti in periculo, seu articulo mortis, si sunt navigaturi tempore periculoso, aut per mare tempestatibus infamatum: Secùs verò, si congruis temporibus mare ingrediantur, hoc est à Kalendis Aprilis, usque ad Kalendas Octobris, ut inquit Tex, *in d. l. Quoties*, in fin. *Cod. de naufr.* & infrà à nobis fusiùs explicabitur; tùm hujuscè temporis navigatio non censeatur, inspecto jure citato, adeò periculosa, ut valeat navigantes per se in periculo, seu articulo mortis constituere, & successivè privilegiis constituti in articulo mortis eos dignos, seu capaces reddere. Excipitur semper casus, in quo immineret naufragium.

14 Infero primò, dici donare causâ mortis illum, qui iturus per loca dubia timet mortem; aut qui timet occidi ab hostibus; aut qui timore infirmitatis, & per consequens mortis; aut ætate confectus, & qui adeò senex est, ut quotidiè expectet mortem, & propter hoc donat; quia hæc omnia periculum instans demonstrant. *l. 3. 4. 5. & 6. ff. de mort. caus. donat.* & ibi Gloss.

15 Infero secundò, posse examinari Testes, quando sunt mare periculosum navigaturi; aut peregrè sunt profecturi; quia tunc de eorum vita timetur. Ita tradit etiam Menochius, *de arbitr. Jud. lib. 2. cent. 1, cas. 61. num. 2.* & habetur *in ca. Quoniam frequenter, ut lite non contestatâ, &c.*

16 Infero tertiò, gaudere privilegiis constituti in periculo mortis illos, qui in longinquas Regiones ituri sunt maritimo itinere, vel etiam terrestri, temporibus non periculosis inchoando, si sciant ob temporis diuturnitatem, locorum distantiam, & multa incommoda, quæ navigatio infert, domum non esse reversuros, nisi post transactum tempus periculosum; quia in itinere non tam debet attendi initium, quàm finis; & licet in initio non instet, seu non sit periculum mortis, attamen erit in progressu.

17 Infero quartò, à culpa non esse immunem propter naufragium Navis peritæ eum, qui tempore periculoso mare navigat, præsertim Oceanum, aliudvè mare tempestatibus infamè. Secùs verò, si tempore congruo navigat. Ita Paulus, loc. cit. ubi limitat, nisi minùs idoneis hominibus eam commiserit.

18 Infero quintò, Naucleum, qui se obligat ducere res militares, aliasque ad locum conventum, si suscipit in se omne periculum, intelligi suscepisse etiam periculum casus fortuiti; sive naviget tempore periculoso, sive tempore congruo, quia periculum est terminus generalis, qui comprehendit casum fortuitum, tanquàm speciem, ut not: Paul. de Cast. *in l. sed si quis, §. quæsitum, ff. si quis cautio.* Præterquam quod, qui

omne dicit, nihil excludit. *l. A procuratore, Cod de man. l. Julianus, ff. de leg.* 2. Et tradit Dec. *in consf.* 552.

19 Infero sextò, Navem emptam, dum mare navigat tempore, tum periculoso, tum congruo; si naufragium patitur, & perit, emptori perire: Et confert Tex. clarus, *in l. 1. Cod. de pericu. & commod. rei vend.* quo constituitur omne commodum, vel incommodum, quod rei venditæ contingit, ad emptorem pertinere; & docet Menochius, *in consf. 26. num. 16.*

20 Infero septimò, non tantùm circà res maritimas, sed etiam circà quascunque res, ubi majus versatur periculum, ibi cautiùs esse agendum, *l. 1. §. sed & si quis, ff. de carbo. edicto:* Et in *cap. Ubi periculum, de elect. in 6.*

XVI. DIFFICULTAS.

An Milites in actu conflictus navalis, vel naufragii, si nullum peccatum in particulari confiteantur, sed solùm in genere, dicendo se multa peccata commisisse, sint absolvendi.

1 Notandum primò, confessionem Sacramentalem esse propriorum peccatorum accusationem, necessariam jure divino, si sunt peccata mortalia, ad eorundem remissionem; & contrarium damnatur in Trid. *Sess. 14. de Sanctissimo Pœnitentia Sacramento, cap. 5. & Can. 7.* secretam apud legitimum, & solum Confessarium, ut confitens ab illis Sacramentaliter absolvatur. Ita Navat. *in sum. cap. 1. num. 1.* Regional. *lib. 6. num. 1.* alliique; & habetur in Trid. *de Sess. 14. cap. 5.* Contrarium damnatur in eod. Trid. loc. proximè cit. *Can. 6.*

2 Notandum secundò, confessionem exteriorem propriorum criminum duplicem esse; unam, quæ spectat ad forum contentiosum; aliam verò, quæ potest esse publica; & est, quoties in genere quis confitetur peccata sua, se peccatorem agnoscens; ut solemus nos Sacerdotes facere in introitu Missæ, & ante sumptionem Corporis & Sanguinis Domini nostri JESU Christi.

3 Notandum tertiò, teneri Fidelem præcepto Ecclesiæ semel saltem in anno confiteri sacramentaliter peccata sua, & præcepto charitatis quando est in periculo mortis, scilicet notabili, vel probabili, quod secundùm Pet. de Pal. & Sylvestrum, *in sum.* in verb. *Confessio* 1. est, quando quis est in tali casu, in quo frequenter homines moriuntur, ut in naufragio, bello, acuta febre, aliàque gravi infirmitate.

4 Notandum quartò, urgente necessitate, aut periculo mortis, secundùm aliquos, posse peccatorem hoc modo absolvi: „ Ego te absolvo à „ peccatis tuis; in nomine Patris, & Filii, & „ Spiritus Sancti. Ita Sà, in verb. *Absolutio, n. 1.* vel secundùm Augustinum in brevi Notitia, in fine libri, hoc modo „ Ego te absolvo ab omni- „ bus censuris, & peccatis. In nomine Pa- „ tris, &c.

5 Notandum quintò, posse dari aliquam confessionem Sacramentalem formaliter integram, non integram materialiter, quæ sit valida; ut quando ex rationabili causa, vel ex naturali oblivione, vel ex ignorantia invincibili omitti ur aliquod peccatum. Et est certum de Fide, ex Floten. & Trid. illis verbis; „ Quorum memo- „ riam habet, & illis: Quotum post diligentem „ excussionem, conscientiam habet, ut notat, & „ docet Suarez, *disp. 23. sect. 3.* quem refert, & sequitur Fillinc. *in tom. 1. qq. moral. tract. 7. cap. 6. de Confess. Sacram. quæst. 9. n. 129.*

6 His adnotatis; ad difficultatem propositam, an Milites in actu conflictus navalis, vel naufragii, si nullum peccatum in particulari confiteantur, sed solùm in genere, dicendo se multa peccata commisisse, sint absolvendi, affirmativè videtur respondendum cum Palud. *in 4. d. 21. quæst. 2. art. 2.* Suarez, *in 3 p.* D. Th. *tom. 4. de integrit. form. confess. disp. 23. sect. 1. num. 1.* Henriq. *lib 6. cap. 10. num. 7.* Joan. de Lugo, *de pœnit. disp 17. sect. 4. num. 37.* Nald. *in summa,* in verb. *Absolutio, num. 19.* & aliis; quia *in cap. Is qui, causa 26. quæst. 6. & in cap. 12.* Concilii Arausicani, *& cap. Ægrotantes, de Consf. Dist. 4. & cap. 76.* Concilii Carthag. IV, habetur, non esse denegandam absolutionem constituto in articulo mortis, danti signa generalia pœnitentiæ, si post dicta signa, aut præsente Sacerdote, aut ipso absente, sed præsentibus aliis, illa testantibus, statim obmutuerit, vel in phrænesim versus fuerit. Præterea hi Milites dant veram materiam absolutionis, quia tùm hic & nunc dare possunt. Se ipsos enim accusant cum ostensione doloris; cognoscitque Sacerdos illos peccasse, & sic successivè eorum statum; quod sufficit ad validè pœnitentem absolvendum.

7 Huic opinioni, quam Pasqualigus, *in Theor. & Prax. quæst. 136. num. 4.* censet esse probabiliorem, adhærere putabam: Re tamen meliùs perpensâ, & diligentiori studio discussâ, contrarium visum est probabilius, verius, & tutius; propterea sustinendum ducimus cum Navar. *in Manual. cap. 26. num 28.* Sot. *in 4. dist. 18. quæst. 2. art. 5.* Lopez, *p. 1 instru. num. 18.* Cano, *Relect. de pœnit. p. 6. §. At inbarendo,* & aliis; & ita quoque sentiendum esse duxit P. Saluthii, oculatissimus hujus Operis Revisor.

8 Moveor primò juribus, *in cap. Quem pœnitet, de pœnit dist. 1.* ubi habetur, veniam obtinere, qui confitetur turpitudinem criminis ore ad os Mundantis, ut explicat ibi Gloss. in verb. *Quartò dicit*: Qui autem in genere se accusat, dicens, peccavisse, & offendisse DEUM, nullius criminis explicat turpitudinem. Et in Conci. Trid. *Sess. 14. cap. 5.* ubi expressè dicitur, hoc Sacramentum pœnitentiæ fuisse per modum judicii institutum: Judex quippè non potest prudenter judicare, si causam Rei non cognoscit in particulari saltem quoad necessitia. Favet etiam Tex. *in cap. Quod de his, de sent excomm* ubi apparet, quòd Excommunicatus propter injectionem manuum in Clericum, positus in articulo mortis, non obtinet absolutionis beneficium, nisi fateatur se in Canonem latæ sententiæ incidisse, cum proposito Curiam Romanam visitandi,

randi, susceptutus mandatum Apostolicum, impedimento cessante,

9 Moveor secundò rationibus: Siquidem materia Sacramenti pœnitentiæ debet esse confessio, novam notitiam præbens Confessario de statu pœnitentis: Confessio verò in genere non est vera confessio, cùm ex illa non acquirat novam notitiam de statu pœnitentis Confessarius, qui scit omnes esse peccatores. Tum quia, sciunt omnes Theologi non debere suo termino absolutionem Sacramentalem carere: Atqui si nihil in particulari Confessario præbetur, suum terminum absolutio Sacramentalis non habet. Tùm etiam, quia si Pœnitens vult absolvi, debet declarare in quo sit absolvendus; quæ sanè declaratio non potest fieri, nisi in specie exprimat aliquam culpam. Prætetquam quod, cùm Sacramentum pœnitentiæ, ut tetigimus in motu antecedenti, fuerit institutum per modum judicii, non potest à Confessario ministrari, nisi causam cognoscat; & causam non potest Confessarius cognoscere, nisi pœnitens in specie saltem aliquod peccatum illi aperiat. „ Constat „ enim, inquit Tridentinnm loc. cit. Sacerdotes „ judicium hoc incognitâ causâ exercere non „ potuisse, nequè æquitatem quidem illos in pœ„ nis injungendis servare potuisse, si in genere „ duntaxat, & non potiùs in specie, ac sigilla„ tim sua ipsi peccata declarassent.

10 Moveor tertiò exemplo, seu praxi: Nam plures Confessarii, quos super hanc materiam sedulo consului, mihi testantur, in Confessionibus positorum in periculo mortis, tùm Militum in bello; tùm vulneratorum in Civitatibus; tum navigantium mare in tempestate, ferè semper audivisse in specie aliquod peccatum: Idem ipsemet non semel sum expertus.

11 Concludimus igitur, Milites, aliosque sive in conflictu, sive in naufragio generaliter se accusantes, dicendo se multa peccata commisisse, Deumque offendisse, non esse absolvendos, si possunt, absque ullo præjudicio, aliquod peccatum in specie Confessario aperire.

12 Ad opposita respondemus: Ad jura, quòd loquuntur in casu necessitatis, non cujusvis, sed talis, ut reddat moraliter impossibilem confessionem in specie: Tunc enim certum est, non requiri declarationem peccati in specie, juxtà Regulam: *Nemo potest 5. de regul. jur. in 6.* & in moralibus quod est valdè difficile habetur pro impossibili, *l. cum hæres 4. §. de stat. & l. 2. §. Et quo, l. Continuus, §. Cum quis, ff de verb. obligat.* Nos autem sumus extrà casum hujusmodi impossibilitatis: Supponimus enim, posse à nostris Militibus aliquod peccatum in specie declarari.

13 Ad secundum: Negamus ant. Quomodo enim hi Milites præbent Confessario veram materiam absolutionis, si nullum pœnitùs ei aperiunt in specie peccatum, dum saltem unum, ut supponimus, possunt declarare?

14 Infero primò ex dictis, teneri Confessarium monere diligenter infirmum, qui nec sermonem, nec judicium amisit, ut quidquid meminerit, alicui debere ex delicto, aut quasi delicto, aut alio titulo, statim, si commodè potest, restituat; sin minùs, declaret se id debere, & obliget hæredes ad satisfaciendum statim post ejus post mortem: Sic etiam sentit Navar. loc. cit.

Infero secundò, causam justam ad faciendum licitè confessionem non integram materialiter, esse naufragium, bellum, incendium, ruinam, pestilentiam, aut simile repentinum periculum vitæ; quia in hisce casibus talis confessio dicitur integra formaliter; fit enim eo modo, quo potest, nempè aut in genere, si alio modo fieri non potest, aut expressione unius tantum peccati. 15

Infero tertiò, eum, qui recordatur, se peccasse mortaliter, & oblitus est omninò speciei illius peccati, teneri illud in genere confiteri, prout est in conscientia; & adveniente posteà memoriâ, seu cognitione illius peccati in confessione omissi, seu obliti ob quamcumque causam, teneri in confessione sequenti illud exprimere. Contraria propositio fuit ab Alexandro VII. damnata, & est 11. in ordine damnatarum. 16

Infero quartò, existente summâ difficultate, quæ est moralis impossibilitas, explicandi in confessione omnia peccata, posse aliqua peccata omitti, quæ aliàs pertinerent ad integritatem materialem, ut forsan, quando Pœnitens esset nimis scrupulosus, ut vult Castropalaus, *tom. 1. tract. 1. disp. 4. punct. 2. num. 4.* Si enim deberet hic scrupulosus omnia peccata cum omnibus circumstantiis explicare, adesset periculum gravis damni illius. Præterquam quod redderetur odiosa ipsa confessio, ut docet Tho. Tamb. *meth. Confess lib. 2. cap. 10. n. 22.* 17

Infero quintò, non esse contrà essentiam Sacramenti Pœnitentiæ confiteri nutibus, quando aliter fieri confessio non potest; Et ideò confessionem nutibus habitam verè Sacramentalem, ac legitimam dici, docent D. Th. *in 4. dist. 17. art. 4. quæst. 3.* & plures alii, quos recenset, & sequitur Duardus, *in cap. Omnis utriusque sexus, p. 2. disp. 4. sect. 3. conclus. 2 num. 4.* Propterea meritò damnantur in Trid. *Sess. 14. Can. 8.* illi, qui dicunt, Confessionem esse impossibilem: Esset autem aliquando impossibilis, si per nutus, & signa externa fieri non posset, quando pœnitens loqui non posset. 18

Infero sextò, Confessionem non solùm posse, sed etiam debere fieri nutibus, quando aliter fieri non posset, ut patet in muto, & in aliis linguâ impeditis. Nutus enim sunt materia indubitata, & hæc commodè exhiberi potest. Duard. loc. cit. *num. 6.* 19

Infero septimò, imminente periculo mortis, neminem teneri, quamvis possit, in specie sua peccata publicè confiteri; cùm in tali casu sufficiat, se generaliter accusare, vel aliqua peccata leviora confiteri, quod tutius esset. Fagundez, *in 2. præcep. Eccles. lib. 3. cap. 1. num. 11.* 20

Infero octavò, imminente periculo gravi ipsi Confessariò, si diutiùs confessioni audiendæ immoretur, ut in casu pestilentiæ, naufragii, belli, tunc posse Confessarium, paucis peccatis auditis, pœnitentem absolvere; quia integritas materialis confessionis non est ita necessaria, ut valeat nos obligare cum tanto periculo. Ita etiam tenet Coninch. *de Sacra. disp. 7. dub. 9. num. 75. §. Quinto.* 21

22 Infero nonò, quando imminet periculum, nè infirmus ante abſolutionem moriatur, ſuſficere, ſi dixerit unum peccatum, ut poſſit abſolvi. Ita etiam Suarez, Vaſquez, Henriq. quos citat, & ſequitur Joan. de Lugo, *de pœnit. diſp. 17. ſect. 1. num. 1.* Et eſt communis opinio. Victoria, *Relect. de Confeſſione, num. 164.* dubitat. Secùs verò, ſecluſo hujuſmodi periculo, nam univerſa Eccleſia ſemper intellexit inſtitutam eſſe à Domino integram peccatorum confeſſionem: Et ideò oportet, regulariter loquendo, à pœnitentibus omnia peccata mortalia, quorum poſt diligentem ſui diſcuſſionem, conſcientiam habent, in confeſſione recenſeri, etiam ſi occultiſſima illa ſint, & tantùm adverſùs duo ultima Decalogi præcepta commiſſa. Ita Trid. *Seſſ. 14. cap. 5. & Can. 7.* ubi contrarium damnat.

23 Infero decimò, quando adeſt repentinum periculum vitæ plurimorum, unde omnes ſimul confiteantur, ſive generaliter, ſive in ſpecie, poſſe Sacerdotem omnes ſimul abſolvere, dicendo: *Ego vos abſolvo à peccatis veſtris.* Sic communiter D. D. in quo caſu omnes tenentur ad ſigillum confeſſionis reſpectivè, ſi aliqua peccata in ſpecie aliquis confeſſus fuerit.

XVII. DIFFICULTAS.

Navis, ferens Milites, arma, & alia bellica inſtrumenta ab una provincia ad aliam, capta fuit in medio itineris ab Adverſariis. Dubitatur, num Nauta teneatur remittere, ſeu reſtituere Conductori partem pretii accepti, & conventi extrà caſum tempeſtatis, impedientis velturam navis.

1 NOtandum primò, caſum fortuitum illum dici, qui ab hominibus prævideri non ſolà nùs poteſt, ut per Tex *in l. 2. §. ſi eo tempore, ff. de adminiſtr. rerum ad civit. pertin. & in l. quæ fortuitis, Cod. de pigno. actio.*

2 Notandum ſecundò, Locatorem eſſe illum, qui concedit alteri uſum ſuæ rei, vel operas ſuæ perſonæ, & mercedem recipit. Hoſtienſ. *in ſumma, tit. de locat. §. quid ſit locatio.* Card. Albanus, *in Lucubrat. in Bart. in l. 1. §. ſi quis ſervum, ff. depoſi n. 1.*

3 Notandum tertiò, Conductorem illum dici, qui ſolvit mercedem ob uſum rei, vel ob operas perſonæ ſibi conceſſas; ut explicat verſus:

Qui locat, ille capit, conducit qui pretium dat.

4 Notandum quartò, contractum locationis eſſe introductum jure gentium, ſivè naturali, *l. 1. ff. locati*; & notat Azor. *p. 3. inſtit. moral. lib. 8. cap. 1. de locato. & conduct.*

5 Notandum quintò, locatoris, & conductoris contractum eſſe ultrò, citroque obligatorium, ut infrà demonſtrabitur.

6 Notandum ſextò, nobilem non poſſe petere pretium aut ſalarium ſuæ ſollicitudinis, & laboris; quia nobilium non eſt operas locare. Bald. *in cap. Gravis, col. 2. verſ. ſed nunquid nobilis, de reſtit. ſpol.* Tiraq. *in tract. de nobilit. cap. 1. num. 49.* & munus quodcunque annexam habens utilitatem, ſordidum, & vile haberi ſignificare videtur *l. ſordidorum, Cod. de excuſa. muner. lib. 12.*

Notandum ſeptimò, duas eſſe neceſſitatis 7 ſpecies, unam ſcilicet, quæ naturalis dicitur; & eſt illa, quæ à natura ipſa ſanſcitur, ut edere, bibere, veſtibus indui, agros colere, domum ruinoſam reparare, & ſimilia: Alteram verò, quæ talis appellatur; & eſt illa, quæ ex fato, & caſu evenit, ut cùm quis in latrones, aut hoſtes fortuitò incidit, aut ſimilis alter caſus contingit, qui humano conſilio prævideri, & illi provideri non poteſt, *d. l. 2. §. ſi eo tempore, ff. de admin.*

Notandum octavò, plura eſſe conſideranda 8 circà contractum locationis, & conductionis, de quibus extat Titulus 18. in lib. 3. Decretalium. & in Cod lib. 4. Titulus 65. eſt *de locato, & conducto.* & in ff. lib. 19. Titulus 2. eſt *locati, & conducti.* Et in Inſtitutionibus Juſtiniani Imp. lib. 3. Titulus 25. eſt *de locatione, & conductione.*

His adnotatis; ad difficultatem propoſitam 9 an Nauta, ſeu Locator navis teneatur reſtituere Conductori partem pretii conventi extrà caſum tempeſtatis, ſi navis capiatur ab adverſariis in medio itineris, videtur negativè reſpondendum, nam Locator navis, ſeu nauta non ſolum illam navim, quæ fuit capta ab hoſtibus, locavit, ſed plures alias, quæ ad locum conventum feliciter pervenerunt: Atque adeò quamvis Conductor ex navi capta ſenſerit aliquod damnum, utilitatem tamen percepit ex aliis: Unde conſequi non debet aliquam remiſſionem. Præterea, hi contrahentes exceperunt caſum duntaxat tempeſtatis: Ergò non ſunt excipiendi alii caſus, exceptio enim firmat regulam in contrarium, *l. Tribunus, § ult. ff. de teſtam. milit.* Dec. *in l. 1. num. 22. ff. de reg. jur.* & ideò ultrà caſum tempeſtatis expreſſum non tenetur Nauta remittere partem mercedis pro rata itineris. His accedit *l. qui operas, ff. locati*, ubi appatet, operarios, qui locant operas ſuas, ſi per ipſos non ſtet jure accipere integram mercedem, ut etiam tradit Filliuc. *tract. 35. cap. 6. n. 107.*

Video huic opinioni non poſſe ſuam probabi- 10 litatem denegari; contrariam verò, quam puto probabiliorem, libenter amplector, & ſuſtineo cum Naldo, *in ſumma,* in verb. *navigare, num. 3.* Trullen. *tom. 2. in Decalog. lib. 7. cap 28. dub. 5. num. 11.* Et ita ſentire videntur Bar. *in l. ſed & ſi quis, § quæſitum, ff. ſi quis caut* Alex. *in conſ 28. & conſ. 173 in 1 volum.* Card. Alban. *in Lucubrat in Bart in l. ſi uno, §. item cum quidam, ff. locat. & condu. num. 1.* Boſſ. *in tract. cauſ. crim. tit. de remiſſ. merced. conductor. num. 2 & n. 3 & 38.* Sebaſt. Medic. *in tract. de caſibus fortuitis* Et omnes *in l. licet, Cod. locat. & cond.* & Dec *in conſ. 555. num 11. & conſ. 797. num. 10.*

Moveor primò juribus, *in l. ex conducto,* 11 *§. 1.* junct. l. ſequenti, quæ incip *Si uno,* in princ. *ff. locati, & cond. §. 1.* ubi dicitur, Locatorem teneri ergà Conductorem, qui damnum paſſus eſt, ob vim, cui reſiſti non poteſt; ut ſi incurſus hoſtium fiat, & ſi quid ſimile accidat: *Et in cap. 3. extrà, de locato, & conducto,* ubi Summus

mus Pontifex vult, locatorem teneri remissionem mercedis facere Conductori ob casum sine Conductoris culpa contingentem; cui consonat *d. l. si uno.* Certum est autem, navem locatam fuisse captam, Conductore non culpante.

12 Moveor secundò rationibus: Nam Conductor solùm pro illo tempore usus est navi: Et ideò tantùm pro illo tempore solvere tenetur mercedem: Ergò si Locator totam accepit partem pro rata itineris, tenetur restituere, aut remittere, si nondum accepit. Tum etiam, quia justum non est addere afflictionem afflictis. Afflictus sane est Conductor ob amissionem Militum, armorum, aliorumque bellicorum instrumentorum. Non ergò insuper erit affligendus ob solutionem totius mercedis. Hoc enim esset emere miserias, & solvere pretium pro infortunio, quod rationi repugnat, & nemo dixerit.

13 Moveor tertiò exemplo, in quodam Mercatore Liburnensi, qui nautæ dedit pretium pro vectura navis Indiam versùs, & captâ à Piratis navi in medio itineris, Nauta fuit à Judice obligatus ad restituendam partem mercedis solutæ pro rata itineris non facti. Et ita videtur esse praxis. Scimus enim in hisce casibus, qui passim contingunt, ob hostium invasionem, aut maris tempestatem, aut alias violentias, quibus resisti non potest, navium locatores accipere mercedem conventam tantùm pro rata itineris.

14 Concludimus igitur, Nautam, seu Locatorem navis ab hostibus captæ teneri remissionem mercedis, seu partis mercedis conventæ facere Conductori: Et quamvis in conventione non excipitur, nisi casus tempestatis, excipi tamen quosque alios casus fortuitos saltem ex pacto tacito, docet Dec loc. cit. Menoch. *cons. 835, sub num. 25.*

15 Ad rationes in contrarium respondemus; Ad primam dicimus, non fuisse unicam locationem, sed plures; quarum cuilibet debet correspondere distinctis temporibus justa solutio; & facit doctrina Alex. *in cons. 167. num. 6. & 10. lib. 1.*

16 Ad secundam; negamus fuisse exceptum casum tempestatis tantùm; cùm saltem ex pacto tacito, fuerint excepti omnes casus fortuiti: Incursus enim hostium inter casus fortuitos enumeratur.

17 Ad tertiam, seu ad jus allegatum, dicimus vim habere, quando non obstat conventio, seu exceptio, ut est in casu nostro.

18 Infero primò ex dictis, mercatorem, qui convenit cum Nauta dare ei viginti aureos pro vectura navis usque ad portum, v. g. Anconæ, non teneri solvere pretium conventum, nisi ad ratam itineris, si navis ob tempestatem, vel quia capta fuit à Piratis, vel quia periit, ad talem portum non pervenit; quia pro tali tantùm tempore usus est navi.

19 Infero secundò, pereuntibus mercibus, absque culpa Nautæ in medio itineris, teneri mercatorem dimidium stipendium solvere, vel paulò minùs.

20 Infero tertiò, navi vi ventorum coactâ reverti, ad portum, à quo discessit, solutionem pretii conventi justam esse, si fiat ad ratam itineris facti.

Infero quartò, non teneri solvere integram mercedem illum, qui conduxit navim Venetias usque, & Nauta in medio itinere suâ culpâ detentus est: Secùs verò, si detentio proveniret ex culpa Conductoris, ex eo scilicet, quòd in navi essent merces ipsius Conductoris prohibitæ; quia impedimentum non est fortuitum, sed culpabile ex parte Conductoris. 21

Infero quintò, eum, qui conduxit navim ad merces suas vehendas, habere contrà Locatorem actionem, si Nauta nulla necessitate, sed liberâ voluntate ductus, posuit eas in alia navi deteriori, quæ periit, sciens Conductorem id fieri nolle. Secùs verò, si contingat in eadem navigatione utramque navem perire sine dolo, & culpa Nautarum. Et est Textus clarus, *in l. fin. §. si ea conditione, ff. ad leg. Rhodiam, de jactu.* & docet Nald. *in sum. v. navigare, num 6.* 22

Infero sextò, navigatione impeditâ assecurationem navis pro illa factam remanere nullam; unde mercator, qui merces suas assecurari facit, si contingat navigationem impediri, potest pretium suum repetere; cùm non teneatur expectare liberationem; vel reditum navis. Ita olim decisum est per Rot. Genuen. ut in decisione *Statim, 40.* in antiquis. Et tradit Naldus, *in summa* in verb. *mercator, num. 3.* & in verb. *navigare, num. 1.* 23

Infero septimò, quod ille, qui assecurat alienas merces, & suscipit in se navigationis periculum intelligitur suscipere periculum fortunæ, non verò culpæ debitoris, ut puta vetitas merces deferentis; & ideò à Fisco occupatas, ut per Tex. *in l. Cùm proponas, Cod. de Naut. fœn.* & notat Nald. loc. cit. 24

Infero octavò, agrorum Conductori esse faciendam remissionem pro rata pretii conventi, exclusis casibus fortuitis, si contingat sterilitas absque culpa Conductoris, seu defectu sui coloni; & nisi cum ubertate anni antecedentis, vel consequentis valeat sterilitas compensari. Tradit etiam Menochius, *cons. 835. sub n. 1.* 25

Infero nonò, Conductori esse faciendam mercedis remissionem, etiamsi susceperit in se casus fortuitos, si casus insolitus contingat; cùm non teneatur ad casus valdè insolitos. Ita docet Bero. *in cons. 142. num. 15. lib. 2.* Corneus, & Ripa, quos recenset, & sequitur Menochius, loc. cit. *num. 9.* Estò juramentum accedat, addunt Bar. & Card. Alban. loc. cit. quia juramentum non trahitur ad non verisimilia, & ad casus extrà communem opinionem contingentes: Quod etiam probant Dec. *in cons. 552.* Soc. *in cons. 123. in 4. volu.* & alii. 26

Infero decimò, remissionem pensionis, quæ debuit fieri Conductori agrorum, vel domus propter bellum, vel pestem, habere etiam locum propter metum belli, aut pestis; cùm timor, seu metus belli, aut pestis imminentis faciat, ut aliquando latitare, & fugere, & domum derelinquere oporteat; quo etiam tempore metu belli, aut pestis, agri inculti dimittuntur: Siquidem exceptio, quæ in aliquibus casibus opponi permittitur, ad alios casus similes facilè porrigitur. Sic, Dec. *in l. 1. ff. de reg. jur. & in cons. 697. num. 11.* ubi asserit ita sentire communiter D.D. *in cap. 1. de renun.* Et est Tex. *in cap. Cum dilecta, de confir. uti. vel inuti.* 27

28. In-

28 Infero undecimò, Conductori remissionem competere, sive damnum contingat in fructibus, sive in Debitoribus, qui propter bellum facti sunt pauperiores. Ang. *conf. 312.* ibi dicens, hoc etiam habere locum, quamvis lapsum esset tempus solutionis ante bellum superveniens. Secùs verò, si tempore locationis bellum vigebat; hujusmodi enim temporis circumstantia aufert à Conductore jus aliquam petendi remissionem. Soc. *in cons.* 156. Card. Alban. loc. cit.

29 Infero duodecimò, Locatorem teneri ad remissionem mercedis tantum pro ratâ, si Conductor impeditur uti re locatâ ob factum Tertii, cui Locator non potuit resistere, dummodò impedimentum non procedat propter inimicitias, sive justas, sive injustas ipsius Locatoris: Tunc enim teneri Locatorem ad integrum interesse, tradit Bar. relatus à Card. Albano, loc. cit.

30 Infero decimo tertiò, Locantem rem vitiosam etiam ignorantem, teneri non solùm de pretio, sed etiam de damno secuto, ut est Textus, *in l. tenetur*, §. *sed si vas*, *ff. de action. emp.* quamvis in contrarium videatur Tex. *in l. Julianus eod. tit.* & Bat. cum aliis Jurisperitis. Ratio enim, & justitia sic videtur suadere: Et ita etiam docet Card. Albanus, *in Lucubrat. in Bart. in l. In rebus*, §. *item qui. ff. commod.*

31 Infero decimo quartò, si damnum contingat in re locata ex defectu Locatoris, onus probandi incumbere Conductori; Quemadmodum Pastori, qui animalia custodienda suscepit, onus probandi, propter onus susceptum, incumbit, non Domino, cujus culpâ contigerit, ut tradit Host. *in cap. Propter sterilitatem, de loca.* Vide Albe. *in l. si quis ex argentariis*, §. *fin. ff. de eden.*

32 Infero decimo quintò, in casibus tum fortuitis, tum improvisis, sive belli, sive sterilitatis, sive tempestatis, sive pestis, &c. omnes circumstantias esse diligentissimè considerandas, ad percipiendam obligationem remittendi mercedem ex parte Locatoris, vel jus remissionem prætendendi ex parte Conductoris. Quæ verò sit differentia inter casum fortuitum, & improvisum; Vide Glos. *in l. 1. ff. ad leg. Cornel. de sicar.* Scias interim casum fortuitum esse inopinatæ rei eventum, qui prævideri non potest; & casum fortuitum minimè eum esse, quotlescunque ab homine diligentissimo prævideri potuisset, ut habetur *in cap. Joannes, de homic.* & ibi Abb. qui in *cap. unic. de commod.* agens de casibus fortuitis, inquit: „ Si domus aliqua ruinam minabatur, & postea cadens, interficiat „ equum tibi commodatum, te non excusari pro„pter casum fortuitum, quoniam diligentissimus „ prævidere potuisset.

33 Infero decimo sextò incidenter casum, fortuitum ei non esse imputandum, qui dedit operam rei licitæ: Secùs verò, si operam rei illicitæ dederit. Abb. *in d. cap. Joannes.* An verò casibus fortuitis possit quispiam renunciare, magna est inter Jurisperitos, & Canonistas controversia: Negat Felin. *in cap. Final. de homic.* Guil. de Cun. & alii, *in l. sed & si quis*, §. *quæsitum, ff. si quis cautio.* sed de hac re vide Doctores *in d.* §. *Quæsitum.*

Infero decimo septimò, in societate navali 34 adversùs hostes, & Piratas, necessariam esse defensionem, quæ est de jure naturæ; potissimum verò, orationem, & vota ad Dominum DEUM Exercituum, qui scit, & potest inimicorum audaciam, & aviditatem conterere; & contrà maris tempestatem, statim esse precibus, & votis recurrendum ad Dominum nostrum JEsum Christum: *Qui imperavit ventis, & mari, & facta est tranquillitas magna.* Matth. *cap. 8. num. 26.* Non tamen spretâ Nautarum diligentiâ: Nam DEUS vult quidem nos in nostris necessitatibus adjuvare, nostrâ tamen positâ cooperatione: Quod temere negavit Michael Molinos, asserens, de oratione loquendo, quòd DEUS vult ipse solus esse agens: Quæ est propositio 2. Quod soli DEO omnium rerum nostrarum cura debet relinqui; Quæ est Propositio 13, inter damnatas ab Inn. XI. fel. rec.

XVIII. DIFFICULTAS.

An Clericus gubernans Navem in bello navali injusto, incurrat irregularitatem, si sequitur occisio aliquorum, aut mutilatio, & ipse neminem occidat, aut mutilet.

Notandum primo, Clericis non licere militare in bello aggressivo sivè justo, sive injusto; & sumitur ex *cap. Clerici*, cum aliis, *causa 23. quæst. 8. & cap. 1. ne Cler. vel Monach. & cap. Ex multa, de voto*, §. *ult.* & docent S. Anton. *3. p. art. 18.* Glos. & Doctores *in cap. 1. de homicid.* Estque sententia communis, ut al' fuit à nobis explicatum. 1

Notandum secundò, licere Clericis ex pia causa, & legitima Superioris licentia, bello justo aggressivo interesse. Ita D. Thom. *2. 2. quæst. 40 art. 2. ad secund.* & est concessum *in d. cap. Ex multa*, §. *de Clericis*: Nulloque jure reperitur prohibitum, & meritò; cum ab intrinseco non sit malum. 2

Notandum tertiò, neminem fieri, propriè loquendo, irregularem, quando bellum est necessarium ad defendendam propriam vitam, & personam, etiam sequutâ occisione, aut mutilatione per propriam actionem, ut asserit Suarez, *de censur. disp. 47. de homic. sect. 6. num. 1.* quamvis sit Dux in tali bello, & vocet milites, & det arma, & per illos occidat suos aggressores; cùm possit omnibus hisce modis justè se defendere, ut tenent Navarr. Jo: And. & Panorm, quos refert, & sequitur Suarez, loc. cit. Quidquid alii Canonistæ scrupulosiùs dicant, quando persona est Ecclesiastica. 3

Notandum quartò, militare in bello aggressivo justo, quod fit legitimâ potestate, & causâ non esse malum, nisi his, quibus est speciali jure positivo interdictum; atque adeò militantes in hujusmodi bello, si propriis manibus sanguinem non fundant, non fieri irregulares. Sylvest. in verb. *bellum 3. quæst. 3.* ubi citat Raymundum, Godof, Hostien. 4

5. No-

5 Notandum quintò, quando bellum est necessarium ad defendendam propriam vitam, quoad Irregularitatem, nullam esse faciendam inter Clericum, & Laicum distinctionem: Sic notat Suarez, loc. cit. *num. 1.*

6 Notandum sextò, bellum ex pluribus titulis posse esse injustum, ut alibi diximus, & probavimus; sed præsertim, quando indicitur absque legitima potestate, & justa causa, ut asserunt communiter Theologi, & Canonistæ.

7 His adnotatis; ad difficultatem propositam, an Clericus, Gubernans navem in bello injusto, incurrat irregularitatem, si sequitur occisio aliquorum, aut mutilatio; & ipse non occidat, neque mutilet; negativè videtur respondendum, quia, seclusâ omni cooperatione, nulla admitti potest irregularitas; cùm nullibi statuta reperiatur. Præterea Clericus gubernando navim in bello injusto, estò peccet dando operam rei tunc sibi illicitæ, non reddit homicidium, quod sequitur, magis aut minùs voluntarium; estque ejus peccatum nimis extrinsecum ad homicidium illud; Et ideò non fit irregularis. Hanc opinionem tenent Giballinus. *de ferendis censuris, qu. 3. consect. 6. diff. 2.* & alii pauci.

8 Verius tamen arbitror esse contrarium, nempè Clericum, qui in bello injusto gubernat navem ad pugnam navalem, quamvis per seipsum non fundat sanguinem, fieri irregularem, si sequitur aliquorum occisio, aut mutilatio. Gloss. *in cap. Quòd in dubiis de pœnis*, Butr. ibi *num. 1.* Majol. *in cap. Petitio, de homicid.* Avila, *p. 7. disp. 6. sect. 3. dub. 2. conclus. 1. vers. hinc sequitur.* Suarez, loc. cit. *n. 10.* Henriquez, & alii, quos recenset, & sequitur Leander, *tract. 2. de irregul. disp. 8. quæst. 10.*

9 Moveor primò juribus, *in cap. Quantum dicit, & cap. seq. 50. dist.* ubi habetur, daotem auxilium in bello injusto fieri irregularem: Et in terminis, *in d. cap. Quòd in dubiis de pœnis*, ubi expressè dicitur Gubernantes navem ad pugnam, & personaliter exercentes pugnam, tanquàm auxilium dantes homicidis, esse deponendos, quod indicat irregularitatem, qui Textus intelligitur, de bello injusto, *arg. cap. Sicut dignum, §. Qui verò, de homicid. & l. item mela, §. Item cum his, ff. ad l. Aquil.*

10 Moveor secundò rationibus; Nam gubernans navem ad pugnam, quamvis per se non occidat, per alios occidit; cùm eis animum ad occidendum præbeat; Et qui per alium facit, per se ipsum facere videtur, ut alibi juribus demonstratum est. Tum etiam, quia bellum injustum duplici jure Clericis prohibetur; positivo scilicet propter periculum homicidii, & naturali, propter injustitiam: Atque adeò sequutâ occisione, aut mutilatione aliquorum, incurritur irregularitas. Præterquam quòd, gubernatio navis est veluti universalis causâ, influens cum omnibus militibus in homicidia, seu applicans omnes causas proximas ad occidendum: cùm navis in particulari gubernetur ad singulos actus, prout necessitas postulat, ut habeant effectum; unde videtur hujusmodi gubernatio causa sufficiens irregularitatis; quamvis occisio, aut mutilatio, tantùm immediatè sequatur ex aliorum actionibus; & sic gubernans fit irregularis, cùm verè cooperetur ad mortem, quæ in hoc bello injusto infertur hostibus justè bellantibus, & præliantibus.

11 Moveor tertiò exemplo à contrario sensu in Pelagio Presbytero, relat. *in cap. Petitio tua, de homicidio*, qui & si præsens esset in bello justo, & cum ipsis militibus pugnavit; non tamen eum irregularem judicavit Honorius III. cùm propriâ manu neminem interfecerit; Et ideò, si bellum fuisset injustum, fuisset, ex declaratione Honorii, irregularis; à fortiori in casu nostro, cùm bellum fit injustum, & Clericus gubernans navem, non solùm fit præsens in hujusmodi bello, sed etiam per gubernationem ad aliorum necem cooperetur.

12 Concludimus igitur, Clericos gubernantes in bello injusto navem ad pugnam, tanquam auxilium dantes homicidiis, enormiter peccare, & incurrere irregularitatem; quamvis ipsi neminem occidant, neminem mutilent, si per alios sequantur occisiones, aut mutilationes. quibus non secutis, irregulares quidem non fieri, sed esse ab Episcopo graviter puniendos, ob gravitatem delicti immiscendi se indebito modo actibus probibitis, & statui Clericali indecentibus.

13 Ad rationes in contrarium respondemus: Ad primam, admittendo nullam incurri irregularitatem ab eo, qui nullam prorsùs ponit cooperationem ad homicidia; sed negando Clericum, qui navem gubernat in bello injusto ad pugnam navalem, si ex eo sequantur homicidia, ad ea nullatenùs cooperari: Cooperatur enim, cùm suâ præsentiâ animet milites ad occidendum; & gubernando navem in particulari ad singulos actus, prout necessarium censetur, concurrat ad effectum, qui sequitur.

14 Ad secundam, negamus homicidia, quæ ex tali bello sequuntur, non fieri magis voluntaria ex gubernatione navis. Præterquam quòd, ad incurrendam irregularitatem nihil, aut parum refert, quòd homicidium fit magis, aut minùs voluntarium.

15 Infero primò ex dictis, fieri irregulares eos, qui in bello injusto incutiunt timorem adversariis, aut verbis, aut dolo bellico; dummodò in hujusmodi bello sequantur occisiones, aut mutilationes; cum isti tales in bello injusto cooperentur ad hujusmodi occisiones, & mutilationes; Sic etiam Henriquez, Navarr. quos citat, & sequitur Leander, loc. cit. *q. 11.*

16 Infero secundò, probabiliùs esse irregulares deferentes ad naves bellicas injustè præliantes obsonia, si aliquis in tali prælio occidatur, aut mutiletur; quia cooperantur homicidiis, aut mutilationibus in bello injusto secutis. Contrarium sentit Gibal. loc. cit.

17 Infero tertiò, ob eandem rationem non effugere irregularitatem eos, qui in bello injusto servant sarcinas, quando homicidia, aut mutilationes sequuntur: Ita etiam Leander, loc. cit. *quæst. 12. §. Sed probabiliùs.* ut alibi fusè demonstravimus.

18 Infero quartò, probabiliùs incidere in irregularitatem Clericos, qui injusto bello intersunt, quamvis hostibus nihil noceant; si tamen in

in tali bello homicidia, aut mutilationes sequantur, Contrarium docet Gibel. loc. cit.

19 Infero quintò, illicitum esse Clericis cum periculo evidenti irregularitatis exhortari ad strenuè pugnandum in bello injusto, vel dare consilium eundi ad tale bellum, si sequantur in eo occisiones, aut mutilationes; Secùs verò, si bellum esset justum, ut juribus auctoritatibus plurimorum Doctorum probat Suarez, *de censur. disp. 47. sect. 6. num. 8.*

20 Infero sextò, Clericum, vel Prælatum incurrere irregularitatem, qui dat arma militibus, ut in bello injusto pugnent, si cum illis postea occidant, aut mutilent: Secùs verò, si bellum esset justum, ut docet Suarez, loc. cit. *sub. num. 10.*

21 Infero septimò, esse ipso jure excommunicatos gubernationem gerentes, sive sint Clerici, sive Laici, in navibus Saracenorum, vel Infidelium contrà Christianos bellantium, ut *ex d. cap. Quòd in dubiis, de pœnis, & cap. Ita quorundam, de Saracenis, & cap. Ad liberandam, de Juda.* & tradit Butr. *in d. cap. Ita quorundam, num. 4.* ubi asserit, Gubernatores navium Saracenorum privari etiam bonis, & etiam effici servos capientium, & adæquari pugnantibus in duello.

22 Infero octavò, incurrere Irregularitatem Clericos, aut pugnantes, aut navim gubernantes contrà Saracenos, si aliquem occidant extrà casum propriæ vitæ necessariò defendendæ, & in dubio debere à ministerio Altaris se abstinere; Habetur *ex d. cap. Petitio, de homicid.* & ibi Ant. Butrius *n. 1.*

23 Infero nonò, esse Irregularem Clericum, qui venando, aut se exercendo jaculo, vel ictu sclopeti alium casu interfecit, etiamsi diligentiam adhibuerit; quia dedit operam rei illicitæ. Ita etiam tenet, & probat juribus, & validis rationibus Sylv. in *summa*, in verb. *homicidium 2. q. 5. §. Sexto.*

24 Infero decimò, incurrere Irregularitatem Clericos, qui consulunt Principi, aut alteri, ut moveant bellum injustum, si ex eo sequatur internecio, aut mutilatio. Et tenet Butrius, *in d. cap. Petitio, de homic.*

25 Infero undecimò, Irregularitatem non causari solâ percussione, etiam cum sanguinis effusione; nisi sequatur occisio, aut membri mutilatio. Ita etiam Ant. Butr. loc. proximè cit. *n. 3.*

XIX. DIFFICULTAS.

Ex navi militari naufragium passâ, quidam surripuerunt bona, eaq; vendiderunt scienti esse bona naufragata, quæ per longissimi, & immemorabilis temporis cursum possedit. Dubitatur, num per hujusmodi possessionem dictorum bonorum dominium in conscientia acquisierit.

1 NOtandum primò, tunc dici malam fidem esse, & aliquem malâ fide possidere, quando animus, id est voluntas habet rem ut suam, & conscientia, mentisvè existimatio credit esse alienam; tunc verò dici esse bonam fidem, & aliquem bonâ fide possidere, quando conscientia, hoc est existimatio mentis respondet animo, seu voluntati, ut per Text. *in cap. Si virgo*, quod est Aug. *causa 34. quæst. 2.* & aliis juribus, & docet Molin. *tom. 1. de just. tract. 2. disp. 64.*

Notandum secundò, præsumptionem sumptam communiter, ut comprehendit etiam usucapionem, esse acquisitionem dominii per continuationem possessionis per spatium temporis à lege definiti, *l. 3. ff. de usucap.* 2

Notandum tertiò, possidentem cum titulo, & bonâ fide, præsumi ignorare, quod res illa ad alium pertineat. Ita Bal. *in l. Celsus, col. penult. vers. 2. contrà ff. de usucap. Felin. in cap. Si diligenti. col. 2 de præscrip.* Alexan. *in consil. 70. col. penult. lib. 4.* & alii. 3

Notandum quartò, malæ fidei possessorem nullo tempore præscribere, *Authen. malæ fidei. Cod. de long. tempo. præscript. cap ult. de præscript. in 6.* & tradit Menochius, *in cons. 90. n. 77.* 4

Notandum quintò, dominium esse multiplex secundùm Bal. *in l. proprietatis; num. 1. Cod. de probatio.* unum dici proprietatem, quæ est dominium directum, quod est propriè dominium; alterum dici dominium utile, quod non est propriè proprietas, sed ei subalternatur; & hoc dicitur dominium hypothecæ; & aliud dici dominium magis descensivè, ut ususfructus. Ita Baldus, quem refert, & sequitur Menochius *in cons. 116. n. 7.* ubi explicat alias dominii qualitates. 5

Notandum sextò, dominium difficilis admodum esse probationis, ut tradunt communiter Jurisperiti in *l. cum res, Cod. de probat.* & probari posse indiciis, & conjecturis, *l. inditia, Cod. de rei vend.* & aliis modis posse probari, tradit Menochius *de arbitr. jud. lib. 2. cen. 1. cas. 42.* 6

His ex juribus, & Jurisperitis desumptis, & adnotatis; ad difficultatem propositam, an emens bona naufragata, sciens esse talia, ex navi militari naufragium passâ, acquirat in conscientia dictorum bonorum dominium, si per longissimi, & immemorabilis temporis cursum ea possideat; affirmativè videtur respondendum; quia mala fides cursu longi temporis tollitur, & ex eo bona fides præsumitur, ut tradunt communiter Jurisperiti *in l. clàm possidere, §. Qui ad nundinas, ff. de acq. possess.* & ratio est, quia tempus hoc immemoriale vim privilegii habet, *l. hoc jure, §. Ductus aquæ, ff de aqua quot. & æstat.* & latè Afflict. *decis. 254. num. 4.* Dec. *cons. 85. num. 2.* Prætetea res furtivæ, & vi possessæ tempore immemoriali præscribuntur ab eo, qui bona fide à fure, aut raptore, vel à quolibet alio emit, putans esse vendentis, aut donantis. &c. Ita Glos. in §. *Furtivæ quoque res;* in verb. *longo tempore, de usucap.* & id per Text. *in l. omnis, Cod. de præscr.* Atque adeò quamvis ejusmodi bona fuerint à navi naufragium passâ, sublatâ, aut etiam rapta ab aliquo, attamen si iste bonâ fide ob cursum temporis, cujus memoria non fit in contrarium, possideat, dicitur acquirere in conscientia bonum bonorum dominium. 7

8. Veritas

8 Veritas tamen est, possidentem Christianorum naufragorum bona, si sciat talia esse, quamvis per longissimi temporis cursum possederit, nunquam per hujusmodi possessionem tutum dominium acquirere. Ita sentire videntur. Covarr. *p.2. § 8. num. 4.* Cravet *in tract. de antiq. temp. in 4. partic. 4. part principa, num. 77*, post Caldetin. *in conf. 9. titul. de rerum permut.* Molin. *tom. 1. de just. & jur. disp. 63.* Menochius, *in cons. 402. num 69.* Duardus *in Bullam Cœn. lib. 2. in Can. 4. quæst. 21. num. 3.* & alii.

9 Moveor primò juribus, *in cap. ult. de præscript. & in cap. Possessor malæ fidei, de reg. juris in 6.* ubi habetur, quòd malæ fidei possessor nunquàm præscribit, *& in l. si quis merces, ff. pro derel.* ubi res, quæ non sunt habitæ pro derelictis, usucapi non possunt; & ideò emens bona naufragata, sciens esse talia, ex quovis titulo semper supponitur, seu præsumitur malâ fide ea possidere; & successivè non acquirere eorum dominium; *& in §. Quòd autem, & in §. furtiva, in Inst. de usucap.* ubi habetur, usucapi non posse res furtivas, quæ vi possessæ sunt, & quæ nascuntur ex eis. Res verò, ex navi naufragatâ raptæ, furti vitio infamantur.

10 Moveor secundò rationibus: Nam sine dubio furatur, qui bona naufragorum surripit; Et cum hujusmodi bona facta sint vitiosa, ideò ubicunque sint, semper furta sunt; & successivè per quemcunque temporis cursum non potest eorum dominium acquiri. Deinde ex vi Canonis 4. Bull. Cœn. nullus prætextus, nullum privilegium, nulla consuetudo, nec ullius temporis etiam immemorabilis possessio subtrahit ab excommunicatione bona Christianorum naufragorum auferentem; atque adeò, si temporis cursus non prodest auferentibus pro excommunicatione vitanda, neque potest prodesse illa ementibus pro eorundem dominio acquirendo; quia præscribere nemo potest rem, quam sine peccato detinere non potest, cùm sit in mala fide, ut *in d. cap. ult. de præscript.*

11 Moveor tertiò exemplo, In tot Viris timoratæ conscientiæ, qui aliquid titulo emptionis, aut donationis, aut quolibet alio recipientes, statim ac sciunt affectum esse vitio furti per vendentem, vel donantem, quamvis multum temporis transierit ab initio possessionis suo Domino restituunt, ratione naturali dictante, per quamlibet longam possessionem rem non evadere nostram, quam scimus esse alienam.

12 Concludimus igitur, ementes bona naufragata à surripientibus ex navi qualibet naufragium passâ, si sciunt esse talia, eorum non acquirere dominium, non obstantè quavis possessione; & sic eos non dici tutos cursu temporis, etiam si mille annorum esset, cum malæ fidei possessor, jure Pontificio inspecto, nunquam præscribat, ut optimè advertit Menoch. *in cons. 402. num. 69.*

13 Ad rationem in contrarium respondemus; ad primam, transmittendo, citrà veri præjudicium, malam fidem per longi temporis cursum tolli quoad forum externum, & contentiosum, non verò quoad internum: Unde qui stat in mala fide, in ea semper stat, donec duret cognitio sui status. Ad probationem respondet Menochius *in conf. 29. num. 46.* dispositionem jurium non procedere, jure Canonico impediente; & ideò possessor malæ Fidei, non obstante quovis privilegio, aut jure civili, nunquàm præscribit, *d. cap. ult. de præscript.*

Ad secundam, dicimus, nobis non obstare; 14 quia nostra difficultas supponit ementem bona naufragata à surripientibus ea, scire eos non potuisse ea surripere, & sic neque vendere; unde fuisse ea bona malâ fide empta, & malæ fide possessa; Et ideo possessor malæ fidei nunquàm facit suum seu nunquàm acquirit dominium de eo, quod est alienum.

Infero primò ex dictis, quocunque temporis cursu non comparare dominium rerum ablatarum eum, qui malâ fide eas possidet, sivè sit principalis auferens, sive quicunque alius. 15

Infero secundò, ut incipiat præscriptio, 16 non satis esse, si quis rem possidere incipiat cum dubio, an sua sit, sed requiri bonam fidem, quâ citrà dubium credat, seu existimet, rem suam esse, ut desumitur ex *l. bona fidei*, princ. *qua est 48. ff. de acquir. rer. domin.* & ita sentiunt communiter DD.

Infero tertiò, eum peccare qui dubitans, an 17 res aliqua sua sit, incipit eam sibi omninò usurpare; quia, cùm non præcesserit immediatè bonæ fidei possessio, non est melior conditio ipsius possidentis.

Infero quartò, superveniente dubio post 18 præscriptionem legitimè inceptam, an res sit possidentis, per hujusmodi dubium præscriptionem non interrumpi; undè possidentem posse continuare & perficere cum eo dubio præscriptionem; dummodò, dum dubitat, moralem adhibeat diligentiam ad sciendum an res sit aliena; Gloss. Panorm. Felin. & plures alii *in cap. ult. de præscript.* Bart. *in l. naturaliter, ff. de usucap.* & alii. Contrarium sentiunt. Ant. Butrius *in d. cap. fin. de præscript.* Sottus, & alii.

Infero quintò, eum dici malâ fide possidere, 19 qui in medio præscriptionis, non solùm dubitat, an res sua, sed etiam simul ex inscitia dubitat, an, existente eo dubio, liceat ei talem rem retinere; quia peccat, possessionem ita continuando cum illa conscientia erronea. Lumen enim naturale dictat, illicitum esse cum eo dubio practico possessionem continuare.

Infero sextò, illum esse in mala fide, qui scit 20 bona, quæ possidet, esse aliena; quamvis ignoret esse ex navi naufragata, aut è domo divitia rapta, aut ab illo, vel isto injustè ablata.

Infero septimò, non posse rerum dominium 21 per temporis cursum acquirere eum, qui tales res invenit, & abstulit animo eas conservandi, & reddendi verò Domino; & debitâ adhibitâ diligentiâ, verus earum Dominus non reperitur; quia cùm hujusmodi res non sint habitæ pro derelictis, usucapi non possunt. Ita etiam docet Sylv. *in sum.* In verb. *Inventum, sub 3.* in fin.

Infero octavò, non posse temporis cursu acquirere rerum dominium eum, qui hujusmodi 22 res ex ignorantia crassâ, vel affectata sibi persuadet, suas esse; tunc enim dicitur esse in mala fide: Secùs verò, si Ignorantia esset inculpabilis.

23 Infero nonò, malæ fidei possessorem non facere aliquos fructus suos, sed teneri eos restituere rei Domino: De naturalibus, ità sancitum est *l. si navis*, in fine, *ff. de rei vend. l. qui scit*, §. *ult. ff. de usuris, l. certum, Cod. de rei vend.* De industrialibus, saltem quoad formam externum, habetur *in l. 1.* §. *ex die, ff. de vi, & vi arma. & d. l. certum, Cod. de rei vend.* De civilibus verò, ita statuit, præter *de l. si navis, l. si urbana, ff. de cond. indeb. & l. domum, Cod. de rei vend.* & tradit Abb. cum pluribus aliis, *in cap. Gravis, de restit. spol.* Bald. *in cons. 476. col. 2. lib. 2.*

24 Infero decimò, non peccare mortaliter, nec incidere in excommunicationem illam, qui aufert naufragorum bona, & sibi ea appropiat; satis prudenter putans vigore consuetudinis, aut statuti alicujus loci, illa sibi competere, & inculpabiliter ignorans, quæ in juribus, tùm Civilibus, tum Canonicis constituta sunt; non posse tamen illorum dominium per quemcunque temporis cursum comparare.

XX. DIFFICULTAS.

An Christiani, docentes exercitio tempore belli piraticam Infideles, bellantes non contrà Christianos, sed adversus alios Infideles, incurrant excommunicationem.

1 Notandum primò, Piraticam dici, ut sentit Cicero, ipsum Piratarum exercitium; & apud Roschildiam, Oethemanno Authore, Piraticam cœpisse, Piratarumque potentiam primum ex Cilicia erupisse, & originem habuisse audacem & occultam.

2 Notandum secundò, nomine Piratarum, qui communiter dicuntur *Cursarii*, venire omnes latrones maritimos; undè omnes, qui in mari deprædantur, sive semel, sive sæpiùs, bello non indicto, dici Piratas.

3 Notandum tertiò, ex Bulla Cœnæ aliisque juribus excommunicationem ferri adversus præstantes quomodolibet consilium, favorem, auxilium Saracenis, Turcis, & aliis Christiani nominis inimicis, vel Hæreticis, per Sanctæ Sedis sententiam expressè vel nominatim declaratis.

4 His adnotatis; ad difficultatem propositam, an Christiani docentes exercitio tempore belli piraticam Infideles, bellantes non contrà Christianos, sed adversus alios Infideles, incurrant excommunicationem, negativè videtur respondendum; quia cessat causa finalis legis excommunicationis; cùm Infideles instructi non bellent contrà Christianos, sed alios; causa enim, quæ à lege infertur, præsumitur esse finalis, Bal. *in l. cùm tale*, §. *falsam causam, ff. de cond. & dem. & in l. generaliter, col. 2.* verb. *sed in dubio, Cod. de Episc. & Cler.* Oldrad. *in cons. 224 col. 5. vers. Præterea.* Præterea excommunicatio nunquàm infertur à jure, nisi pro eo, quod est mortale, & consequenter nec etiam jura eam comminantur, nisi pro tali, ut notat Sylvest. in verb. *Assassini, num. 6.* Docere autem piraticam, sive practicè, sive speculativè Infideles, pugnantes contrà alios Infideles, non est peccatum mortale.

Contrarium tamen verius esse arbitror cum doctissimo Butrio, *In cap. Ad liberandam, n. 4. de Juda.* Sylv. in verb. *Excommunicatio 7. n. 64.* & aliis. 5

Moveor primò juribus, *arg. l. 1. Cod. quæ res export. non deb. & l. fin. Cod. de pæn.* ubi omnia, ad apparatum bellicum pertinentia, vetantur; & jubentur capite puniri, qui auxilium Barbaris præstant. *Et in cap. Ita quorundam, cap. quod olim, d. cap. Ad liberandam, de Juda.* ubi excommunicantur omnes illi, qui tempore belli cum Saracenis commercium habent, aut per se, aut per alios consilium, aut auxilium illis impendunt. Quomodò autem possunt Christiani piraticam tempore belli Infideles edocere, & commercium cum illis non habere, nec auxilium, aut consilium illis præstare contrà Christianos bellaturis, si non actualiter, saltem in futurum? 6

Moveor secundò rationibus, nam delinquentes, & auxilium dantes pati delicto illaqueantur. Butr, *in cap. Ita quorundam, num. 3. de Jude.* Parvum sane auxilium non est, sed magnum, quod recipiunt Infideles, piraticam percipiendo. Tum quia, Infideles Instruuntur in arte piratica, qua deinde possunt Christianos impugnare. Tum etiam, quia, ut alibi probavimus, arma Deferentes ad Infideles tempore pacis, quibus Christiani non impugnantur, sed impugnari possunt, incurrunt excommunicationem. Quomodò ergò excommunicationem evitabunt Docentes practicè piraticam Infideles, quà possunt Christianos impugnare? Victis enim inimicis Infidelibus potentiores, & audaciores effecti, possunt contrà Fideles, quos semper præsumuntur odio habere, bellum movere navale, & optime in piratica versati illos debellare. 7

Moveor tertiò exemplo, in illis, qui tempore belli auxilium præstantes Infidelibus contrà Christianos pugnantibus absque ulla controversia, incurrunt excommunicationem Bullæ Cœnæ, & aliorum jurium; atque adeò debent excommunicatione ligari etiam ii, qui hujusmodi auxilium præstant illis, qui possunt Christianos impugnare, attenta rationis identitate, à qua argumentari licet, juxtà *l. Illud*, in principio, *ff. de verb. oblig.* & tenet Menochius, *in cons. 278. num. 34.* 8

Concludimus igitur, Christianos, docentes, tàm speculativè, quàm practicè piraticam Infideles, ut illam exerceant contrà alios Infideles tempore belli, & etiam pacis, incidere in excommunicationem; cùm hæc piratica ars permaneat, & eâ utendo Infideles possint navigia prædatoria contrà Christianos convertere, eosque debellare, & suorum rerum dominio injustè expoliare. 9

Ad rationes in contrarium respondemus; Ad primam, admittendo cum Menochio, *cons. 124. num. 76.* & aliis, argumentum à cessante ratione, seu causâ finali; sed negando, in isto casu rationem, seu causam finalem cessare; nam piratica, esto hic, & nunc non adjuvet Infideles contrà Christianos, eos tamen potest adjuvare. 10

11. Ad

11 Ad secundam, concedimus excommunicationem nunquam inferri à jure, nisi pro eo, quod est mortale; sed negamus, immune esse à mortali piraticam edocere practicè Infideles, potentes bellare contrà Christianos; cùm auxilium quomodolibet præstare Christiani nominis hostibus, quo impugnare, & infestare possunt Christianos, vetitum sit jure & Cæsareo, & Canonico, nec non & Divino; naturali saltem, ut probat Sayr. *in suo Thesauro, lib. 3. cap. 11. num. 5. & 6.*

12 Infero primò ex dictis, in galeis, & piraticis Saracenorum navibus, regimen, & curam gubernationis exercentes posse, præter excommunicationem, per Principes, & suos Magistratus rerum suarum privatione mulctari; Ut per Tex. *in cap. Ita quorundam, de Juda.* & tradit celebris Ant. Butr. ibi, *num. 4.* ubi subdit, tales effici servos capientium.

13 Infero secundò, ad Ecclesiam spectare defendere Christianos contrà Infideles, vel eis auxilium dantes; adeòque posse Ecclesiam disponere contrà Laicum, & cognoscere de delicto, in juvando contrà Christianum Infideles, commisso, Butr. loc. cit. *n. 5.*

14 Infero tertiò, incidere in excommunicationem eos, qui deferunt res, juribus prohibitas, si permaneant apud Infideles, ut impugnent alios Infideles; cùm iis possint posteà Christianos impugnare, Sayr. loc. cit. *n. 33.*

15 Infero quartò, incidere excommunicationem omnes dantes tempore belli Infidelibus pertinentia, aut non pertinentia ad usum belli, ut sunt victualia, & merces, vel quodcumque subsidium rebus, vel consilio; ut patet *in cap. Quod olim, de Juda.* & consentit ibi Pan. & Inn. Butr. Gof. Sylvest.

16 Infero quintò, non evitare excommunicationem eos, qui cogunt, vel hortantur Christianos ad exercendum regimen gubernationis in piraticis Saracenorum navibus; quia qui per alium facit, per se ipsum facere videtur, ut alibi ex juribus demonstravimus, & tradit Butr. *in d. cap. Quod olim, n. 3. de Judæis.*

17 Infero sextò, excommunicatione ligari eos, qui tempore pacis deferunt ad Infideles funes, anchoras, & alia hujusmodi; quia nefas est ad illos naves deferre; ergò & eà, sine quibus naves forent mutilæ, & sic ineptæ ad impugnandum Christianos.

18 Infero septimò, non aufugere excommunicationem illos, qui Infidelibus pugnantibus contrà Infideles, non contrà Christianos, subministrant præcipuè in magna copia Milites, Magistros navium, Remiges, bitumen, & alia ad naves fabricandas, Ugolinus, *in explicatione Bullæ Cœnæ,* in verb. *Illisque.*

19 Infero octavò, esse excommunicatos eos, qui tempore, sive belli, sive pacis, subministrant Infidelibus peritos in arte militari, vel fabros ad turres, vel machinas incendiarias, vel naves ædificandas. Duardus hoc etiam docet *in Bull. Cœn. in Can. 7. quæst. 34. num. 3.* quia iis omnibus possunt Christiani impugnari.

20 Infero nonò incidentet, non incidere in excommunicationem *Can. 3. Bullæ Cœnæ* Piratas mare Pontificium discurrentes, sed deprædandum duntaxat Infideles non baptizatos, quamvis ipsi Infideles pacem habeant cum Fidelibus; quia non est verisimile, Ecclesiam sub tam gravi censura protegere voluisse Infideles. Ita Toletus, *in explicatione Bullæ,* §. 2. in fine, Suarez, *disp. 21. sect. 2. num. 21.* & alii plures. Contrarium tenent, aliqui hoc fundamento; quia Canon loquitur simpliciter, & Christianorum non meminit; & ideò simpliciter debet intelligi.

Infero decimò pariter incidentet, excommunicatione minimè illaqueari Piratas, discurrentes mare Pontificium ad deprædandum non Catholicos, sed Hæreticos tantùm, maximè eos, qui Catholicis valdè molesti sunt, ut sunt hæretici Angliæ, Hollandiæ; quia æquitas non patitur, ut Ecclesiæ armis spiritualibus defendantur, qui toto virium conatu Ecclesiam DEI oppugnant, Ita Sayr. *in suo Thesauro, lib. 3. cap. 7. num. 9.* Duardus, *in Bull. Cœn. Can. 3. quæst. 5. num. 2.* & alii, quibus adhæret etiam Bonacina, *tom. 3. disp. 1. quæst. 4. punc. 1. n. 10.* 21

Infero undecimò, admodùm curare debere Principes Catholicos, qui Saracenorum, & Infidelium auxilio utuntur contrà alios Saracenos, & Infideles, ne illis plura mittant, quàm quæ postulaverit necessitas pro illo bello, ut sunt navium Magistri, Remiges, Naves, arma, machinæ incendiariæ, & similia permanentia; ne, bello illo expleto, utantur Infideles iis ad oppugnandum Christianos. Sayr. loc. cit. *num. 33.* 22

XXI. DIFFICULTAS.

An Christiani tempore belli surripientes bona Navium suorum inimicorum, etiam Christianorum, quæ naufragium passa sunt, in littoribus sibi subjectis, incidant in excommunicationem Bullæ Cœnæ.

Notandum primò, excommunicationi Bullæ Cœn. *Can. 4.* obnoxium esse surripientem naufragantium Christianorum bona cujuscumque generis, in navibus, sive in mari, vel in littoribus inventa; & hanc excommunicationem contrà naufragorum bona surripientes esse antiquam, cujus meminit Tex. *in cap. Excommunicationi, de rapt.* ubi excommunicantur qui Christianos, naufragium patientes, damnatâ cupiditate, expoliant bonis suis; Faventque naufragorum bonis aliæ Conciliorum, & Pontificum Constitutiones, videlicet Concil. Lateran. III. *c. 24.* Honor. II. Const. unic. *Clarissimus.* Jul. II. Const. 20. *Romanus,* Paul. III. Const. 42. *Accepimus,* sub die 13. Martii, Anno 1545. Pii V. Const. 7. *Cum nobis,* octavo Kal. Maji, Anno primo sui Pontificatus. 1

Notandum secundò, non solùm jure Canonico provisum esse bonis naufragantium, sed etiam jure Civili, ut per Tex. *in l. 1. & 3. ff. de incend. ruina, & naufrag. & l. in eum, & l. idem. Cod. de furtis, & Authen. Navigia, Cod. eod. tit.* ubi excipiuntur duo casus; quorum primus est, si Naves, quæ naufragium passæ sunt Infidelium sint; 2

fiur: Secundus verò, si sint naves piraticæ etiam Fidelium.

3 Notandum tertio, appellatione juris gentium venire leges illas, quæ communes sunt omnibus nationibus, & desumitur *ex §. jus autem, Instit. de jure naturali, & l. omnes populi, ff. de just. & jur. & cap. Jus gentium, Dist. 1.* ut sunt leges divisionis rerum, belli, servitutis & aliæ hujusmodi. Et jus gentium non posse à Principe tolli, tradit Card. Alban. *in Lucubrat. in Bart. in l. omnes populi, ff. de just. & jur. n. 29.*

4 Notandum quartò, potestatem cognoscendi de naufragio spectare ad Præsidem ad Præfectum Urbis, vel Annonæ; & tradit Menochius, *de Arbitr. jud. q. 10. n. 3.*

5 Notandum quintò, quasdam leges civiles ab aliquibus, ut injustas, proclamari; ut quæ bona naufragorum Fisco addicunt, asserentibus, meram injuriam esse, nullâ causâ præcedente probabili, Dominium alicui suum auferre. *Auth. Navigia, Cod. de furtis.* Unde Euripides Helena „Sum naufragus, spoliare, quod genus est nefas, *Et l. 1. Cod. de naufr. lib. 11.* inquit Constantinus; Quod enim jus habet Fiscus in aliena calamitate, ut in re tam luctuosa compendium sectetur. Et Dion. Prusæensis, *orat. 7. de naufr.* dixit, „Absit, ò Jupiter, ut luctum capremus tale ex hominum infortunio.

6 Notandum sextò, omnia capta in bello justo, absque controversia, usque ad sufficientem satisfactionem rerum ablatarum per injuriam, & etiam impensarum, fieri occupantium; Tradit Franciscus de Victoria, *Relect. 4. de jure belli. num. 50.*

7 His adnotatis; ad difficultatem propositam, an Christiani surripientes bona Navium suorum inimicorum, etiam Christianorum, quæ tempore belli passæ sunt naufragium, in littoribus sibi subjectis, incidant in excommunicationem Bullæ Cœnæ, affirmativè videtur respondendum; nam in *d. Can. 4.* excommunicantur quorumcumque bona surripientes; atque adeò etiam Christianorum, qui sunt hostes; cùm excommunicatio ista sit generalis, nullus excluditur, *l. Julianus, ff. de leg. 3.* quapropter sub ea comprehenduntur tam Amici, quàm inimici, tam Laici, quàm Ecclesiastici; sive personæ privatæ sint; sive in aliqua dignitate constitutæ; tam liberi, quàm servi, sive viri, sive mulieres.

8 His tamen minimè suffragantibus, contrarium verius esse arbitror, quamvis pro me nullum reperiam Authorem, in terminis hanc difficultatem moventem, uno excepto, & etiam leviter, videlicet Cesped. *in dub. milit. dub. 81.*

9 Moveor primò juribus, *in l. si quid in bello, & in l. hostes, ff. de capti. & cap. Jus gentium, Dist. 1.* & expressiùs, *Institut. de rer. divis. §. Item ea, quæ ab hostibus,* ubi dicitur, quod jure gentium, quæ ab hostibus capiuntur, statim fiere capientium. Quis autem dixerit peccare mortaliter, accipiendo, quæ de jure potest quis accipere? Nemo profectò, & ideò neque excommunicabitur; quia ubi nullum peccatum est, nulla censura, seu excommunicatio esse potest, ut alibi probatum est.

Moveor secundò rationibus; nam Ecclesia, 10 quæ sponsa DEI est, eique semper perfectè conformis, non intendit censuris punire factum à DEO ordinatum. DEUS autem, Deuteron. *cap. 20.* de hostibus expugnandis dicit. *Omnem prædam exercitui divides, & comedes de spoliis hostium tuorum.* Et ideò contrà capientes bona Navium suorum inimicorum non fertur censura. Tum quia Bulla excommunicat surripientes: Et surripientium appellatione veniunt illi, qui id, ad quod jus non habent, rapiunt. Cum autem Bulla sit odiosa, strictè accipienda est, juxtà jura alibi sæpè à nobis relata; atque adeò non videtur extendenda ad justè aliorum bona capientes. Deindè est plurium sensus, & præcipue Duard. *in Can. 4. hujus Bullæ,* excommunicatione minimè ligari capientes bona naufragata, quæ habentur ut derelicta; quia derelicta juræ naturæ sunt primi occupantis, sed etiam bona hostium vel ipsiusmet juris gentium interpretatione habentur pro derelictis: Ergò neque bona hostium capientes excommunicantur; cùm bona hostium sint aliorum hostium capientium. Valet enim argumentum à pari, seu à simili, ut per Tex. *in l. non possunt, ff. de legibus:* Et tradit Menochius, *de arbitr. jud. casu 84. n. 1.*

Moveor tertiò exemplo, in Germanis, qui 11 tempore belli cum Italis, bona Triremium Italorum, quæ naufragium passæ sunt in littoribus Germaniæ, acceperunt, nec tamen reputati fuerunt excommunicati à Theologis, qui casum examinaverunt, & deciderunt, inter quos noster eruditus Cespedes, loc. cit.

Concludimus igitur, Christianos bona capientes tempore belli ex Navibus suorum ini- 12 micorum, etiam Christianorum naufragium passis in littoribus sibi subjectis excommunicationi Bullæ Cœnæ obnoxios minimè esse, neque restitutioni; & sic obligatos non esse absolutionem petere à Sancta Sede.

Ad rationem in contrarium, respondemus; 13 admittendo excommunicationem esse generalem; & sic comprehendere omnes, & singulos bona naufragorum surripientes, id est injustè accipientes, non verò justè accipientes, ut in casu nostro probatum est.

Infero primò ex dictis, ad incurrendam ex- 14 communicationem, sive Bullæ Cœnæ, sive aliorum jurium, ob bona naufragorum surrepta, plures requiri conditiones, quas refert Duardus, *in Bull. Can. lib. 2. in Can. 4. quæst. 2. sub num. 9.* sed præcipuam esse, quòd bona injustè auferantur, seu rapiantur.

Infero secundò, ad incurrendas pœnas à jure 15 civili latas contrà naufragorum bona surripientes, præter ablationem rei, & injustitiam actionis, quæ est una ex conditionibus principalibus, requiri, quòd ea bona sint Christianorum; quòd ea proveniat ex navibus naufragium passis; quòd naves ipsæ sint Fidelium; quòd naves non sint Piratarum; quòd bona non habeantur pro derelictis. Et tradit etiam Duard. loc. cit.

Infero tertiò, justè pugnantem non teneri 16 restituere prædas. Sylvest. in verb. *Bellum 1. § 1. & §. 9.* & habetur ex *causa 23. quæst. 7. cap. Si de rebus.*

17. In-

17 Infero quartò, capta in bello justo non compensari cum debito principali, & tenet Bart. *in d. l. si quid in bello, ff. de capti.* & habetur *ex causa 23. quaest. 2. cap. Dominus noster.* Tradit etiam Franciscus de Victoria, *Relect. 6. de jure belli, num. 51.*

18 Infero quintò, Accipientes hostium naufragorum bona tempore belli non pati publicationem bonorum, quae à jure civili, nempè in *Authen. Navigia, Cod. de furtis*, constituitur, ubi etiam abrogatur omnis contraria consuetudo, ut notat Sayr. *in suo Thesauro, lib. 3. cap. 8. num. 5.*

19 Infero sextò, bona hostium (sicut & etiam aliorum naufragorum) non posse confiscari; cùm pertineant ad ea occupantes; imo leges de confiscatione bonorum naufragorum nullatenùs esse observandas, cùm adversentur aequitati, & potiùs legum sint corruptiones, & morum bonorum, quàm leges; quia afflictis non est addenda afflictio, ut tradunt Palud. *in 4. dist. 18. quaest. 3. art. 4.* Tabiena, verb. *excommunicatio 5. casu 25. num. 4. §. Tertiò.* Cajet. *v. excommunicatio, cap. 23.* in fine Navar. & alii.

20 Infero septimò, Principes accipientes bona naufragorum praetextu suarum legum, nullo modo posse excusari, nisi accipiant cum intentione ea reddendi, vel Militibus, qui illa tempore belli recuperaverunt, si sunt eorum hostium; vel veris Dominis, si aliorum; dummodò tamen veri Domini compareant; aliàs hujusmodi bona erunt in pios usus distribuenda, ut notant Palud. Tabien, quos refert, & sequitur Sayr, loc. cit.

21 Infero octavò, rapientem quid ex naufragio dolo malo, lege Juliâ, *de vi publica*, teneri, seu ex Constitutionibus Principum extrà ordinem puniri, *l. 1. ff. ad leg. jul. de vi priva.* seu Judicis arbitrio, ut suâ lege sanciverunt Honorius, & Theod. *in l. de submersis, Cod. de naufr. lib. 11.*

22 Infero nonò, licere Judici pro suo arbitrio punire injustè accipientes aliquid de submersis navibus, eosque pro qualitatibus personarum mulctare, ut habetur clarissimè *in d. l. de submersis*; & ibi annotavit Glos. Baldus cum aliis, quos recenset Menochius, *de Arbitr. jud. casu 297. num. 2.*

23 Infero decimò, quòd si Christiani injustè bellarent contrà alios Christianos, quod non est credendum; tunc accipientes bona inimicorum naufragata, quia injustè caperent, excommunicationi Bullae Coenae, & poenis civilium jurium essent obnoxii.

24 Infero undecimò, teneri Principes antequàm bellent, seu bellum indicant, maturè per Theologos, & Consiliarios bonae conscientiae, causas examinare, quas habent bellandi, ne injustè bellando, inducans suos bellatores ad incurrendas Ecclesiae censuras, hostium naufragorum bona injustè surripiendo.

25 Infero duodecimò, Naufragantes minimè perdere bonorum suorum dominium, ut patet *in de Const. unic.* Honori II. *Charissimus.*

26 Infero decimo tertiò, excommunicari in Bulla Coenae, Const. 81. Gregor. XIII. *Consueverunt*, non solùm naufragantium bona inventa sibi assumentes, sed etiam accipientes scienter ab iis, qui naufragantium bona acceperunt.

Infero decimo quartò, esse pariter excommunicatos eos, qui extrà bellum justum navigantes spoliant. *Cap. Excommunicationi, de raptoribus*, & esse poenae obnoxios. Ibid. *cap. In Archiepiscopatu.* 27

Infero decimo quintò incidenter, auxilium naufragantibus praebentes Indulgentiam consequi decem annorum, Julius II. *d. Const 20. Romanus*; & posse participare de bonis eorum, si contingat naufragium, ibid. Paulus V. *de Const. 7. Cum nobis*, ubi dicitur, non dantes auxilium naufragantibus in Statu Ecclesiae incurrere crimen laesae Majestatis. Quae constitutio circà hanc particulam intelligenda est de his, qui possunt auxilium dare naufragantibus, & nolunt. 28

XXII. DIFFICULTAS.

Aliqui Milites surripuerunt bona è Navibus Piratarum Christianorum naufragium passis. *Dubitatur, num inciderint in excommunicationem Bullae Coenae.*

NOtandum primò, nomine Piratarum communiter venire Cursarios, omnesque latrones marinos. Sayr. *in suo Thesauro, lib. 3. cap. 7. num. 3.* & secundùm Angelicam in verbo *Pirata*, omnes praedantes in mari, vel in flumine, *arg. Authen. Navigia, Cod. de furtis*, & Piratas, atque Cursarios esse excommunicatos; Innoc. III. *Const. Ad liberandam*, §. 12. 1

Notandum secundò, tres esse conditiones necessarias, ut quis propriè dicatur Pirata. Prima est, ut sit indifferens in Spoliando. Secunda, ut habeat principalem intentionem depraedandi. Tertia, ut non sit bellum indictum. Ita Rosella, Sylvest. Tabien. Card. Tolet, quos recenset Sayr. loc. cit. *num. 4.* 2

Notandum tertiò, excommunicationi Bullae Coenae *Can. 3.* Greg. XIII. *Const. 81. §. Consueverunt*, §. 4. obnoxios esse Piratas discurrentes mare Ecclesiasticum: Et olim ter in anno ab ore Pontificis excommunicabantur, ut dicit Joan. An. relat. à Butrio, *in cap. Super eo, num. 5. de raptor.* 3

Notandum quartò, excommunicationem contrà naufragorum bona surripientes antiquam esse, ut per Tex. *in cap. Excommunicationi, de rapt.* quod suprà fusè explicavimus; & extendi ad expoliantes bonis suis Christianos naufragium patientes, nisi ablata reddiderint, ut notat Butrius, *in d. cap. Excommunicationi, num. 1. de rapt.* 4

Notandum quintò, bonia Christianorum naufragorum etiam jura civilia favere; nam *in l. 1. & 3. ff. de incen. ruin. & naufrag.* datur actio in quadruplum intrà annum, & elapso anno, in simplum, non solùm contrà dicta bona rapientes, sed etiam contrà eadem auferentes, amoventes, recipientes: *Et in Authen. Navigia, Cod. de furtis*, constituitur publicatio bonorum contrà hujus- 5

hujusmodi delinquentes; dummodò Naves, quæ naufragium passæ sunt, non sint Infidelium, vel Piratarum Fidelium.

6 Notandum sextò, Piratas adeò Juribus esse exosos, ut benefacere judicentur illi, qui eos invadunt, ac pejora committant, ut per Tex. *in cap. Si quis, causa 23, quæst. 3.* eosque æquiparari hostibus fidei, ac Principum, tenet Bald. *in d. Authen. Navigia*; atque adeò posse impunè à quibuslibet bonis suis spoliari; cùm sint ipso jure diffidati, tradunt Angel. *conf. 290*, Strac. *in tract. de Naut. p 3. num. 29. & 30.* Filliuc. *tom. 1. qq. moral. tract. 16. num. 91.* Bonac. *de censur. Bull. Cœn. disp. 1. quæst. 5. punct. 3. num. 1.* Abb. Alex. & alii.

7 Notandum septimò, bonorum è navibus Piratarum Christianorum naufragium passis ejectorum, vel in eisdem existentium, quædam esse de dominio, & proprietate ipsorum Piratarum; & quædam esse extrà eorum dominium, & proprietatem, ut sunt bona eadem numero ab ipsis Piratis injustè ablata, aut apud eos deposita, locata, &c.

8 Notandum octavò, appellatione bonorum injustè à Piratis ablatorum venire, non solùm ea, quæ à Christianis rapuerunt, sed etiam ea, quibus Infideles spoliaverunt, cum quibus bellum injustum gerunt; cùm horum dominium non habeant, ut tenet Sylv. *in sum.* in verb. *Bellum 1. num. 9. 10.*

9 His adnotatis; ad difficultatem propositam, an Milites, surripientes bona è navibus Piratarum Christianorum naufragium passis, excommunicationi Bullæ Cœnæ sint obnoxii, affirmativè videtur respondendum, cùm ex vi Canonis excommunicentur surripientes bona naufragata quorumcunque Christianorum; Nomen enim *quorumcunque* est generale, neminem excipiens, quemadmodùm nihil excipit nomen *quodcunque*, quod est generale, *ut in cap. Solitæ*, in verb. *quodcunque de major. & obed.* Præterea lex generaliter loquens, generaliter est intelligenda; & nos non debemus distinguere, quando illa non distinguit, ut per Tex. *in l. 1. §. generaliter, ff. de leg. præst l. 2. § Prætor, ff. de in jus voc. & l. 2. §. homines, ff. de vi bon. rap.* Can. autem 4. Bull. Cœn. loquitur generaliter de bonis quorumcumque Christianorum, nec Piratarum bona excipit; & ideò ex vi hujus Canonis Milites, surripientes bona è navibus Piratarum Christianorum naufragium passis, excommunicantur.

10 Scio hanc sententiam esse plausibilem, & probabilem, & plures habere sectatores: Contrariæ tamen, quam puto de jure veriorem, libenter adhæreo cum doctissimo Butrio, *in cap. Excommunicationi, num. 4. de rapt.* Duardo, *in Bull. Cœn. lib. 2. Can. 4. quæst. 4.* & aliis; cum limitatione tamen, & exceptione infrà apponenda sub num. 14.

11 Moveor primò juribus, *in Authen. Navigia, Cod. de fur.* ubi habetur, nullatenus esse puniendos auferentes bona naufragata, sive naves, quæ passæ sunt naufragium, sint Infidelium, sive Piratarum Fidelium; Et in Bulla Cœnæ Pii V. ubi declaratur, auferentes bona Christianorum naufragorum excommunicatione non ligari, quando naves, quæ passæ sunt naufragium, sunt piraticæ; undè non est credendum Ecclesiam velle gladio Can. 4. Bullæ Cœnæ defendere Piratas, sive Fideles sint, sive Infideles, eorumque bona.

Moveor secundò rationibus, in jure fundatis; nam scimus legis auxilio frui non debere eum, qui eam offendit, vel non servat, *cap. Quia frustrà, de usuris, l. auxilium, §. 1. ff. de minor.* Offendunt sanè legem Bullæ Cœnæ Christiani Piratæ, hujusmodi artem piraticam sub pœna excommunicationis prohibentem. Tum etiam, quia Ecclesia excommunicat Piratas; undè non videtur verisimile, quòd Ecclesia velit suis armis illos, eorumque bona defendere. Deindè Piratæ sunt omnibus juribus exosi; sunt molestissimi Reipublicæ hostes: Atque adeò impunè possunt deprædari, & occidi. Asserendum igitur est in excommunicationem Bullæ Cœnæ nequaquàm incidere Milites, aliosque Fideles, naufragata eorum bona surripientes. 12

Moveor tertiò exemplo à simili, in illis, qui delinquentes in Ecclesia, non debent Ecclesiasticæ immunitatis privilegiò gaudere; cùm in quo deliquit, puniri quisque debeat, ut per Tex. *in cap. Immunitatem, de immunit. Eccles.* Certum est autem, Piratas delinquere in Bullam Cœnæ; & ideò Bullæ Cœnæ privilegio frui minimè debent. 13

Concludimus igitur, Milites, cæterosque, qui Piratarum Christianorum bona, sive è navibus eorum ejecta, sive in eisdem existentia surripiunt, in excommunicationem Can. 4. Bullæ Cœnæ non incidere; dummodò tamen hujusmodi bona sint de justo dominio, & legitima proprietate ipsorum Piratarum, nec restitutioni obnoxia sint ob eorum rapinas, & deprædationes, aut ob quamcunque aliam causam. 14

Ad rationes in contrarium respondemus; Ad primam, quòd verum est, surripientes naufragantium Christianorum bona excommunicatione Bullæ Cœnæ ligari; Sed in qualibet lege non solùm sunt attendenda Legislatoris verba, sed etiam est spectanda ejus mens, ut juribus, & authoritatibus alibi demonstratum est. Constat autem ex nostris moribus, mentem Pontificis, Legem Bullæ Cœnæ promulgantis, non fuisse Ecclesiasticis armis Piratas, eorumque bona protegere. 15

Ad secundam respondemus, Legem generaliter, & indistinctè loquentem, non semper esse generaliter intelligendam, sed aliquando esse restringendam; ne sequatur aliquod absurdum, & iniquum, ut declarat Crav. *in conf. 86. num. 8. in conf. 144. num. 14.* Absurdum quippè appareret, si Ecclesia malum aliquod iis inferret, qui debilitando, & mutilando Piratas, secundùm omnia jura, ut notavimus, benefacere judicantur. 16

Infero primò ex dictis, omnes deprædantes in mari sine bello justo esse excommunicatos in Bulla Cœnæ: Secùs verò, deprædantes in fluminibus, ut vult etiam Sayr. *in suo Thesauro, lib. 3. cap. 7. num. 4.* & alii communiter, ut dicit Bonac. *disp. 1. quæst. 4. punct. 1. num. 9.* 17

18. In-

18 Infero secundò, excommunicari in Bulla Cœnæ non solùm Piratas discurrentes mare Ecclesiasticum, sed etiam eorum fautores, receptatores, & defensores, ut habetur expressè in eadem Bulla *Can. 3.*

19 Infero tertiò, non incidere in excommunicationem Bullæ Cœnæ surripientes bona naufragata Christianorum, qui sunt fautores, receptatores, & defensores Piratarum, sive Fidelium, sive Infidelium.

20 Infero quartò, hanc Bullæ Cœnæ excommunicationem incurrere eos, qui è navibus Piratarum Christianorum naufragium passis surripiunt bona restitutioni obnoxia; quia hujusmodi non sunt de justo dominio Piratarum.

21 Infero quintò, non esse obnoxios excommunicationi Bullæ Cœnæ surripientes Piratarum Christianorum bona, quæ fuerunt rapta ab Infidelibus, pacificè viventibus cum Christianis; cùm hæc Bulla defendat tantummodò bona Christianorum. Ita etiam docet Duardus, loc. cit. *conclus. 1. n. 6.*

22 Infero sextò, excommunicari in Bulla Cœnæ eos, qui surripiunt bona, per Piratas Christianos rapta Fidelibus; sive hujusmodi bona fuerint mare projecta, sive in littore inventa, sive in Piratarum navibus naufragium passis existentia: Secùs verò, si non fuerit animus hæc bona usurpandi, sed suis Dominis restituendi. Ita etiam tenet Bonacina, *de censur, Bulla Cœnæ, disp. 1. q. 5. punct. 3. n. 2.* Abb. Alex.

23 Infero septimò, vinculo excommunicationis, de qua loquimur, non ligari eos, qui naufragata Piratarum Christianorum bona surripiunt, quæ bona fuerunt quidem à Christianis ablata, sed eorum dominium ob aliquam justam causam iidem Christiani amiserunt. Sic etiam tradit Duardus, loc. cit. *conclus. 4. num. 12.* ubi notat casus, in quibus Christiani amittunt eorum bonorum dominium.

24 Infero octavò obiter, Christianos captos ab Infidelibus, & in eorum piraticis navibus coactè ob metum gravem remigantes contrà Christianos, non incurrere hanc excommunicationem; nec probabiliter in sententia eorum, qui dicunt hos Fideles captivos peccare mortaliter coactè remigando; cùm jus humanum, à quo dependet ratio censuræ, non obliget cum evidenti, & certo periculo vitæ: Quod etiam docet Sayr. *in suo Thesauro*, loc. cit. *num. 8.*

25 Infero nonò, Piratas Christianos, deprædantes naves Infidelium, non esse excommunicationi obnoxios; cum non sit verisimile, Infideles tam gravi censurâ ab Ecclesia defendi. Ita etiam sentit Toletus, *in exposit. Bullæ Cœn.* §. 2. in fine.

26 Infero decimò, sub pœna excommunicationis prohiberi Piratis piraticam artem exercere contra Christianos, & Fideles: Et favere huic illationi videtur *de cap. Excommunicationi, de rapt.*

27 Infero undecimò, probabiliter, & incidenter, non incurrere hanc excommunicationem Piratas, deprædantes Naves Hæreticorum, & præsertim eorum, qui sunt magis Catholicis infesti; cùm non censeatur credibile, Ecclesiam velle protegere eos, qui grave detrimentum Reipublicæ Christianæ inferunt.

Infero duodecimò, non esse excommunicatos in Bulla Cœnæ eos, qui bona Piratarum naufragantium surripuerunt, non animo illa sibi appropriandi, sed reddendi Christianis, quibus Piratæ alia bona rapuerunt, arg. Tex. *in l. 3. §. non tantùm, ff. de incen. rui. & naufr.* 28

XXIII. DIFFICULTAS.

Naves Christianorum vehentes simul milites Christianos, & bona Infidelium, passæ sunt naufragium. Dubitatur, num bona Infidelium surripientes incidant in excommunicationem Bulla Cœna.

Notandum primò, surripientes naufragantium Christianorum bona cujuscunque generis in navibus, sive in mari, vel in littoribus inventa, incidere in excommunicationem Can. 4. Bullæ Cœnæ, ut suprà vidimus. 1

Notandum secundò, in bonis naufragatis duas rationes esse habendas; unam scilicet navium, quibus res deferuntur, an videlicet sint Christianorum, vel Infidelium; alteram verò ipsorum bonorum, an Infidelium fuerint, an Fidelium. 2

Notandum tertiò, quod Summus Pontifex, ut meliùs provideret in Bulla Cœnæ bonis naufragantium, omnia privilegia, leges, consuetudines, & possessiones etiam longissimi temporis in contrarium revocavit, annullavit. Ita notat Sayr. *in suo thesauro, lib. 3. cap 8. n. 7.* 3

Notandum quartò, illa bona dici verè derelicta, quæ fuerunt à suis Dominis abjecta, eâ intentione, ut nolint ampliùs illa esse in numero rerum suarum, ut habetur *in Instit. de rer. divis.* §. *fin* ubi Gloss. notat duobus modis posse Dominum hâc intentione sua bona projicere. 4

Notandum quintò, nullam esse admittendam voluntatis quæstionem, ubi in verbis nulla est ambiguitas, *l. ille, aut ille, ff. de leg. 3. l. jam hoc jure*, & ibi Bar *ff. de vid. & pupill. subst.* & tradit Bal. *in Authen. hoc inter liberos*, in prioc. *Cod. de testam.* 5

Notandum sextò, nomine Infidelium, quorum dicuntur bona naufragata, venire Turcas, Saracenos, aliosque Christiani nominis hostes; Hæreticos quoque Catholicis infestos; nec non Judæos, aliosque à Christiana Religione alienos, etsi pacem cum Christianis habentes. 6

Notandum septimò, nomen, *cujuscunque generis*, expressum in Canone 4 Bull. Cœn. esse generale, & comprehendere omnia bona, sive animata, sive inanimata, quod probat Text *in cap. Solita*, in verb. *Quodcunque de majo. & obe.* 7

Notandum octavò, hanc vocem *generis* non esse hic sumendam in rigore logico, tanquàm scilicet distinctam à specie; quia sumus in moralibus, ubi rigor logicus locum non habet: Unde hic esse idem cujuscunque generis, ac uniuscunque speciei arbitror cum Duardo, in *Bull. Can. lib. 2. Can. 4. q. 3. num. 11.* 8

9 His adnotatis; ad difficultatem propositam, an quando naves Christianorum ferentes simul milites fideles, & bona infidelium, passæ sunt naufragium, incurrant excommunicationem Bullæ Cœnæ bona infidelium surripientes, affirmativè videtur respondendum: Nam verba legis, censuras ferentis, tantùm ligant, quantum sonant. Verba autem Bullæ Cœnæ, ferentis excommunicationem, sunt: *Naufragantium Christianorum bona cujuscunque generis in navibus:* Et ideò eò ipso, quòd naves sunt Christianorum, surripientes bona harum navium naufragata in Bullæ Cœnæ excommunicantur. Additur, quòd Christiani, quantùm est ex ipsis, debent salvare bona in eorum navibus collocata: Prætetquam quòd, bona, quamvis sint Infidelium, possunt tamen Fidelibus inservire, saltem ad majorem abundantiam.

10 Hæc opinio licet aliquibus videatur probabilis, nobis tamen absque probabilitate, saltem sufficienti ad nostrum captandum consensum, apparet; & ideò contrariam, quam de jure veriorem esse putamus, libenter amplectimur cum Vival. *in explanatione Bulla Cœnæ, num. 29.* Ugolino hic, §. 2. verb. *secundò, in excommunicationem*, Sayr. *in suo Thesauro. lib. 3. cap. 8. num. 7.* Duart. & alii.

11 Moveor primò juribus, *arg. in cap. Excommunicationi, de rapt.* in Bulla Pauli III. incip. *Accepimus*, editâ die 13. Martii 1545. in Bulla Julii III. sub die 22. Octobris, Anno 1554. incipiente, *Cum nobis*, in Bulla Pii V. incip. pariter, *Cum nobis*, editâ octavo Kalendas Martii, ubi excommunicantur dumtaxat, qui rapiunt bona Christianorum naufragata, non verò Infidelium; unde præsumendum est, Summum Pontificem voluisse in Bulla Cœnæ censurâ punire rapientes bona Christianorum, qui naufragium passi sunt, non verò Infidelium.

12 Moveor secundò rationibus. Ex verbis enim Bullæ clarè colligitur, quòd mens Legislatoris, seu Pontificis fuit providere tantùm Fidelium bonis; cùm non fiat mentio, nisi de rapientibus bona Christianorum. Deindè Ecclesia est Mater Fidelium, non Infidelium; censendum est igitur, hâc suâ Bullâ voluisse protegere bonâ Fidelium, qui sunt Filii, non verò bona Infidelium, qui sunt hostes, si non actualiter, saltem habitualiter. Tum etiam, quia verba hujus Bullæ non sunt ambigua, sed clarissima, nullumque experitur laborem noster intellectus in illis intelligendis: Atque adeò omnem controversiam excludunt, omnemque rationem in contrarium, juxtà suprà notata.

13 Moveor tertiò exemplo, seu potiùs praxi; Scimus etiam tot Christianorum naves Infidelium bona ferentes, naufragium passas fuisse, eademque bona à Christianis fuisse rapta; & horum bonorum raptores; nec Romam venisse, nec Procuratorem misisse pro absolutione censuræ à Summo Pontifice, cui est reservata, obtinendâ, Testibus non pauris hujus Curiæ Officialibus super hoc à me sæpè interrogatis; necnon & Theologis harum Congregationum circà hanc materiam pariter à me consultis.

Concludimus igitur, excommunicationem Bullæ Cœnæ nequaquam contrahere milites, aliosque, qui bona Infidelium naufragata rapiunt, quando naves, ea deferentes, sunt Christianorum; dummodò tamen naves ipsas non rapiunt. 14

Ad rationes in contrarium respondemus; Ad primam, admittendo verba censuratum tantùm ligare, quantùm sonant, sed negando, verba Bullæ Cœnæ sonare, seu significare excommunicationem contrà surripientes bona Infidelium naufragata, quando naves sunt Fidelium. 15

Ad secundam, respondemus teneri Christianos custodire, & defendere bona Infidelium in suis navibus collocata, extrà naufragium, non verò post naufragium; cùm non se obligent ea salvare in casibus fortuitis. 16

Ad tertiam dicimus, quod licèt bona Infidelium possent inservire Fidelibus per accidens; Sunt tamen hìc, & nunc bona Infidelium, quæ, non est verisimile, sub tam gravi censura protegi ab Ecclesia. 17

Infero primò ex dictis, vi Canonis quarti Bullæ Cœnæ non excommunicari quoscunque, seu cujuscunque Nationis bona naufraga surripientes, sed solùm surripientes bona Fidelium, cujuscunque generis, seu speciei sint, sive animata sint, sive inanimata. 18

Infero secundò, hâc excommunicatione minimè ligari eos, qui rapetent naves Infidelium naufragium passas, quæ deferebant bona Fidelium, dummodò non rapiant ipsa bona. 19

Infero tertiò, navibus Christianorum naufragium passis, non contrahere excommunicationem hanc surripientes bona Infidelium, sive ii Infideles sint Turcæ, sive alii, sive bellum gerant cum Christianis, sive pacem cum ipsis habeant, cùm privilegium istud Fidelium gratiâ fuerit concessum; quo certò Infideles gaudere nullatenùs debent. 20

Inferò quartò, surripientes bona Infidelium, parem habentium cum Christianis, ut sunt Judæi in Civitatibus Christianorum, & etiam Infideles ibidem commorantes, non contrahere quidem hanc excommunicationem, sed teneri illa bona restituere, *arg. l. judæi*, il secondo, *& l. nullus, Cod. de jude.* & docet Ugolin. loc. cit. & tenent alii, quos ipse ibi recenset. 21

Infero quintò, si naves, quæ passæ sunt naufragium, sint Christianorum, bona verò hæreticorum, ea surripientes vinculo hujus excommunicationis nequaquàm ligari. Sayt. *in suo Thesaur.* loc. cit. Reginal. *in praxi, lib. 9. num. 270.* Bonac. *de censur. Bull Cœn. disp. 1. quæst. 5 part. 3.* Altet. Ugol & alii; quia hæretici propriè non dicuntur Christiani, cùm non sint membra Ecclesiæ, nec ratione characteris maneant actu conjuncti cum Ecclesia, ut est communis Theologorum, & Canonistarum sensus: Et quamvis dicerentur propriè Christiani, cum suos conatus contrà Ecclesiam exerceant, non videtur intentio Ecclesiæ esse, eos, eorumque bona suis armis Ecclesiasticis defendere. 22

23. In-

23 Infero sextò, non excommunicari in Bulla Cœnæ ob eandem rationem surripientes bona naufragata Apostatarum, scilicet eorum, qui Fidem Christi negantes facti sunt Turcæ, vel alterius Sectæ. Ita tenet etiam Duardus, *in Bullam Cœn. lib. 2. in Can. 3. quæst. 3. num. 5.* Sayr. loc. cit.

24 Infero septimò, non contrahere hanc excommunicationem surripientes bona Infidelium naufragantium, quæ contractu assecurationis à mercatore Fideli accepta sunt sub conditione ea transferendi tutò, & sine periculo ad aliquem locum; nam hujusmodi bona, taliter assecurata, reverà sunt, & dicuntur Infidelium, quamvis eorum ablatio sit nociva Fidelibus; atque adeò non videtur Ecclesia, velle ea hoc Canone protegere. Contrarium sentit Alter. *in explicat. Bulla Cœn. cap. 2. col. 4* in verb. *verum.*

25 Infero octavò, incidere in excommunicationem hanc surripientes bona naufragata, si naves Infidelium, & bona Fidelium; cum in hac Bulla protegantur bona Christianorum.

26 Infero nonò, absque ullo dubio excommunicari in hac Bulla eos, qui surripuerent naves Christianorum, quæ naufragium passæ sunt, & quæ bona Infidelium deferebant, aut earum ligna, funes, anchoras, aliaque Instrumenta. Bonac. *de censur. Bull. Cœn. disp. 1. quæst. 5. punct. 2. propos. unicâ*, in fin. Abb. Alex. cùm appellatione bonorum veniant etiam naves, scaphæ, & alia instrumenta navibus necessaria, ut notant communiter Canonistæ.

27 Infero decimò, ad discernendum omnes casus Bullam Cœnæ concernentes, debere Confessarios, & Curatos apud se habere literas hujus Bullæ, Const. 81. Gregor. XIII. *Consueverunt*, §. 29. confirmat. ab Urbano VIII. Const. 62 *Pastoralis*, & aliquo modo scire hanc Bullam Cœnæ ordinatam, primò à Julio II. Const. 25. *Consueverunt*, & continere 12. Capita: Deinde à Paulo III. dispositam in Const. 10. *Consueverunt*, & continere 17. capita excommunicationum, quæ Summo Pontifici extrà mortis articulum reservantur, nullis exceptis; neque Regibus, neque Imperatoribus: Postea renovatam à Gregorio XIII. Const. 81. *Consueverunt.*

28 Infero undecimò, nemini licere absolvere à casibus in Bulla Cœnæ contentis, absque speciali Summi Pontificis licentia: Et ideò licentia generalis non sufficit, ut ex *cap. Et si Dominici, extrau. de pœnit. & remiss.*

XXIV. DIFFICULTAS.

Navis, bellicis instrumentis Fidelium onusta, passa est naufragium: Dubitatur num surripientes hujusmodi arma, in mare ex tempestate projecta, & à Fidelibus habita pro derelictis, excommunicationi Bullæ Cœnæ sint obnoxii.

1 NOtandum primò, in Bulla Cœnæ Can. 4. excommunicari surripientes naufragantium Christianorum bona cujuscunque generis in navibus, sive in mari, vel in littoribus inventa, non obstantibus quibuscunque privilegiis, aut consuetudine, aut prætextu, ut suprà ostensum est.

Notandum secundò, ea bona, ut derelicta, censeri, quæ Dominus eâ mente abjecit, ut nolit illa esse in numero rerum suarum ut habetur in *Institut. de rerum divisione*, §. *fin.* 2

Notandum tertiò, duobus modis posse Dominum hâc mente sua bona derelinquere: Primò, scilicet, per actum propriæ voluntatis, quando eâ voluntate actuali bona sua abjicit, ut nolit ampliùs esse sua; Secundò verò, interpretatione juris; *Cod. de latina libertate tollenda, l. unica*, §. *Sed scimus*, dicitur, quod is, qui servum ægritudine periclitantem è domo sua publicè ejecit, nec ipse eum procurat, nec alteri commendat, Ab isto servum fuisse derelictum juris interpretatione asserunt Juristæ. 3

Notandum quartò, plures esse conjecturas, quas notat Sayr. *in suo Thesauro, lib. 3. cap. 8. n. 9.* ad discernendum, quando projecta in mare vi tempestatis habentur pro derelictis: Quod rarò potest evenire, quodque valdè difficile est judicare. 4

Notandum quintò, conjecturis esse judicandum, quando certò non constat, rem aliquam à suo Domino esse derelictam: Unde si facilè potest eam recuperare, & tacet, ac negligit, verisimile est, eam dereliquisse, & contemnere. Gabriel, *in 4. dist. 15. quæst. 3. dub. 6.* Navar. *in Manual. cap. 17. num. 17.* 5

Notandum sextò, prætextum esse velamen, quo quis moveri se simulat ad aliquid agendum; cùm tamen aliâ causâ moveatur; & hoc nomine, sub prætextu jura significare veram quoque causam, non simulatam, & fictam, ut *in l. sub prætextu, Cod. de transactio, & cap. Suborta, de sent. & re jud.* 6

Notandum septimò, res, quæ Domino carent, nisi aliud jure civili constitutum sit, jure gentium esse primò occupantis. Ita habetur §. *fera, instit. de rer. divis.* cujus hæc sunt verba. Quod antè nullius est, id naturali ratione oc-,, cupanti conceditur. *l. 3. ff. de acquirendo rerum,, dominio, & l. 1. ff. de acquir. possess.* 7

His adnotatis; ad difficultatem propositam, an surripientes bellica Instrumenta Fidelium, in mare, vi tempestatis projecta, quæ habentur pro derelictis, Excommunicatione Bullæ Cœnæ sint obnoxii, affirmativè videtur respondendum: Nam *in l. 2. §. fin. & l. qui levanda, ff. ad leg. Rhod. de jact.* habetur, naufragorum bona non censeri habita pro derelictis; cùm nemo præsumatur jactare suum, *l. cum de indebito, ff. de condit. indebit.* Atque adeò hujusmodi arma surripientes, ab excommunicatione non possunt excusari ex prætextu, quòd arma habita sunt pro derelictis. Prætera Textus excludit quemcunque prætextum, dicit enim, *Non obstantibus quibuscunque privilegiis, aut consuetudine, aut prætextu:* Et nomen *quicunque* est generale, quod nihil excipit, *ut in cap. solitæ*; in verb. *nihil excipiens, de major. & obed.* & sic censetur excludere omnem causam, tam falsam, quàm veram: Unde surripientes dicta bona, cùm nullâ possint juvari excusatione censuram Bullæ Cœnæ aufugere minimè possunt. 8

9 Fateor, hanc opinionem suâ non carere probabilitate, propterea ei adhærere omnino putabam: Contrariam tamen, quàm posteà, re meliùs ex virorum Doctorum consilio examinatâ, veriorem cognovi, libenter amplector, cum Graff. *p. 1. decis. lib. 4. cap. 18. num. 74.* Sayr. *in Thes. lib. 3. cap. 8. num. 8.* Ugolin. *in explicat. Bull. Cæn.* §. 2. *sub num. 1.* verb. *Duodecimò in Excommunicationem.* Duard. hic, *lib. 2. quæst. 23. n. 4.* & aliis.

10 Moveor primò juribus, *in l. 1. ff. pro derel. & l. Falsus*, §. *si jactum ex nave fact. ff. de fur.* ubi habetur, quòd ea, quæ pro derelictis habentur, statim nostra esse desinunt, & occupanti conceduntur; Atque adeò bona, de quibus loquimur, occupantes non dicuntur surripientes.

11 Moveor secundò rationibus; nam ubi non adest peccatum mortale, excommunicatio locum non potest habere. Quis autem dixerit peccare mortaliter eos, qui non contrectant res alienas invito Domino? Dixit enim armorum Dominus, dum in mare projiciebantur: *Invententi prosint, valeant:* Unde cùm simus in claris, non sunt attendendæ aliæ conjecturæ, *l. continuus. ff. de verb. oblig.* Tum etiam, quia in pœnalibus stricta sumenda est interpretatio, *l. Cum quidam, ff. de liber. & posthum. cap. Odia, de reg. jur. in 6.* Vi autem Canonis excommunicantur tantummodò surripientes, id est injustè auferentes: Occupantes verò ea, quæ sibi à jure conceduntur, non dicuntur injustè auferentes; Et sic ad eos Canon non censetur extendi.

12 Moveor tertiò exemplo, in quodam relato ab Ugolino, loc. cit. *sub num. 2.* qui accipiens certas res naufragatas, & in littore Ariminensi inventas; quia habebantur pro derelictis, in prædictam excommunicationem non incidit; & ita fuit declaratum, teste eodem Ugolin. ibidem.

13 Concludimus igitur, capientes arma Fidelium in mare ex tempestate projecta, si verè pro derelictis habebantur, in Canonem quartum Bullæ Cœnæ minimè incidisse.

14 Ad rationes in contrarium respondemus: Ad jura, quòd præsumunt quidem naufragatum bona non censeri habita pro derelictis: At præsumptio hujusmodi est juris tantùm, contra quam admittitur probatio in contrarium, etiam per alias præsumptiones; quia præsumptio juris tollitur per aliam præsumptionem, *ut in cap. requisisti*, ubi Gloss. & Abb. in verb. *Præsumitur*, *de testam. & in cap. Afferte, de præsumt.* ad differentiam præsumptionis, quæ est juris, & de jure, contra quam non admittitur præsumptio in contrarium, ut per Tex. *in d. cap. Afferte*, & ibi Doctores.

15 Ad id verò, quod dicitur, vi Canonis excludi quemcunque prætextum, & sic nullam causam posse adduci, quâ surripientes dicta arma ab excommunicatione excusentur, respondet doctissimus Duardus, loc. cit. dicens „Quòd licet surripientes hujusmodi bona nullum prætextum, „ & consequenter nullam causam veram, aut falsam allegare possint, quibus à Canone defen„ dantur, seu à censura excusentur, id tamen in„ telligendum est de causa vera, sed injusta, Secus autem, si causa vera esset, sed justa, ut sumus in casu nostro, quando bona habita sunt „ pro derelictis: Nam tunc auferentes dicta bo„ na, cùm non dicantur ea surripere, à dicta cen„ sura procul dubio excusantur. „

Infero primò ex dictis, bona naufragata, quæ Domino omninò extincta sunt, seu recuperari minimè possunt; ut quia ad littus pervenire non possunt, vel ad ea salvanda nemo periculo se subjicere vellet; & ex sua natura non citò ablata, pereunt, ut putà farina, saccharum, aromata, mala punica, limones, cerasa, ficus, & similia, quæ in aquam projecta facilè corrumpuntur, à fortiori ad eum pertinere, qui ea extraxit, quamvis Dominus dixisset, se malle ea perire, quia Reipub. non interest, ut re suâ quis malè utatur. Ita Ugol. loc. cit. *sub num. 3.* vers. *Excipitur tamen.* Duard. *in Bull. Cæn. lib. 2. in Can. 4. quæst. 14. num. 3.* Secùs verò, si essent talis naturæ, ut projectis Domino extincta omnino non essent. 16

Infero secundò, posse aliquo modo ab injustitia excusari quasdam locorum leges, statuentes bona naufragata, tanquàm aberrantia, effici Domini locorum, ad quæ appulerint, si nempè aberrantia significent bona habita pro derelictis. Contrarium sentit Covar. *Reg. Peccatum, p. 3. § 1. num. 1.* Navar. *in Manual. cap. 27. num. 118.* Cajet. verb. *Excommunicatio, cap. 23.* 17

Infero tertiò, excommunicatione non alligari auferentes res in mare projectas, præciso omni tempestatis periculo; cùm projicientes, necessitate ad projiciendum minimè urgente, præsumantur animo derelinquendi projecisse. Ita plures apud Alter. in *Bull. Cænæ cap. 2. dub. 9.* 18

Infero quartò, accipientes bona, quæ verè pro derelictis habentur, ad nullam teneri restitutionem. Secùs verò, si non constaret, pro derelictis hujusmodi bona fuisse habita; In hoc enim casu essent Domino restituenda, si compareat; & ob id proclama fieri debet in vicinis locis, ubi res repertæ sunt, sumptibus rerum Domini. 19

Infero quartò, incidere in Bullam, & ad restitutionem teneri eum, qui cum periculo vitæ suæ, v. g. natando, invenit res naufragatas; & præsertim, si Dominus justè speraret se illas recuperaturum, aut industriâ nautarum, aut alio modo. 20

Infero quintò, non haberi pro derelicto quod in mare, ad navim onere levandam ob procellam, projicitur. Ita etiam sentiunt communiter cum Glos. Doctores, *in cap. cum dilecti, de accusat.* 21

Infero sextò, non esse habenda pro derelictis, quæ de incendiis, aut ruinis vel eripiuntur, vel accipiuntur; unde esse propriis Dominis restituenda. Ita etiam Molina, *tom. 1. de just. disp. 55.* & alltet facientem peccare quidem lethaliter, nisi parvitas materiæ excuset, sed in hanc Bullam minimè incidere; quia Summus Pontifex tantùm de naufragio hic loquitur. 22

Infero septimò, in Bullam non incidere Depositarium, apud quem à Domino essent Fidelium bona, quæ naufragium fecerunt, deposita, si ea bona neget, & restituere nolit. Bouscina, *de censuris in Bulla Cænæ, disp. 1. quæst. 5. punct. 1. num. 6.* Ex eo quia hic non dicitur surripere, 23

ſipere, cùm accipiat, tradente Domino, licet injuſtitiam committat contrà obligationem depoſiti.

24 Infero nonò, in Bullam incidere eos, qui non ſolùm bona Fidelium naufragantium ſurripiunt animo ſibi ea uſurpandi, ſed etiam intentione eis tantùm utendi per aliquod tempus, & deinde vero Domino reſtituendi; cùm verè, ac propriè dicantur ſurripere; & ſucceſſivè furtum committere. Furtum enim eſt contrectatio rei fraudulosâ lucrifaciendi gratiâ, vel ipſius rei, vel etiam uſus ejus, aut poſſeſſionis. Ita Paulus Jurisc. *in l. 1. §. furtum eſt, ff de fur.*

25 Infero decimò, incidere in excommunicationem Bull. Cœnæ eum, qui auſert bona Fidelium naufragantium, quando non habentur pro derelictis, quamvis Dominus ea nunquàm habiturus fuiſſet: Et etiam probatur per Tex. *in l. Pomponius, ff. de acquir. rer. domin.* ubi habetur, quòd in naufragio ſi quid noſtrum amiſſum eſt, aut fera beſtia nobis rapit, noſtrum manet, quamdiù recuperari poteſt: Atque adeò non amittitur dominium bonorum, quæ naufragio amittuntur; & ſic ea rapientes excommunicantur.

XXV. DIFFICULTAS.

An navibus vi hoſtium expugnatis, ſurripientes ex eis bona Chriſtianorum, vel in mare projecta, aut in littore inventa, incidant in Bullam Cœnæ.

1 NOtandum primò, naufragium, ſi ethymologiam ſpectemus, dici quaſi navis fragium, ſive fracturam; eſſeque navi fractâ, id eſt periclitatâ, rerum, corporumque ſubmerſionem, *l. deprecatio, & per totum, ff. ad l. Rhod. de jact. l. ſi quis, cum ſeqq. Cod. de naufr. lib. 11.* adeoque naufragium nihil aliud eſſe, niſi damnum, quod ſequitur ex fractione, vel periclitatione navis in mari.

2 Notandum ſecundò, hoc nomen, *quoquomodo*, eſſe generale, & ſub ſe comprehendere omnem modum naufragii per ea, quæ dicit Gloſ. cum DD. *in cap. ad noſtram*, in verb. *Quoquomodo, de probat.* & Clem. *ſi Summus Pontifex, de ſent. excomm.*

3 Notandum tertiò, navem dici expugnati, „ quando ſpoliatur, aut diſſolvitur, aut mergitur, „ aut pertunditur, aut vela ejusconſcinduntur, „ aut funes præciduntur, aut anchoræ de mari „ involantur. Sic ait Tex. *in l. expugnatur, ff. de incend. ruin. naufra.*

4 Notandum quartò, in verbis Bullæ ſinè dubio comprehendi omnes naves naufragium paſſas; ſive vi ventorum, aut tempeſtatis frangantur, vel ſubmergantur; ſive in ſcopulum aliquem incidant, vel in ſyrtes; unde etiam frangantur ſine culpa nautarum, ſive abſque eorum defectu, ſive ob earundem navium vetuſtatem. Ita Filliuc. *tom. 1. qq. moral. tract. 16. cap. 4. q. 8. num. 89.*

5 His adnotatis; ad difficultatem propoſitam, an navibus vi hoſtium expugnatis, ſurripientes ex eis bona Chriſtianorum, vel in mare projecta, aut in littore inventa, incidant in excommunicationem Bullæ Cœnæ; negativè reſpondet Filliuc. *tom. 1. qq. moral. tract. 16. cap. 4. q. 8. num. 89.* quia naves, ab hoſtibus expugnatæ bombardis, aliiſque modis, propriè non poſſunt dici naufragium paſſæ: Adeoque Bulla non videtur extendi ad hunc caſum; cùm duntaxat excommunicet ſurripientes bona Chriſtianorum naufragata, navibus ventorum vi, ſeu in tranſverſum jactatis. Præterea *in l. 1. & toto titul. ff. de incend. ruin. naufragio, rate, naveque expugnatâ*; navis expugnatio ponitur, ut quid diverſum ab incendio, ruinâ, & naufragio. Unde cenſura, quâ punitur ſurripiens bona Fidelium è navibus tempeſtate jactatis, non eſt extendenda ad ſurripientem bona Fidelium è navibus hoſtium violentia expugnatis: Cenſura enim, utpote quid odioſum, non admittit extenſionem de caſu ad caſum, quamvis eadem militet ratio.

Fateor, hanc opinionem videri probabilem: 6 Contrariæ tamen, quæ verior de jure mihi videtur, libenter adhæreo cum Vival. *in explicatione Bullæ Cœn. caſ. 5. num. 28.* Bonac hìc, *diſp. 2. quæſt. 5. punct. 4 num. 8.* Ugol. hìc, §. 1. ver. *Tertiò excommunicatio.* Alter hìc, *lib. 5. cap. 2. diſp. 4 dub. 4.* Duard. quoque hìc, *quæſt. 6. n. 3.* & aliis.

Moveor primò juribus, *arg. in l. 1. §. eadem pœna, ff. ad leg. jul. de privat.* ubi punitur is, qui ex naufragio quid acceperit, vel Nautis vim fecerit. Idem, *in l. ſi quis ex naufragio*, in fin. *ff. de incen. ruin. & naufr.* quare non punietur Canone 4. Bull. Cœn. ſurripiens bona Fidelium naufragata, navibus vi hoſtium illatâ? 7

Moveor ſecundò rationibus. Scimus Pium Quintum in ſua Bulla, incipiente *Cum nobis*, editâ octavo Kal. Maji, Anno primo ſui Pontificatus, quâ naufragorum bona Fidelium protegit, excommunicare hujusmodi bona ſurripientes, navibus, ſive maris infortunio jactatis, ſive Inimicorum conatu expugnatis: Undè credere debemus, eandem eſſe mentem Pontificis in Bulla Cœnæ circà caſum navium ab hoſtibus expugnatarum. Tum etiam, quia Bulla loquitur expreſſè de navibus tempeſtatis impetu jactatis, vel quoquomodo naufragium paſſis, & de bonis acceptis, ubicumque ſint: Nomen autem, *quoquomodo*, ut notavimus, eſt generale; unde ſub eodem comprehenditur omnis modus naufragii: Adeoque ſive naufragium ſequatur impetu tempeſtatis, ſive hoſtium expugnatione, ſurripientes ejusmodi bona excommunicationem Bullæ Cœnæ non aufugiunt. 8

Moveor tertiò exemplo, in quibusdam Mercatoribus, qui, navi Gallicâ ab hoſtibus expugnatâ, aliqua bona Gallorum naufragata, & in littore inventa ſurripuerunt, ſcrupulò agitati Romam venerunt, & expoſito caſu quibusdam Theologis (qui fuerunt Jacobus Pignatellus, Parochus S. Mariæ Monticelli, multis utilibus, doctiſſimiſque editis voluminibus celeber, & alii, inter quos ego ipſe omnium minimus) fuit deciſum, hos Mercatores in Bullam Cœnæ incidiſſe; & ideò per Summum Pontificem abſolvendos. 9

10 Concludimus igitur, in aliis Bullis potuisse quidem esse circa incursum excommunicationis aliquod dubium; cùm fuerit in illis expressum de navibus tantùm naufragium passis, & nihil dispositum de bonis incertis extrà navim, vel in littore inventis: nunc verò, cùm in sua Bulla Gregorius XIV. loquens de navibus naufragatis, exprimat hoc nomen generale, *quocunque modo*, non est ampliùs dubitandum: Ideoque, navibus hostium violentiâ expugnatis, incidit in censuram Bullæ Cœnæ quicunque bona Christianorum naufragata surripit, ubicumque sive in navi, sive in mari, sive in littore sint inventa.

11 Ad rationes in contrarium responsio sufficiens patet ex dictis, & ex insrà dicendis apparebit; cùm naves expugnatæ possint aliquo modo dici naufragium passæ. Summus autem Pontifex, seu Ecclesia Bullâ Cœnæ intendit defendere bona Christianorum, quomodocunque fuerint naufragata.

12 Infero primò ex dictis, esse excommunicatum in Bulla Cœnæ eum, qui accipit merces in mare projectas à Nautis absque ullâ tempestate, sed solùm timentibus, ne aliâ viâ navis mergeretur, ut puta, quando navis per scissuras implerur aquâ. Ita etiam docet alterius, loc. cit.

13 Infero secundò, excommunicationi Bullæ Cœnæ esse obnoxium illum, qui navem expugnatam ab hostibus, & undis mersam accipit: Tum quia hujusmodi navis non est habenda pro derelicta; cùm Dominus possit eam extrahere machinis adhibitis. Ita sentit pariter Alter, loc. cit. *dub. 3.* ubi limitat, nisi, omnibus tentatis, Dominus eam derelinquat, & nihil ampliùs circà illam procuret.

14 Infero tertiò, esse excommunicatum surripientem bona Fidelium in mare projecta, ad effugiendam Inimicorum invasionem, aut Piratarum deprædationem & ad fugam velocius arripiendam, alleviandæ causâ navis; cùm naufragium, ut notavimus, dicatur non solùm ex fractione navis, sed etiam ex periclitatione in mari.

15 Infero quartò, navium, ob expugnationem hostium, & à fortiori ob tempestatem, desertam, & aliquo Nautâ perito in ea remanente, & suâ industriâ, suoque labore eam conservante, esse suo Domino restituendam, solutâ tamen conservatori debitâ mercede. Tradit etiam Duardus, loc. cit. *sub num. 5.*

16 Infero quintò, incidere in excommunicationem Bullæ Cœnæ surripientes bona Fidelium naufragata è scaphis naufragium passis sive ob vim tempestatis, sive ob hostium expugnationem; quia Bulla loquitur indistinctè de navibus naufragium passis, quarum appellatione veniunt etiam scaphæ.

17 Infero sextò, in hac Bulla Cœnæ excommunicari surripientes Christianorum bona ex navibus nondùm naufragium passis, sed in ipsa naufragii trepidatione; dùm scilicet navis, vel fluctibus summopere agitatur, vel hostium tormentis bellicis valdè percutitur, aut conquassatur; cùm naufragii trepidatio sit naufragium inchoatum. Et facit Tex. *in l. Pedius, ff. de incen. ruin. & naufr.* ubi habetur, in ipsa naufragii trepidatione rapientes ex naufragio rapere de jure dici.

Infero septimò, Bullam Cœnæ extendi ad quascunque naves expugnatas, quorumcunque Dominorum sint, modo bona naufragata, & ipsa sint Christianorum; quia, quod in Bulla attenditur, est præcipuè qualitas bonorum, quæ rapiuntur; & nihil, aut parum refert, an ea bona deferantur navibus Christianorum, an Infidelium. 18

Infero octavò, recuperantem naufragorum Fidelium bona, navibus non solum tempestate jactatis, sed etiam hostium vi expugnatis, cum propriæ vitæ periculo, teneri sub pœna excommunicationis ea restituere Domino, si justè spectabat se illa recuperaturum, solutâ tamen ei mercede pro labore, ac periculo ad arbitrium boni viri; Et facit Tex. *in l. Pomponius, ff. de acquir. rer. domin.* ubi habetur, apud Dominos suos remanere naufragorum bonorum dominium, quousque recuperari possunt. 19

Infero nonò incidenter, ligna, quæ fluminum vi, præsertim dum inundant, aut dum naves franguntur, sive hostium vi, sive alio modo asportantur, esse Domino restituenda, si sint magni pretii, & meritò prudentis arbitrio judicatur, voluntatem Domini esse, ut sibi restituantur; dummodò solvat industriam, & laborem, qui in illis eripiendis erit appositus. Secùs verò, si ligna sint exigui pretii, & Dominus inde multum distet, taliter ut de illis amplius curare non censeatur: Tunc enim pro derelictis sunt habenda; proindeque occupantium effecta. Ita pariter sentit Molina, *tom. 1. de just. tract. 2. disp. 55.* circa finem. 20

XXVI. DIFFICULTAS.

Navis militaris Fidelium passa est naufragium; & ex armis naufragatis alii surripuerunt gladiolum, alter vaginam, alter medium ensem, quæ exigua res sunt. Dubitatur, num inciderint in excommunicationem Bullæ Cœnæ.

Notandum primò, ad rationem rapinæ exigi, ut fiat vis Domino rei raptæ, ut per Tex. *in l. 1. cum seqq. Cod. vi bonorum raptorum, tit. 33.* 1

Notandum secundò, furtum esse contrectationem rei fraudulosam lucrifaciendi gratiâ, invito Domino, ut ex Paulo Jurisc. *in l. 1. §. furtum est, ff. de fur.* & tradit Episcop. Vetulanus, *ad Statuta Faventiæ, tom. 1. ad rubr. 13. lib. 4. num. 1.* ubi alios producit. Et nomine furti venire omnem illicitam usurpationem rei alienæ, habetur per Tex. *in cap. Pœnale, causa 14. q. 5.* 2

Notandum tertiò, rem vuigatem esse dici, quæ non ascendit ad valorem duorum aureorum: Ut in *l. si oleum, §. fin. cum. l. seq ff. de dol. mal.* & ita tenuisse Magistrum suum refert, & sequitur Steph. Quaranta, *in sum. Bull. sub tit. Bona naufragantium.* 3

4. No-

4 Notandum quartò, furtum ex genere, & objecto suo, esse lethale peccatum; cùm sit contrà justitiam proximi; accidentaliter verò esse tantum veniale; puta ex imperfectione actus, quando non fit ex plena advertentia rationis, vel ex parvitate materiæ, ut quando furtum est rei exiguæ. Ita Azor. *p. 3. instit. moral. lib. 5. cap. 13.* Hinc B. Pius V. rectissimè in Constit. incip. *Ex omnibus afflictionibus*, inter cæteros Michaelis Bay errores, hunc damnavit, qui est 20. in ordine. *Nullum est peccatum ex naturâ suâ veniale, sed omne peccatum meretur pœnam æternam.*

5 Notandum quintò, magnam esse controversiam inter Doctores, quando materia dicatur esse exigua, ut cognoscamus, quando ea venialis sit culpa, & quando mortalis. Ego credetem, rationem habendam esse non solum rei, quæ surripitur, sed etiam personæ contrà quam fit furtum, an scilicet sit egens, an molestè admodum id habeat.

6 Notandum sextò, posse dari casum, in quo quis furando rem minimam, seu exiguam, peccet mortaliter, ut quando suo furto scit, ablationem rei furatæ fore Domino suo graviter damnosam, ut si quis furetur acum Sartori pauperi ei necessarium, aut sciens Dominum molestè admodum id habiturum. Azor. loc. cit. ubi alios recenset: Tunc qui furatur rem minimam, peccat mortaliter, non ratione furti, cùm sit rei minimæ, sed ob molestiam, vel injuriam gravem, quâ scienter afficit Dominum.

7 Notandum septimò, parum & nihil æquiparari, *l. illud*, §. *minùs*, *ff. de tribut. act. l. quamvis, ff. de cond. & demo. & in cap. Multa, de prab. cap. Licet causam, de probat.* & tradunt plures Doctores, quos recenset, & sequitur Menoch. *conf. 96. n. 8. & cons. 184. n. 3.*

8 His adnotatis; ad difficultatem propositam, an ex armis Fidelium naufragatis, surripiens res minimas, ut gladiolum, pugionem, & similia, incidat in excommunicationem Bullæ Cœnæ; affirmativè videtur respondendum, si in iis rebus minimis reperitur Domini affectio, ut ab eo magni momenti æstimentur, aut earumdem privatio esset Domino admodùm molesta, aut notabiliter damnificativa; quia hujusmodi fur, ob rationes in Not. expressas, mortaliter peccat, & res notabiles dicitur furari, si sciat, aut scire debuerit, propter illarum rerum fraudulentam contrectationem magnâ molestiâ Dominum afficiendum esse, aut eidem notabile damnum futurum. Arma autem in naufragio furata possunt has circumstantias secùm ferre; & sic excommunicationem Bullæ Cœnæ inferre.

9 Fateor, hanc opinionem esse probabilem; contrariam tamen, quam puto de jure veriorem, libenter amplector, videlicet vinculo excommunicationis Bullæ Cœnæ minimè ligari surripientem ex armis Fidelium naufragatis unum gladiolum, unam vaginam, unam hastam, & similes res exiguas, quarum surreptio, esto ob aliquas circumstantias posset esse lethaliter peccaminosa; nihilominùs non esset talis in ratione furti; cùm in ratione furti considerata non esset notabile furtum, Navar. *in Manual. cap. 17. num. 3. & cap. 27. num. 9.* Glos. *in cap. Ex parte*, il primo, in verb. *Non videtur, de verb. sig.* Turrecrem. *in cap. Nemo Episcoporum*, §. *Ad primum, causa 11. quæst. 3.* Azor. *p. 3. Instit. Moral. lib. 5. quæst. 3. & 4.* Sayr. *in suo Thesauro, lib. 1. cap. 9. n. 8.* & alii.

Moveor primò juribus, *arg. in l. scio, ff. de integr. rest. & l. quodsi Ephesi, ff. de eo, quod cert. loc.* ubi apparet, quòd de minimis non curat Prætor. *& in d. cap. Nemo Episcoporum, & cap. Nullus, causa 11. quæst. 3.* ubi dicitur, quòd excommunicatio non debet ferri, nisi pro peccato mortali: Et in Concil. Trid. *Sess. 25. de refor. cap. 3.* ubi statuitur, excommunicationem non esse ferendam pro quacunque re perdita, sed tantum pro re perdita non vulgari, id est magni momenti; & successivè, cùm furtum rei levis, in ratione furti, non sit peccatum mortale, dicendum est, in tale furtum præfatam excommunicationem non esse latam. 10

11 Moveor secundò rationibus: Nam parvitas materiæ excusat à peccato mortali, quamvis ex suo genere actus aliquis sit culpa mortalis, ut optimè probat Navar. *in suo Manual. cap. 17. n. 3.* Tol. *in sum. lib. 5. cap. 2.* & ideò etiam ab excommunicatione; cùm sit credendum, quòd Prælatus, sive Summus Pontifex intendat excommunicare, quando adest peccatum mortale. Et ideò, quando in surreptione excommunicationi obnoxiâ non adest culpa gravis ex parte ipsius surreptionis, seu rei surreptæ, licèt aliundè sit culpa gravis, censendum non est, surripientem fieri obnoxium excommunicationi. Tum quia excommunicatio est gravior pœna, quam Ecclesia potest inferre, ut alibi dictum & probatum est. Res autem minima, qualis est surreptio exigua, ratione sui non meretur pœnam magnam, & gravissimam. Undè non est credendum, Ecclesiam talisse excommunicationem contrà surripientes etiam res minimas ex bonis naufragatis; quamvis aliundè ob aliquam circumstantiam particulatem surreptio etiam rei minimæ possit per accidens esse peccatum mortale.

12 Moveor tertiò exemplo, in his, qui furando fructus, uvas, pyra, & hujusmodi, non incurrunt excommunicationem generalem latam contrà furantes res temporales, si res furata sit levis, ut tenet & probat Sayr. loc. cit. *sub num. 8.* atque adeò neque censendum est, excommunicationi Bullæ Cœnæ, quæ est major, & reservata, obnoxios esse surripientes ex armis naufragatis res minimas, quæ ex se semper minimæ sunt, licèt magnâ molestiâ afficiatur, is, cui surripiuntur, vel ob alias circumstantias earum surreptio reddatur lethaliter peccaminosa.

13 Concludimus igitur, non incidere in excommunicationem Bullæ Cœnæ surripientes ex armis Fidelium naufragatis res minimas vulgares; esto aliquando per accidens ratione alicujus circumstantiæ possint peccare mortaliter.

14 Ad rationem in contrarium respondemus, admittendo peccare mortaliter eum, qui rem minimam furatur, sciens ejus privationem molestam admodum esse suo Domino, vel ei notabiliter nocituram; sed neg ndo, furantem ex armis naufragatis res minimas incurrere præfatam excom-

excommunicationem; quia ex parte furti non peccat mortaliter; & peccatum, quod mortale non est, eâ ratione, quâ mortale non est, pœnâ gravi non est puniendum. Præterquam quòd, non pro quolibet mortali fertur ipso jure excommunicatio, ut tradit Navar. loc. cit, sed tantùm pro eo, in quòd directè fertur. Cùm igitur excommunicatio sit lata contrà furantem, seu surripientem res naufragatas, & non contrà gravem molestiam inferentes, dicendum est, non excommunicari surripientes, seu furantes, si furtum non est notabile; esto gravi molestiâ afficiatur rerum Dominus. Cæterùm, si gladius, galea, vagina, hasta, & similia, judicio peritorum essent res magni momenti, utique illas ex bonis naufragatis surripientes, absque dubio peccarent mortaliter, & excommunicationem Bullæ Cœnæ incurrerent.

15 Infero primò ex dictis, Judicem, qui pro levissimo furto excommunicat, non intendere obligare, sed ita loqui ad terrorem. Sic tenet etiam Henriq. Victoria, quem recenset, & sequitur Sayr. loc. cit.

16 Infero secundò, Judicem, qui fulminat excommunicationem pro furtis, non intendere excommunicare eum, qui furatus est rem notabilem, & magnam partem furti jam restituit, pro quo lata est excommunicatio, minori parte, quæ habeat rationem parvæ materiæ, omissâ. Ita Sayr. ibidem.

17 Infero tertiò, furantes rem minimam, animo tamen furandi majorem, peccare mortaliter, secundùm D. Tho. 2. 2. *quæst. 66. art. 6. ad 3.* Cajet. & alios; non tamen incurrere excommunicationem latam contrà fures; cùm res furata sit minima, & non excedat, ut supponimus, peccatum veniale, & sola intentio delinquentis non sit capax excommunicationis.

18 Infero quartò, nullum surripientium ex bonis naufragatis res minimas, quæ simul junctæ faciunt quantitatem magnam, incidere in præfatam excommunicationem, si sine consensu inter se, nec in crimine se invicem adjuvent, nec ullo modo furtum unius alteri imputetur. Duardus, *in Bull Cœn. lib. 2 Can. 4. conclus. 2. num. 4.* Incurrere tamen dictam excommunicationem, si ad surripiendum se invicem adjuvent; cùm singuli dicantur, ob mutuum auxilium, totam illam magnam quantitatem surripere; *arg. tex. in l. ita vulneratus, §. fin. ff. ad l. Aquil.*

19 Infero quintò, si plures absque consensu inter se, nec in crimine consortes, accipientes sigillatim paucos de vinea racemos, ita ut vineam quasi devastent, si feratur excommunicatio, nisi restituant, non teneri sub pœna excommunicationis restituere; quia non peccant mortaliter in ea acceptione. Ita etiam sentit Gibal. *de sacr. jurisdict. in fer. cens. Disq. 2. quæst. 5. Consect. 6.* Secùs verò, si adfuerit mutuum juvamen, aut inductio.

20 Infero sextò, excommunicationi quæ fertur in eos, qui surripuerunt aliena, nisi restituant, eos non esse obnoxios, qui tempore, quo lata est, non habent, unde restituant; cùm nemo peccet in eo, in quo non potest obedire; Ad impossibile enim non obligamur, juxtà Reg. *Nemo, de reg. jur. in 6.* Sotus, *in 4. dist. 22. quæst. 1. art. 2. vers. secundò, si feratur.*

Infero septimò, quando fertur excommunicatio in communi contrà accipientes, vel habentes aliquid talis defuncti, & non restituentes, non incidere in talem excommunicationem illum, qui rem minimam acceptam non restituit, vel rem magnam non restituit acceptam in justam compensationem illius, quod defunctus debebat; nec aliter recuperare poterat; quia jure habet, quod erat suum: Nec Judex potest, nec multò minùs intendit in hoc casu eum ligare. Sayr. *in suo Thesauro, lib. 1. cap. 9. n. 12.* 21

Infero octavò incidenter, non incurri excommunicationem ob peccatum mortale mente conceptum, & non exteriùs verbis, aut signis aliquibus expressum; quia Ecclesia, quæ visibilis est, non judicat de internis, & excommunicatio ad forum exterius Ecclesiasticum spectat. Et est communis Theologorum, & Canonistarum opinio. 22

Infero nonò, excommunicationem majorem non esse infligendam pro peccato veniali, nec etiam pro peccato mortali, nisi contumax fuerit ille, qui peccat, & contrà quem fertur. Tradit etiam Turrecrem. *in d. cap. Nemo Episcoporum, § ad primum, causa 11. quæst. 3.* 23

Infero decimò, malè se gerere Prælatos, qui pro levibus causis excommunicationes fulminant. Martinus Ledes. 2. 4. *quæst. 23. art. 3.* Tenebit tamen excommunicatio, si furtum, pro quo censura fertur, ad peccatum mortale perveniat. Cov. Henriq. Ugol. Ledesm. loc. cit. quos recenset Sayr. loc. cit. 24

Infero undecimò, posse quidem impunitè occidi furem, sive nocturnum, ut habetur ad literam, *in l. Furem nocturnum, ff. ad leg. Cornel de sicar.* & Exod. 22. *vers. 2.* dummodò adsint requisita, explicata à Molsef. *in sum. tract. 11. cap 19. à num. 109. usque ad num. 122.* sive diurnum, intervenientibus eisdem requisitis, & insuper, si aliter non possit Dominus bona sua magni momenti recuperare; non tamen posse licitè pro bono exigui valoris; cùm vita proximi, quæ est summum bonum naturæ, sit præferenda rebus pauci momenti; quo in sensu est intelligendus S. Augustinus, *lib. 1. de liber. arbitr. cap. 5.* ubi sic habet, „ Quomodo apud Divinam Providentiam à peccato liberi sunt, qui pro his rebus, quas contemni oportet, humanâ cæde „ polluti sunt? Hinc Innocentius XI. Sanctæ „ Memoriæ justæ damnavit doctrinam asserentium, regulariter posse occidi furem pro conservatione unius aurei; quæ est inter Propositiones ab eo damnatas, 31. in ordine. 25

Infero duodecimò, excommunicatione, quæ est maxima pœna, nunquàm puniri furtum rei parvæ; & quando in furtum fertur excommunicatio, intelligi comprehensum tantummodò furtum rei notabilis considerationis. Petr. Navarr. *lib. 3. de restitut. cap. 1. num. 43.* 26

Infero decimo tertiò, furantem paulatim res parvas alienas sine animo plùs furandi; si eidem posteà alias res surripiat, & perveniat ad notabilem quantitatem, peccare mortaliter, & teneri restituere; cùm positâ illâ actione, ponatur damnum notabile proximi, & ablatâ, 27

tolla-

tollatur: Atque adeò illa actio notabile nocumentum proximo inferens, obligationem inducit restitutionis. Petr. Navar. *lib. 3. de restitut. cap. 1. num. 51. in sum.* verb. *furtum, num. 2.* Contrarium tenent aliqui, non solùm non approbandi, sed etiam explodendi. Quid enim interest, ait Navar. loc. cit. an paulatim, vel simul proximum spolies, cùm semper fit æquale damnum? Profectò famuli, qui uno mense parvam quantitatem, & post alium, vel duos menses, totidem à suis heris accipiunt, & post paucos annos, ad notabilem quantitatem perveniunt, non possent à Confessariis adstringi ad restitutionem, quod ratio naturalis, & justitia non patitur: Propterea ab Innocentio XI. Sanctæ Record. fuit inter cæteras hæc Propositio damnata; quæ est 38. in ordine. *Non tenetur quis sub pœna peccati mortalis restituere, quod ablatum est per pauca furta, quantumcunque sit magna summa totalis.*

XXVII. DIFFICULTAS.

An deferentes ad Turcas, Saracenos, aliosque Christiani nominis hostes, naves, galeas, & alia bellica Navigia, incurrant in excommunicationem Bull. Can. & aliorum jurium.

1 Notandum primò, in Bulla Cœnæ *Can. 7.* excommunicari deferentes ad Turcas, Hæreticos, & alios Christiani nominis inimicos, lignamina, funes, aliasque res in perniciem Reipub. Christianæ.

2 Notandum secundò, ab Alexandro Papa III. *in cap. Ita quorumdam, de Juda.* excommunicari deferentes inter alias res ibi expressas, lignamina galearum Saracenis.

3 Notandum tertiò, à Clemente Papa III. *in cap. Quod olim, de Juda.* excommunicari omnes qui tempore belli commercium habent cum Saracenis, eisque per se, vel per alios subsidia, vel consilia impendunt.

4 Notandum quartò, ab Innocentio Papa III. *in cap. Ad liberandam, de Juda.* excommunicati omnes illos, quos Alexander III. suprà excommunicavit, & insuper eos, qui Saracenis vendunt galeas, aut naves, alioque modo eis auxilium præbent.

5 Notandum quintò, à Clemente Papa V. *in Extrav. Multa mentis, de Juda.* ubi renovatur Extravag. Nicolai Papæ IV. incip. *Olim,* in generali excommunicari deferentes lignamina, & alia in Alexandriam, vel alia loca Saracenorum Terræ Ægypti, & alio modo eis faventes: Et hanc excommunicationem esse Summo Pontifici reservatam; & ideò hanc, & cæteras, sive Pontificum, sive aliorum Prælatorum excommunicationes esse ab omnibus timendas, concludunt Doctores omnes contrà Joann. Wicleffum, dicentem, *Quòd excommunicatio Papæ, vel cujuscunque Prælati non est timenda, quia est censura Antichristi,* quæ Proposito 30. in ordine, fuit damnata in Concil. Constan. *Sess. 8.*

6 Notandum sextò, duplicem esse mentem Legis, scilicet comprehensivam, & extensivam, comparativè tamen, non absolutè, & disjunctivè, ut benè explicat Sylv. *in sum.* in verb. *Lex,* & secundùm mentem comprehensivam fieri extensionem legis in pœnalibus, & à fortiori in favorabilibus, ut docent Jo: de Imol, Gemin. *in cap. Si postquam, de elect. lib. 6.*

7 Notandum septimò, de toto ad partem ut plurimum idem esse judicium, *l. quæ de tota, ff. de rei vindic.* Everatd. *in Topic. loco 8.* Gambac. *in Dialectica legali, lib. 1. loco. 4.* Surd. *consf. 435. num. 21.*

8 Notandum octavò, valere argumentum ab inferiori ad super jus, ut habetur ex Bal. *in l. Conventicula, Cod. de Episcop. & Cler.*

9 Notandum nonò, jura, quæ prohibent deferre ad Christiani nominis hostes lignamina, esse intelligenda, loqui non de omnibus lignis, sed de illis dumtaxat, quæ apta sunt ad fabricandas naves, galeas, & alias machinas bellicas; vel ad construendos currus, ad armandas bombardas; vel de iis, ex quibus conficiuntur hastæ, clypei, arcus, sagittæ, ut notant Ugol. *de censuris Pontifici reservatis* in verb. *Lignamina, p. 2. n. 1.* & alii, quos ibi recenset *n. 1. & 2.*

10 Hic adnotatis; ad difficultatem propositam, an deferentes ad Turcas, Hæreticos, aliosque Christiani nominis inimicos, naves, galeas, & alias machinas bellicas, incurrant in excommunicationem Bullæ Cœnæ, & aliorum jurium, videtur negativè respondendum; nam quando verba Legis clara sunt, eis standum est. hæc autem Bullæ, & alia jura prohibent deferre lignamina; & ideò solùm lignamina deferentes excommunicationem incurrunt. Præterea in materiis odiosis non licet argumentari, non modò à majori ad minus, verùm etiam nec è contrà, ut egregiè tradunt Felin. *in cap. Postulasti, de rescript.* Dec. *in cap. At si Clerici, §. de adulteriis, num 10. de judi.* Menochius, *in consf. 629. num. 5.* nos autem sumus in odiosis; unde nobis non licet deducere prohibitionem galearum, aut navium à prohibitione lignaminum; & successivè non possumus asserere in Bulla Cœnæ, & in aliis juribus excommunicari deferentes naves, galeas, & alias machinas bellicas, præcipuè extrà tempus belli, ad Turcas, aliosque Christiani nominis inimicos; quia vi horum jurium excommunicationi obnoxii sunt deferentes ad eosdem lignamina. Præterquam quod appellatione lignaminum non veniunt naves, & aliæ res, quæ construuntur ex ipsis: Unde sub prohibitione lignaminum non censentur formaliter, & expressè prohibita navigia: Saltem quoad pœnam.

11 Huic opinioni dubitabam posse adhæreri; cùm navium delatio in hisce juribus sub ly *Lignamina* non videatur comprehendi: Re tamen ipsâ longè meliùs, & diligentius perpensâ, & accurato studio examinatâ; contrarium visum est verius, & probabilius; nempè deferentes ad Turcas, Hæreticos, aliosque Christiani nominis hostes, naves, galeas, in juribus præfatis excommunicari, & præsertim in Canone 7. Bull. Cœnæ. Ugol. loc. cit. *num. 2.* Alterius, *in explicatione Bull. Cenæ, lib. 5. cap. 7.* verb. *Ex his evidenter,* & plures alii, quos recenset Duardus hîc, *q. 25. & 26.*

12 Moveor primò juribus, *in l. 1. Cod. quæ sit long. consuet.* ubi habetur, quòd ratio Legis plùs debet attendi, quàm Lex ipsa, seu Legis verba: Et ideò; si prohibetur delatio lignaminum, ne ex illis naves, triremes, galeæ confici possint, à fortiori vetitum erit, ne instrumenta formata, seu naves fabricatæ asportentur: Et *in l. adigere, §. quamvis, ff. de jure pat. & in l. eum pater, §. Dulcissimi, ff. de leg. 2. & in l. pater, §. fundum ff. de leg. 3. & reg. pen. de reg. jur in 6.* ubi habetur, quòd Lex debet ampliari, & restringi ad limites rationis expressæ, etiam si verba non patiantur.

13 Moveor secundò rationibus: Nam fuit maxima Aristot. *lib. 1. Pastor. resol. cap. 2. Semper enim propter quod est unumquodq;, illud magis est.* Si ergò prohibitioni subjiciuntur lignamina, quæ sunt apta ad construenda navigia, multò magis eidem prohibitioni obnoxia erunt navigia, quæ ex lignamine fiunt. Tum quia, si apparet de mente Legis, est ei standum, quamvis contrarium sonent verba; quia verba deserviunt intentioni, non intentio verbis, ut per Tex. *in cap. Humanæ aures, causa 22. quæst. 5.* se enim habent intentio, & verba, sicut Anima, & corpus; & sicut Anima dominatur corpori; ità ratio Legis, seu intentio verbis dominatur; ad quod facit *l. non dubium, Cod. de leg.* Certum est autem lignamina sub pœna excommunicationis prohiberi, ut deserviant hostibus Infidelibus tradita in galeas, naves, & navigia contrà Fideles. Quamvis ergò, galeas, naves, & navigia ad hostes Infideles deferens, non committat contrà verba; committit tamen contra mentem, ut not. per Glos. *in d. reg. pen. de reg. jur. in 6.* & successivè excommunicationem incurrit latam contrà ejusmodi delationem. Præterquam quòd deferens ad hostes Infideles navigia, & alia hujusmodi, absque ulla controversia, dicitur deferre lignamina, ex quibus formata sunt; nam valet argumentum ab inferiori ad superius, ut docet Bal. *in d. l. conventicula, Cod de Episc. & Cler,* atque adeò, si vi jurium excommunicantur deferentes ad Infideles lignamina, excommunicantur etiam deferentes ad eosdem naves, triremes, & navigia.

14 Moveor tertiò exemplo, in iis, qui vendendo farinam, aut panem, contrà legem prohibentem, ne vendatur frumentum extrà territorium, dicuntur delinquere contrà hujusmodi legem, & pœnam incurrere, quam imponit suis transgressoribus ejusmodi lex, ut docet Bat. relat. ab Ugol, loc. cit, *num. 2.* quem DD. communiter sequuntur, teste Viv. *in sua syl. opin. 765. & 766.* & Alter. loc. cit. Identitas verò rationis, seu casus nobis suadet asserere, etiam delinquere contrà legem Caonicam, prohibentem deferre ad Infideles lignamina, illum, qui ad eos defert naves, triremes, & alis ejusmodi.

15 Concludimus igitur, deferentes ad Christiani nominis inimicos naves, triremes, biremes, & alia navigia, esse ionodatos excommunicatione Canonis septimi Bull. Cœnæ, qui prohibet simpliciter deferre lignamina.

16 Ad rationes In contrarium patet sufficientissimè, & clarissimè responsio ex dictis, & ex infrà dicendis etiam apparebit.

Infero primò ex dictis, deferentes ad Turcas, Hæreticos, aliosque Christiani nominis hostes, galeas, triremes, & alia navigia oblonga ejusdem generis, apta ad præliandum in mari, incurrere excommunicationem etiam juris communis ex illis locis, ubi habetur, *Lignamina Galearum,* seu in quibus prohibentur lignamina absolutè, & tradit Alterius, loc. cit. circà fin. 17

Infero secundò, incurrere excommunicationem deferentes ad hostes Infideles, currus, remos, antennas, bastas, totas ad vehenda tormenta bellica, & similia: Prohibità enim delatione lignaminum, ne ex illis dicta fabricari possint, à fortiori viderur prohibitum, ne Instrumenta formata deferantur; Ut per Tex. *in Authen. Multò magis, Cod. de Sacrosanct. Eccles.* 18

Infero tertiò, Bullam Cœnæ, & alia jura Canonica, quæ prohibent absolutè lignamina, extendi ad quamlibet materiam ligneam, aptam, & idoneam pro ædificandis instrumentis bellicis, tam offensivis, quàm defensivis; & ad quasvis alias machinas bellicas, accommodatas ad bellandum contrà Fideles, vel ad defendendum se ab eis; quia appellatione lignaminum, quæ est vox generalis, venit omnis materia, ex qua possunt bellica ædificari Instrumenta, lignea saltem ex parte. 19

Infero quartò, pœnam impositam à jure in uno casu extendi ad alium casum, quando illa duo à jure æquiparantur, & est eadem ratio expressa, vel indubitate præsumpta, ut per Text cum Glos. *in cap. 1. de post. præl.* & tenet Pan. cum aliis, quos recenset, & sequitur Sylv. *in sum.* in verb. *pœna, qu. 4.* 20

Infero quintò, appellatione lignaminum in juribus Canonicis venire non ligna, quæ deserviunt ad comburendum, aut ad domos ædificandas; sed ad bellica instrumenta construenda, ut sunt præter naves, triremes, & navigia, etiam hastæ, clypei, sagittæ, currus ad armandas bombardas; & successivè hæc ad Infideles deferentem incurrere excommunicationem jurium lignamina prohibentium. 21

Infero sextò, incurrere excommunicationem illum, qui defert ad hostes Infideles ligna pro comburendo castro, vel loco Christianorum, aut pro ponte construendo, ut exercitus Infidelium flumen trajicere possit, aut pro quocunque alio auxilio hostibus Christianorum præstando in bello; quia à præfatis juribus prohibetur delatio lignorum, quibus Christiani impugnantur. Docet etiam Alter. loc. cit. in verb. *Si quis quærat.* 22

Infero septimò, deferentes ad Infideles lignamina, sive naves, triremes, & alia navigia, tempore sive belli, sive pacis cum Christianis, statim excommunicationem contrahere: Secùs verò, si esset aliqua navicula pretiosa, adinventa recreationis gratià dumtaxat aut lectica, au quadriga auro, & pannis pretiosis adornata; cùm hisce rebus non soleant Christiani impugnari. Ita tradunt etiam Duardus, *in Bullam Cœn. in Can. 7. quæst. 26. num. 4.* Bonac. *de censur. Bull Cœn. disp. 1. quæst. 8. punct. 2. num. 7.* Abb. Alex. & alii. 23

24 Infero octavò, annodatum excommunicatione ob navium, triremium, aliorumque lignaminum delationem, non posse à tali censura per Confessarium inferiorem absolvi extrà periculum, seu articulum mortis; cùm talis excommunicatio sit Summo Pontifici reservata.

XXVIII. DIFFICULTAS.

An triremium Minister verberans Religiosos, ad eas ob militiam absque debita licentia susceptum, vel ob alia delicta condemnatos, & missos, incidat in Canonem si quis suadente Diabolo.

1 Notandum primò, licitum esse Judici Ecclesiastico ob gravia crimina condemnare, & mittere ad triremes Religiosos; Et ita aliquando expedire & esse necessarium ob qualitatem delictorum, quæ aliâ pœnâ puniri non possunt, advertit Peyrinus, *tom. 1. de subdit. q. 1. de obedientia, cap. 27.* ubi alios citat.

2 Notandum secundò, pœnam triremium esse novam, & substitutam in locum antiquæ pœnæ deportationis, vel condemnationis ad opus publicum, ut notat Thesaurus *in praxi p. 1. cap. 33. §. Talis est, & part. 2.* verb. *missa, cap. 5. §. Item si esset*, ubi refert Clarum, Farinacium, & alios; Novam dixi, cum Religionum leges pro pœna delinquentium præscribant disciplinas, mortificationes, & carceres tantùm. Navarr. *commentar. 3. de Regularibus, num. 52.* & alii plures.

3 Notandum tertiò, peccare mortaliter triremium Capitaneum, si recusar recipere Religiosos ad eas damnatos, aut si receptos, eos dimiserit, Religione non consentiente, excepto casu ciato, & manifesto injustæ condemnationis. Ita Doctores, quos recenser, & sequitur Peyrinus, loc. cit. & Thomas Del Bene *p. 2. de Off. S. Inquis. dubit. 236. petit. 18. num. 10.*

4 Notandum quartò, eis licere castigare ratione officii, qui habent officium sine dignitate; & ratione prælationis, qui habent dignitatem. Ita docet Ant. Buttius, *in cap. Cum voluntate, n. 19. de sent. excomm.*

5 Notandum quintò, *in cap. si quis suadente*, quod est innocentii II. relat. *in causa 17. quæst. 4.* excommunicari injicientem manus violentas in Clericum, vel Monachum; & à nemine posse absolvi, nisi à Summo Pontifice, præterquàm in mortis articulo, ut notat Turrecrem. *in d. cap. Si quis.*

6 Notandum sextò, nullam esse distinctionem inter manus violentas, & manus temerarias; quia Canon *si quis*, simpliciter loquitur, omnemque injustam, seu sacrilegam percussionem violentam comprehendit, & ita etiam temeratiam. Suarez, *de censur. disp. 22. sect. 1. num. 40.* contrà Panorm. *in. d. cap. Cum voluntate, & in cap. Universitatis, de sent. excom.*

7 Notandum septimò, immunem esse ab excommunicatione d. Canonis *si quis* percussionem Clerici, quæ fit, non per modum manus violentæ, sed alio justo, vel licitò titulo infrà explicando. Ita docet Suarez, loc. cit.

His adnotatis; ad difficultatem propositam, an triremium Minister incidat in Canonem *si quis*, verberando Religiosum ad eas condemnatum, & missum ob militiam absque debita licentia susceptam, affirmativè videtur respondendum *ex cap. Cum beatus 45. dist. & cap. Universitatis, de sent. excomm.* ubi habetur, quòd quando Abbas, seu Superior Monachum suum facit per Laicum verberare, & ipse, & verberans excommunicati sunt, ut notat Ant. Butr. *in d. cap. Universitatis, num. 1. de sent. excommun.* Rursùs, ut evitetur censura imposita percutientibus Clericum, requiritur ut talis castigatio, seu punitio fiat servato debito ordine juris, si sit pœna juridica; vel saltem servato debito correctionis modo, si sit paterna, seu religiosa correctio, ut inquit Suarez, loc. cit. quæ minimè videntur servari à triremium Ministro, milites, seu remiges Religiosos verberando: Atque adeò vinculo excommunicationis, ob hujusmodi verberationem, ille alligari censetur. 8

9 Veritas tamen est, in d. Canonem *si quis*, non incurrere triremium Ministrum, milites Religiosos, aut Clericos remiges ad eas damnatos verberando; dummodò adsit justa causa, & absit verberationis excessus, & tempus condemnationis completum non fuerit. Navar. *comment. 3. de Regular. num. 52.* Miranda. *tom. 1. Manual. quæst. 52 art. 8.* Sayr. *in suo Thesauro, lib. 3. cap. 27. num. 14.* Thomas Del Bene, loc. cit. *n. 3.* & alii.

10 Moveor primò juribus, *in d. cap. Cum voluntate, de sent. excomm.* & in *cap. Super eo, tit. eod.* ubi habetur, Canoni *si quis* non esse obnoxium eum, qui ratione officii, prælationis; aut magisterii, aut etiam ob seniorem ætatem, vel ob propinquitatem in aliquo gradu, Clericum castigat.

11 Moveor secundò rationibus; nam quando Minister triremium Religiosum, ad eas damnatum, justâ causâ verberat, hujusmodi manus injectio non potest dici violenta; Ita habetur *in d. cap. 1. de sent. excomm.* Tum quia intentio castigandi excusat à delicto, & à pœna delicti, ut docet Ant. Butr. *in d. cap. Super eo num. 4. de sent. excomm.* Deinde ad incurrendam excommunicationem semper exigitur violentia dolosa, quæ, cùm sit strictè sumenda, ut ibi notat Butrius, hic non videtur; dum triremium Minister verberat, ut simpliciter castiget errorem. Præterquam quòd, ex quo permissum est officium, omnia permissa sunt, sine quibus officium explicari, seu exerceri non potest. Ita Butr. *in d. cap. Cum volun. late num. 20. de sent. excomm.*

12 Moveor tertiò exemplo, seu praxi continuâ. Scimus enim, triremium Ministrum indifferenter verberare remiges, tam Laicos, quàm Religiosos, ad eas damnatos, quando delinquunt, vel omittendo quod debent, vel agendo quod non debent; & hoc quidem absque scrupulo peccati, & censuræ; & nemo ex Theologis, vel Canonistis audet asserere, eum, ita faciendo, excommunicationem incurrere; dummodò non adsit excessus in modo castigationis; quia sic etiam habet consuetudo: Religiosus enim delinquens ad triremes mittitur, ut sic puniatur.

13 Concludimus igitur, nullatenùs excommunicationem, seu Canonem *si quis* incurrere triremium Ministrum, qui verberat debito modo milites religiosos, seu remiges ad hanc pœnam damnos, intrà tempus condemnationis; dummodò tamen castigatio, aut verberatio sit proportionata causæ, & personæ religiosæ; aliàs censura non evitaretur, si excederetur, & excessus esset manifestè injustus; quia illa jam esset violenta manuum injectio, *arg. d. cap. Universitatis*, & *cap. Cum beatus*.

14 Ad rationes in contrarium respondemus: Ad primam, constat jura allegata loqui de Religiosis intrà claustra existentibus, non verò de condemnatis, & missis ad triremes. Præterquam quòd, etiam Religiosos, in Monasterio existentes, potest Superior per alium verberare, quando necessitas urget, ut ita puniantur; Sic tradit Suarez, loc. cit. *num. 42.*

15 Ad secundam; concedimus, Religiosos remiges esse debito modo castigandos, quod utique in nostra conclusione admittimus, & explicamus, tanquàm quid necessarium ad evitandam excommunicationem.

16 Infero primò ex dictis, effugere excommunicationem Episcopum, qui justa de causa verberat citrà sanguinem Clericum delinquentem sibi subditum: Secùs verò, si verberatus non sit ei subditus; cùm tunc non exerceeat actum jurisdictionis, & in tali casu non agat, ut Superior.

17 Infero secundò, effugere excommunicationem Canonis *si quis* Superiorem, quando, urgente necessitate, per alium facit Religiosum sibi subditum verberare, dummodò ille alius fit Clericus, vel Monachus; aliàs si esset Laicus, in istum Canonem incurret, ut optimè docet Suarez, loc. cit.

18 Infero tertiò, non agere contrà hunc Canonem *si quis* Judicem Sæcularem, qui jussu Ecclesiastici Clericum capit, & in carcerem includit; cùm talis actio non fiat, suggerente diabolo, nec censeatur manus violenta, cùm sit justa.

19 Infero quartò, non incidere in hunc Canonem Magistrum, Patrem, Matrem, & similes, qui disciplinæ causâ verberant moderatè Discipulum, Filium Clericum, & ita habetur satis clarè, *in d. cap. 1. de sent. excomm.*

20 Infero quintò incidenter, excusari ab excommunicatione eum, qui percussit Clericum, repertum in habitu sæculari, seu laicali, putans ex ignorantia inculpabili, illum esse Laicum. Ita docet Bald. *in l. si qua per calumniam, Cod. de Episcopis, & Cler*, Menochius, *in conf. 898. n. 25.* & fusius, *in comment. de præsumpt. lib. 6. præsumpt. 76. n. 10.*

21 Infero sextò, non incidere in excommunicationem illum, qui habens jurisdictionem, ex justa causa verberat Clericum, jurisdictionem, in quam, in Clericum, estò Clericus verberatus non sit incorrigibilis; cùm possint Clerici subjici verberibus, quamvis in corrigibilitate non sint infamati. Turrecrem. *in d. cap. Cum beatus, §. Salomon. 45. dist.*

22 Infero septimò, non incurrere in excommunicationem Sacerdotem, qui puerum Clericum importune secùm ludentem iratus percutit si hoc faciat non animo injuriandi, vel libidine vindictæ, sed ad repellendam insolentiam pueri. Tradit etiam Turrecrem, *in d. cap. Si quis, §. Ad primum, n. 4. causa 17. q. 4.*

Infero octavò, non incidere in hunc Canonem Præceptorem, aut Prælatum, qui ex ira percutit, seu verberat Clericum; dummodò eum verberet causâ correctionis; quamvis de correctione non cogitet actu, sed tantùm habitu. Sic pariter habet Turrecrem, loc. cit. secùs verò, si illum verberat, ex alio fine politico. Sic Ant. Burr. *in d. cap. universitatis, num. 10. de sent. excomm.* 23

Infero nonò, effugere hanc censuram Magistrum inferiorem, qui contrà mandatum Magistri principalis verberat Discipulum Clericum; quia non potest principalis Magister auferre beneficium juris, per quod conceditur cuivis posse illum, quem quis docet. 24

Infero decimò obiter, acquisita per Religiosos damnatos ad triremes, sive ad tempus, sive in perpetuum sit condemnatio, spectare ad Religionem suam; cùm per hoc non sint omninò ab ea derelicti, sed tantùm separati; possunt enim, rationabili causâ existente, ab eadem Religione revocari. Ita pariter sentit Magister meus Thom. Del Bene, *p. 2. de Off. S. Inquisit. dub. 236. per tt. 18. num. 11.* 25

Infero undecimò pariter incidenter, Religiosum damnatum ad triremes, ob causam famosam, & completo tempore condemnationis, redeuntem à triremibus ad Religionem, non posse admitti ad celebrandum absque dispensatione, quia *ex l. ad tempus, Cod. ex quibus, caus. infa. irro*, remanet damnatus. En verba legis „Ad tempus in opus „ publicum damnati pristinum quidem statum re- „ tinent, sed damno infamiæ post impletum tem- „ pus subjiciuntur: „ Atqui infamis infamiâ juris est irregularis. Tolet. *lib. 1. in sum. cap. 62.* & alii communiter Quicunque igitur duras triremium pœnas, præfatæque infamiæ notam effugere cupit, in Religione, quam professus est, vitam ducat Religiosam, non sæcularem; nam qui in Religione sæculariter vivit, non Sæculum fugit, sed imitatur, ut habetur, *in cap. Legem, 53. dist.* & Sæculum imitando deficit: Et deficientes in Religione, inquit S. August, *Epist. 137. ad Clerum, & Populum Hipponensem*, relatus *in cap. Quantumlibet, 47. dist.* sunt pessimi: Quemadmodum proficientes evadunt optimi, tanquam aptiores, atque habiliores ad observanda Divina præcepta; & successivè ad perveniendum ad Regnum Cœlorum, quod temerè negavit Joannes Wiclefius, impiè dicens, *Religiosos viventes in Religionibus privatis non esse de Religione Christiana*, art. 23. in ord. *Sanctos instituentes Religiones privatas, sic instituendo peccavisse*, art. 22. *Ingredientes Religionem privatam qualemcunque, tam Possessionatorum, quàm Mendicantium, reddi ineptiores, & inhabiliores ad observationem mandatorum DEI*. art. 21. Qui errores, uti Diaboli semina, & pestifera vitæ Religiosæ venena, fuerunt inter cœteros, damnati in Concilio Constantiensi, *Sess. 8.* Ad explodenda igitur diabolica præfati Hæretici documenta, deberent omnes Religiosi vitam ducere perfectè Religiosam. Omnibusque propterea in Religione viventibus dicam, quod Clemens Papa scripsit Jacobo, & secùm habitantibus, *Epist. 5.* relat. *in cap. Dilectissimis, caus. 12. quæst. 1.* „ Commonia vita, Fratres, omnibus necessaria est, & maximè „ his, 26

„his, qui DEO irreprehensibiliter militare cu-
„piunt; & vitam Apostolorum, eorumque Di-
„scipulorum imitari volunt, &c. Unde Consi-
„lium dantes, vestram prudentiam hortamur,
„ut ab Apostolicis regulis non recedatis, sed
„communem vitam ducentes, & Scripturas Sa-
„cras rectè intelligentes, quæ Domino, vovistis,
„adimplere satagatis.

27 Inferoduodecimò, à censura præfati Canonis *si quis* eum excusari, qui defendendo se cum moderamine inculpatæ tutelæ, Clericum aggressorem interficit: Hoc enim in casu Clerici internecio, seu manus in eum injectio non suadetur à Diabolo, sed à jure naturæ, ut probat Textus, *in l. ut vim, ff. de just. & jur. & in l. 1. Cod. unde vi*, & favet *Capit. Dilecto, de sent. excomm. in 6.* & Clement. *Si furiosus, de homicid.* & sic docent Navarr. *in Manual. cap. 27. num. 67. vers. sexta.* Rebu. *in praxi benefici, in expositione Bullæ Cœnæ, art. 8. vers. secundò etenim*, & alii plures, quos recenset, & sequitur Viv. *in sua Sylv. opin. 88. n. 4.* secùs verò, si posset alia viâ mortem evitare, aggressorem Clericum non interficiendo. Ugol. *de censur. Pontifici reserva. p. 2. §. 2. n. 3.*

28 Infero decimo tertiò, ad majorem legentium eruditionem, minimè incidere in excommunicationem Canonis *si quis* percutientes Clericum in minoribus constitutum, qui accepit duas Uxores, vel etiam unam corruptam, si matrimonium de jure contractum est validum: Nam ob bigamiam, seu quia effectus est bigamus, omne privilegium clericale amisit, adeò quòd nec ei licet tonsuram deferre. *Cap. 1. de biga. in 6.* secùs verò, si bigamus esset Subdiaconus, vel Diaconus, vel Monachus Professus propter Matrimonium non de jure, sed de facto invalidè contractum: *Arg. cap. A nobis, de biga.* Joan. And. *in reg. delictum, de reg. jur. in 6.* Graf. *p. 2. decis. lib. 3. cap. 5. n. 38.*

29 Infero decimo quartò, non esse obnoxium censuræ Canonis *si quis* illum, qui jussu Summi Pontificis, vel de ejus licentia, Clericum verberat, vel interficit: Siquidem in hoc Canone prohibetur injuria, quæ minimè infertur ab eo, qui ad id jurisdictionem à Summo Pontifice habet, & facit Tex. *in l. injuriarum actio. §. Is, qui jure publico*; cùm cit. ibi à Gloss. *ff. de injur. & in l. qua jure potestatis, & in l. aut facta, §. Causa. ff. de pœnis.* Præterquam quòd hujusmodi pœna, seu censura fuit à Summo Pontifice imposita; propterea potest à Summo Pontifice tolli, cum ejus sit tollere, cujus est ponere, *arg. cap. Inferior*, juncta Gloss. *dist. 21.* & facit *cap. Proposuit, de concess. præben.* & sic sentit Ugol. loc. cit. *n. 1.*

Infero decimo quintò, Religiosum ad triremes damnatum, debere hujusmodi pœnam, seu verbera, aliaque incommoda patienter sufferre; cùm hujusmodi pœnæ sint suorum delictorum correctivæ; & patienter toleratæ à majoribus, quas pati deberet in Purgatorio, ipsum immunem efficient; hancque patientiæ virtutem facilè posse talem Religiosum damnatum acquirere, & conservare, sedulò considerando, quòd etiam Adam, ob culpam patratam, fuit ad gravissimam pœnam damnatus, Adæ verò dixit. Quia audisti vocem „ 30
Uxoris tuæ, & comedisti de ligno, ex quo præ- „
ceperam tibi, ne comederes, maledicta terra in „
opere tuo, in laboribus comedes ex ea cunctis „
diebus vitæ tuæ: Spinas, & tribulos germinabit „
tibi, & comedes herbam terræ; In sudore vultus „
tui vesceris pane, &c. Et emisit eum Dominus „
DEus de Paradiso voluptatis, ut operaretur ter- „
ram, de qua sumptus est. Ejecitque Adam; „
Et collocavit ante Paradisum voluptatis, &c. „
Gen. cap. 3. Quam Adami pœnam S. Augustinus perpendendo, *lib. 2. de Genesi, contrà Manichæos, cap. 22. tom. 1. pag. mihi 361.* ait „Potest ergò „
videri propterea homo in labores hujus vitæ esse „
dimissus, ut aliquandò manum porrigat ad arbo- „
rem vitæ, & vivat in æternum. Manùs autem „
porrectio bene significat Crucem, per quàm vita „
æterna recuperatur: Quamvis etiam si illo mo- „
do intelligamus, ne manum porrigat, & vivat „
in æternum; non injusta pœna est, post pecca- „
tum, interclusum esse aditum ad sapientiam, „
donec DEI misericordiâ mensuris temporum „
reviviscat, qui mortuus est, ut inveniatur, qui „
perierat. Dimissus est ergò de Paradiso suavi- „
tatis, ut operaretur terram, de quâ sumptus erat, „
id est, ut in corpore isto laboraret, & ibi si pos- „
set, collocaret sibi meritum redeundi. Moratus „
est autem contrà Paradisum in miseria, quæ uti- „
que beatæ vitæ contraria est: Nam beatam „
vitam Paradisi nomine significatam „
existimo. „

✠ ✠ ✠

FINIS LIBRI SEPTIMI.



THEOLOGIA BELLICA, LIBER OCTAVUS.

Difficultates pertinentes ad Bona.

I. DIFFICULTAS.

Existens in Concilio, ubi tractatur de bello, ob injustam Bonorum acquisitionem gerendo, tacet. Dubitatur, num sit culpabilis & ad restitutionem damnorum teneatur.

1 Notandum primò, Concilium, si vocis etymon consideretur, à conciendo, id est convocando, & satis propriè à conciliando, quòd plures sententiæ velut in unam matricè concilientur, deduci; si verò mutatâ litterâ c in s, scribatur, à *con*, & *salio* componi, & sic à consiliendo, quòd nempe plures sententiæ in unam consiliant, id est simul saliant, & conveniant, oriri: Unde Concilium, sive Consilium meritò à Cicerone; *Orat. pro Restio*, Congregatio nuncupatur, ad aliquid cum deliberatione agendum deputata.

2 Notandum secundò, celebriores virorum Principum conventus, ad res arduas in sæculari Reipub. gubernatione statuendas, publicâ, aut legitimâ authoritate convocatos, dici ex antiquâ consuetudine *Comitia*.

3 Notandum tertiò, Consilia esse in duplici differentia, privata scilicet, & publica: Privata, dum inquiritur, quid in rebus propriis sit utile, ad finem optatum consequendum: Publica verò, quæ & Consilia Principum appellantur; variaque esse juxtà materiæ, quæ proponitur, diversitatem.

4 Notandum quartò, septem esse utplurimùm Consilia Principum. Primum est quæstorium, quod Financiarum vocatur. Secundum est Togatum, quod regimen Provinciæ expendit. Tertium est Annonæ, cui incumbit quovis tempore, sive belli, sive pacis, Provinciam de annona providere. Quartum est Jurisprudentum, cujus officium est aliquod prospicere Provinciæ de Magistratibus, Officiis, Rectoribus, Constitutionibus, Legibus, &c. Quintum est Criminale, quod omnium causarum criminalium, quæ ad Principem devolvuntur, cognitionem suscipit, & dijudicat. Sextum est censorium, quod qualitates, & merita subditorum considerat, ne virtus absque præmio remaneat. Septimum denique est militare, quod curam habet de munitione Civitatum, arcium, limitum, de militum stipendiis, exercitationibus, & aliis pluribus.

Notandum quintò, illum dici Consiliarium, 5 qui ad negotia Principis tractanda tamquàm habilis, & idoneus à potestatem habente eligitur, vel deputatur; & Consiliarii habilitatem consistere in pluribus; nempe in ætate matura, non tamen nimis, ne memoriæ, sensuumque vigor flaccescat; in ingenio alacri, & perspicaci, eloquio gravi, historiarum sedulâ instructione, multarum linguarum accuratâ cognitione, politicarum rerum peritiâ, philosophiæ moralis scientiâ, proprii commodi odio, amore publicæ rei, & justitiæ, erga omnes benevolentiâ, & beneficentiâ, morum suavitate; & denique longo rerum usu: Nec non & in specie corporis, ut sit forma, quæ digna sit imperio.

Notandum sextò, quadruplicem esse consensum. Primus est consensus negligentiæ. Secundus est consensus consilii. Tertius est consensus cooperationis, ubi æqualiter punitur consentiens in malum, & faciens, *causa 2. quæst. 11 cap. Notum*, & docet Butr. *in cap. Quarta, de sent. excomm.* Quartus est authoritatis consensus: Quæ omnia optimè explicat juribus, & Doctorum authoritatibus Graff. *p. 1. decis. lib. 2. cap. 64. num. 16.* 6

Notandum septimò, consilium esse aliquid 7 faciendi, non faciendivè rationem excogitatam; consensum verò esse approbationem actus, qui tunc geritur. Ita M. Tullius, *in 2. de invent.* Abb. *in cap. Cum in veteri, num. 7. de elect.* & alii, quos recenset & sequitur Menoch, *conf. 69. n. 15. & 16.*

His adnotatis; ad difficultatem propositam, 8 ad Existens in Concilio, ubi tractatur de bello, ob injustam bonorum acquisitionem gerendo, si taceta

tacet, sit culpabilis, & ad restitutionem damnorum teneatur; negativè videtur respondendum, saltem quoad pœnam, seu restitutionem: Nam illa regula juris *in 6. Qui tacet consentire videtur*, intelligitur, ut explicat Inn. *in cap. in Genesi, de elect.* quando quis tacet in actu honorabili, seu concupiscibili, non verò quando tacet in actu vituperabili, & præjudiciali, & in quo loqui, & contradicere verecundum esset; tunc enim videtur dissentire, ut per Tex. *in l. Filiusfamilias, §. invitus*, & ibi Gloss. *ff. de procur.* Præterea, esto tacens in tali concilio sit culpabilis, non tenetur tamen de damno, quia exteriùs minimè damnificat; Sic sentit Per. Navarr. *lib. 3. de restitut. cap. 4. num. 7.* Præterea, quamvis tacens videatur consentire, & consentiat, nihilominùs ejus consensus non est causa damni, & ideò de damno non tenetur.

9 Fateor, hanc opinionem, quoad pœnam, seu restitutionem, aliquibus visam esse probabilem: Contrariæ tamen, scilicet asserenti indistinctè præsentem in Concilio militari, quando agitur de bello pro injusta bonorum acquisitione gerendo, si tacet, graviter peccare, & de damno teneri, libenter adhæreo cum Pan. *in cap. 1. de his, quæ fiu. à ma. pa. cap & in cap. Continebatur, de his, quæ fiunt à Pral. & cap. in causis, de elect. & cap. 2. de loca.* Felin. *in cap. Cum Bertholdus, de sent. & re jud. & in cap. Cum omnes, de Constit.* Sylv. *in sum, v. Consensus, n. 4.* & aliis.

10 Moveor primò juribus, *in l. de atate, §. qui tacuit, ff. de interrog. act. & cap. Si post prastitum, de confess.* ubi habetur, quòd qui tenetur loqui, & tacet, consentit in ejus præjudicium. Et *cap. Negligere, causa 2. quæst. 7. cap. Non inferenda, causa 23. quæst. 3. cap. Qui potest obviare, ead. cau. & q.* ubi nolens repellere à socio injuriam, si potest, reus declaratur ejusdem vitii, in quo est faciens. *Et d. cap. Continebatur*, & ibi Glos. *de his, quæ fiunt à Pral. & cap. Si servus, 54. Dist.* & aliis juribus, ubi taciturnitas reputatur consensus.

11 Moveor secundò rationibus: Nam ad quemlibet spectat curam habere boni Communitatis, & sic impedire quidquid bono communi repugnat; quod minime facit quicunque tacet. Tum quia Consiliarius suum tenetur exprimere votum ex debito officii, in concernentibus facta Reipub. vocatur enim in consilium à Principe, non ut taceat, sed ut loquatur; adeoque si tacet, quando tractatur de aliquo malo, fit culpabilis, & tenetur de damno. Præterquam quòd, non solùm exequenti actum injustum, tanquàm causæ reali, & physicæ, talis actus imputatur, sed etiam cooperatoribus, qui sunt veluti concausæ morales. Inter autem causas, seu concausas morales enumerari consensum, sententia est communis; & taciturnitatem esse consensum, probant jura allegata, quibus additur dicta *Regula 43. in 6. Qui tacet consentire videtur.* Posse verò excusari à peccato, & à restitutione illum, qui suo consensu proximi cooperatur præjudicio, nemo audebit asserere.

12 Moveor tertiò exemplo, in Famulo Domini, cujus domus habente, puta OEconomo, qui videns conservos, aut extraneos furari res domesticas, si tacet, seu non denunciat Domino, ut suæ indemnitati possit consulere, tenetur de damno; quia ratione sui muneris tenetur nedùm ex charitate, sed etiam ex justitia denunciare. Naldus, *in sum. v. familia, num 4. & v. restituere, num. 16.* & videtur communis DD. opinio, quamvis Martinus Navar. *cons. 4. de furtis*, tacentem excuset, quando loquendo timeret damnum, vel periculum aliquod incurreret. Non aliter censendum est de nostro Consiliario taceote; cùm militet eadem ratio.

Concludimus igitur, Existentem in Consilio, quando tractatur de bello ob injustam bonorum acquisitionem gerendo, circà quod ei competit ex offitio suum exprimere votum, si tacet, non solùm peccare mortaliter, quod est, me judice, indubitatum, sed etiam ad compensationem damnorum teneri. 13

Ad rationes in contrarium respondemus; ad primam, non esse admittendam explicationem regulæ juris, quando ratione officii urget necessitas loquendi; non enim apud prudentes censetur verecundum dissentire in his, quibus ex officio competit apertè contradicere; & in hoc sensu debent intelligi jura ibi allegata. 14

Ad secundam: Negando, nam si tacens non taceret, sed contradiceret, fortè exterior illa damnificatio non sequeretur. 15

Ad tertiam: Pariter negando; quia ex Consiliariorum consensu pendet negotium; aliàs Consiliarii ad rerum executionem, & negotiorum Principis tractationem frustrà eligerentur; & concilium militare in nostro casu superfluè convocaretur. 16

Infero primò ex dictis, quemlibet de Communitate teneri votum suum exprimere in concernentibus facta Communitatis, ex debito officii. 17

Infero secundò, Prælatos, & habentes vocem in Capitulo, peccare, & teneri de damno, tacendo in his, in quibus deberent loqui ex officio. 18

Infero tertiò, quòd incidit in Canonem *si quis* patiens verberari Clericum, & dolosè non prohibens, sive verberans sit illi subjectus, sive non. Burr. *in d. cap. Quanta, de sent. excom. sub num. 8.* ubi vocat hanc opinionem communem; & meritò, nam agentes, & consentientes, quando adest dolus, aut urget prælatio, pari pœnâ ligantur. 19

Infero quartò, non esse admittendam limitationem Bat. *in l. virum, ff. de parti.* ubi vult, quòd solùm teneatur obviare qui est in potestate illius, qui debet offendi, sicut servus, & filius. 20

Inferò quintò, justè puniri conscium criminis læsæ Majestatis, si dolosè tacet: Favet etiam Tex. *in l. quisquis, Cod. de leg. Jul. Majest.* 21

Infero sextò, à fortiori, teneri restituere consentientem suo suffragio, & authoritate; est enim causa damni, sine qua non; vel saltem concausa. Ita etiam Pet. Navarr. *lib. 3. de rest. cap. 4. num. 5.* 22

Infero septimò, culpari eum, qui, videns proximum delinquentem, si poterat loqui reprehendendo, vel vetando, vel consulendo tacuit. 23

Ita

Ita Navar. loc. proximè cit. Graff. *p. 1. decis. lib. 3. cap. 5. num. 131.* unde ait D. Greg. *in cap. Sit rector. dist. 43.* „Quòd sicut indiscreta locutio „in errorem protrahit: Ita indiscretum silentium „eos, qui erudiri poterunt, in errore derelin- „quit.

24 Infero octavò, non excusari à peccato Regulares, habentes vocem in Capitulo, si humano respectu ducti, renuncient voci suæ, quod est tacere, quando vident, quòd anthoritas providendi per hujusmodi renuntiationem, seu taciturnitatem remanet penes eos, qui agunt politicâ, aut passione, non zelo. Ita docet etiam Sylv. loc. cit.

25 Infero nonò incidenter, malè facere Congregatos in unum ad aliquam electionem faciendam, si taceant, seu non vocent absentes Conelectores; quamvis absentia, seu vocatio absentium non sit semper de forma, vel de substantia electionis: cùm contemptus aliquorum non inducat nullitatem electionis, ut in *cap. Quod sicut, & cap. Bona, de elect. &. in cap. Ecclesia,* il secondo, *eod. tit.* & tradit, Sylv, *in sum. v. Electio 2. num. 12.*

26 Infero decimò, teneri Principes plenam relinquere suis Consiliariis loquendi libertatem. Sic Augustus fecit, teste Dion. qui cum suam sententiam dixisset, non modò dabat potestatem omnibus, ut contrà se dicerent; sed etiam factis sæpènumero decretis in contrarium, æquo animo ferebat.

27 Infero undecimò, Principes nihil vel in bellicis, vel in civilibus negotiis debere agere, de quo non priùs conferant cum suis Consiliariis. Ità faciebat M. Antonius Pius, qui dicere solebat: „Æquius est, ut ego tot, taliumque Ami- „corum consilium sequar, quàm ut tot, talesque „amici meam unius sequantur voluntatem, „Sab. *l. 4. n. 7.*

II. DIFFICULTAS.

An justum gerenti Bellum liceat bona tam Nocentium, quàm Innocentium accipere.

1 NOtandum primò, hic controversiam non esse, an liceat justum Gerenti bellum Innocentes spoliare bonis, & rebus, quibus hostes, adversus eum usuri sunt, ut sunt arma, naves, machinæ, & similia; cum communis Doctorum sensus id fateatur: Aliàs enim, ut docet Franciscus à Victoria, *Relect. 6. de jure belli, num. 39.* victoria, quæ finis est belli, haberi non posset.

2 Notandum secundò, bellum esse justum, quando, ut alibi demonstravimus, tria concurrunt; nempè Principis Superiorem non recognoscentis auctoritas, justa causa, & recta intentio. Ita Castr. *in l. ex hoc. jure, num. 6. vers. 3. enim, ff. de just. & jur.* Fumus, *in summ. Armil* in verb. *bellum, num. 15.* & alii, à nobis circà hanc materiam alibi allegati.

3 Notandum tertiò, eum, qui justum gerit bellum, hostium Judicem dici, cùm eorum injuriam possit punire, ut alibi à nobis pariter demonstratum est; & judicem dictum esse à justo, unde Philosophus *5. Ethicor.* dicit, quòd Judex est justitia animata: Et tradit Turrect. *in cap. Justum bellum, n. 5. causa 23. quæst. 2.*

Notandum quartò, appellatione Innocentium, præter pueros, & mulieres, venire Præsbyteros, Monachos, Conversos, Peregrinos, Mercatores, Rusticos, Euntes, & Redeuntes. Ita declaravit Summus Pontifex Alex. III. *in cap. Innovamus, extrà, de treuga, & pace:* Quibus addantur Legati, seu Oratores, *in cap. Paternarum, causa 24. qu. 3.* 4

Notandum quintò, in bello justo aggressivo, ut etiam in tomo primo fusè explicavimus, licitum esse inferre hostibus omnia mala usque ad plenam satisfactionem, & Reipubl. quietem, ut interficere, incendere, occupare, devastare, destruere; si omnia ista necessaria reputantur ad victoriam consequendam, & pacem firmandam; cum Princeps justum gerens bellum sit Judex, finisque belli sit pax, & Reipublicæ tranquillitas. Ita etiam observat Trullen. *tom. 2. in Decal. lib. 5. cap. 2. dub. 5. n. 3.* 5

His adnotatis; ad difficultatem propositam, an justum Gerenti bellum liceat Bona tam Nocentium, quàm Innocentium accipere? videtur negativè respondendum, quia *cap. 23 Exod.* prohibetur interficere innocentes, *Insontem, & justum non occides.* Ex quo sequitur, etiam prohibitum esse innocentium bona accipere. Præterea, belli justi fundamentum est injuria accepta, ut alibi à nobis ostensum est: Nullam autem injuriam inferunt Innocentes, aliàs essent nocentes; atque adeò neque Innocentium bona sunt tangenda, cum nulla sit quoad ipsos injuria vindicanda. Præterea communis Theologorum est sensus, in Civitatis expugnatione non esse pro hostibus habendos, quoad bonorum direptionem, eos, qui partes non sunt hostilis Reipublicæ, ut Peregrini, Mercatores, exteri hospites, & alii, quamvis in terra illius inveniantur, ut per Text. *in cap. Innovamus, de treuga, & pace*: Et docent Franc. à Victor. *Relect. 6. de jure belli, num. 36.* & alii innumeri Theologi, & Canonistæ veteres, & recentiores. 6

Fateor hanc opinionem, quoad aliquos sensus, esse veram, & admittendam, non verò quoad omnes; unde justum Gerenti bellum Innocentium Bona accipere arbitror licere, si hostes recusent res injuriâ ablatas restituere, & Ipsæ læsus aliundè eas recuperare non possit, licere ei inquam, satisfactionem capere, sive à Nocentibus, sive ab Innocentibus; dummodò tamen non comprehendantur etiam Clerici, & Monachi, seu Regulares, & Advenæ, qui excipiuntur *in cap. Innovamus, de tregua, & pace,* Victor. *Relect. 6. de jur. bell. num. 41* Covar. *Regul. peccatum, 2 p. §. 4. num. 4.* Molina. *tom. 1. de justitia, disp. 121. conclus. 4.* Valent. *tom 3. disp. 3 quæst. 16. vers. quintò infero.* Coninch. *disp. 31 dub. 8. num 132.* Fillinc. *tom. 2 tract. 29. in Decal cap. 9. quæst. 5. num. 186.* Castropalaus, *de Charitate, tract. 6. disp. 5. punct. 4. num. 22.* & alii. 7

Moveor primò juribus, *in l. naturalem, §. fin. ff. de acquir. rer. dom.* ubi habetur, ut notat ibi Gloss. capta ex hostibus jure gentium statim capientium fieri; nec distinguit de hosti- 8

bus

bus Nocentibus, vel Innocentibus, & *in cap. Dominus, causa 23. quæst. 2.* ubi dicit August. justa bella definiri, quæ ulciscuntur injuriam, si Respublica vindicare negligat, quod à suis improbè factum est.

9 Moveor secundò rationibus; nam Respublica, sive Princeps, dùm recusat, ut sibi subditi satisfaciant injuriis illatis alteriùs Reipublicæ Civibus; jam est in culpa, quamvis fortè poterit à principio esse inculpabilis, seu sine culpa: Ideoque Respublica, læsa in suis Civibus, poterit ex omni membro,& parte Reipublicæ lædentis satisfactionem accipere, ejus cives insontes bonis quoque privando. Tum etiam, quia accipere bona innocentium potest esse medium pro duplici belli fine obtinendo, nempe pro puniendà Republica, quæ, ut diximus, quod tenebatur vindicare, neglexit, in rebus, quæ subsunt universali dominio, suntque bona civium ipsius etiam insontum,ut docet Bannes,*in 2. 2.D.Thom. q. 34. art. 1. dub. 11. ad 4.* & pro pace magis stabilienda, hoc modo auferendo, aut saltem debilitando hostium, seu hostilis Reipublicæ vires, si videatur usura rebus suorum civium ad inferendam injuriam, bellum continuando, ut inquit Valentia, loc. cit.

10 Moveor tertiò exemplo, in Principibus, qui licitè, ut tenent Sylv. *in summ. verb. Repressalia, quæst. 1. fin.* Vict. loc. cit. *num 41.* Covar. *Relect. in cap. Peccatum, §. 9. num. 4.* in fin. & alii. dant litteras marcharum, aut repressaliarum, quibus potestatem suis Civibus concedunt expoliandi quoscumque cives alteriùs Reipublicæ, pro compensatione rerum sibi ab ejus Reipublicæ Civibus injustè ablatarum, seu ut possint recuperare bona sua etiam ab innocentibus.

11 Concludimus igitur, fas esse justum Gerenti bellum per accidens saltem bona tam nocentium, quam innocentium accipere, exceptis bonis eorum, qui excipiuntur *in cap. Innovamus*, suprà citato, *de treuga, & pace*; fasque proinde Principi, cui læsi subduntur, concedere illis, aut aliis suis subditis, ut repressalias, seu impignorationes faciant in bonis subditorum alterius Principis usque ad debitam compensationem; quamvis bonorum privationem patientes in culpa non fuerint.

12 Ad rationes in contrarium respondemus; ad primam, concedendo nunquàm licere per se, & ex intentione interficere innocentes; negando verò per accidens, & præter intentionem, ut alibi dictum est; Et sic de bonorum innocentium direptionem.

13 Ad cæteras, patet responsio ex dictis; nam estò non fuerint in culpâ innocentes; nocens est tamen Respublica, quæ in eis, seu in eorum bonis potest puniri, ut demonstratum est.

14 Infero primò ex dictis, in bello justo bona innocentium non posse accipi, nisi positis conditionibus debitis, quas refert Castropalaus loc. cit, inter quas est, ut priùs moneatur Superior illorum, qui injuriam intulerunt, ut fieri satisfactionem procuret.

15 Infero secundò,quando bellum est perpetuum, licere indifferenter expoliare omnes apud hostes, tam nocentes, quàm innocentes, qui aliquo speciali jure non excipiuntur ad debilitandum hostium vires, cùm ex bonis etiam innocentium injustum postea foveant bellum.

Infero tertiò, licere in bello justo non solum palam, & apertè, verum etiam per insidias, & varia stratagemata accipere innocentium bona, cùm tali modo licitum sit procurare victoriam. 16

Infero quartò, Peregrinos, Hospites, aliosque transeuntes, qui jure naturali exempti sunt à damnis, posse licitè suis bonis privari,si fortè nocentes sint. Ita etiam tradunt alii, inter quos Filliuc, loc. cit. *num. 187.* 17

Infero quintò, universaliter loquendo, licitum esse in bello justo deprædari Innocentes, ut hostium vires atterantur, & debilitentur. Ita etiam Suarez, *de charit. disp. 13. sect. 7. num. 14.* Molina, *tom. 1. de just. tract. 2. disp. 121.* 18

Infero sextò, hostes, qui suâ culpâ fuerunt causa occupationis bonorum Innocentium, teneri ad restitutionem; unde quando Respublica læsa pacisci tur cum Republica hostili, ut præstet ei condignam satisfactionem pro damnis acceptis, simul debet pacisci, ut restituat Innocentibus, quæ illis sua culpa ablata fuot, sic etiam Diana, *tom. 7. tract. 7. de bello, res. 26. num. 4. & 6.* ubi alios citat. 19

Infero septimò, possessiones, quæ possidebantur ante tempus belli, esse, pace factâ, antiquis Dominis restituendas, nisi tamen spectarent ad Imperium. Boss. *tit. de restitutionibus, quæ fiunt à Princip. num. 8.* Afflict. *in cap. 1. in 6. nota. num. 36. hic finitur lex Frider.* Angel. *in l. penul. Cod. de capt. per post. lim. revers.* Menoch. *cons. 103. n. 4.* ubi citat Bal. & alios. 20

III. DIFFICULTAS.

An durante bello justo inter duos Principes, liceat hostibus justè bellantibus spoliare Ecclesiasticos bonis suis.

NOtandum primò, Bona Ecclesiæ esse Patrimonium Christi, *cap. Cum ex eo, de elect. in 6.* & scribunt Fel. & Dec. *in cap. Constitutus, de rescrip.* & successivè Christo donari,quæ Ecclesiæ, sive Clero dantur; & hujusmodi donationem Christo placere, ejusque dispositioni, seu regulæ conformari, quod temerè negavit Joan. Wicleff. dicens, *Dotare Clerum esse contrà regulam Christi*, qui est articulus 32. inter damnatos in Concilio Constantiensi, *Sess. 8.* 1

Notandum secundò, duo requiri, ut Bona Ecclesiæ tutò possint alienari, & distrahi; formam scilicet, seu solemnitatem, & justam causam. Ita statuit Leo Pontifex Maximus, *in cap. Sinè exceptione, causa 12. quæst. 2.* & scribit Rota Rom. *in decis. 65. num. 1. & in decis.* 160. *in 2. part. in novis editis.* 2

Notandum tertiò, esse quidem certum apud omnes Doctores, Theologos, Canonistas, Juristas Ecclesias,& Ecclesiasticos exemptos esse ab oneribus Laicalis Potestatis, sed esse controversum, an hujusmodi exemptio sit de jure divino,an de jure humano. Esse de jure divino affirmant Gloss. *in cap. Quamquam, de Censibus, in 6. & in cap. Si Im-* 3

Imperator. dist. 96. Abbas, *in cap. Non minùs, de censib. num.* 17. Felin. *in cap. Ecclesia Sancta Maria, de Constit. num.* 17. Archidiac. Anchar. Gemin. Imol. Philip. Card. *in d. cap. Quamquàm*, & alii. Esse verò de jure humano, nimirum privilegio, vel donatione Imperatorum, accedente postea Decreto Summi Pontificis confirmante, vel potiùs decernente, tenent Medina, *tract. de reb. restituendis, qu.* 15. Sot. *in 4. dist. 25. qu. 2. art. 2. conclus. 3.* Franc. à Victoria, *Relect. de potest. Eccles. sect. 7. q.* incip. *Utrum Ecclesiastici sint empti à potestate Civili* Covar. *in pract. quast. 2. cap. 31. num. 2. conclus. 2.* & ita sentire videtur D. Thom. *in comment. super. Epist. ad Roman. cap.* 13.

4 Notandum quartò, Ecclesiasticos esse quidem partem Reipublicæ, sed partem constituere omninò distinctam à Republica Civili; & ideò hujus dispositioni non esse subjectos; neque Sæcularium delicta, etiam publica auctoritate commissa, iis nullo modo posse imputari, aut in eorum gravamen cedere, ut tradunt communiter Canonistæ, Juristæ, & Theologi, inter quos Diana, *tom. 7. tract. 7. de bello, ref. 36. n. 7. & 8.*

5 His adnotatis, ad difficultatem propositam; an, durante bello justo inter duos Principes liceat hostibus, justè bellantibus spoliare Ecclesiasticos Bonis suis, affirmativè videtur respondendum; quia durante justo bello, omnia licent contrà Rempublicam hostilem, & sic licebit bonis suis spoliare Ecclesiasticos, qui sunt partes illius Reipublicæ. Prætetea, licitum est hostium vires debilitare; & sic licitum erit spoliare Ecclesiasticos bonis suis, ne eis, in longum procedente bello, hostium vires augeantur, vel conserventur. Præterea, cùm Ecclesiastici sint pars Reipublicæ, possunt eorum bona compensationis gratiâ auferri.

6 Veritas tamen est, extrà duos casus, infrà exprimendos, nullo modo licere, durante bello justo, hostibus juste bellantibus, Ecclesiasticos Bonis suis, sive immobilibus, sive mobilibus spoliare. Valentia *tom. 3. dis. 3. q. 16. punct. 3. vers. hic autem*, Suarez, *disp. 13. de charit sect. 7. n.* 14. Bonac. *disp. 2. de restitut. q ult. sect. 1. punct.* 12. *§. 3. num.* 18. Molina, *tom. 1. de just. disp.* 121. *conclus.* 5. Filliuc. *tom. 2. tract. 29. cap 9. n.* 187. Becan. *de charit. cap.* 25. Malder. *in. 2. 2. q. 40. art. 1. dub. 6. asser.* 5. & alii innumeri, quos recenset, & sequitur Diana, *tom. 7. tract 7. de bello, ref. 27. n. 2.*

7 Moveor primò juribus, *in cap. Si Imperator, dist. 46. cap. Ecclesia Sancta Maria, de Const. cap. non minus, de immunit. Eccles.* ubi habetur, Personas Ecclesiasticas non posse à Laicis tangi, neque quoad personam, neque quoad bona; & aliàs faciendo, istos grave committere peccatum, & Ecclesiasticas censuras incurrere.

8 Moveor secundò rationibus, nam bona Ecclesiasticorum sunt exempta à jure, sive divino, sive humano, ut notavimus; Et ideò neque in bello justo possunt à militibus surripi. Tum quia Ecclesiastici nullatenùs censentur, quoad illud bellum, pars Reipublicæ, neq; eorum bona faciunt unum quid cum bonis Reipublicæ, ut docet Arriaga, *in Cur. Theol. Tom. 5. dis. 48. sect. 4. n* 50, atque ita non debent, ob delicta aliorum, etiam publica auctoritate commissa gravari. Et denique in Psal. 104. *n.* 15. habetur; imò præcipitur: *Nolite tangere Christos meos:* Et hi Christi communiter interpretantur, seu intelliguntur Ecclesiastici, qui Christo singulariter sunt dicati.

9 Moveor tertiò exemplo; primò, in Philisthæis, hostibus Judæorum, qui non nocebant Collegio Prophetarum, quod erat Gabæ, 1. Reg. 10 5. & 10. secundò in Cretensibus, qui teste Plutarcho, cùm bellis intestinis collideventur, omnia noxia abstinuerunt à Sacerdotibus: Tertiò denique, & magis propriè, in tot militibus timoratæ conscientiæ, qui nullatenùs audent in bello, quamvis justissimo, Ecclesiasticos tangere, scientes, vel saltem credentes, iis, favere Sacros Canones, naturalem æquitatem sequentes: Quodque etiam ipsimet Hæretici cognoscunt, & testantur, & inter eos, Hugo Grotius, *de jure belli, lib. 3. cap. 11. num.* 10. licet sit auctor damnatus,

10 Concludimus igitur, nullatenùs licere in bello justo, & multò minùs injusto, hostibus justè bellantibus Ecclesiasticos, sive Regulares, sive Sæculares, suis bonis, cujuscunque conditionis sint, spoliare; & ab illis bona auferendo, & ut auferant, eorum corpora exquirendo, peccare lethaliter, & incidere in Canonem *si quis suadente Diabolo, causa 17. q. 4.* & ad restitutionem bonorum ablatorum teneri.

11 Ad rationes in contrarium respondemus: Ad primam concedendo ant. & negando consequentiam; quia, quamvis Ecclesiastici sint pars Reipublicæ, constituunt tamen partem omninò distinctam à Republica civili, ut notatum est; unde propter ejus culpam puniri non debent.

12 Ad secundam, & tertiam, patet responsio ex dictis; Bona enim Ecclesiasticorum sunt bona Innocentium, quæ, ob delictum alteriùs, occupari non possunt, cùm sint specialiter DEO dedicata, & à jurisdictione sæculari exempta.

13 Infero primò ex dictis, non solùm bona, quæ habent, & colunt Ecclesiastici, sed etiam eorum fructus gaudere immunitate, ut etiam per Tex, *in d. cap. Quamquàm, de censib. in 6. & d. Cap. Non minus, extrà de immunit.* & tradit Boss *tit. de Principe, & privilegio num.* 178. ubi alios recenset.

14 Inferò secundò, omnem injicientem manus violentas in personam Ecclesiasticam, fieri excommunicatum ipso jure, etiam vitandum, si hujusmodi violenta manuum injectio fuerit publica. Ita etiam docet Turrecrem. *in cap. Si quis, §. Ad primam. causa 17. q. 4.*

15 Infero tertiò, Bona Ecclesiæ, ob delictum Clerici, publicari non posse; nec ita Fisco Sæculari inferri. Oldrad. *in cons. 17. Them. n. 4.* Ctav. *in cons. 118. n. 6.* & alii.

16 Infero quartò satis piè, privilegio immunitatis gaudere etiam bona quorumcunque sint, si in Ecclesia ad custodiam reponantur, Sylv. *in sum.* in verb. *bellum 3. n. 6.* in fin. Suarez, loc. cit. *n.* 14. & alii apud Dianam, loc. cit *n. 8.*

17 Infero quintò, existente bello inter duas Supremas Potestates, non licere uni ex iisdem potentiis Ecclesiasticos alterius Potentiæ capere, ac eorum bona auferre; aliter autem facientem peccare peccato furti, & vinculo excommunicationis ligari, cum onere restitutionis.

18. In-

18 Infero sextò, quando aliqua Civitas militibus in prædam permittitur, cum facultate omnia bona diripiendi, teneri Duces cavere, ne res personarum Ecclesiasticarum diripiantur, cum Ecclesiasticæ personæ non sint membra Reipublicæ, & Populi inimici; aliàs teneri ad restitutionem. Ita etiam Theophilus Alarius, *in Can Conscientia*, *lib. 7.* verb. *bellum*, *n. 8.* & citat Angelum, verb. *bellum*, *num. 1.*

19 Infero septimò, Clericos, in conflictu belli actu pugnantes, posse quidem antè partam victoriam, & bonis spoliari, & vitâ privari, non verò post obtentam victoriam. Sic Ledesma, *in sum. tom. 2. tract. 3 cap. 13. conclus. 58.* Candidus, *tom. 1. disquis. 17. art. 8. dub. 2.*

20 Infero octavò, sive exemptio Clericorum sit de jure divino, sive de jure humano, Principes Sæculares non posse auferre Clericis hanc libertatem, vel exemptionem, quia potestas Principum est tota à Republica; Christiana verò Respublica tota jam in hanc libertatem Ecclesiasticorum consensit. Ita Doctores, inter quos Franc. à Victoria, *Relect. 1. de potestate Ecclesiæ, num. 7.*

21 Infero nonò, litteras, quæ vocantur Repressaliæ, quæque tempore belli dantur à Principe, quibus concedit suis Civibus potestatem expoliandi quoscunque Cives alterius Principis pro compensatione rerum sibi ab ejus Republica, aut Civibus sibi subditis injustè ablatarum, non extendi ad Personas Ecclesiasticas, seu non facere jus expoliandi etiam Clericos; patet ex *cap. unic. de injuriis, lib. 6.* & tradit. Sylv. *in summa*, verb. *Excommunicatio 9. num. 62.* Valentia, *tom. 3. disp. 3. quæst. 16. punct. 3.* vers. *Propter quas causas.*

22 Infero decimò, justè excommunicari Concedentes repressalias contrà Personas Ecclesiasticas, vel bona ipsarum; vel generaliter concessas prætextu cujusvis consuetudinis ad easdem extendentes, ut habetur *in d. cap. unic. de injuriis, lib. 6.*

23 Infero undecimò, Communitatem, seu Universitatem subjacere interdicto, si concedat dictas repressalias contrà Personas Ecclesiasticas, aut ipsarum bona. Sylv *in sum. verb. Excommunicatio 9. q. 7. num. 62.* ubi alios allegat.

24 Infero duodecimò, minimè licetè, ut alibi innuimus, potestati Laicæ privare Personas Ecclesiasticas rebus, sive sint frumentum, sive animalia, sive pecuniæ, & similes, quas extra Regionem exportant contrà legem Principis, id prohibeotem fieri sub pœna commissi; cùm Ecclesiastici non subdantur legibus Principis, secundùm vim coactivam, sed ad summum, secundùm vim directicam. Ita etiam tenent. Azot. *p. 3. Inst. moral. lib. 5. cap 19. qu. 13.* Alter. *de censur, tom. 1. disp. 16 num. 5. cap. 5.* in fin. Megalius, *in 3. p. lib. 3. cap. 11. num 36.* & alii, quos recensent, & sequitur Thom. Del Bene, *p. 2. de immunit. cap. 9. dubit. 16. num. 1.*

25 Infero decimo tertiò, in duobus tantùm casibus licitum esse nocere rebus Ecclesiasticis per milites justè bellantes; In primo, quando Ecclesiastici simul cum Laicis bellant, faventque hostibus; In secundo, quando Ecclesia est incastellata, id est, more castri munita, quod fieri prohibetur *in cap. Sanctorum Patrum, causa 30, quæst. 1.* In cæteris casibus semper illicitum est nocumentum, quod Ecclesiasticis, aut eorum bonis infertur, ut videre est apud Doctores, præsertim Dian. loc. cit. *num. 9.*

IV. DIFFICULTAS.

An Clerici, qui bello intersunt, ut subsidia spiritualia Bellantibus ministrent, possint licitè spolia Adversariorum accipere, & sibi retinere.

Notandum primò, Clericis in Sacris Ordinibus constitutis, & quibuscumque Monachis, etiam Laicis, jure Ecclesiastico prohiberi bello interesse ad pugnandum, ut constat *ex cap. Quicunque Clericus, cap. Clerici, cap. Quicunque ex Clero, causa 23. quæst. 8.* & ex aliis juribus, per nos alibi relatis ad hujus asserti probationem. 1

Notandum secundò, Monachis, & Clericis sacratis licere ex licentia Summi Pontificis manu propriâ pugnare in extraordinario casu necessitatis, ut alibi explicatum est, & docet Valentia, *tom. 3 disp. 3. q. 16. de bello, punct. 4. vers. secundò, certum est.* 2

Notandum tertiò, posse Clericos, & Religiosos de licentia expressa, vel tacita Superioris, bello justo interesse, causâ ferendi Militibus subsidia spiritualia, eosque consolandi; cùm hujusmodi officia non sint aliena à Clericorum statu. Valentia loc. cit. Diana, *tom. 7. tract. 7. de servis, Ref. 61.* ubi alios allegat. 3

Notandum quartò, Clericis, quamvis per se ipsos non possint bellare, licere tamen suadere bellum justum, & ad illud inducere. Ita D. Tho. *2. 2. quæst. 40. art. 2. ad 3.* Molina, *tom. 1. de just. tract. 2. disp. 108.* & colligitur claré *ex cap. Igitur, & quatuor seqq. causa 23. q. 8.* 4

Notandum quintò, eâ voluntate saltem præsumptâ Superioris, Clericis licere bello interesse, non solum ut Milites juvent in spiritualibus, eorum confessiones audiendo, eis Eucharistiam ministrando, eosque ad pietatem exhortando, ut jam notavimus, sed etiam, ut Milites hortentur ad fortiter pugnandum contrà iniquos hostes, præsertim Infideles; modò in particulari non dicant, interficite, mutilate hunc, vel illum. Molina, loc. cit. *vers. His non obstantibus*, Coninch. *disp. 31. de bello, dub. 6. n 88.* 5

Notandum sextò, Clericos in Sacris constitutos nec non & Religiosos, esse valdè utiles exercitui, immò esse & partem exercitus, non minùs quàm Milites. Valentia, loc. cit *vers. sextò, certum est*, Molina, loc. cit. *vers. Duo superfunt.* 6

His adnotatis, ad difficultatem propositam, an Clerici, qui bello intersunt, ut subsidia spiritualia Bellantibus ministrent, possint licitè spolia adversariorum accipere, & sibi retinere, negativè videtur respondendum: Nam spoliare hostes, seu hostium spolia accipere, spectat ad Milites, qui pugnant, non ad Clericos, quibus interdictum est à juribus pugnare. Præterea, 7

Extravagantibus Pauli tertii, Julii Tertii, Pii Quinti, Gregorii XIII. sancitum est, spolia omnia Clericorum ad Cameram Apostolicam pertinere: Et appellatione spoliorum Clericorum veniunt, inter cætera, quæ illicitâ negotiatione, aut quocunque alio modo illicito à Clericis acquiruntur; atque adeò Clerici nec accipere, nec retinere hostium spolia licitè possunt, aut saltem de illis non possunt disponere.

8 Contrarium tamen, quod veriùs, & probabilius esse arbitramur, est sustinendum; dummodò constet de expressa, vel tacita Ducis, aut Principis exercitus voluntate. Molina, *tom. 1. de just. tract. 2. disp. 108. vers. penult. Duo supersunt.* Dicastil *de just. lib. 2. tract. 1. disp. 10. num. 489.* Laym. *lib. 2. tract. 3. cap. 12. num. 20.* Diana, *tom. 7. tract. 7. de Bello, Ref. 62.* & alii communiter, asserentes, res mobiles, captas in bello justo, effici capientium, & ab eis justè possideri, ut D. Th. *lib. 3. de regim. Principum, cap. 11.* Adrian. *in 4. in materia de restitut. §. Aggredior casus speciales.* Victor. *Relect. 6. de jur. belli, n 51.* Covar. & alii.

9 Moveor primò juribus, *in cap. Jus gentium, 1. Dist. & l. Hostes, & l. si quid in bello, ff. de captivis, & instit. de rer. divis. §. Item ea, quæ ab hostibus*, ubi dicitur, quod jure gentium, quæ ad hostibus capiuntur, statim nostra fiunt. Et cùm jura indistinctè loquantur de capientibus, non debemus excludere Clericos, Exercitui licitè servientes, præsertim cùm simus in favorabilibus.

10 Moveor secundò rationibus, quia Clerici, Exercitui assistentes in rebus spiritualibus, sunt pars Exercitus, & valdè utiles Exercitui, ut notavimus; atque adeò non debent excludi ab his, quibus Milites gaudent. Tum quia Clerici, subsidia spiritualia ministrando valdè laborant, multa patiuntur, & periculo mortis sese exponunt. Fas igitur est, ut sentiant commodum, qui incommoda sentiunt, juxtà regulam juris, *cap. Qui sentit, in 6.* Deindè Adversarii æqualiter sunt hostes Clericorum, bello inservientium, ac Bellantium; & idcò Clericis licet Adversariorum spolia accipere. Prætterquam quod, DEUS ipse Deuteron. 25. de Civitate expugnanda, dicit: *Omnem prædam exercitui divides, & comedes de spoliis hostium tuorum.* Exercitus verò componitur ex Militibus, & Clericis adjuvantibus Milites in rebus spiritualibus, nec non in exhortationibus ad pugnandum, juxta notata; Et sic, dum Clericos à spoliis, commodisque belli DEUS ipse minime excludit, nec nos excludere illos debemus.

11 Moveor tertiò exemplo, seu potiùs praxi quotidianâ. Scimus enim Clericos, nec non & Religiosos bello de expressa, aut tacita Superioris licentia interessentes, ut subsidia spiritualia Militibus ministrent, hostium spolia accipere, & absque scrupulo ea sibi retinere. Ita restantur plures Clerici, qui in bello fuerunt, mihique quoque res perpulchras, ab hostibus in bello captas, exhibentes.

12 Concludimus Igitur, Clericis, existentibus in Sacris, nec non & Religiosis, qui, consentiente Superiore, bello intersunt causâ juvandi Milites in spiritualibus, hostium licere spolia accipere, & sibi retinere, sub dominio tamen proprii Superioris, loquendo de Religiosis dummodò constet de Ducis, aut Principis Exercitus voluntate; & quando aliud non constat, posse hujusmodi Clericos præsumere eam esse, ut quod acceperint, suum id efficiant, non secùs ac si Milites essent.

Ad rationes in contrarium respondemus: Ad primam, patet responsio ex dictis; cùm Clerici non minùs sint pars Exercitus, & Exercitui utiles, quàm Milites. 13

Ad secundam, quòd juta allegata nobis non obstant, quia nostra difficultas procedit de Clericis, quando licitè bello intersunt, & quando præsumitur voluntas Ducis, aut Principis, ut quod diripuerint, suum efficiant. 14

Infero primò ex dictis, in casibus, in quibus de licentia Superioris Clericis, & Religiosis bellare licet, etiam eis licere expoliare hostes, eos occidere, & alia facere, quæ jure belli possunt facere alii Milites. Ita docet etiam Gregorius Valent. loc. cit. *vers. Tertiò, certum est.* An verò in eo casu Clerici occidentes fiant irregulares, alibi à nobis decisum est. 15

Infero secundò, Clericos, qui absque licentia expressa, vel rationabiliter præsumpta, intersunt bello, graviter peccare contra obedientiam Ecclesiæ, & decentiam status. 16

Infero tertiò, Clericos assistentes in bello justo sine debita licentia, & contra Canonicam prohibitionem præliantes, peccare, & teneri restituere spolia ab hostibus accepta contrà expressam Ducis, aut Principis Exercitus prohibitionem, nec non resarcire, quod nocumentum hostibus intulerint. Angel. in verb *Bellum*, Sylv. eod. verb. *1. quæst. 9. conclus. 2. & 3. q. 4.* Secùs verò, quoad restitutionem, quando hujusmodi Ducis prohibitio non extat. Diana, *tom. 1. tract 7. de bello, ref. 63.* 17

Infero quartò, Clericos, dum pugnant, posse spoliari, & occidi; cùm sint pars Exercitus, sed partâ victoriâ, si non timetur periculum futurum, nec spoliari posse, nec occidi, quamvis pugnaverint; cùm Princeps extrà actualem conflictum non sit eorum Judex. Joan. de la Cruz, *in Direct. Conscient. p. 1. precept. 5. art. 3. conclus. 3.* Bannes, *in 2. 2. D. Tho. q. 40. art. 2. dub. ult.* Diana, loc. cit. *Ref. 64.* 18

Infero quintò, Capitaneo Generali intercidente Militibus spolia, nolente hostem tam acerbè plectere, nec ad egestatem reducere, teneri quoscunque Milites, si quid contrà Capitanei legem rapuerint, restituere; cùm pœna non possit infligi, nisi per sententiam Judicis, qui est Capitaneus Generalis, non verò Miles. Hurtad. de Mendoza, *volu. 2. disp. 169. sect. 13 §. 130.* Secùs verò, si fuerint à Capitaneo spolia interdicta, non in favorem hostium, sed ne spoliorum onus retardet Milites ab insequendo hostes, & ab assequenda victoria: Tunc enim peccare contrà obedientiam, asserunt Doctores, non verò contrà justitiam, & idem dicendum est de Clericis. 19



V. DIF-

V. DIFFICULTAS.

An omnia bona, quæ Miles filiusfamilias justè acquirit, ad eum pertineant quoad proprietatem, & usumfructum.

1 NOtandum primò, bonorum appellatione mobilium, atque immobilium, simpliciter & proprie loquendo, non venire jura, & actiones, quæ tertium constituunt bonorum genus, ab eis distinctum, ut constat ex *l. A Divo Pio*, § *in venditione*, *ff. de re judicata*, & *l. Quam Tuberionis*, § *peculio*, *ff. de peculio*: In lata verò significatione, comprehendi non solùm mobilia, & immobilia bona, sed etiam jura, & actiones, probat Tex. *in l. Nam quid*, §. *ult.* & *l. legatus*, *ff. ad Trebell* & aliis juribus per Arium Pinel. *in rubr. de bonis mater. par. 1. num. 2.* cumulatis: Et tradunt Parisius, *in conf. 96. num. 14. num. 2.* Berojus, *in cap. Nulli, num. 69. de reb. Eccles. non alien.* & alii, quos refert Menoch. *conf. 231. n. 49.*

2 Notandum secundò, quòd peculium est pusilla substantia, vel pecunia sep rata à rebus, vel ratiociniis Patris, vel Domini, data, vel promissa filio, aut servo, *l. Depositi*, *ff. de peculio.* Et tradunt Sylv. & alii Summistæ communiter, verb. *peculium.*

3 Notandum tertiò, peculium quadruplex esse, Castrense, Quasi castrense, Adventitium, Profectitium, ut communiter distinguunt Jurisperiti, & Theologi; inter Jurisperitos, Bar. Alex. & alii, quos producit, & sequitur Card. Albanus, *in Lucubrat. in Bart. in l. 1.* §. *nec castrense*, *ff. de colla bono.* Castrense esse, quod filiusfamilias acquirit militando, ut sunt stipendia Militum, & omnia bona, tam mobilia, quàm immobilia, acquisita ex tali pecunia, vel militia, ut sunt prædæ ex hostibus, vel per donationem factam à Parentibus, vel quibuscunque aliis intuitu militiæ, *ut in l. 1. Cod. de Castrens. peculio*, *lib. 12. de Castrensi*, *ff. eod. tit.* Quasi Castrense esse, quod filiusfamilias ingenio, & industriâ acquirit ad similitudinem militiæ, ut ex artium liberalium professione, vel ex publico munere, ut puta Advocati, Medici, Judicis, Prætoris, Lectoris, ut habetur *in l. Advocati*, *Cod. de Advocat. divers. Judic.* nec non & Clericatus, ut habetur *in l. Sacrosancta*, *Cod. de Episc. & Cler.* Adventitium esse quidquid obvenit filio aliunde; quàm ex re patris, vel propter patrem; puta, ex prospera fortuna, ut ex bonis maternis, vel ex donatione, aut ultimâ voluntate etiam extraneorum, *l. Cùm oportet*, *Cod. de bonis*, *qua liber.* & *tot. tit. Cod. de bon. mater.* Profectitium, tandem esse, quod ex bonis patris, vel ex ejus occasione acquiritur, non habitâ ratione personæ, laboris, vel industriæ filii; *ut d. l. Cùm oportet*, ubi Gloss. Batt. & alii.

4 Notandum quartò, patriam potestatem esse à jure gentium, & à natura; eamque majoris fuisse roboris, quàm fuerit Dominorum in servos: Atque adeò scimus, patrem jus vitæ, & necis habuisse in filium, *l. ult. Cod. de patria potest.* & tradit Menoch. *de recuper. possess. remed. 15. num. 300.*

His adnotatis; ad difficultatem propositam, an omnia bona, quæ Miles filiusfamilias justè acquirit, ad eum pertineant quoad proprietatem, & usumfructum, videtur respondendum, nulla bona neque castrensia, neque quasi castrensia, neque adventitia, neque profectitia, nec quoad proprietatem, neque quoad usumfructum ad eum pertinere; nam filiusfamilias ex eo, quòd Miles sit, patriam non egreditur potestatem, ut habetur §. *Filiusfamilias Inst. quib. mod. jus patr. potest. sol.* & *l. 2.* & *3. Cod. de Castrens. pecul. lib. 12.* & *in l. ult. Cod. de testam. milit.* ubi habetur, filiumfamilias non posse de peculio castrensi testari, neque illud donare, aut alio modo alienare; & multò minùs de peculio quasi castrensi. Præterea loquendo de peculio adventitio, ususfructus est patris. *d. l. Cum oportet*, *Cod. de bonis*, *qua liber.* & *tot. tit. Cod. de bon. mater.* Denique, loquendo de peculio profectitio, dominium hujus semper est apud Patrem, nec filius potest de illo disponere, ut per Tex. *in l. 3.* §. *sed utrùm*, *vers. proindè*, *ff. de minorib.* & ideò ad Militem filiumfamilias nulla bona pertinent, nec quoad proprietatem, noc quoad usumfructum. 5

His tamen minimè obstantibus, asserimus; ad Militem filiumfamilias quoad bona Castrensia, & quasi Castrensia, pertinere proprietatem, usumfructum, & administrationem; quoad adventitia, totam proprietatem, non usumfructum; quoad profectitia regulariter nullo modo pertinere dominium. Molina, *tom. 1. de just. tract. 2. disp. 230.* Trullench, *in Decal. lib. 7. cap. 2. dub. 3. num. 5. & 6.* Menoch. *in conf. 1058. n. 6.* & *de recuper. possess.* loc. cit. Molsef. *in summa, p. 2. tract. 12. cap. 2. à num. 26.* Tho. Tamb. *in Decal. lib 1. cap. 3. de conscientia*, *lit. P.* Crispold. *in casib. militar. cas. 45. num. 14.* & communiter Doctores. 6

Moveor primò juribus, quoad bona Castrensia, *in l. miles præcipua*, §. *actionem*, *l. sequenti*, *l. ex nota*, & *l. pater*, *qui dat*, *ff. de Castrens. pecul. l. 2.* & *3. Cod eod. tit.* & aliis juribus: Quoad quasi Castrensia, *in d. l. Advocati*, *Cod. de Advocat. diver. Judic.* & *d l. Sacrosancta*, *Cod. de Episc. & Cler.* & quoad adventitia: *d. l. eum oportet*, *Cod. de bonis*, *qua liber.* & *tot. tit. de bon. mater.* 7

Moveor secundò rationibus: Nam filiusfamilias de bonis Castrensibus, & quasi Castrensibus potest disponere per donationes & contractus, imo etiam per testamentum, completis quatuordecim annis, sicut statuit Justinianus, *in Auth. ut liceat Matri*, & *Avia* in princ. & tradunt Batt. Ibid. Castrens. *in consil. 381.* Menoch. *in conf. 1058 num. 6.* Deindè, si parens de hisce bonis aliquid sibi usurpet extrà necessarium in filio alendo, tenetur ad restitutionem, si filius velit; & si filius non speret parentem restituturum, potest uti occultâ compensatione, vel defuncto parente eam petere ab hæredibus, ut docent Lessius, Sayr, Sanchez, quos recenset, & sequitur Trulleu. loc. cit. Quod ostendit bona Castrensia, & quasi Castrensia, quoad proprieta- 8

prietatem, & usumfructum, esse penes Militem filiumfamilias quoad verò proprietatem peculii adventitii, patebit ratio ex dicendis in responsis ad objecta.

9 Moveor tertiò exemplo, seu praxi quotidianâ. Videmus enim à Militibus filiisfamilias disponi independenter à Patre, & aliis de eorum bonis Castrensibus, & quasi Castrensibus in donationibus, in venditionibus, in permutationibus, aliisque contractibus, nec non in ludo; & non ratò in aliis pejoribus rebus, quas DEUS impediat. Et omnes donationes, cæterique contractus, per eos circa hujusmodi bona firmati, ut validi, dummodò in solemnitatibus juris non deficiant, apud omne Tribunal habentur.

10 Concludimus igitur, ad Militem filiumfamilias, & ad quosvis alios filiosfamilias pertinere, quoad proprietatem, & usumfructum, bona Castrensia, & quasi Castrensia, quoad verò adventitia, dumtaxat directum dominium; quoad verò profectitia, dominium nullateoùs pertinere; cum dominium directum, & utile sit apud parentes.

11 Ad rationes in contrarium respondemus: Ad primam concedendo, filiumfamilias ratione militiæ non egredi patriam potestatem; sed negando non posse de peculio Castrensi, & quasi Castrensi disponere, dummodò pubes sit, ut constat *ex l. Ex militari*, §. *si filius*, *& l. si certarum*. §. *si pater*, *& l. miles*, *cum l. seq. ff. de milit. testam.* & tradunt Cotor. *de jur. milit. lib. 2. cap. 13.* Bellin. *de re milit. p. 7. tit. 1. n. 4.* Cabal. *cas. 294. n. 367.* & alii.

12 Ad secundam, concedendo pariter, Filium, quamdiu est sub patria potestate, non habere usumfructum, & utilitatem peculii adventitii, nisi in sex casibus, quos enumerat Trullen. loc. cit. *num. 6.* & Molf. loc. cit. *num. 28.* quique à nobis omittuntur, nostræ brevitati studentibus.

13 Ad tertiam; fatemur & nos, apud patrem esse dominium peculii profectitii, ut sunt illa bona, quæ Parentes concedunt filiis ad negotiandum: Vel quæ filio alii donant intuitu amicitiæ, vel obsequii patris.

14 Infero primò ex dictis, effici bonum Castrense id, quod emitur ex bonis Castrensibus, *l. 1. Cod. de pecul. castrens. lib.* 12. & quidquid acquiritur ludendo, aut negotiando cum peculio Castrensi. Tradit etiam Molina, loc. cit.

15 Infero secundò, militiam, vel Dignitatem, emptam per patrem filio, quæ ad bona Castrensia spectat, imputari filio in legitimam, *l. omni modo*, §. *imputari*, *Cod. de inoff. testam.* ubi Glos sic etiam Bald. *num. 3.* Salic. *num. 7.* Castrens. *n. 4.* & alii.

16 Infero tertiò, Militem filiumfamilias de peculio Castrensi, & quasi Castrensi posse jure militari testari, non adhibitâ, nec præcedente patris licentiâ. Tenet etiam Diana, *tom. 6. tract. 8. de testam. res. 77.*

Infero quartò, filiumfamilias extrà bona Castrensia, aut quasi Castrensia, non posse de aliis bonis donationes facere absque consensu saltem tacito patris. Ita tenet pariter Filliuc. *tom. 2. tract. 34. de contractib. quæst. 7. num.* 41. 17

Infero quintò, filiumfamilias alienantem bona profectitia, aut in suam utilitatem ea convertentem absque parentis consensu, respectu cujus profectitium dicitur, furtum committere Trullen. loc. cit. *num. 8.* 18


Infero sextò, bona profectitia, ob delictum filii, non Fisco addici. Less. *lib. 2. cap. 4. dub. 3. num.* 12. 19

Infero septimò, filiosfamilias, quamvis habeat liberam peculii adventitii administrationem, consentiente patre, cujus est usufructus, in casibus in jure expressis, non licere donationes facere; cum ei non concedatur libera peculii administratio ad hoc, ut perdat, *l. filiusfamilias*, *ff. de donat.* Et docet Azor. *Inst. moral. part. 3. lib. 11. cap. 3. vers. Quartò filiusfamilias*, ubi notat, hoc non procedere in filiofamilias in Dignitate constituto, & habente liberam peculii administrationem, ut si esset filius Ducis, Marchionis, Comitis, Senatoris, nisi ei pater specialiter donandi facultatem ademerit, sive denegaverit: Ut *d. l. filiusfamilias.* 20

Infero octavò, illicitum esse, & invalidam ipso jure venditionem, quâ pater vendit bonum adventitium filii, posseque filium eam ab emptore vendicare; sive is sciens, sive ignotans eam emerit, ut per Tex. *in l. 1. Cod. de bonis maternis*, & alia jura. 21

Infero nonò, bona Castrensia, & quasi Castrensia quoad proprietatem & usumfructum, & adventitia quoad dominium, non solùm pertinere ad Milites filiosfamilias, sed ad Nautas, Remigesque in destinatis ad pugnam navibus navigantes; & ad quoscumque Castris, Arcibus, Oppidis, aliisque locis præsidentes; ut defendant, vel custodiant; & ad omnes Exercitus Ministros, etiam si Scriniarii, id est Tabelliones exercitus sint, modo tamen exercitum comitentur. Ita habetur, *l. ult. Cod. de Castrens. pecul. lib.* 12. nam quidquid hi acquirunt, sive stipendium sit, sive præda ex hostibus, sive præmium, ad Castrense peculium pertinet, *l. unicâ*, §. *Item Navarchos*, *ff de bonor. possess. ex test. milit.* Et ita docent Molina, *tom. 1. de just. tract. 2. disp 230. vers. Inter milites.* Tho. Tamb. loc. cit. *n 3.* 22

Infero decimò, obligationem peculii transire ad quemcunque transit peculium; nam obligatio peculii ita sequitur peculium, ut lepra leprosum, Bar. *in l. Frater à Fratre*, *col. 2. vers. venio*, *ff. de cond indeb.* Card. Alban *in Lucubrat. in Bart in Rubr. ffrum de pecul. num.* 1. ubi dicit, idem esse in patre peculii. 23




VI. DIF-

VI. DIFFICULTAS.

An Militia in sententia asserentium, Dignitates bellicas posse vendi, empta Filio per Patrem, quae nec vendibilis est alteri, nec transferibilis ad Haredes, imputetur Filio in legitimam.

1 Notandum primò, Militiam, ut alibi tetigimus, appellari à jure dignitatem, aut publicum officium, ex quo annuatim, aut aliis temporibus, emolumentum aliquod percipitur, ut patet *in l. Lucius, ff. de leg. 2. l. 1. Cod. de dignit. lib. 12.* & aliis juribus allegatis per Anton. Gom. *ad l. 29.* Taur. *num. 21.* Et docet Boss. *Tit. de indiciis, num. 107.* ubi alios producit Doctores.

2 Notandum secundò, legitimam ità dici, qui secundùm legem naturalem alimentorum vice subrogatur; & Descendentibus in bonis Ascendentium, & è contrà debetur, ut legitur in Lexico juris, in verbo *Legitima*, & ostendit aliud nomen, quod legitimæ imponitur, nempè debitum bonorum subsidium, ut post alios optimè probat doctissimus Molfesius, *tom. 1. ad consuet. Neap. p. 2. tit. de bon. quaest. 19. num. 4. & p. 4. quaest. 46. num. 27.*

3 Notandum tertiò, legitimam posse hoc modo describi: *Est certa portio bonorum ab intestato certis personis à lege taxata, deducto are alieno, funeris expensâ, & pretio servorum manumissorum.* Pet. Greg. Tholos. *syntagm. juris. lib. 43. cap. 5. num. 3.* ubi plura jura circa hoc producit, Molfes. *in sum. p. 2. tract. 13. cap. 4. n. 73. & seq.* ubi singulas particulas explicat.

4 Notandum quartò, legitimam bonorum paternorum propriè illam esse, quæ debetur à Patre Filio, suadente naturali ratione, seu jure naturæ, ut per Tex. *in l. unicâ, ff. de bonis damna. & l. si quis, Cod. de petit. testamen.* & tradunt omnes in *Auth. Novissima, Cod. eod. tit.* ut observat. Menoch. *cons. 115. num. 48. & cons.* 168. *num. 4.* & idcò legitima consideratur, tanquàm æs alienum, *l. Papinianus, §. si quis impubes, ff. de inoff. testam.* & not. per Alex. *in l. si debitor, ff. ad l. Falcid.* Bald. *in l. 2.* ad finem, *Cod de liber. prater.* Molfes. *in sum. p. 2. tract. 13. cap. 4. num. 75.*

5 Notandum quintò, legitimam taxari secundùm numerum liberorum, ut *in Auth. Novissima, & in Auth. Undè si parens, Cod. de inoff. test.* ubi dicitur: „ Novissimâ lege cautum est, ut si „ quatuor sint filii, vel pauciores, ex substantia „ deficientis triens; si plures sint, semis debea- „ tur eis, quoquo relicti titulo, ex æquo scilicet „ inter eos dividendus, &c. & sensus Textus est, quod si Testatur quatuor, vel pauciores liberos haberet, tertia pars bonorum ipsius, inter ipsos æqualiter esset dividenda: Si verò plures essent, quàm quatuor, divideretur dimidium bonorum illius. Olim verò legitima, de jure communi Descendentibus debita, quarta pars bonorum Testatoris dumtaxat erat æqualiter dividenda inter filios masculos, ac fœminas, & filiis descientibus, inter alios descendentes, ut patet *ex l. Papinianus, §. quoniam, & §. quanta, ff. de inoff. test. & ex l. cùm quæritur, & l. parentibus, Cod. eod. tit.*

Notandum sextò, legitimam, quæ juxtà 6 varias consuetudines municipales etiam variatur, à jure, statutovè diminui quidem posse, tolli autem non posse dummodò aliunde filio non suppetant alimenta. Ita probabilitet tradunt Doctores de hac materia scribentes, inter quos erudite Covar. *tom. 1. part. 2. cap 8. §. 2. num. 5. var. resolut.*

Notandum septimò, dari differentiam inter 7 legitimam, & Trebellianicam; nam legitima debetur jure naturali, Trebellianica verò jure civili: Prima debetur liberis ex omnibus bonis parentum, & è contrà; Secunda verò debetur gravato ex bonis restituendis Fideicommissario, ut not. Molfes. loc. cit. *num. 78.* & in summario, *num. 12.* ubi ponit plures alias differentias.

His adnotatis; ad difficultatem propositam, 8 an militia, empta filio per patrem, quæ nec vendibilis est alteri, nec transferibilis ad hæredes, imputetur filio in legitimam; videtur affirmativè respondendum, ex Tex. *in l. omni modo, §. fin. Cod. de inoff. testam.* ubi clarè habetur, quòd militia, filio empta per patrem, imputatur filio in legitimam. Prætereà in legitimam imputatur quidquid à patre quovis titulo filius consequitur; ut tenet Pur. *dec. 112. lib. 3.* Prætereà talis emptio, quæ est vera donatio, non videtur simplex donatio, sed ob causam facta per patrem filio, ut possit ad honorum sublimitatem pervenire. Donationem verò ob causam factam filio, imputari ei in legitimam, volunt jura, *l. quoniam novella, Cod. de inoff. test. l. si quando, §. generaliter, Cod. eod. tit.* & tradunt Alex. *cons. 50. col. 7. in tertio dubio, & cons. 117. col. fin. lib. 6.* Soc. *cons. 18. & seq. lib 4.*

Veritas tamen est, Militiam, quæ minimè 9 vendibilis est, nec ad hæredes transferibilis, emptam filio per patrem, non imputari filio in legitimam. Bart. *in l. 1. §. nec castrense, ff. de collat. bon.* Anton. Gom. *ad leg. 92.* Taur. *n. 21. & 22.* Per. Greg. Tolos. *in syntag. juris, lib. 44. cap. 5. num. 44. & 45.* Molin. *tom. 1. de just. tract. 2. quaest. 241. vers. quoad posteriorem.* Ricc. *in praxi quotidiana, tom. 1. p. 1. res. 532.* & alii.

Moveor primo juribus, *in l. qua pater,* 10 *ff. Famil. ercisc.* ubi habetur, expensas factas à patre pro filio in studio non imputari filio in legitimam; & studiosis, seu Doctoribus æquiparati Milites, dicit Tex. *in l. Advocati, Cod de Advo. diverso.* Et concordat, Tex. & Glos. *in l. de muner. & hon.* ubi dicitur, neque imputari, quæ pro honore filiis impetrando consumuntur: Nec non *& d. l. omni modo, §. imputari, Cod. de inoff. testam.* quæ statuit, filium debere computare in suam legitimam portionem militiam, si vendibilis sit, aut ad hæredes transferibilis; quapropter ex verbis legis, & mente Legislatoris concluditur, si neutrum ei competat, computari non debere: Valet enim argumentum à contrario sensu, ut probat Menochius, *in cons. 45. num. 122.*

11. Me-

11 Moveor secundò rationibus; nam talis militia, empta filio per patrem, non est bonum liberum, ut de illa possit ad libitum disponere; quod requiritur in legitima, ut optimè probat. Crav. *cons.* 136. incip. *de anno per totum.* Tum quia hujusmodi militia spectat ad peculium Castrense. Donata autem à patre, quæ efficiuntur peculii Castrensis, vel quasi, vel eo nomine aliundè quæsita, non imputari filio in legitimam tradit. Batt. *in l.* 1. §. *Nec castrense, ff. de collat. bon.* Pet. Greg. Tholos. loc. cit. *num.* 46.

12 Moveor tertiò exemplo, seu potius praxi quotidiana. Scimus, pecunias expensas à patre in graduando filio, pro militia, & etiam pro Doctoratu non imputari filio in legitimam; Et praxi favet. Glos. *in d. l. omni modo, Cod. de inoff. test.* Bart. *in d. l.* 1, §. *Nec Castrense, ff. de collat bon.* Bal. *in d. l. omni modo, d.* §. *imputari, de inoff test.* Tholos. loc. cit. *num.* 45.

13 Concludimus igitur, militiam, quando nec vendibilis, nec transferibilis est ad hæredes, emptam per patrem filio, minimè imputari in legitimam; dummodò pater tradendo pecuniam pro tali emptione protestatus non fuerit, se pro legitima tradidisse; nam tunc imputaretur, si cum hac lege pecunia detur, *l. cum quo,* §. *fin. ff. ad l. Falcid.*

14 Ad rationes in contrarium, respondetur; ad primam, nempè *l. omni modo,* patet responsio ex primo motu: Loquitur enim Textus cum conditione, si militia vendibilis sit, aut ad hæredes transferibilia, ut latè ostendit Calcan, *cons.* 74. *col.* 5. *post medium;* unde neutro interveniente in casu nostro, lex nobis favet.

15 Ad secundam, quòd propositio generaliter sumpta non est vera: Nam bona, quæ filius acquirit à patre, si non sunt libera, & per filium disponibilia, non ingrediuntur liquidationem legitimæ; ut constat ex dictis; & ex dicendis patebit.

16 Ad tertiam, negando in nostra materia intervenire donationem ob causam; nam, ut donatio dicatur ob causam, plura requiruntur, & præsertim duo: Primum, ut causa donationis respiciat commodum donantis, ut docet Decius, *in Auth. Ex testamento, col.* 4. in princ. *Cod. de collat.* secundum, quòd illa causa habeat in se necessitatem; puta donatio causâ dotis; quia pater tenetur dotare filiam; donatio propter nuptias, quam pater tenetur pro filio facere. Ita tradit Pau. de Cast. *in l. ut liberis, col. pen.* in fin. *Cod. de collat.* & idem Dec. *col. fin,* circa finem. In nostro autem casu causa non respicit commodum ipsius patris, sed filii; nec habet in se necessitatem; quia pater non tenetur ad illam donationem, seu non tenetur emere filio militiam.

17 Infero primò ex dictis, non teneri filium, mortuo patre, conferre, atque ita communicare militiam, id est officium, quod pater illi emit cum fratribus suis; quamvis emptum fuerit ex pecunia, quæ post patris obitum futura erat communis, si officium non poterat alteri vendi, nec erat ad hæredes transferibile; cùm hæc officia sint personalia; atque adeò communia cum aliis esse non possint. Ita etiam tenet Menoch, *cons.* 419, *num.* 7.

Infero secundò, filium non teneri conferre, aut computare in suam legitimam portionem sumptus, si quos parentes in acquirendo ei officio fecerint, neque æstimationem illius. Sic pariter sentit Molina, loc. cit. si illud officium nec vendibile est, nec transferibile ad hæredes. 18

Infero tertiò, pecuniam promissam à patre alicui, ut filio suo Dignitatem acquireret non vendibilem, nec transferibilem ad hæredes, & ab eo ante mortem minimè solutam, solvendam esse post mortem de communibus bonis patris, non verò de sola legitima ejus filii, qui dignitatem acquisivit. 19

Infero quartò, filium non teneri quicquam conferre propter gradus litterarios, beneficia Ecclesiastica, Commendas militares, & his similia, quæ neque vendi, neque transmitti ad hæredes possunt, neque propter sumptus, quos parentes in illis ei acquirendis fecerunt; dummodò non fuerit aliqua conventio. 20

Infero quintò, Clericum non teneri adducere ad partitionem cum aliis fratribus, aut computare in suam legitimam portionem illud, quod pater dedit, vel ei assignavit in fructibus pro titulo susceptionis ordinum, utpote non transmissibile ad hæredes. Ita etiam videtur sentire Pol. Ripa, *dec.* 234. & expressè tenet Riccius, loc. cit. *num.* 5. 21

Infero sextò, donationes, factas filio ob ejus benemerita, non imputari in ejus legitimam; cùm præcipuè tunc sint filii, & censeantur esse peculii adventitii ut ait Glos. *in Auth. undè si parens, Cod. de inoff. test.* & adventitia non communicari, habetur ex Tex. *in l. fin. Cod de collatio.* 22

Infero septimò, non imputari in legitimam victum, alimenta, vestitum, & alia, quæ non sunt transmissibilia ad hæredes, donata filiis; nec non & quæ officio paterno in filios parentes viventes expendunt ut per Tex. *in d. l. qua pater, ff. fam. ercisc.* neque donata à patre, quæ efficiuntur peculii Castrensis, vel quasi, vel eo nomine aliundè quæsita, ut sunt equi, arma, &c. Ita etiam docet Tholos. loc. cit. 23

Infero octavò, libros, qui sunt arma studentium, Glos. *in l. Nepos Proculo, ff. de verb signific.* Sicuti Doctores Milites videntur, *l. Advocati. Cod. de Advo. diverso judicio.* datos filiis non imputari illis in legitimam, sed gaudere beneficio peculii quasi Castrensis, *l. Fors tui culminis, Cod. eod.* & tradunt Jas. *in l. Filia, licet, Cod. de colla. num.* 8. & alii asserentes, hoc esse verum, si dentur Clericis etiam filiis in potestate constitutis, simplici tonsurâ initiatis, si vivant, uti debent vivere; secùs verò, si malè vivant Bart. Bald. quos recenset, & sequitur Tholos. loc. cit. *n.* 46. ubi alias producit limitationes. 24

Infero nonò obiter, computari, seu imputari in legitimam dotem filiæ datam, & omnia accessoria dotis, ut vestes annulos, monilia, & alia; quia possunt vendi, & transmitti ad hæredes, & dantur occasione matrimonii; item & quæ pater donat filio, ducenti uxorem causâ matrimonii. Tholos. loc. cit. *num.* 12. *& seqq.* ubi clarè, & doctè hanc materiam explicat. 25

VII. DIF.

VII. DIFFICULTAS.

An hodiè tempore belli si Pater in necessitate constitutus venderet filium, licita, & valida esset hujusmodi venditio.

1 Notandum primò, olim filium vendi, & in servitutem addici potuisse à Patre; & hoc quidem ex Romuli instituto, teste Dionys. Halicarn. *lib 2 Antiq Roman.* quod à Numa Pompilio prius fuit emendatum, correctumque, ut in illius vita refert Plutarchus; & deinde ab aliis, præsertim à Constantino, *in l. 2. Cod. de Patrib. qui filios distraxerunt.*

2 Notandum secundò, Patrem, ac Matrem dici à *pa*, & *ma*, quæ voces sunt græcæ, & voces infantium, & à verbo *servo*, quasi pueros ipsos servantes. Ita Alciatus, *in l. ult.* in verb *Matris*, *Cod. d. in jus, voc.* & alii nonnulli apud. Tiraq *in l. si unquam; Cod. de revoc. donat. tit. susceperit liber n.50.*

3 Notandum tertiò, quod Pater emancipando filium perdit patriam potestatem, quæ est res inæstimabilis, ut per Text. *in l. filiusfamilias, §. Secundum vulgarem, ff. de lega. 1.* & Filius lucratur, & accipit beneficium, ut probat Text. *in l. 1. Cod. de ingra. lib.*

4 Notandum quartò, venditionem esse contractum, qui mutuo consensu perficitur, & ultrò, citroque emptorem, & venditorem obligat; ita ut venditor obligetur ad tradendum merces pro pretio & emptor obligetur ad tradendum pretium pro mercibus. Ita communiter Doctores saltem quoad substantiam.

5 Notandum quintò, validam esse, secundum jus cæsareum liberæ personæ venditionem, in qua interveniunt hæ sex conditiones: Prima, ut is, qui venditur, sit major viginti annis; Secunda, ut quando venditur, sciat se esse liberum. Tertia, ut permittat se ab alio vendi, ut de pretio participet. Quarta, ut reipsâ de pretio participet. Quinta, ut is, qui illum vendit, sciat eum esse liberum. Sexta denique ut qui eum emit, arbitretur illum esse servum. Quod etiam notat Molina, *tom. 1. de just. tract. 2. disp. 33.*

6 Notandum sextò, valere argumentationem à simili, ubi contrarium non reperitur, & legis unius ad alterius legis speciem, aut rationem benè fieri posse extensionem, ut notat Bart. *in l non dubium. Cod. de legib.* ubi dicit idem esse in consuetudinibus, & statutis, *per l. de quibus causis ff de legib.* & tradit etiam Sylv. in verb. *argumentatio, qu. 1, num. 2.* ubi dicit sic esse intelligendam *l. non possunt, ff. de legib.*

7 His adnotatis; ad difficultatem propositam, an hodiè tempore belli si pater, in necessitate constitutus, vendat filium, licita, & valida sit hujusmodi venditio, negativè videtur respondere Gloss. *leg. 2. Cod. de patr. qui filios suos distraxerunt*; & habetur, *l 8. tit 17. part. 3. legum Castella.* Cùm id repugnet amori Paterno. Præterea, Patri etiam extremâ fame, & paupertate laboranti, potest facilè, & commodè filius aliis remediis succurrere: Sat itaque esset, si Pater filii operas mercede, seu pretio debito locaret.

8 Veritas tamen est, inspectoutroque jure naturali scilicet, & civili, Patri, in summa necessitate constituto, præsertim tempore belli, quo urgentiores adsunt necessitates, filium vendere licere, & validam esse venditionem; dummodò filius vivat adhuc sub Patria potestate Molina, *tom. 1. de just. tract 2 disp. 33* Hurtad. *de just. disp. 1. difficult. 21.* Covar. *lib 3. var. resolut. cap. 14. num 4.* Fagundez, *de just. lib. 2. n. 7. & 8.* Azor. *Instit. moral. l 8. cap. 6.* ubi dicit, hanc venditionem non esse usu receptam interChristianos, Menoch. *tract. de recuperanda possessione, remed. 15. num. 302. & de arbitr. jud. casu 182. num. 3.* Molsef. *in sum. p. 2. tract. 2 de contract. lib. cap. 18. num. 45.* Diana, *p. 7. tract. 7. de serv. & mancip. res. 8.*

9 Moveor primo juribus, *in d. l. 1. & 2. Cod. de Patribus, qui filios suos distraxerunt*, ubi sancitum est paupertate, & egestate parentes cogente, posse licitè filios vendi; & alienationem esse nullam, deficiente necessitate.

10 Moveor secundò rationibus; nam ipsa natura censetur jus dare ad id omne, sine quo obtineri non potest, quod ipsa imperat. Tum quia in casu necessitatis, ut inquit Baldus, Pater integrum jus habet in filium, *l ult. Cod. de patr. potesta.* & tanta olim erat, quanta Domini in servum, *l. pronuntiatio, §. Jure proprio, de verb. signif.* Tum etiam, quia filius est portio corporis Patris teste Aristotel. *lib5. Ethicor cap. 5.* Imò Pater, & filius est eadem persona, & vox, Patris est vox filii, *§. Ei verò, qui inst. de inutil. stip. & in l. ult. Cod. de impub. & in l. cum scimus, Cod. de agric. & cens. lib. 11.* ubi confirmatur dictum Philosophi; nempè filium partem corporis Patris esse; & tradit Card. Albanus, *in Lucubrat. in Bart. in l. superstitis, ff. de acquir. hæred. num. 2.* Quisque autem necessitate coactus vendere potest seipsum, cum vita sit pretiosior libertate; Atque adeò si filius est pars Patris; imò pater, & filius eadem est persona, si Patri licet seipsum vendere, licebit, & vendere filium; & extantibus conditionibus ad validitatem contractus venditionis requisitis, valida erit venditio.

11 Moveor tertiò exemplis approbatis in Hispania, *leg. regia 7. & 8 tit. 17. part 4* dùm patri idem jus vendendi filium conceditur; nam lex hæc non fuisset statuta, nisi factum contigisset. Refert Azor. loc. cit.

12 Concludimus igitur, jure civili communi, & jure naturæ fas esse Parentibus in summa sua necessitate, præsertim tempore belli, quo urgentiores adsunt necessitates, filios, qui non sunt adhuc sui juris, vendere, & venditionem valere, ut vel ipse Pater, qui vendit, vel filius, qui venditur, vel alius habeat jus redimendi.

13 Ad rationes in contrarium respondemus: Ad primam, nobis non obstare; quia Gloss. & lex allegata loquuntur de filiis sui juris factis, quos vendere non licet Parentibus; quod fatemur & nos, cùm Pater, emancipando filium, perdat patriam potestatem, ut notavimus.

14 Ad secundam, quòd neque nobis obstat; cùm nostra difficultas procedat in tali necessitate, in qua alia ratio se ipsum adjuvandi non suppetit Patri nisi filium vendendo; nam si Pater posset

uti filii operâ, jam esset extrà necessitatem, & sic nullatenùs ei liceret hujusmodi venditio. Cæterum estò de jure naturali, & civili licitum sit Patri in extrema necessitate posito filium vendere, hujusmodi tamen venditio apud Christianos non videtur esse usu recepta, ut benè advertit Azorius suprà allegatus.

15 Infero primò ex dictis, tum Patri vendenti, tum filio vendito, tum alteri competere jus redimendi, etiam inviro emptore, vel quolibet alio possessore, ut tradit Azor. loc. cit. tradito pretio, aut dato alio servo pro filio, ut per Text. *in d. l. si quis, de patribus, qui filios suos distrax.*

16 Infero secundò, utique licere se ipsum vendere causâ egestatis, quâ Parens laborat; item ut Principem, qui est pater communis, pretio redimat Azor, *p.2. lib. 2. cap. 31. q.* 2. Diana, *p.7, tract.7. res.7.* in fine.

17 Infero tertiò, licere Patri, saltem jure naturali inspecto, vendere filium, non solùm nimiâ paupertate, & egestate coacto, ut vult Text. allegatus *si quis*, sed etiam in æquali, aut majori Patris necessitate cum nimia inopia, & egestate; puta ad redimendam vitam suam ab eo, qui violenter, & tyrannicè ipsum conatur occidere; cùm lex de casu ad casum, ubi par, aut major est ratio, & non reperitur contrarium, possit extendi, ut fuit notatum. Contrarium tamen, secluso jure naturæ, tenent Gloss. *in d. l, si quis*, Hostiens. Angel. Sylv. Tabien.

18 Infero quartò, resolutionem nostræ difficultatis quoad jus Civile dumtaxat habere vim in locis, in quibus jus Cæsareum viget; Unde in Æthyopia, & in aliis similibus locis standum esse juri naturali, aut juri peculiari, si fortè in illis locis sit, asserimus.

19 Infero quintò, statutum municipale, & consuetudinem posse ad alios casus ex identitate, aut majoritate rationis extendi; dummodò illi casus non habeant legem contrariam. Ita etiam sentit Sylvest. loc. cit. ubi alios allegat.

20 Infero sextò, Filio vendito à Parente, quando huic jus favet naturale, nempe propter inopiam, aut aliam similem causam, venditionem esse validam, venditumque manere verè servum, si venditio sequatur in loco, ubi nullum est jus peculiare obstans. Ita etiam Diana, loc. cit.

21 Infero septimò, ad subveniendum gravissimæ Patris necessitati, licitam esse permutationem; licitumque quemcunque alium contractum, quo filius alienetur.

22 Infero octavò, propter inopiam, & egestatem extremam licere Patri filium oppignorare, seu loco pignoris dare, ut tenet etiam Gloss. *in l.* præf. & docet Azor. loc. cit.

23 Infero nonò, servatis sex notatis conditionibus, pro debito pecuniario solvendo, seipsum vendere cuique licere; quia jure civili permissum est cuique cum causa seipsum vendere, *l.* 1. *ff. quibus ad libertatem proclamare non licet, & l. liberis, ff. de liber. causa, & l. & servorum, ff. de statu hominum*, & aliis juribus cumulatis per Azor. loc. cit. quamvis apud Christianos id usu receptum non sit, nisi apud viros viles, & infimæ conditionis, qui seipsos vendunt ad serviendum in triremibus.

24 Infero decimò, Patrem non posse hodie vendere filium Ordinibus sacris initiatum. Tradit etiam Covar. *lib. 3. var. resolut. cap.* 14. *num.* 4.

25 Infero undecimò, filium conjugatum, quamvis de jure communi non sit egressus Patriam potestatem, vendi non posse; cùm id cederet in detrimentum Uxoris.

26 Infero duodecimò, filium, qui de jure Cæsareo non est sub Matris potestate, non posse de eodem jure vendi à Matre in gravi necessitate constituta; posse tamen de jure naturæ, si ita necessitas postularet.

27 Infero decimo tertiò, nobis licere emere eum, qui se egestatis causâ vendit; quia non cogimur lege misericordiæ gratis, & liberaliter succurrere, nisi ad gravem, & extremam inopiam redacto. Ita etiam Navar. & alii plures DD.

28 Infero decimo quartò, Patrem, qui vendidit filium, si ad pinguiorem, & meliorem fortunam devenerit, jure naturali cogi ad filium suum redimendum: Azor. loc. cit. *colum.* 2.

29 Infero decimo quintò, censeri esse in dominio filiorum quidquid habet Pater: Puta si statuto cautum esset, neminem ad aliquod officium eligi posse, nisi habeat centum nummos in bonis; filius, cujus Pater habet centum nummos in bonis, ad illud officium eligi poterit. Alber. de Ros. *in l. in suis, ff. de liber. & posth.* Vide pariter Anton. Curlet. *in tract. de potestate re. 14. num. 30.* Soc. *in cons. 121. col. fin & in cons.* 131. *in 4. vol.*

30 Infero decimo sextò, Patrem privari hæreditate delatâ filio, si filius negligit eam adire. Card Albanus, *in l. Is, qui hæres, §. Neque filiusf. im litas ff. de acquir. hære. num.* 1. etiam si dolosa est filii negligentia; nam sicut per expressam hæ repudiationem Pater minimè admitteretur, ita filio dolosè negligente, non videtur admittendus.

VIII. DIFFICULTAS.

An licitum sit militum liberantias dimidio pretio emere.

1 NOtandum primò, liberantias militum esse pagas eorum acerbas, sive hospitia, & ita dici, eò quod difficilè possint exigi. Ita tradit Molfesius, *in summa, p. 2. tract. 12. cap 5 num.* 116.

2 Notandum secundò, pretium dici quasi peritium, quia non ex affectione, & ex placito uniuscujusque, sed ex communi opinione illorum, qui in rebus venalibus peritiam habent, statui debet, ut communiter docent Jurisperiti per Tex. *in l. pretia rerum, ff. ad leg Falcid.* cum aliis cumulatis per Johann. *in lexic. juris*, verb. *pretium id appellari.*

3 Notandum tertiò, pretium, quod propriè illud est, quod pro re empta constituitur, & debet in pecunia numerata consistere, ut in § *Item pretium, Instit. de empt, & vendit. & in l.* 1. *ff.* de

de contrab. empt. esse duplex, secundum Aristotel. 5. *Ethic. cap.* 7. legitimum nempè, & naturale, seu vulgare, aut fori. Primum est, quod lege Superioris taxatum est, vel ejus auctoritate; Secundum verò, quod non taxatur per legem, vel Decreto Judicis, sed per Expertos. Ita quoad substantiam DD. communiter.

4 Notandum quartò, pretium justum, quod morali hominum æstimatione imponitur, non consistere in indivisibili, sed dividi in Infimum, medium, & summum; sive ut alii dicunt, pium, moderatum, & rigorosum; ita ut intra latitudinem hujus pretii licitum sit vendere, & emere, nunc summo, nunc infimo, nunc medio, ita communiter Doctores.

5 Notandum quintò, secluso lucro cessante, ac damno emergente, esse usuram anticipato pretio emere minoris chirographa, seu credita in posterum exigenda, id est emendo jus, quod alter habet, ut aliquid in futurum solvatur. Azor. *Instit. moral. p. 3. lib. 8. cap.* 10. in princ. Molina, *tract.* 2, *disp.* 362. Less. *lib.* 2. *cap* 21. *dub.* 8. Toler. Valent. Salas, Sot. & alii innumeri.

6 Notandum sextò, eum peccare contrà justitiam, & teneri ad restitutionem, qui est causa difficultatis, & creditum minoris emit. Est enim causa damni; cùm hujusmodi creditum ratione difficultatis, quam ipse causat, minùs valeat Creditori. Ita etiam Bonac. *de contract. disp* 3. *q.* 2. *punct.* 11. *sub n.*6.

7 His adnotatis; ad difficultatem propositam, an licitum sit militum liberantias dimidio pretio emere, negativè respondent Malder. *in* 2. 2. *tract.* 5. Molf. *in sum. p.* 2. *tract.* 12. *cap.* 5. *n.*116. & alii; quia ementi militum liberantias facilis admodum est solutio; quæ aliis difficilis esset impetratu; quod sufficit pro invaliditate contractus. Præterea si licet emere dimidio pretio has liberantias, non esset integrum has liberantias habentibus vendere quanti valent, sed semper tenerentur vendere quanti æstimantur ob eandem rationem; quod rectæ rationi videtur repugnare.

8 Fateor, hanc opinionem non carere probabilitate; contrariam tamen, quam veriorem, & probabiliorem esse puto, libenter amplector cum Less. *lib.* 2. *cap.* 21. *dub.* 9. Layman. *Theol. moral. lib.*3. *sect.* 5. *tract.* 4. *cap.* 17. §. 5. *num.*33. Bonac. *de contract. disp.* 3. *quæst.*3. *punct.* 10. *n.* 4. Molina, *de just. tract.* 2. *disp.* 361. *num.*4. Filliuc. *tom.* 2. *tract.* 35. *cap.* 5. *quæst.* 6. *n.* 106. & 107. Diana, *part.*1. *tract.*8. *de contract. res.* 50. Cesped. *in dub. militar. dub.* 68. Ita sentire videntur S. Anton. Angel. Gab. Rosell. & alii apud Azor. loc. cit.

9 Moveor primò juribus, *in l. minùs, ff. de reg. jur.* ubi habetur, *Minùs est habere actionem ad rem, quàm rem ipsam*: Cur igitur non licebit minoris emere pagas acerbas militum; cum milites rem non habeant, sed solùm actionem ad rem? & *l. pretia rerum. ff. ad l. Fal.* ubi dicitur, illud esse pretium justum, quod communiter à cæteris præstatetur. Hujusmodi autem liberantias minoris communiter emi, experientia docet.

10 Moveor secundò rationibus; nam attento periculo solutionis, & inspectâ difficultate exactionis, hujusmodi creditum, seu hujusmodi pagæ, sive liberantiæ minùs valent. Ergò minoris emi possunt. Tum quia justum pretium rei emptæ non est id, quod valet in se, aut emptori, sed quod valet in publica æstimatione, aut valet Creditori. Publica verò æstimatio, attentâ difficultate, quam habent liberantiæ, ex incertitudine solutionis, non putat eas pluris valere; nec pluris valent Creditori, aliàs tali pretio eas minimè venderet. Licebit igitur nobis asserere, has liberantias, seu hujusmodi chirographa minoris, seu pretio dimidio emi licite posse.

Moveor tertiò exemplo, in Genuensibus, qui licitè minoris emunt pagas, id est proventus, ex locis certos, qui nondùm sunt maturati; & hoc ex facultate Sixti Quarti eis concessâ, ut refert Sylv. *in summ. v. usura* 2. *quæst.* 14. asserens, Reipub. Genuensis statutis has emptiones fuisse comprobatas. Id pariter testatur Axor. *p.* 3. *Instit. moral. l.* 8 *cap.*10. *col.* 5. in princ. quamvis ibi dicat, nobis non licere colligere, Pontificiâ auctoritate talem emptionem generatim esse approbatam. 11

Concludimus igitur, chirographa Crediti, seu liberantias militum solvendas in futurum, emi posse minori pretio, seu dimidio pretio anticipatâ pecuniâ, sive emptori (dummodò non sit ille, ad quem spectat solvere dictas liberantias,) difficilis sit exactio, sive facilis ratione amicitiæ, vel industriæ, seclusâ tamen fraude; ut si antecedenter pactum fuisset ab emptore cum debitore initum circa exigentiam, ut advertit Molina, *disp.* 361. *de contract.* quem sequitur Less. *lib.* 2. *cap.* 21. *n* 74. 12

Ad rationes in contrarium respondemus: Ad primam, patet responsio ex dictis in motu secundo; cùm enim his liberantiis det pretium publica æstimatio, parum, aut nihil refert, quòd respectu unius possint facilè exigi. 13

Ad secundam; negando sequelam, cùm difficultas exactionis sit quid rei extrinsecum, quod non facit rem minoris valere intrinsecè; & sic non impedit liberantias habentibus eas vendere quanti valent. 14

Infero primò ex dictis, lucro cessante, aut damno emergente, licitum esse emere minori pretio anticipatâ solutione alterius creditum solvendum ad sex annos, aut redditus montium immaturos, aut scriptas Banchi, vel actiones, & alia hujusmodi; quia pretium competens est, quod remanet, deductis expensis, & laboribus pro recuperanda re factis. Ita etiam Sylv. *in sum.* verb. *usura* 2. *q.* 14. ubi alios allegat. 15

Infero secundò, Officialibus Principum, ad quos pertinet solutio, non licere chirographa Creditorum minoris emere, si ipsi sunt causa difficultatis, & malignæ solutionis. Ita etiam Molina, Sot. Less. Salas, Filliuc, quos recensect, & sequitur Bonac. loc. cit. *n.*7. 16

Infero tertiò, Aulicum, qui gaudet Principis gratiâ, posse licitè emere creditum privati hominis, quod habet adversùs Principem dimidio pretio, & etiam minus, si ex publica æstimatione minùs valet. Ita etiam sentit Filliuc, loc. cit. *num.*107. 17

18 Infero quartò, dari aliquas merces, ut puta lanas, quæ possunt licitè minoris emi anticipatâ pretii solutione; quia lanæ aliter emi non possunt, nisi anticipato pretio; cùm lanarum Domini pecuniis indigeant ad paleua emenda, & alia necessaria, quibus pecora opus habent. Sic quoque tradunt Sot. *lib. 6. de just. quæst. 4. art. 1. ad 4.* Cordub. *in sum. casuum, quæst. 85.* Contrarium tenent alii, quos refert Azor. loc. cit. *col. 1.*

19 Infero quintò, chirographum non solvendum de jure, nisi post duos menses, si habeat quid periculi, posse tutò emi minoris, anticipatâ pretii solutione. Cajet. Navar. Armilla, apud Azor. loc. cit. *col. 5.*

20 Infero sextò, licitum esse, quod inter Mercatores ad invicem, & inter Mercatores, eorumque Debitores solet frequenter usurpari; nempè remittere debitori aliquam partem Crediti, ut puta quinque, aut sex in singulis centenariis, si solvat debitum ante tempus conventum per annum. Ita quasi communiter DD. juxta quos Filliuc. loc. cit. *sub num. 7.*

21 Infero septimò, posse tutâ conscientiâ emi minoris stipendia debita famulis Nobilium virorum; & præsertim si crudeles essent, & creditoribus, quod suum est petentibus, fulliginem minarentur; quia hujusmodi creditis adjunguntur pericula, incommoda, molestiæ, temporis perditiones in ipsis exigendis.

22 Infero octavò, posse licitè minori pretio emi credita, non solùm in futurum solvenda, sed etiam, quæ persolvenda erant tempore præterito, aut quæ solvenda essent in præsenti; sed nondum soluta sunt. Reginald. Molina, & alii, quos recenset, & sequitur Bonac. *num. 6.*

23 Infero nonò, Creditori scienti, debitorem suum non esse ad solutionem reducendum, non licere, creditum vendere ignorantibus hunc defectum in debitore; quia adest dolus, dans causam contractui, & adest vitium notabile intrinsecum credito, auferens, aut minuens in eo valorem. Less. *lib. 2. cap. 21. dub. 10. n. 81.* Filliuc. loc. cit. *n 108.* & alii.

24 Infero decimò, vendentes credita difficilis solutionis teneri manifestare emptori hujusmodi vitium, aliàs peccare contrà charitatem, & contrà justitiam; præsertim si adsint fraudes, & mendacia: Estò, remotis fraudibus, & mendaciis, aliqui apud Filliuc. loc. proximè cit. putent probabiliter, non peccare contrà justitiam; quod nos nequaquàm admittimus, sententiam Filliuc. viri doctissimi sequendo.

IX. DIFFICULTAS.

An Præstimonia, seu præstimoniales portiones, quæ sine Ecclesia dantur Militibus contrà Infideles pugnantibus, sint Beneficia Ecclesiastica.

1 Notandum primò, Præstimonium, si ethymologiam spectemus, dici quasi præstans munium, id est officium, seu obsequium, ut docent Hostiens. *in cap. Postulasti, de rescript.* Oldrad. *consil. 71. n. 2.* Graff. *p. 1. decis. lib. 2. cap. 97. n 13* & alii.

Notandum secundò, præstimonia nil aliud esse, quàm stipendia quædam, quæ sine Ecclesia dantur Canonicis, vel aliis Clericis, præsertim studentibus, nec non & militibus contrà Turcas, aliosque Infideles pugnantibus, juxtà Tex. *in l. stipendia, Cod. de execut. rei vind. l. in condendis, de reg. jur. cap Unic. de concess. preb in Clem.* Et ita declarant Graff. loc. cit. Gemin. *cons. 89.* Barbos. *de jure Ecclesiast. lib. 3. cap. 8. de præstim. n. 1.* Menochius, *de arbitr. jud. cas. 20. n. 56.* & alii. 2

Notandum tertiò, præstimonium posse dupliciter considerari, nempe prout est quid simpliciter temporale, nullum habens officium, & servitium annexum in Ecclesia, & est portio aliqua, quæ datur ex bonis Ecclesiæ alicui tanquàm merces ob ministerium profanum, non sacrum: Et prout datur in titulum perpetuum, & habet annexum aliquod obsequium spirituale. Ita etiam distinguunt Azor. *Instit. moral. p. 2. lib. 3. cap. 7.* Menoch. loc. cit. *n. 58.* 3

Notandum quartò, circà finem, seu causam finalem præstimoniorum Doctores inter se minimè convenire, ut observat Azor. loc. cit. nam aliqui tenent, præstimoniales portiones esse annuos quosdam proventus ex beneficiorum reddidibus detractos, ac destinatos ad sustentandos juvenes litteris operam navantes. Alii asserunt, hujusmodi redditus fuisse ab Ecclesia in subsidium militum pro defensione Fidei & Religionis Catholicæ decertantium constitutos. Alii tandem sentiunt, hujusmodi redditus ordinari ad subveniendum Canonicis, in Ecclesiis Cathedralibus Canonicatum, aut Dignitatem habentibus. 4

Notandum quintò, Beneficium Ecclesiasti cum nihil aliud esse, nisi munus in alterum collatum, cùm de altero quis bene meretur. Qui enim bonum aliquod confert alicui, dicitur illi benefacere, seu liberalitatem, benignitatem, meritum, præmium, officium, gratiam, seu munus conferre. Hæc enim omnia significat Beneficium in genere, ut observat post alios Molfesius, *in summ. p. 1. tract. 6. cap. 1. num. 12.* In jure vero Canonico Beneficium accipitur pro proventu Sacerdotis, vel Clerici, quem percipit ex Ecclesiæ bonis, nempe agris, prædiis, primitiis, & aliis rebus, ut tradit Azor. *Inst. moral. p. 2. lib. 3. cap. 1* princ. 5

Notandum sextò, Beneficium multiplex esse; Nam aliud est Regulare, aliud Sæculare, aliud Curatum, aliud simplex, & similia, ut habetur *in cap. Cum singula, & in cap. Cum de Beneficio, de preben. in 6.* & optimè explicant Molfesius, *in summa p. 1. tract. 6. cap. 2. a num. 11.* & alii adnotantes, quòd nullus potest habere duo Beneficia cum cura annexa, ut declaravit Concil. Lateran. IV. sub Innoc. III *cap. 29* 6

His adnotatis; ad difficultatem propositam, an præstimonia, seu præstimoniales portiones, quæ sine Ecclesia dantur militibus, contrà Turcas, aliosque Infideles pugnantibus, sint Beneficia Ecclesiastica, negativè respondent Joann. Andr. Domin. Ludovic. Gom. & alii, quos refert Barbosa, loc. cit. *num. 3.* quia præstimonia ex genere suo 7

suo nullum spirituale officium continent. Præterea, qui præstimonium habet, nec per seipsum, nec per alium sibi subrogatum, ullo jure cogitur Ecclesiæ inservire, cujus est præstimonium, ut est consuetudine receptum, & una cum ipso præstimonio, quod habet, potest jure alia beneficia possidere.

8 Fateor, hanc opinionem non carere probabilitate. Contrariam tamen, quam veriorem, & probabiliorem esse puto, libenter amplector cum Hostiens. *in cap. Postulasti, de rescript.* Oldrad. *in cons. 81. num. 5. vers. nam præstimonia.* Nicol. Mil. *in repert.* verb. *Beneficia appellatione.* Rebuff. *in prax. tit. Seculare beneficium quotuplex, num.* 16, Fagundez *in quinque præcepta Eccles. præc. 1. lib. 2. cap. 4. num. 16.* Graff p. 1. *decis. lib. 2 c. 97. n.* 13. Gonzal. *ad reg. 8 Cancell. glos 5. §* 2. *ex num.* 7. Azor. *Inst. moral. lib. 3. p. 2. cap. 7. quæst.* 1. Molf. loc. cit. *num.* 27. & aliis pluribus penes Barbos. loc. cit. *num* 4.

9 Moveor primò juribus, & pluribus omissis, *in cap. fin. de concess prab. lib. 6.* ubi præstimonia inter cætera beneficia numerantur. Sic enim ibi habetur „Super Canonicatibus, Dignitatibus, „Personatibus, Præbendis &c. Præstimoniis, „Ecclesiis Parochialibus, ruralibus, & aliis qui„buscunque Beneficiis Ecclesiasticis vacaturis. Item Trid *Sess. 5. de reform. cap.* 1. *Sess* 14. *de reform. cap.* 9. *& Sess.* 23. *de reform. cap.* 18. *sub §. Et quia*, ubi dicitur „ Necnon beneficia „ aliquod simplicia cujuscunque qualitatis, digni„tatis fuerint; vel etiam præstimonia, vel præ„stimoniales portiones nuncupatas.

10 Moveor secundo rationibus; nam præstimonium, quod datur militibus, contrà Turcas, aliosque Infideles pugnantibus, est ministerium Sacrum, & Ecclesiasticum, quia respicit simplicitei bonum Fidei, & Ecclesiæ, & cultum DEI, ab Infidelibus impeditum; & habet onus spirituale annexum, nempe recitandi preces horarias, ut expressè decrevit Pius V. in Constitutione incip. *Ad perpetuam rei memoriam*, ex Lateranensi, *Sess. 6.* relat. à Navarr. *in Man. cap 25. num.* 112. quamvis primæva præstimoniorum institutio fuerit, ut darentur militibus, & studentibus absque spirituali onere, ut notat Barb. loc. cit. Tum etiam quia præstimonium dari non potest absque labe simoniæ, conventione, aut aliquo pacto, & promissione lucri, ac commodi temporalis. Tum denique, quia præstimonium per obitum illud habentis vacat, nec potest demum ad hæredes transmitti; quæ omnia beneficii ratio, & natura postulat.

11 Moveor tertiò exemplo, in Clemente Quarto, qui ut refert Hostiensis, *in cap. Postulasti, de rescript.* irritam fecit electionem Archidiaconi Compostellani, quia inhabilis erat, eo solo, quia in dispensatione sua, de quibusdam præstimoniis non fecerat mentionem, non obstante, quod à quibusdam dicebatur, præstimonia non censeri nomine beneficiorum Ecclesiasticorum, cùm in sola temporalitate consistant.

12 Concludimus igitur, appellatione beneficii Ecclesiastici comprehendi præstimonia, & hæc, tanquàm stipendia quædam, dari sinè Ecclesia non solum Canonicis, aliisque Clericis studentibus, ut in Hispania frequenter accidit, sed etiam Militibus contrà Turcas, aliosque Infideles ob defensionem Catholicæ Fidei, ac Ecclesiæ universalis pugnantibus.

Ad rationes in contrarium respondemus: 13
Ad primam; concedendo præstimonia in sola temporalitate consistentia, quæque dantur, tanquàm merces ob ministerium undequaque profanum, juxta notata, nullum officium spirituale continere. At præstimonia, quæ nostris Militibus dantur, comprehendunt Bonum Ecclesiæ, seu defensionem Religionis Christianæ, recitationem precum horariarum, quæ sunt ministeria spiritualia.

Ad secundam, quòd non obstat; quia etiam 14
tot Beneficia Ecclesiastica non obligant illa habentem, nec per se, nec per alium Ecclesiæ, cujus sunt, inservire, ut infra illat. quintâ explicabitur. Præterquam quòd, præstimonia instituta sunt tanquàm stipendia danda Clericis, ut litteris, studiisque operam dent; & studendo se habilitent ad Ecclesiæ serviendum; & danda Militibus, non ut alicui Ecclesiæ in particulari serviant, sed ut Ecclesiam universalem contrà Turcas, aliosque Infideles strenuè pugnando defendant. Quibus addimus consuetudine esse receptum, ut testantur Abb. Oldrad. apud Azor. loc. cit. *quæst. 3.* ut habentes præstimoniales portiones ab onere residendi sint immunes.

Infero primò ex dictis, præstimonia, quæ 15
non sunt quid merè temporale, sed beneficia Ecclesiastica, non tribui, nisi ob munus, & ministerium Sacrum, & Ecclesiasticum, & vacare obitu ejus, qui illa habet, nec posse ad hæredes transmitti.

Infero secundò, præstimonia habentes teneri 16
ad restitutionem fructuum illius diei, quâ preces horarias non recitant, nisi legitima dispensatione gauderent.

Infero tertiò, posse rationabiliter Summum 17
Pontificem dispensare Milites à recitatione precum horariarum tempore belli actualis; cum necessitas bellandi, sit causa sufficiens hujusmodi dispensationis.

Infero quartò, præstimonia inter beneficia 18
simplicia enumerari; quia nec curam animarum habent, nec dignitatem, nec jurisdictionem, nec Clerum, nec populum, nec administrationem. Ita Azor. *in Instit. moral. p. 2. lib. 3. cap. 7. qu. 2.*

Infero quintò probabiliùs, non omnes bene- 19
ficia simplicia habentes cogi jure communi in suis Ecclesiis residere, cùm *in cap. ult. de Cleri. non residen.* & alibi, passim jure Canonico dici soleat, beneficia esse quædam, quæ residentiam requirunt, & alia, quæ residentiam non postulant.

Infero sextò, post Concil. Trid. ubi fuerit 20
usu receptum, non posse absque Summi Pontificis authoritate, eidem duo, aut plura beneficia simplicia, aut duo præstimonia conferri; quia Sancta Synodus, *Sess. 23 cap. 17 de reform.* lege sanxit in universum, ne duo beneficia, etiam simplicia, uni Clerico conferantur; cùm eorum alterum pro vita commodè transigenda sufficiat.

21 Infero septimò, nostros Milites, habentes hæc beneficia simplicia, seu præstimoniales portiones, non teneri ad eleemosynam, seu ad impendendum operibus piis residuum ex congrua sustentatione; quia hujusmodi præstimonia dantur titulo Laico; & ideò non tenentur ad illa expendenda more Clericorum.

22 Infero octavò, Milites Religiosos S. Joannis Hierosoly. SS. Mauritii & Lazari, S. Jacobi, Calatravæ, & similium Ordinum, beneficia possidentes Ecclesiastica, non teneri ad erogandum in pauperes, aut in alia opera pia residuum ex congrua sustentatione, nisi ex instituto suorum Ordinum, quo non obligantur, nisi ad certas pensiones, vel ad Ordinis administrationem, seu gubernationem, vel ad sumptus militiæ contrà Turcas, aliosque Infideles. Et hoc quidem ob præfatam rationem, nempe quia hujusmodi beneficia, seu Commendæ dantur titulo Laico. Comitatum tenent Moita, Ayala, Sà penes Sanchez, *in sum. tom. 2. lib. 7. cap. 8. num. 29.*

23 Infero nonò, vendentes præstimonia incidere in pœnas omnes latas à jure Canonico contrà Simoniacos. Suarez, *tom. 1. de Relig. lib. 4. de simon. cap. 25. num. 4.* Filliuc. *tract. 45. cap 5.* ad fin. Bonac. *de simon. qu. 4. n. 14.* & alii.

24 Infero decimò, Beneficia, quæ habuit promotus ad Episcopatum, etiam simplicia; si talis Episcopus habuit corporalem possessionem pacificam per se, vel per alium; vel per eum stetit, quominus haberet eamdem, vacare illico. Secùs verò iis circumstantiis nondum adimpletis: Ita Glos. Arc. & Hu. quos recenset, & sequitur Turrecrem. *in cap. Si qui Episcopi, num. 2. 92. Dist.*

25 Infero undecimò, in supplicatione pro aliquo beneficio Ecclesiastico obtinendo, seu impetrando, mentionem esse faciendam de præstimonio obtento. Ita etiam tradit Nicol. Gar. *de benefic. p. 1. cap. 2. ex n. 122.*

26 Infero duodecimò, habentes præstimonium fori privilegio gaudere. Ita docent Crescent. *decis. 8. de concess. preb.* & alii, quos refert, & sequitur Barbos. *de jur. Eccles. lib. 3. cap. 8. num. 14.*

27 Infero decimo tertiò, Militem, præter præstimonium, non posse habere aliud beneficium absque Summi Pontificis authoritate; ut etiam optime probat variis juribus, & multorum Doctorum authoritate, Riccius, *in sua praxi quotidiana, p. 2. res. 277.*

X. DIFFICULTAS.

Militi in Minoribus Ordinibus constituto, & posteà vinculo matrimoniali bis obstricto, fuit assignata, causâ resignationis, pensio Clericalis. Dubitatur, an, non obstante bigamiâ, in quam incidit, possit hic Miles hujusmodi pensionem retinere.

1 Notandum primò, bigamiam, juxta interpretationem vocis, quæ à verbo *nubo* deducitur, idem significare, ac binæ nuptiæ: Unde quemadmodum Monogamus dicitur vir unius uxoris, videlicet, qui unam tantùm uxorem habet, vel habuit, ex Glos. *in cap. 1.* in verb. *Monogamum, Dist. 26.* Ita Bigamus duarum, aut plurium uxorum dicitur vir, id est qui duas habet, vel habuit uxores Gloss. *in cap. Una,* in verb. *Bigamus, dist. 26.*

2 Notandum secundò, triplicem esse bigamiam, nempe, veram, interpretativam, similitudinariam: Veram, dum quis successivis temporibus duas habuit uxores; Interpretativam, dum quis duxit viduam, vel quovis modo ab alio corruptam; Similitudinariam, si Religiosus professus, vel existens in Ordine Sacro uxorem ducat: Vel si quis, vivente primâ uxore, duxit aliam, quæ dicitur poligamia. Molfes. *in sum. p. 1. tract. 2. cap. 16. n. 18.* & alii.

3 Notandum tertiò, bigamiam, si definitionem spectemus, esse defectum ex secundis nuptiis provenientem, quo quis divisit carnem suam ad plures uxores. Butrius, *in cap. Debitum, n. 1. de Bigamis.* Palud. *in 4. dist. 27. q. 4. art. 1.* Tabien. verb. *Bigamia*, in princ. & alii.

4 Notandum quartò, pensionem ita dici, vel quia pendet à Beneficio, unde extrahitur; vel quia appenditur, id est solvitur; Nam & quilibet annua solutio dicitur pensio, & ipsius pensionis solutio dicitur pensitatio, Ita communiter Canonistæ.

5 Notandum quintò, pensionem variè à Doctoribus definiri, sed magis communiter sic. „ Est certa portio ex aliquo beneficio, vel mensâ, „ ex causa, ad tempus, non autem in perpe „ tuum, separata, pendens à proprietate bene- „ ficii, à quo extrahitur: Quam definitionem „ optime explicat Barbosa, *de jure Ecclesiast. lib. 3. de pens. cap. 11. num. 3.*

6 Notandum sextò, magnam esse inter Canonistas controversiam, an pensio sit Beneficium Ecclesiasticum: Et utramque partem, affirmativam scilicet, & negativam suos habere sectatores, suis fulciri rationibus repetio; ut videre est apud Barb. loc. cit. *num. 8. & 15.* & alios Canonistas.

7 Notandum septimò, pensiones esse in duplici differentia; aliquas enim esse merè temporales; aliquas verò, quæ dantur in titulum Clericis, scilicet ut commodiùs valeant sustentari; vel ex causa resignationis, vel cessionis, ne ex eanimium dispendium patiantur; & hæ pensiones sunt Clericales, & loco beneficii assignantur.

8 His adnotatis; ad difficultatem propositam, an Miles, in Ordinibus minoribus constitutus, ob contractam bigamiam, possit retinere pensionem ei causâ resignationis assignatam; affirmativè videtur respondendum. Etenim Milites Lauretani possunt retinere, & de facto retinent pensionem Ecclesiasticam usque ad summam ducentorum ducatorum auri de Camera, non obstante matrimonio contrahendo, & bigamiâ. Milites pariter SS. Mauritii & Lazari, creati à Regali Celsitudine Ducis Sabaudiæ, qui contrahunt matrimonium cum unica, & virgine, etiamsi evadant bigami, remanent capaces retinendi pensiones usque ad summam ducatorum 400. auri de Camera. Similiter Milites S. Stephani, creati à Magno Eutruriæ Duce, possunt,

non obstante matrimonio contracto, & bigamiâ, retinere pensiones usque ad summam 400. ducatorum de Camera. Ita refert Barb. loc. cit. *à n. 32. usque ad num. 35.*

9 His minimè obstantibus, contrarium tanquàm verius, & probabilius sustinendum esse existimo; nempè Militem in Minoribus Ordinibus constitutum, ob bigamiam contractam, nullatenùs posse pensionem ei datam Clericalem sive causâ resignationis, sive cessionis retinere. Covar. *de sponsal. p. 2. cap. 3 §. 3 sub n. 6.* Clar. *§. fin. quaest. 74 vers. Clericus*, in fine Majol. *lib. 1. de irreg. cap. 34. num. 1. & 4.* Farinac. *fragm. crimin. p. 1. v. Clericus, num. 331.* Laym. *in Theolog. moral. lib. 4 tract. 2. cap 18. num. 2.* Sayr. *in suo Thesauro, lib 6. cap. 5. num. 4. & 10.* ubi citat Panor. Navar. & alios. Barbosa, loc. cit. *n. 30.* ubi innumeros alios allegat.

10 Moveor primò juribus, *in cap. unic. de bigam. lib. 6.* ubi bigamus ex decreto Gegorii X. omni privilegio Clericali nudatur. Et *arg. in cap. 1. & cap. 2. de Cleric. conjug.* ubi per matrimonium per verba de praesenti contractum à Clerico in minoribus Ordinibus constituto, vacant ejus beneficia: Sic etiam vacare debent pensiones ei datae in titulum Clericalem.

11 Moveor secundò rationibus; nam quamvis bigamia aliquando sine peccato contrahatur; bigamus tamen, ut optime probat Sayr. *in suo Thesauro, lib. 6. cap. 5. num. 9.* in poenam fit indignus omni Ordine, & Clericatu; atque adeò indignus etiam redditur beneficiis, aliisque praerogativis, quae dantur Ordinatis. Tum quia post matrimonii contractum per verba de praesenti, non valet transactio, seu nova conventio inter Titularem, & Pensionarium super ejus solutione absque Sedis Apostolicae facultate, ita Rot. in Tullen. fructuum Prioratus, 22. Junii 1619. coram Coccino Decano; quod sufficienter indicat per matrimonii contractum pensiones vacare in titulum Clericalem collatas.

12 Moveor tertiò exemplo, sive praxi: Scimus enim de stylo Curiae hujusmodi pensiones per matrimonium vacare, quamvis nullo onere spirituali adjecto sint constitutae. Ita etiam attestatur Squillan. *de privileg. Cleric. cap 5. n. 20.*

13 Concludimus igitur, nostrum Militem Clericum per bigamiam perdere pensiones ei datas in titulum Clericalem; sive matrimonium fuerit validum, sive nullum, & de facto contractum; dummodò nullitas non provenerit ex defectu consensus, ut censuit Rot. coram Caval. *decis. 166. per tot.* & statim si non fuerit sequuta copula; aut occultum sit, eum esse uxoratum, & bigamum, ut tenent Doctores, *in cap. 1. de Cleric. conjug.*

14 Ad rationes in contrarium respondemus, praefatos Milites, non obstante matrimonio contrahendo, & bigamiâ, pensiones Ecclesiasticas retinere ex speciali privilegio Sedis Apostolicae; Milites, inquam Lauret. ex Constit. Sixti V. 15. in ordine Bullar. novi, relat. à Flamin. Paris. *de resignat. benefic. lib. 6. quaest. 4. num. 51.* Milites SS. Mauritii, & Lazar. ex Const. Clem. VIII. incip. *Decet* 102. in ordine, § *13. die 9. Septemb. 1603.* De quo privilegio mentionem facit Rota, *in Romana pecuniaria, 26. Maji 1627.* coram Card. Virili; & tandem Milites S. Stephani, ex Constit. Pauli V. 46. incip. *Dum generosa, 14. Kal. Julii 1608.*

Infero primò ex dictis, Bigamum esse incapacem beneficii Ecclesiastici; cum prohibeatur promoveri ad Ordines, ut *tot. tit. de bigamis*, cum innumeris aliis cumulatis per Garz. *part. 7. de benefic. cap. 6.* 15

Infero secundò, Summum Pontificem dumtaxat, & non Episcopum posse dispensare, ut Bigamus promoveatur ad Ordines etiam minores, aut ad primam tonsuram, & consequenter ut beneficium simplex habeat; *cap. unic. de bigam. in 6.* & ita declaravit Anno 1589. die 30. Januar. Sacra Congregatio Concilii; quam declarationem approbavit Sixtus Quintus, teste Garz. loc cit. *n. 5.* 16

Infero tertiò, hujusmodi pensiones, absque Romani Pontificis authoritate, non posse vendi, aut redimi absque labe simoniae, non solùm contrà jus humanum, sed etiam contrà jus Divinum, ex Pii V. Constit incip. *Ex proximo*, editâ Anno 1571. & hoc de stylo Curiae. qui facit legem: Et tenent Azor *Instit. moral. part. 2. lib. 8. cap. 10. q. 10.* Reginald *in praxi fori poenitent. lib. 23. n. 276.* & alii. 17

Infero quartò incidenter, per promotionem ad Episcopatum vacare pensionem datam in titulum Clericalem, quemadmodum vacant Beneficia, juxta *cap Cum in cunctis, §. de elect.* Et tenent Gig. *de pension. quaest. 56. & cons 149. n. 8.* Squillan. *de privil. Cler. cap. 5. n. 45.* & alii. 18

Infero quintò, pensiones, quae Laicis dantur titulo merè temporali, per matrimonium contractum non extingui, ut plures docent, inter quos Ricciul. *de jur. pensonar. extr. grem Eccles. exist. lib. 7. cap. 3. num. 4. & 5.* Grisenzon, *cons. 36 num. 20.* 19

Infero sextò, Clericum minoribus Ordinibus constitutum, si cum pluribus contraxit, aut cum vidua, aut cum corrupta, etiam quam virginem esse credebat, omni privilegio Clericali nudari. Ita etiam ex Glos. *in cap. Unic.* in verb. *virginibus, de Cler. conjug. lib. 6. & ita est expressum in tit. 12. de bigam lib. 6 cap. Altercationis*, ubi est Greg. X. Secùs verò, si contraxisset cum unica, & virgine & deferret habitum, & alicujus Ecclesiae servitio, vel ministerio esset deputatus, ut tenet Sayr. loc. cit. *n. 3.* 20

Infero septimò, Clericum contrahentem cum pluribus prohiberi sub poena excommunicationis sententiae ferendae tonsuram, vel habitum Clericalem deferre. Alphons. Vivald. *tract. de irregul. bigamia, num. 26.* Sylvest. *in sum.* verb. *bigamia, quaest. 8.* in fine, ubi dicit, bigamum peccare mortaliter, si tonsuram, & habitum Clericalem deferat. 21

Infero octavò, Bigamum esse irregularem, secundùm aliquos Doctores, de jure Divino; secundùm verò alios, solùm de jure Canonico. Doctores pro utraque parte refert Sayr. *in suo Thesauro. lib 6. cap 3. n. 20.* 22

Infero nonò, esse irregularem eum, qui ante Baptismum duas uxores simul, aut successivè duxit; imò si unam ante Baptismum duxerit, & eâ mortuâ, aliam post Baptismum habuerit, Ita post D. August. *lib. de bono conjug. cap. 18.* D. Amb. 23

D. Amb. *lib. 1. de offic. cap. ult.* Canonistæ communiter, *in cap. Gaudemus, de divortiis.* Contrarium tenent alii, quos refert Sayr. loc. prox. cit. *num. 3.*

24 Infero decimò, Clericum primæ tonsuræ, seu in minoribus constitutum, habentem pensionem, gaudere privilegio fori. Crescent. *decis. 14. de sent. & re jud.* Diana, *p. 1. tract. 2. res. 30.* Et à Sacra Congreg. fuit decisum, obtinentes pensionem haberi pro Clericis beneficiatis ad effectum privilegii fori, teste Armendar. *in addit. ad recop. legum. Navarra, lib. 2. tit. 19. de foro compet. num. 5. & 7.* & authenticam declarationem ejusd. Sac. Congregationis fatentur vidisse Barbos. *de jure Eccles. lib. 3. de pension. cap. 11. num. 17.* in med.

25 Infero undecimò, posse ex causa Summum Pontificem dispensare, ut Bigamus possit pensionem Clericalem retinere; cum Summus Pontifex sit in Beneficialibus Dominus absolutus. *Clem. 1. ut lit. pend.*

26 Infero duodecimò, quòd bigamus absque dispensatione Summi Pontificis non potest esse Sacerdos. Textus est etiam clarus, *in cap. Qui sine, 26. Dist. cap. Si quis potest, 33. Dist. cap. 1. de bigamis non ordinan.* & Concil. Agat. C. 1. Neque potest fieri Episcopus, etiamsi unam uxorem habuerit ante Baptismum, & alium post, *cap. Acutius, causa 28. q. 3. d. cap. Si quis potest, 33. Dist.*

27 Infero decimo tertiò, bigamum esse dicendum (intellige similitudinariâ bigamiâ) qui Virginem professam violat. *cap. Quotquot, causa 27. quæst. 1.*

28 Infero decimo quartò, bigami pœnas, seu inhabilitates incurrere eum, qui cum Vidua contrahit; estò quòd bigamus verè non sit, *cap. fin. de bigam. non ordinan.*

XI. DIFFICULTAS.

An sit remittenda, aut saltem reducenda pensio ob detrimentum, quod causâ belli obvenit, quando deficientia fructuum ob belli calamitates, & devastationes sequutas, potest compensari cum fructuum ubertate præcedentium, vel subsequentium annorum.

1 Notandum primò, pensionem esse jus percipiendi fructus ex alieno beneficio, durante vita Pensionarii, ex justa causa concessum. Ita Mulf. *in sum. p. 1. tract. 6. cap. 3. n. 18.* ubi alios producit.

2 Notandum secundò, Pensionem triplicem esse; nempe temporalem, spiritualem, & mixtam, seu mediam. Est sensus communis, ut probant Anchar. & alii, *in Clem. 1. §. eadem, de supplen. neglig. Prælat.* Azor. *p. 2. inst. moral. lib. 8. cap. 5. quæst. 3. & 5.* ubi citat Gig. & alios, Less. *lib. 2. de just. & jur. cap. 34. dub. 37.*

3 Notandum tertiò, pensionem temporalem esse, quæ datur etiam Laicis pro aliquo ministerio temporali extra Ecclesiam; spiritualem, quæ datur Clericis propter aliquod officium spirituale ergà Ecclesiam; & mixtam, seu mediam, quæ datur alicui ob resignationem, vel concessionem beneficii; ut optimè explicat. Molfes. loc. cit. *à num. 19.*

Notandum quartò, pensionem secundùm se esse merè profanam; cùm etiam Laici possint illam possidere, sed hodiè, post Constitutionem Pii Quinti, posse habere annexam spiritualitatem, & ita etiam declaravit Rota, Anno 15[illegible]9. die 3. Maji, ut refert Gatz. *p. 1. de benefic. num. 19.* 4

Notandum quintò, pensionem non esse beneficium, ut per Tex. *in cap. Postulasti, & cap. Ad Audientiam, de rescript.* & notat Graff. *p.* [illegible] *decis. lib. 2. de bon. Canonic. cap. 50. num.* [illegible] illâ tamen exceptâ, quæ datur in titulum benefi[illegible] seu quæ datur Clericis, ut Clerici sunt, ut docent Suarez, Reginal. Gatz. apud Molf. loc. cit. *num. 21.* 5

Notandum sextò, pensionem illam dici justam, quando eâ exactâ per Pensionarium, t[illegible]ntum remanet Beneficiario, quo commodè valet sustentari, jura Episcopalia solvere, & onera Beneficii sufferre *Cap. de Monachis, cap. Cum causam, cap. Vacante de præb. cap. 1. de censib.* & notat. Graff. loc. cit. 6

Notandum septimò, in Beneficiis, quæ sunt de jure patronatus, posse pensionem imponi à Patrono, ut probat Graff. loc. cit. *num. 11* & etiam à Summo Pontifice, cùm in omnibus beneficiis plenissimam habeat potestatem. *cap. 2. de præb. in 6.* cum aliis cumulatis per Authores, & tradit Abb. *in cap. pen. de jure patron.* ubi ass[illegible]it, tunc esse necessarium Patronorum consensum, & Graff. loc. cit. *num. 12.* ubi docet pensionem in jure patronatus per Patronum impositam à nemine posse extingui sine authoritate Pontificis, quamvis gratis absque ejus authoritate redimi possit, asserens, talem esse stylum Curiæ, qui facit jus. *cap. Quàm gravi, de crim. fal. cap. Ex litteris, de Constit.* 7

His prænotatis; ad difficultatem propositam, an remittenda, aut saltem reducenda sit pensio ob detrimentum, quod causa belli obvenit, quando deficientia fructuum, ob belli calamitates, & devastationes sequutas potest compensari cum fructuum ubertate præcedentium, vel subsequentium annorum; affirmative videtur respondendum; nam superveniente sterilitate fit remissio pensionis, prout fit remissio mercedis Conductori, ut optimè probat variis juribus, Doctorum authoritatibus, & rationibus noster Molfes. *tom. 3. ad Consuet. Neapol. tit. de locat. & conduct. quæst. 22.* & Menoch. *de arbitr. jud. cas. 6. num. 5.* Ergò etiam superveniente belli detrimento; militat enim eadem ratio. Deindè semper debet salvari jus congrui in favorem Beneficiati, ut volunt Jura, & ostendunt Doctores; atque adeò suppositis belli calamitatibus, & devastationibus tenetur Pensionarius remittere Beneficiato pensionem, vel saltem illam reducere. 8

Contrarium tamen, tanquàm probabilius sustinendum esse arbitramur: Et ita etiam sentire videntur Alberic. *in l. Licèt* in fin. *Cod. loc.* Calcan. *cons. 24. num. 9.* Neviz. *cons. 16. num. 23. & cons. 91. num. 14. & 17.* Bellon. *cons. 21. n. 4. vers. 3.* 9

vers. 3. Menoch *cons.* 27. *num.* 15. Gozzad. *cons.* 73. *num* 13. *& seq.* Beroд. *cons.* 17. *num.* 24. Rota, *dec.* 2229. *num.* 5. *& 6.* Gloss. pariter, *in d. l. Licèt, Cod. loc* verb. *Sterilitates*, Cardin. de Luca, *de pension. disc.* 21. *num.* 5. & novissimè Illustriss. & Reverendiss. Petrus Corradinus in hac Curia olim Advocatus celeberrimus, dein Innocentii XII. & Sanctissimi D. N. Clementis XI. Subdatarius dignissimus, & Basilicæ Lateran. Canonicus, ut habetur ex quodam scripto Typis mandato, & infra tangendo.

10 Moveor primo juribus, *in d. l. Licèt, Cod. Locat. & Conduct.* ubi habetur propter sterilitatem, vel aliud accidens supetveniens, non esse remissionem faciendam mercedis, quando sterilitas præcedentium annorum potest compensari cum sterilitate illius anni, *& in l. ex eo vino, ff. de tritic. vino, & ole. leg.* ex qua habetur, non esse de reductione, quærendum, nisi quando ex re taxativè relictâ non percipiuntur fructus sufficientes pro pensione. Favet etiam Extrav. Jo: XXII. quæ incipit *Suscepti*, si benè consideretur.

11 Moveor secundò rationibus; nam pensionarius non potest, tanquàm læsus, augere pensionem Beneficiato, si Beneficiatus ipse multum lucratur atque adeò neque poterit Beneficiatus, tanquam læsus, ex diminutione fructuum ob belli devastationes Pensionario diminuere pensionem: Damno enim subjacere non debet socius, qui participationem lucri non sperat, & è converso, *l. Mutius, ff. pro socio, l. secundùm naturam, ff. de jur. jurand.* & ità videtur æquitas postulare; Sicuti remissio pensionis, & mercedis non fit Conductori damnum passo, seu læso, nisi læsio excedat dimidium debitæ pensionis, ut tradunt Bart. *in d. l. licèt, Cod. loc.* Ангел. *cons.* 32. *col.* 1. & alii plures, quos producit, & sequitur Menoch. *lib. de Arbitr. Jud. cas.* 76. *num.* 5. *& cons* 1128. *num.* 13. Tum quia sentiunt communiter Doctores, ut locus sit remissioni, aut reductioni pensionis, diminutionem fructuum debere esse perpetuam, & invariabilem; & in beneficiis, quæ non sunt Curata, vel residentialia, non sufficere quamlibet fructuum diminutionem, sed talem requiri, quæ reducat pensionis reservationem ad iniquitatem; ita ut vix fructus supersint pro Ministris Ecclesiæ, & necessitatibus ejusdem. Bellum autem non semper durat; & sic diminutio fructuum non est perpetua; & supponimus, fructus annorum præcedentium fuisse uberes, & in futurum posse fructus, extincto bello, esse uberes, & reduci ad statum antiquum, vel sufficientem pro solutione pensionis, & compensatione damni ob belli devastationes sequuti.

12 Moveor tertiò exemplo, in Consistorio particularis Congregationis trium Prælatorum, nempè Sperelli de Sperellis, Episc. Interamnen. postea Vicesgeren. deinde Assessoris Sancti Officii; nunc verò ob ejus singularem pietatem, prudentiam, & doctrinam S. R. E. Principis Purpurati; Petri de Certetanis; Fattinelli de Fattinellis, deputatæ ab Innocentio XII. felicis Mem. in causa inter Eminentiss. & Reverendiss. D. Cardinalem Cæsarem d' Estrees perpetuum Commendatarium Abbatiæ, seu Monasterii S. Mariæ de Staffarda Salutiarum, seu nullius Provinciæ Taurinen. de jure patronatus Regalis Familiæ Ducum Sabaudiæ, Actorem ex una parte; & Illustriss. D. Abbatem Hyacinthum ex Comitibus S. Martini de Alladio à S. Germano reum ex altera, de, & super reductione pensionis, aliàs super fructibus certis d. Abbatiæ, in favorem ejusdem Abbatis Hyacinthi reservatæ ex Litteris Apostolicis Sa: Me: Innocentii XI. sub Dat. sexto Idus Augusti 1678. petita pro parte ejusdem Eminentiss. D. Cardinalis ob diminutionem fructuum ex causa deteriorationis ejus bonorum propter bella, & prælia super eis sequuta Annis 1690 & 1691. in quo negotio doctè, & maturè discusso, resolutum fuit in favorem D. Abbatis Hyacinthi Pensionarii; scilicet pensionem prædictam non fuisse, nec esse reducendam, aut minuendam, sed integrè persolvendam in summa, & quantitate scutorum sexcentorum monetæ Romanæ, In qua authoritate Apostolicâ, præstito Regali assensu Ducissæ Sabaudiæ Regentis, reservata fuit.

Concludimus igitur, non esse remittendam, aut reducendam pensionem ob detrimentum, quod causa belli obvenit; quamvis pensio sit reservata super fructibus, & taxativè, quando diminutio fructuum ob belli calamitates, & devastationes sequutas potest compensari cum fructuum ubertate præcedentium, vel subsequentium annorum; vel saltem, quousque percipiuntur fructus ascendentes ad summam expressam in Bulla pro regula pensionis. 13

Ad rationes in contrarium respondemus: Ad primam, patet responsio ex primo motu; sterilitas enim digna remissione pensionis est, cùm fructus percepti non sufficiunt ad persolvendum dimidium pensionis, ut probat Gloss. *in d. l. Licèt, Cod. locat.* & Doctores, qui possunt contrà nos allegari, semper supponunt, aut ex re taxativè relictâ non nasci fructus sufficientes pro pensione; aut quod pensio evaserit adeò gravis, ut nil remaneat Titulari de fructibus, quos voluit Summus Pontifex assignare eidem, detractâ pensione. 14

Ad secundam; patet etiam responsio ex motu secundò: Prætèrquàm quod, nos agimus, non de pensione super fructibus, & proventibus beneficii residentialis, aut Curati reservatâ, quo in casu inspiciendum est jus congrui; sed de pensione super fructibus, & proventibus beneficii simplicis reservatâ; in quo casu magis est privilegiatum jus Pensionarii, quàm jus Titularis, seu Beneficiati, ut probat Cardin. de Luc. *de pension. D.* 33. *n.* 5. 15

Infero primò ex dictis, Pensionarium non teneri ad expensarum contributionem pro reparatione bonorum Abbatiæ; præsertim quando Titularis percipit fructus ascendentes ad summam expressam in Bulla pro regula pensionis. Et ita sentit etiam Rebuff. quem citat, & sequitur Tondut. *de pensionib. Ecclesiast. cap.* 6. *num.* 13. 14. *& seqq.* qui tamen excipiunt casum subsidii. 16

Infero secundò, quòd quando pensio fuit imposita super Beneficio Ecclesiastico, & fructibus ejus, sed libera, immunis, & exempta, Pensionarius non tenetur ad onus extraordinarium 17

reparationis Ecclesiæ. Navarr. *conf. unic. de Ecclesiis ædificandis.* Lother. *de re benefic. lib. 1. quæst. 38. num. 22. & seqq.* Barbos. *de off. Episc. alleg. 64. num. 18.* Garz. *de benef. p. 1. cap. 5. n. 172.* & alii. Secùs verò, quando pensio non est imposita omnino libera: Tunc enim debet Pensionarius pro rata contribuere.

18 Infero tertiò, quòd quando fructus beneficii longè exuberant valorem expressum in Bulla pro regula pensionis, tenetur Titularis, seu beneficiatus solvere pensionem, etiam pro annis sterilibus, commensuratâ antecedenti fertilitate, & uberantiâ. Gigas, *de pension. q. 62.* Rota, *coram Puteo, decis. 18. lib. 2.*

19 Infero quartò, esse justam, & necessariam in litteris Pontificiis, in quibus pensio mandatur solvi, appositionem illius clausulæ, *quod pensio solvatur sinè retardatione*, ut scilicet his litteris obedientia debita præstetur, nec non obvietur malitiis, ac fraudibus solvere recusantium, qui ex qualibet levi causa possent movere lites, & retardare solutionem pensionis. Gigas, loc. cit. *num. 12.* & alii, quos probat Ricc. *decis. 431.* & Molf. *in sum. p. 1. tract. 6. cap. 3. n. 42.*

20 Infero quintò, pensionem non posse absque labe simoniæ vendi, aut cedi, aut redimi, mediante pecuniâ; aut quovis alio modo alienari, vel commutari sinè licentia Summi Pontificis. Et ita communiter DD. Secùs verò, si pensio esset merè temporalis, ut illa, quæ datur Militi, vel Duci pro Ecclesia pugnantibus, vel aliis pro aliquo ministerio temporali exhibito extra Ecclesiam. Et ita habetur ex Bulla B. Pii V. editâ Anno 1571. quæ incipit: *Ex proximo*, ut notat Suar. *tom. 1. de Relig. tract. 3. lib. 4. cap. 26. n. 3.* Less. *lib. 2. de just. & jur. cap. 34. dub. 37. n. 112.* Garz. *p. 1. de benef. num. 24.* & hæc est receptior sententia, Quidquid dicat Navar. apud Molf. loc. cit. *n. 20.*

21 Infero sextò, in foro exteriori non requiri causam in Summo Pontifice ad imponendam pensionem in beneficiis. Ita etiam tenent Felin. Dec. Gigas, Rebuff. Paris. & alii, quos probat Garz. *p. 1. de benef. cap. 5. num. 275. & seqq.* ubi sic pluries decisum refert in Rota Romana. Secùs verò in foro conscientiæ, in quo requiri causam justam; ac proinde obtinentem à Summo Pontifice pensionem sine causa justa non esse tutum in conscientia, asserunt Abb. Victor. Cordub. Aragon. & alii, quos refert, & sequitur Garz. loc. cit. *n. 277.* & Molf. loc. cit. *n. 31.*

22 Infero septimò, quòd Pensionarius potest de fructibus perceptis disponere, sed juxtà dispositionem Bullarum Pauli III. Julii III. Pii V. & usum Cameræ Apostolicæ, ut notat Molf. loc. cit. *num. 46.*

23 Infero octavò, pensionem extingui morte naturali, aut civili illius, cui solvitur; & etiam per promotionem ad Episcopatum, aut ad aliquam Abbatiam, per quam vacant priora beneficia, & etiam per matrimonium, ut advertunt Authores allegati.



XII. DIFFICULTAS.

Causâ belli formidolosi, & truculenti, à sua residentia recessit quidam Canonicus: Dubitatur, num illi distributiones quotidianæ debeantur.

1 Notandum primò, residentiam esse nomen verbale, descendens à verbo *resideo*, quod idem est ac quiesco, sedeo, firmiter sto, unde Virg. *lib. 7. Æneid.* dicit:

Omnisque repentè resedit
Flatus.

& aliquando significare otium: Et successivè reses dici solet otiosus; undè idem Virg. *lib. 1. Æneid.* dicit:

Jam pridèm resides animos, desuetaque corda.

Et Cic. *de fin.* dicit: *Residemus, si placet.*

2 Notandum secundò, residentiam esse assistentiam personalem in loco beneficii, pro adimplendis muneribus ratione beneficii, non autem ut beneficiarius debeat esse otiosus.

3 Notandum tertiò, distributiones quotidianas esse bona quasi patrimonialia Clericorum, optimè explicat Molfes. *in sum. p. 1. tr[illegible] 6. cap. 10. num. 40.*

4 Notandum quartò, teneri ad residentiam omnes Patriarchas, Primates, Archiep[illegible]op[illegible] Episcopos, Parochos, omnesque habentes d[illegible]tatem, quæ habeat annexam curam Animarum, ut habetur ex Trid. *Sess. 23. de refor. cap. 1.*

5 Notandum quintò, bellum non esse formidolosum, & truculentum, si Militibus sit per Ducem omnis hostilitatis actus prohibitus; sitque salvaguardia, atque securitas concessa. Rota Romana, *decis. 261. num. 4. p. 18. tom. 1. Recent.*

6 His adnotatis; ad difficultatem propositam an Canonico causâ belli formidolosi, & truculenti, à sua residentia recedenti, quotidianæ distributiones debeantur, negativè videtur respondendum; siquidem distributiones quotidianæ requirunt personale servitium, ac proindè absentes ex quavis legitima causa non possunt eas habere: Et Tex. adest expressus, *in cap. Ad Audientiam, de Cler. non residen. & cap. Consuetudinem, eod. tit. in 6.* ubi habetur, quòd distributiones solùm præsentibus, qui interfuunt [illegible] vinis, dari debent.

7 Fateor, hanc opinionem primo aspectu [illegible] quam habere probabilitatem. Con[illegible] men, quam veriorem esse arbitror, [illegible] adhæreo cum Felin. *in cap. Apostolica, num* [illegible] *de except.* Covar. *var. resolut. lib.* [illegible] *num. 8.* Barbos. *de Canon. cap. 24.* Molfe[illegible] *sum. p. 1. tract. 6. cap. 11. num. 42.* & ali[illegible] probat Vasq. *cap. 4. de benefic. § 3. dub. 3. n.* [illegible] 225. 226. & in terminis Rota Ro[illegible]n. *dec*[illegible] 14. *num. 1. & decis. 336. num. 2. p. 17. & dec*[illegible] 261. *à num. 1. p. 18. Recent.*

8. Mo

8 Moveor primò juribus, præsertim *in cap. unic. de Cler. non residen, in 6.* ubi habetur, quòd coactus sine culpa sua abesse, distributiones quotidianas lucratur.

9 Moveor secundò rationibus; nam bellum, ejusque solus timor, ut docet Rota Roman. loc. cit. præbet justam causam non residendi pro distributionibus consequendis: Nemo enim tenetur vitam suam periculo exponere, ut notatur *in d. cap. unic. de Cler. non residen. & in cap. Cum personæ*, ubi Glos. *de privileg in 6.* & sic Canonicus, causâ belli abseos, non debet quotidianis distributionibus privari.

10 Moveor tertiò exemplo, in Laurentio, Canonico Ecclesiæ Varmiensis, qui propter timorem belli à Varnia Gedanum se contulit, & residere non potuit; & tamen ei deberi distributiones, probato facto, nempe duratione, & truculentiâ belli, à Rota Romana loc. cit. decidi tur: Secùs verò nullâ, vel insufficienti facti probatione existente.

11 Concludimus igitur, durante bello periculoso, & truculento, non posse Canonico, ob talem causam absenti, distributiones quotidianas denegari; dummodò, bello cessante, residentiam statim reassumat, & in loco, ad quem se contulit, aliud residentiale beneficium assequutus non fuerit; atque adeò non ex bello, sed ob aliam residentiam absens fuerit judicatus: Quo in casu Rota, loc. cit. concludenter probat, absenti distributiones quotidianas minimè deberi.

12 Ad rationes in contrarium respondemus; concedendo, quotidianas distributiones requirere personale servitium, nullo existente impedimento; secùs verò, quando impedimentum est justum: Diximus enim, authoritate Rotæ Roman. fulti, bellum, ejusque solum timorem causam non residendi sufficientet præbere.

13 Ad jura allegata eodem modo respondetur; nempè esse intelligenda, quando justa causa absentiæ non adest, aut probari non potest.

14 Infero primò ex dictis, ut bellum sit justa causa absentiæ, & non residentiæ, esse probandum, quòd fuerit formidolosum, & truculentum.

15 Infero secundò, bellum dici cessare, vel saltem non esse truculentum, ubi publicis edictis Princeps prohibet suis Militibus ei parituris, ne ullum hostilitatis actum exerceant.

16 Infero tertiò, Beneficiariis quotidianas distributiones minime deberi ratione belli, ipsis non redeuntibus ad residentiam eo tempore, quo alii Beneficiarii rediere; tunc enim, cùm adsit libertas accessus, excluditur truculentia belli.

17 Infero quartò, necessitatem residendi in Ecclesia, de qua Beneficiarius fuit in absentia à suo beneficio noviter provisus, ei impedire actionem contrà Capitulum pro perceptione distributionum primi beneficii.

18 Infero quintò, Canonicos non teneri ad residentiam redire toto tempore, quo eorum Ecclesia est ab hostibus occupata, aut etiam sæcularizata; neque teneri reassumere residentiam propter bellum omissam à tempore, quo fuit conclusa pax. Ita sentit etiam Rota Roman. *decis. 141. num. 6. & 7. p. 17. Recent.*

Infero sextò, residere asse accipiendum cum effectu, id est choro interesse, & Ecclesiæ in Divinis officiis deservire; & successivè præsentiam personæ Ecclesiasticæ in loco non prodesse, si Choro non intersit, & Ecclesiæ in Divinis officiis non assistat; ut notat Fagnan pluribus relatis, *in cap. Conquærente, num. 56. & in cap. Licet, num. 24. de preb. & in cap. in Ecclesiis, num. 27. de Capell. Monachorum.* 19

Infero septimò, cuicumque Beneficiatio absenti quotidianas distributiones deberi, quando per ipsum non stat, quin personaliter inserviat; ut puta si esset infirmus, captivus, injustè excommunicatus, vel injustè carceratus etiam à suo Ordinario: Vel quia ob negotia Ecclesiæ ex commissione Ecclesiæ abesset, & ob alias similes causas. Ita etiam Molf. loc. cit. *n. 42.* 20

Infero octavò Incidenter, Milites Hierosolymitanos ex causa Religionis excusari à residentia; & quemcumque absentem causâ Religionis dici interesse, & gaudere omnibus privilegiis, quibus fruuntur præsentes. *Cap. Relatum, & cap. Cum fraternitati, de Cler. non residen.* & tenet Rota Roman. *decis. 7. num. 1. p. 17. Recent.* 21

XIII. DIFFICULTAS.

An Gabellarum Conductoribus sit remissio facienda mercedis ob maximum detrimentum, quod illis obvenerit, propter bellum non cogitatum, si susceperint in se omnes casus, omnem fortunam, & omne periculum.

Notandum primò, conductionem descendere à verbo *conduco*, quod inter alia significat aliquid pretio accipio; seu, ut clariùs explicem, significat rem utendam, opusvè faciendum mercede accipere; & locationem esse nomen verbale, deductum à verbo *loco*, quod inter alia significat pretio do aliquid ad utendum. Ita communiter Jurisperiti, & etiam Theologi. 1

Notandum secundò, hæc duo verba locare, & conducere, aliquando à Juristis confundi, ut *in l. 2. §. 1. ff. locati, l. 1. ff. de superfic. l. 5. §. Nunc videndum, ff. commodati*, unde Veteres appellatione locationis & conductionis promiscuè utebantur. 2

Notandum tertiò, locationem esse personæ, vel rei ad certum usum factam concessionem, certâ mercede pecuniariâ constitutâ; & esse duplicem, unam scilicet, quæ fit ad certum præfinitum tempus aliam verò perpetuam absque temporis præfinitione. Ita Hostiens. Azor. & alii, quos recenset Mantic. *lib. 5. de tacit. & ambig. convent. tit. 1. num. 2.* 3

Notandum quartò, contractum locationis, & conductionis esse ultrò, citroque obligatorium, ut clari juris est; Unde æqualitas servari debet, *l. si id, quod, §. ult. ff. de rescin. vend.* & docent Crav. *in consi. 245. num. 7.* & Menoch. *in consi. 189. n. 2.* 4

5 Notandum quintò, locationem fieri poſſe omnibus perſonis, iis exceptis, quibus à jure interdicitur; ut ſunt inter alios, milites, ut *in l. milites, Cod. locati*; & tradunt plures, quos refert, & ſequitur Molfeſius, *in ſum. p. 2. tract. 12. cap 8. num. 45.*

6 Notandum ſextò, remiſſionem, jurisque proprii renunciationem non præſumi, quia renunciationes ſunt ſtricti juris, nec in eis veniunt, niſi quæ ſunt expreſſa. Ita tradunt Dec. *in l. poſtquàm liti, num. 16 Cod. de pact. & in conſ. 352. num 8.* Crav. *in conſ. 257. num. 4. & 5.* Tiraquel. *in l. ſi unquàm, in præfatione 128. Cod. de revoc. dona.* Eſt enim renuntiatio quædam donatio, quæ, ut dixi, non præſumitur, *l. cum de indeb.* in princ. *ff. de probat.*

7 Notandum ſeptimò, unicuique licere jus proprium remittere, *l. pen. Cod. de pact.* cum ſimilibus & jure remiſſo per renunciationem, non ampliùs dari regreſſum ad illud *l. quæritur, §. Si venditor, ff. de adil. edict. l. 1. §. ult. Cod. de remiſſ. pign.* Crav, *conſ. 74. n. 7.*

8 His adnotatis; ad difficultatem propoſitam, an Gabellarum Conductoribus ſit remiſſio facienda mercedis ob detrimentum, quod illis obvenerit propter bellum non cogitatum, ſi in ſe ſuſceperint omnes caſus, omnem fortunam, omne periculum, negativè videtur reſpondendum; nam Conductores in ſe ſuſceperunt omne periculum caſus fortuiti, omnemque adverſam fortunam; unde ipſiſmet eſt imputandum, quod fortunæ ſe ſubjecerint, *l. ſed & ſi quis, §. Quaſitum, ff. ſi quis cau.* Præterea caſus belli non videtur inſolitus, & non cogitatus, quamvis inter Principes pactæ ſint induciæ: Sæpe enim accidit, pacem arctiſſimis vinculis initam, novis ſupervenientibus cauſis diſrumpi præſertim in noſtra Italia: Quapropter dicebat Beda „ *Beda, Beda tace, quia Italia nunquàm erit in pace*, apud Menoch. *in conſ. 27. ſub num. 13.* Cùm igitur bellum facilè potuerit prævideri, ſibimetipſis debent Conductores adſcribere, ſi aliquod detrimentum propter bellum patiuntur.

9 Fateor, hanc opinionem magnam habere probabilitatem, & eſſe, quaſi dixerim, conſuetudine fultam, undè illi, cùm primùm cœpi hanc difficultatem in mente mea evolvere, adhærere putabam: Verùm, re meliùs conſideratâ, & diligentiori ſtudio examinatâ, contrarium mihi viſum eſt verius eſſe, & probabilius, & ſic amplectendum cum Batt. *in l. Cotem ferro, §. Qui maximos, ff. de public. colum. 1.* Boſſ. *tit. de remiſſ. merced. publicanorum, concl. 1. num. 1.* Rubeo, *conſ. 153.* in fine, Boer. *quaſt. 243. n. 4.* Franc. de Marchis, *quaſt. 62. ad fin. p. 1.* Barba. *conſ. 21. col. 5. lib 2.* Vincent. Caroc. *tract. locat. & conduct. p 3 q. 6. num 4.* Molfeſ. *in ſum. p. 2. tract. 12. cap 8. n. 59.*

10 Moveor primò juribus, *in l. licet, Cod. de locato, & cond. l. ſi uno,* in princ. *ff. eod. tit.* ubi habetur, locatorem teneri remiſſionem mercedis facere conductori ob ſterilitatem, *l. forma, §. primo. ff. de cenſi.* & etiam *in l. nàm hoc natura, ff. de cond. indeb.* ubi habetur, quòd æquitas non concedit, aliquem locupletari cum alterius jactura.

Moveor ſecundò rationibus, quia ſumus in contractu locationis, & conductionis, In quo ſecundùm veram Doctorum ſententiam, eſt facienda penſionis remiſſio, quando ab aliquo caſu fortuito Conductor uti, & frui re conductâ impeditur, ut cenſet Rubeus, Boer. Franc. de March. à nobis ſuprà allegat. Bellum autem eſt caſus fortuitus, quando firmata eſt pax, quæ à fide Principum pendet: Qui ſanè Principes inviolabiliter, quod promiſerunt, obſervare ſolent, & debent. Bal. *in c. 1. de natura feud. & in l. 2. num. 30. Cod. de ſer. & aqua.* Tum etiam, quia conventio inter hos contrahentes, licet includat ſubjectionem omni fortunæ periculo, & caſui inſolito, non tamen comprehendit caſum valde inſolitum, & non cogitatum, ut per Text. *in l. fiſtulat, §. Frumenta, ff. de contrah. empt.* Bellum verò, inſpectâ pace noviter ſtabilitâ, & fide Principum, cenſetur valdè inſolitum, & non cogitatum; cùm nullus mortalium illud poſſit prævidere, niſi DEUS Opt. Max. revelet. 11

Moveor tertiò exemplo, In quodam Ghiulpho, Conductore Gabellarum in Regione Cunei, relato à Menochio, *in conſ. 27.* qui ſuſcepit in ſe omnes caſus, omnem fortunam, & omne periculum; & petens remiſſionem mercedis pro rata detrimenti maximi, quod paſſus erat ob obſidionem Cunei in bello à Rege Chriſtianiſſimo contra Regalem Celſitudinem Ducis Sabaudæ excitato, fuit à Juriſperitis circa factum conſultis, nec non & Theologis deciſum, remiſſionem mercedis illi eſſe faciendam. 12

Concludimus igitur, quando uſi ſunt contrahentes verbo locationis, & conductionis; & vera eſt locatio, & conductio, remiſſionem mercedis eſſe faciendam, ſi conductor maximum percipiat damnum; vel quia ex facto Principis non poſſit uti re conductâ; vel quia Colonus, deductis expenſis culturæ, non poſſit dimidium penſionis ſolvere: Et de ſimilibus. 13

Ad rationes in contrarium reſpondemus: Ad primam, quòd ſuſceptio caſuum fortuitorum non ſe extendit ad caſum tam inſolitum, & inexcogitatum, ut eſt bellum, ut conſtat ex dictis; & licet ita fuerit conventum, & pactum. Nihilominùs pactum intelligitur rebus ſic ſtantibus; quemadmodùm dicere ſolemus, juramentum obligare jurantem, rebus ſic ſtantibus, non autem mutatis, ut reſponderunt Goz. *conſ. 7. num. 19.* Alc. *reſp. 167. n. 5.* & alii. 14

Ad ſecundam, nequando bellum ſuperveniens non eſſe caſum admodùm inſolitum, & inexcogitatum, dùm adeſt pax à Principibus juramento firmata; Princeps enim quamvis ſolutus ſit legibus, non tamen ſolutus eſt à lege rationis, dictantis promiſſa eſſe obſervanda; undè ſolùm Theologi, ſed etiam Juriſperiti tenent, Principem frangendo fidem, graviſſimè peccare, & quidem graviùs, quàm peccet privata perſona, Crav. *in conſ. 241. num. 17.* Jaſ. *conſ. 10. lib. 3.* Pariſ. *conſ 82. num. 49. lib. 1.* [illegible] *in conſ. 37.* in fine. Præterquam quòd, pactum, ſe extendens ad caſus tam inſolitos, & non cogitatos, non valere, utpotè contrarium naturæ contractûs locationis, & conductionis, probant Corne. *in conſ 23 lib. 2.* Ripa, *in tract de peſte, tit. de privileg. contract. n. 108.* Alt. *reſp. 157. n. 13.* 15

16. In-

16 Infero primò ex dictis, locatorem, si impedit proprio facto conductorem uti re conducta, teneri non solùm remissionem mercedis facere, sed etiam omne damnum compensare. Ita post Bart. Ruin. *cons. 65. num. 3. lib. 1.* Paris. *cons 40. num. 2. lib. 1.* Molfes. *in summ. p. 2. tract. 12. cap. 8. n 59.* ubi alios allegat.

17 Infero secundò, remissionem mercedis esse faciendam ob sterilitatem à locatore, quando damnum unius anni non possit compensari cum fertilitate alterius anni. Card. Alban. *in Lucubrat. in Bart. in d. l. Cotem ferro, §. Qui maximos, ff. de publican. num 1.* Secùs verò, si possit fieri hujusmodi compensatio: Textus est clarus, *in l. licet certis, Cod. de loc. & conduct.* & tradit Molfes. loc. cit. *n.* 61.

18 Infero tertiò, quando pretium, à Publicano solvendum, est annuatim; quamvis dicatur in Instrumento, *vendidit*, & non locavit, aut conduxit, quibus verbis uti solent contrahentes; esse locationem judicandam, quia non attenduntur verba, sed veritas, *l. si uno, ff. loca. & l. si oles, Cod. eod. tit.* & sic ex justis causis, remissionem esse faciendam. Secùs verò, si esset emptio, quia videtur periculum esse emptoris, *l. necessariò, ff de pericu. & commod. rei vend. & l post perfectam, Cod. eod. tit.* Et ita tenet Bart. quem recenset, & sequitur Doctus Ægydius Boss. *tit. de remiss. mer. public. n. 5.*

19 Infero quartò, quòd Gabellarum Conductoribus remissio mercedis est facienda ob maximum damnum emergens, vel lucrum cessans ex conventionibus, & pactis Principum, ab eis non observatis. Ita Barbatia, *cons. 21. conclus. 5. lib. 2.* ibi dicens, hunc casum esse insolitum, & inexcogitatum.

20 Infero quintò, quòd locator tenetur facere mercedis remissionem conductori damnum patienti, causâ, & facto ipsius Principis locatoris. Sic etiam Bart. *in d. l. cotem ferro, § Qui maximos, num. 3. ff. de publ. & vectig.* & alii, quos allegat Menochius, *cons.* 611. *n. 4.*

21 Infero sextò, locatorem teneri erga conductorem, qui detrimentum passus est ob vim, cui resisti non potest, ut v. g. est vis fluminum, graculorum, sturnorum, hostium incursionis, & similium. Ita etiam docet Menochius, *in cons. 835. num. 3.*

22 Infero septimò, secundùm sententiam, quam Bertachinus *in tract. de gabellis, in 9 part.* vocat communem teneri DEO, & gabellarum Conductori Defraudantem vectigal, ab habente potestatem impositum, quod durum, inquit Card. Albanus, *in Lucubrat. in Bart. in l. vectigalia, ff. de publican.* „ videtur dictu istis temporibus; „ cùm tot onera, & tot vectigalia imponantur, „ & in dies augeantur, ut vix ferri possint. Circa hanc materiam, vide Abb. Felin. Dec. *in cap. 1, de const.*

23 Infero octavò, Communitatem, quæ vendidit gabellam Salis, à Principe sibi concessam, aliquibus particularibus, si postea Communitas emat sal, teneri solvere gabellam, nisi aliqua in venditione in contrarium fuerit pactio. De hac re agit Alex. *in cons. 124. in 4. vol.* Bal. *in cons. 243. in 5. vol.* Bertach. *in tract. de gabellis, in 7. p. in 9. & ult. quæst.*

Infero nonò, remissionem mercedis esse faciendam publicano, quotiescunque bellum culpâ Civitatis, gabellam Locantis, vigeret. Card. Albanus, loc. cit. *num. 2.* ubi Lectorem remittit ad Aret. *in l. §. fin. de verb. obligat. & in cons. 140.* ad Panorm. *in cons. 21. col. 1. in 2. vol.* 24

XIV. DIFFICULTAS.

An liceat Rusticis milites interficere ad propria bona defendenda.

Notandum primò, Rusticos, seu Agricultores apud Thraces pro contemptissimis haberi. Ita scribit Herodotus, *lib. 5.* post princ. 1

Notandum secundò, Rusticos, & Agricolas universaliter dici exercere artem mechanicam, & plebejam; & ideò Rusticos inter plebejos numerari. Alex. *in cons. 209. col. 2. lib. 6.* Tiraqu. *tract. de nobilit. cap 32. n. 1.* Cassan. in Catalogo gloriæ mundi, *p. 11. cons. 37. col. 1.* 2

Notandum tertiò, Agricultores esse in duplici differentia; alios, qui mercede conductâ, vel ut partiarii alienos agros colunt: Et hi ignobiles sunt, & in hoc sensu Catilina existimavit, agriculturam esse officium servile. Salust. *in proœmio:* Alios verò, qui suis etiam manibus, agriculturam, aliamque rem rusticam in suis fundis exercent, & nullum ob id nobilitati præjudicium faciunt. Ita tradit Guido Papa apud Tiraqu. loc. cit. *num. 2.* dicens, hoc fuisse conclusum in parlamento Delph. *decis. 41. 296. & 392.* 3

Notandum quartò, non omne homicidium etiam propriè dictum, esse culpabile, & punibile; nam homicidium coactum, & ad necessariam omninò sui defensionem commissum, aliquandò non punitur; de quo Doctores, *in l. ut vim, ff. de just. & jur.* & tamen propriè dicitur homicidium; sicut & illud, quod justitiæ minister committit, dùm noxium interficit, & tamen per se culpabile non est, nec punibile homicidium illud, ut per Tex. *in cap. De occidendis, causa 22. q 5.* 4

Notandum quintò, furta, quæ apud Lacedæmones licita erant, teste Gellio, *lib. 11. noct. atticarum, cap ult.* diversis pœnis affici, ut mos erat apud Græcos, Ægyptios, Germanos, & Romanos. 5

Notandum sextò, furem, qui Legislatorum sanctionibus variis pœnis afficitur, ut proximè diximus regulariter morte non mulctari, *Authen. sed nono jure, §. 1. Cod. de serv. fug. §. Pro furto autem, in Authen. ut nulli Jud.* quod tamen non procedit, cum furtum est magnum; tunc enim pœnâ capitis plectitur. Ita Bald. *in d. Auth. sed nono jure, num. 7. Cod. de serv. fugi.* Alva. *in cap. Cùm non ab homine, ult. notab. de jud.* Ang. Aret. Didac. Cæpol. & alii, quos recenset, & sequitur Menochius, *de arbitr. jud. lib. 2. cent. 3. cas. 295.* 6

Notandum septimò, quando dubitatur, an furtum dicatur magnum, vel parvum, Judicis 7

arbitrio

arbitrio eſſe reliquendum. Ang. *iu l. 1. col. ult. verſ. Et quod dicatur. Cod. unde vi.* Marſil. *iu l. quaſtionis modum, num. 48.*

8 Notandum octavò, jure ſancitum eſſe, non licere occidere furem pro re vili, & modici valoris. Alphenus, *in l. ſi plagis, §. Tabernarius, ff. ad l. Aquil.* Bald. *in l. 1. num. 2. Cod. locati.* Angel, *in l. 1. num. 7. Cod. unde vi*, & alii innumeri, quos refert, & ſequitur Menochius, *iu conſ.* 1116. *num.* 10. Contraria doctrina fuit damnata ab Innocentio XI. & eſt propoſitio 31. inter damnatas.

9 Notandum nonò, ſecundùm aliquos Canoniſtas, dari diſcrimen inter furem nocturnum, & furem diurnum; nam primus cenſetur veniſſe ad occidendum: Secundus verò cenſetur veniſſe ſolùm ad furandum: Et docet D. Ang. & refertur *in cap. Si perfodiens, de homicid. & Exod.* 22. habetur reus homicidii, qui furem, orto ſole occiderit, non autem, qui nocturnum interficit.

10 His adnotatis; ad difficultatem propoſitam, an liceat Ruſticis milites interficere ad propria bona defendenda, negativè videntur reſpondere Panorm. *iu cap. 2. & cap. ſuſcepimus, de homicid.* Covar. *in Clemen. ſi furioſus, p. 3. §. Unico, à num. 6. de homicid.* Ratio cenſetur eſſe; quia quilibet lege, & ordine charitatis tenetur magis diligere vitam proximi, quàm bona propria temporalia: Unde nefas eſt Ruſticis occidere milites pro bonis ſuis defendendis. Prætcrea D. Aug. *lib. 1. de liber. arbitr. cap. 5.* dicit „Quomodo „apud divinam Providentiam à peccato liberi „ſunt, qui pro iis, rebus, quas contemni oportet, „humana cæde polluti ſunt?

11 Oppoſitum tamen, quod commune eſt apud Legiſtas, Canoniſtas, & Theologos, tanquàm verius, & probabilius amplector; dummodò bona, quæ milites à Ruſtico volunt auferre, non ſint quoad ipſos parva, aut exigui valoris, & alio modo ſalvari non poſſunt. Bald. Jaſ. Dec. Covarr quos recenſet Molſeſius, *iu ſumm. p. 1. tract. 11. cap. 19. num.* 109. Sylv. verb. *homicidium 1. quaſt. 2. verſ. quintum.* Cajet. 2. 2. *quaſt. 64. art. 7.* Sotus, *lib. 5. de juſt. quaſt. 1. art. 8.* Matt. Navar. *in Manual. cap. 15. num. 2.* Reginal. *lib. 21. num. 64.* Emanuel Sà, *in Aphoriſmis, v. homicidium*, & alii innumeri, quos recenſet, & ſequitur Sayr. *in ſua Clavi Regia, lib. 7. cap. 10. ſub n. 30.*

12 Moveor primo juribus, *in l. ut vim, ff. de juſt. & jure*, ubi habetur, quòd juri naturæ convenit propulſare injuriam: Et in *l. 4 ff. ad leg. Aquil. l. furem, ff. ad leg. Cornel.* ubi fur nocturnus poteſt impunè occidi, & fur nocturnus non differt à diurno: *ff. de furtis, l. ſi pignore, §. Furem*, & ibi Gloſſ. *& cap. interfeciſti, de homic.*

13 Moveor ſecundò rationibus; nam pro defenſione propriæ vitæ licita eſt alterius occiſio: Ergò etiam pro defenſione bonorum, quibus vita ipſa conſervatur; bona enim dicuntur ſecundus ſanguis hominis. Gloſſ. *iu l. Advocati, Cod. de advocat. diverſ judi.* ideſt media neceſſaria pro vitæ conſervatione. Et ſic ſi nobis licet finem procurare, licebit etiam uti mediis ad illam ordinata: Et ideò optimè ſcripſit Cicero pro Milone „Hæc lex non eſt ſcripta, ſed naturalis, „ut latrones, & inſidiatores viarum in defenſio- „nem bonorum occidere poſſimus. „

Moveor tertiò exemplo, ſeu praxi frequentiſſimâ tempore belli: Scimus enim, Ruſticos tempore belli paſſim occidere abſque ullo ſcrupulo milites, tentantes eorum boves, aut æquos, aut alia bona rapere, ſeu furari; quia lex naturalis eſt, latrones in defenſionem bonorum occidere. 14

Concludimus igitur, Ruſticis licere pro defenſione ſuorum bonorum militem invaſorem occidere; dummodò illa bona ſint magni m[illegible]menti reſpectivè, & aliter defendi, aut recuperari non poſſint: Licere inquam, quamdiù dur[illegible] defenſio, & invaſio. Durat autem non ſolù[illegible], quando latro actu, & per vim rapit; ſed et[illegible]m quando fugiendo rem ſecùm defert: Toto en[illegible] eo tempore eſt in flagranti delicto. Hæc Sayr. loc. cit. *n* 31. 15

Ad rationes in contrarium reſpondemus. Ad primam, quòd lege charitatis tenemur vit[illegible]m proximi præferre noſtri bonis temporalibus, quando eſt in neceſſitate conſtitutus: Secùs ver[illegible], quando furatur, ſeu noſtra bona invadit, non neceſſitate ductus, ſed malitiâ, & cupiditate. 16

Ad ſecundam; reſpondent communiter Doctores, quòd D. Auguſtinus locutus eſt, ut Philoſophus moralis; videlicet quando poſſumos per aliam viam defendere, aut recuperare [illegible]oſtra bona, quàm occidendo; ſeu, ut phraſi loquar communi, in caſibus, in quibus non adhibetur moderamen inculpatæ tutelæ. 17

Infero primò ex dictis, eos, qui merced[illegible] conductâ Agriculturam exercent in agris alienis, eſſe ab omni militiæ gradu arcendos propter publicam honeſtatem, ut per Text. *in l. Colonos* la ſeconda, *Cod. de agri. & cenſ. lib.* 11. quia [illegible]tus vomeri, & ligoni, indeque ſordidus fact[illegible] gladio turpiter uteretur; & facit Tex. *in l. ult. Cod. de manci. & col. eo. lib.* 11. & tradit Tiraquel. loc. cit. *num* 1. ubi conſtanter aſſerit, exercere agriculturam in fundis propriis nullum inferre Nobilitate præjudicium, & citat pro ſe Guid. Pap. 18

Infero ſecundò, milites non decere ſe ad opus ruſticum conferre, *l. milites, Cod. de l*[illegible]. & facit Tex. *in l. originarius, Cod. de agri. & cenſ. lib.* 11. 19

Infero tertiò, licere Ruſticis, aliiſque non ſolùm latronem occidere, quando actu rapit, ſed etiam inſequi, & à longè, ſi poteſt, antequam rem occultet, occidere, niſi aliâ viâ rec[illegible]perari poſſit. Secùs verò, poſtqua[illegible] in aliq[illegible]m locum tutum ſe recepit, ubi licitum erit [illegible]um detinere, quoad usque Judex eum capiat. Ita etiam docet Sayr. loc. cit. 20

Infero quartò, nemini licere univerſal[illegible]ter loquendo, pro exigua pecunia, aut bono ex[illegible]uo temporali, ut pro valore duorum aut trium aureorum, alium occidere: quia nec Judex p[illegible]teſt pro levi furto furem morte punire: *l. reſpiciendum, ff. de pæn.* 21

Infero quintò, famoſum latronem pœna mortis eſſe puniendum, *l. capitalium, §. Famoſos, ff. de pænis*, & ibi Gloſſ & Bar[illegible] & latè Cæpoll, *d. Authen. ſed novo jure, num.* 103. *Cod. de ſerv.* 22

erv. fug. ubi declarat, qui famosi latrones dicantur.

23 Infero sextò, occidenti latronem, quando res aliter liberari non poterat, nullam pœnam esse imponendam; quia *in d. cap. Interfecisti, de homicid.* pœnitentia tantummodò imponitur latronem occidenti, cùm res poterat aliter liberari.

24 Infero septimò à fortiori, licitum esse occidere furem, etiam si res posset recuperari, si fur armis se defenderet contrà Dominum, & jure non posset aliter se defendere; quia tunc adest duplex motivum furem occidendi, defensio scilicet vitæ propriæ, & defensio bonorum. Molfesius, *in summ. p. 1. tract. 11. cap. 19. num. 113.* ubi se etiam limitat, si aliter se defendere non posset.

25 Infero octavò, etiam Ecclesiasticis licere occidere furem pro conservatione bonorum, quando aliter illa salvare non possunt; quia non debet denegari Ecclesiasticis id, quod jure naturæ omnibus concessum est: Et habetur expressè *in cap. Dilecto, de sent. excomm. in 6. & in cap. Olim 1. de restitut. spoliat.* & tradunt Petr. Navarr. Alens. D. Anton. Less. Reginal. & alii, quos producit Molfes. loc. cit. *num. 115. & 116.* ubi respondet Covar. & aliis, oppositum tenentibus, explicando *Capitulum Suscepimus, de homicid.* quod pro se adducunt.

26 Infero decimò, cuilibet licere furem occidere etiam pro defensione necessaria vitæ, & bonorum externorum proximi, quia ex charitate ad id tenetur; & semper vita, & bona innocentis præferuntur vitæ nocentis invasoris, vel furis. Ita communiter Civilistæ, *in l. ut vim, ff. de just. & jur.* ubi Dec. *num. 32.* Mascard. *de probat. concl. 98.* Decian. Farinac. nec non & Theologi, D. Anton. Sylvest. Petr. Navar. Molin. Sayr. Less. & alii, quos recenset, & sequitur Molfes. loc. cit. *num. 117.*

27 Infero undecimò, licere quidem nobis defendere defensione occisivâ, quæ actu possidemus, nos verò ea, ad quæ jus inchoatum habemus, & quæ nos possessuros speramus. Contraria Doctrina est damnata ab Innoc. XI. quæ est 32. inter propositiones ab eo damnatas.

XV. DIFFICULTAS.

Quidam Miles Eques Germanicus donationem morganaticam, sive morganicam fecit nobili puellæ, quam in Uxorem tempore belli hic in Italia duxit. Dubitatur, num hujusmodi donatio fuerit valida.

1 Notandum primò, donationem dici à verbo dono, & significare doni dationem, seu dono datum. Ita communiter, & habetur, *in l. senatus, §. Donatio, ff. de donatio caus. mort.* unde D. Thom. *1. p. quæst. 38. art. 2.* docet, quòd donatio est gratuita datio ex amore; quem refert Azor. *part. 3. inst. moral. lib. 11. cap. 1.* princ.

2 Notandum secundò, hanc vocem, *morganatica*, sive *morganica*, componi ex idiomate Germanorum, *Morgen*, quod est manè, sive maturinum, & Gaab, quod donum significat, quasi donum matutinum, sive matutinale. Ita Frideric. Schenc. *ad tit. 29 de filiis natis ex Matrimonio ad morganaticam contracto, lib. 2. feudorum.*

Notandum tertiò, morganaticam, seu morganicam donationem esse, quam in summa pecuniæ, vel torque, aut catenâ, aut in qua simili pretiosa re novus Maritus, præsertim nobilis, confert in novam Conjugem manè post primam condormitionem, propter summum pudicitiæ (ut ita loquar,) & honoris thesaurum, quem nova conjux novo Sponso proximâ nocte commisit. Ita Henric. Bocer. *cap. 9. de morg. donat.* alios allegans. 3

Notandum quartò, hanc donationem morganicam non fieri tantùm pro flore virgineo, cùm interdùm etiam viduis hujusmodi donatio fiat, ut asserit Mynsing. *resp. 43. num. 24. vers. Ad quartam verò.* 4

Notandum quintò, donationem in genere esse gratuitam factam concessionem, ex mera liberalitate provenientem, cùm quis ita donat, ut velit rem accipientis fieri, & nullo modo ad se reverti, ut habetur *in l. 1. & in l. donari, ff. de donat.* & aliis cumulatis per Mant. Azor. & alios penes Molfes. *in summ. p. 2. tract. 12. cap. 17. num 12.* 5

Notandum sextò, donationem propter nuptias esse, quæ à parte Mariti, vel antè, vel post nuptias, in uxorem propter dotis dationem confertur, *ex l. ult.* in princ. *& § Sancimus, Cod. de donat. ante nupt.* & hanc donationem vocari nuptiale remedium, item antipherna, habetur *in l. cum multa* 20. in princ. *Cod. de donat. ante nupt.* & à Franc. Bursat. *cons. 179. num. 8. lib. 2.* vocatur hæc donatio contrados; à Molinæo, *cons. 52. num. 31.* appellatur contraria dos: à Guid. Pap. *decis. 145. num. 2* dicitur Antipharum, & similiter à Matth. de Afflict. *decis. 37. n. 6.* ab Alciat. *resp. 72. n. 5. & 8.* 6

Notandum septimò, dari aliam donationis propter nuptias speciem, quæ propriè dotalitium nuncupatur, *cap. Ex parte, extrà de foro compet.* quodque diversis vocibus ab aliis gentibus appellatur, ut à Flandris duarium, à Gallis doarium, doerium, donarium; à Neapolitanis, & Sabaudis dotarium, à Delphin. supervita. Nicol. Everard, *cons. 271. num. 5.* Andr. Rauchbar. *quæst. 47. num. 21.* ex nonnullis Latinis vocant vitilitium, item vitalitium, & non ineptè; quia dotalitium est, quod vir, præsertim nobilis, uxori suæ ratione dotis datæ concedit, ut eo vidua facta ad dies vitæ utatur, & fruatur. Ita Jurisperiti communiter. 7

Notandum octavò, dari tres donationes inter se differentes, nempè donationem inter virum, & uxorem, quæ fit constante Matrimonio, hoc est postquàm contractum est, & durat; donationem propter nuptias, quæ fit cùm ipsæ nuptiæ contrahuntur; & donationem sponsalitiam, quæ fit, non quando Matrimonium contrahitur, sed cùm inter sponsum, & sponsam futuri Matrimonii fit promissio. Sic optimè explicat Azor, *Instit. moral. p. 3. lib. 11. cap. 11.* 8

9. His

9 His adnotatis; ad difficultatem propositam, an donatio morganatica, seu morganica facta suæ sponsæ à milite Equite Germanico, in casu exposito, sit valida, negativè videtur respondendum; quia donatio inter virum, & uxorem, de jure communi est prohibita, ne conjuges ad invicem bonis propter mutuum amorem se spolient, *l. 1. ff. de donat. inter virum, & uxor. & tot. aliis tit. ff. & Cod. de donat. inter vir. & uxor.* cumulatis per Molfes. *tom. 1. ad consuet. Neap. p. 3.* totâ, & *p. 7. præcipuè, q. 9.*

10 Fateor, in hac opinione, inspectis superficialiter juribus allegatis, aliquam probabilitatem apparere: Contrarium tamen verissimum, & probabilissimum esse puto, nempè validam esse morganicam donationem. Ita sentire videntur Bart. *in l. si divortio, ff. de verb. oblig.* Panor. *cap. donatio, de donat. num. 7.* Roman. *consil. 146.* Natta, *consil. 317. lib. 2.* & in specie Hartman Pistoris, *quæst. 44. num. 7. & seqq.* Collegium facultatis juridicæ Tubingensis consilio suo *sub consil. Simonis Pistoris 20. pag. 1075, num. 33.* Bocer. *cap. 9. de morgan. donat.*

11 Moveor primò juribus, *arg. in l. quod adipiscendæ 41. & l. seq. ff. de donat. inter vir. & uxor.* ubi habetur, valere donationem, quæ causâ honoris fit, ejusmodi videtur esse donatio morganica, *& l. quòd autem, § si vir, ff. de donat. inter vir. & uxor.* ubi habetur, donationem remuneratoriam prohibitioni obnoxiam minimè esse: Et talis videtur esse ex sui natura donatio morganica, ut ex dictis constat, & ex dicendis patebit.

12 Moveor secundò rationibus; nam donatio, quæ est compensatio quædam, secundùm Jurisperitos valet; morganicam donationem quamdam esse compensationem, certum videtur. Fit enim à novo marito propter summum pudicitiæ, & honoris thesaurum, quem nova conjux proximâ nocte ei commisit. Tum quia donatio annuli, quo de consuetudine in contrahendo matrimonio uti solent sponsi, de jure subsistit, ut docent Roman. Natt. loc. cit. Cur ergò non subsistet donatio morganica, quæ donationis propter nuptias species est, seu ad nuptiarum solemnitatem pertinet? Deinde secundùm Juristas, Canonistas, & Theologos, donatio remuneratoria valida est; & donatio morganica nil aliud est, quàm donatio remuneratoria.

13 Moveor tertiò exemplo, in quadam Nobili muliere N. N. desponsatâ tempore ultimi belli cum Nobilissimo Milite ex quadam Provincia Germaniæ in Villa Reali apud August. Taur. hic in Italia, quæ ex consilio Jurisperitorum, & Theologorum doctrinæ singularis virorum, noluit restituere Parentibus sui Sponsi defuncti gemmas, aliasque res pretiosas, quæ titulo morganicæ donationis post primum concubitum à Sponso suo receperat.

14 Concludimus igitur, validam esse factam à nostro milite Equite suæ conjugi donationem morganicam post omnimodè perfectas nuptias, post interventum copulæ, manè antè prandium, post primum concubitum.

15 Ad rationem in contrarium respondemus negando, donationem inter virum, & uxorem esse universaliter prohibitam; cùm in pluribus casibus relatis ab Azor. *Instit. Moral. lib. 11. cap. 10.* subsistat. Deindè jura allegata duntaxat locum habent in donatione gratis, & liberaliter factâ, non verò factâ ex causa, ut in casu nostro: Quod enim donatur ex causa, redditur quasi debitum ex causa. Præterquam quòd præsumere non possumus, hanc donationem morganicam esse jure prohibitam, quia juri communi incognita est, & usu tantùm, ac consuetudine recepta.

Infero primò ex dictis, acquiri ab uxore quæcunque titulo morganicæ donationis à suo marito accepit. 16

Infero secundò, res acceptas ab uxore titulo donationis morganicæ, ipsâ defunctâ, ad ejus hæredes pertinere, ut tradunt Hartm. Pist. Bocer. loc. cit. 17

Infero tertiò, valere donationem eorum, quæ ad contrahendum matrimonium necessaria censentur. Et etiam habetur *ex l. si quis pro uxore 22. vers. non enim, ff. de donat. inter vir. & uxor.* 18

Infero quartò, quòd si vir nobilis propriam non habens gemmam, ab aliqua persona aliquas commodato accipiat, & novæ suæ sponsæ pro donatione morganica det, restitutis illi personæ dictis gemmis, potest post obitum illius viri ipsius Vidua æstimationem gemmarum illarum ab Hæredibus defuncti mariti petere. Ita Daniel Mollerus, *lib. 1. semestr. cap. 32.* Bocer. loc. cit. *num. 9.* 19

Infero quintò, validam esse donationem inter virum, & uxorem, quando Imperator donat Augustæ; & sic, quando Princeps non habens superiorem donat Principissæ, *l. donationes, Cod. de donat. inter vir. & uxor.* 20

Infero sextò, valere donationem inter virum, & uxorem, quando donatur uxori præmii causâ; ut quando senex ducit uxorem puellam floridæ ætatis, vel Plebejus Nobilem; tunc enim maritus senectutem, vel ignobilitatem dono compensat. Et ita Glos. *in l. si voluntate, Cod. de donis promissione.* Bart. ibidem, Panorm. loc. cit. 21

Infero septimò, valere donationem inter virum, & uxorem, quando maritus donat uxori pecuniam ad reficiendas domos dotales incendio consumptas, *l. quòd si vir, ff. de donat. inter vir. & uxor.* 22

Infero octavò, valere donationem inter virum, & uxorem, quando vir donat uxori quid annuum, vel menstruum ad eam cum suis sustentandam usque ad vires dotis, seu fructu dotis, Gloss. *in l. ex animo, ff. de donat. inter vir. & uxor.* Item, quando maritus constante matrimonio, remittit uxori in totum, vel ex parte dotem promissam. Ita tradunt Glos. Cyn. Bald. *in l. si constante, Cod. de donat. inter nuptias.* Item quando uxor marito donat causâ adipiscendæ dignitatis, vel consequendi honoris, ut per Tex. *in l. quod adipiscendæ, ff. de donat. inter vir. & uxor.* Item quando conjux, cui donatum est, non fit donatione ditior, quàm is, qui donat, pauperior evadat. Glos. *in cap. Donatio, de donat.* 23

24. In-

24 Infero nonò, vestes pretiosas, mortuo marito, non spectare ad hæredes mariti, si constat, eas donatas esse uxori; tum enim spectant ad uxorem, cùm donatio confirmetur morte. Ita etiam Trullen. *tom. 2. in Decal. lib. 7. cap. 17. dub. 9. sub num. 3.* ubi subdit, ad eamdem etiam spectare vestes necessarias ad usum, non solùm quando constat, illas ei donatas fuisse, sed etiam quando dubitatur de donatione inter sponsos.

25 Infero decimò, donationem factam alicui contemplatione matrimonii, seu ad contrahendum matrimonium in genere, ut uxorem nobiliorem inveniat, majorem dotem recipiat, aut ob aliam similem causam, esse non simplicem, sed ob causam, saltem secundùm plures, & consequenter irrevocabilem. Et docet Molf. *in sum. p. 2. tract. 12. cap. 17. n. 21.* & alibi.

26 Infero undecimò, Viduas ex bonis defuncti mariti dotalitium consequi, quod spectat ad speciem donationis propter nuptias: Et hoc præcipuè per universam penè Germaniam, ubi hoc genus donationis receptum est, & usitatum, teste Bocero *cap. 11. de donat. num. 5.* ubi plures Doctores pro se allegat.

27 Infero duodecimò, donationem inter virum & uxorem causâ mortis factam, non subsistere, ut per Tex. *in l. Idem est, ff. de donat.* & Glos. *in l. 2. in verb. Legatum, ff. de dote prale.*

28 Infero decimò tertiò, non posse à viro alienari id quod propter nuptias donavit, nisi consensus præstetur ab uxore secundo post biennium; & nisi tantum patrimonium habeat vir, quo possit compensari quidquid interest uxoris. Glos. *in l. si liberis, Cod. de donation. antè nuptias*, & Pan. *in cap. Pervenit, de empt. & vendit.*

29 Infero decimo quartò incidenter, patrem non posse filio, in ejus potestate constituto, donare, nec donationem valere, *l. ult. Cod. de impuberib. & l. donationes, quas parentes, Cod. de donat. inter vir. & uxor.* Et docet Azor. *p. 1. Inst. Moral. lib. 11. cap. 9.* princ.

XVI. DIFFICULTAS.

Miles post commissum crimen capitale, donavit Meretrici, cujus corpore usus est, non pauca bona. Dubitatur, num hujusmodi donatio fuerit valida.

1 NOtandum primò, donationem esse contractum, quo gratis, & liberaliter aliquod in alterum confertur, nullo ad id cogente jure. Ita communiter Juristæ, & Theologi, & inter hos Filliuc. *tom. 2. tract. 34. de contract. cap. 2. quæst. 1. n. 28.* ut etiam nos suprà demonstravimus.

2 Notandum secundò, plures fieri à Jurisconsultis, & etiam Theologis damnationum divisiones, sed præcipuas esse in donationem mortis causâ, & donationem inter vivos. Illa dicitur donatio causâ mortis, quæ fit propter mortis suspicionem; ut quando quis timore infirmitatis, & per consequens mortis, donat; vel timens occidi ab hostibus; aut iturus per loca dubia, propter hoc donat; vel ætate confectus donat, *l. mor. caus. cum trib. seq. ff. de mor. caus.* *donat.* & ibi Glos. Donatio verò inter vivos, quæ fit absque ulla mortis suspicione, ex mera liberalitate, & eâ intentione, ut res donata statim fiat accipientis, nec ullo casu ad donatorem revertatur. Ita admonet ex juribus Diana, *tom. 6. tract. 7. de donat. Ref. 3. & 4.*

3 Notandum tertiò, iis omnibus licere libere donare, quibus dominium competit, & administratio cum facultate alienandi, ut per Tex. *in l. Cui jus, ff. de reg. jur.* & tradit Filliuc. loc. cit. *num. 38.*

4 Notandum quartò, naturâ, & substantiâ donationem causâ mortis differre à legato: Siquidem donatio causâ mortis duabus perficitur voluntatibus, Donatoris nempè, & Donatarii; legatum verò solâ Testatoris voluntate. Deindè qui donat mortis causâ, potest se se hac lege obstringere, ne rem donatam revocare possit, *l. si alienam 13. §. fin. ff. de mor. caus. donat.* Qui verò legat, hoc non potest, *l. si quis 22. ff. de lega. 3.*

5 Notandum quintò, donantem, vel alienantem omnia bona sua, si deindè committat delictum, præsumi ex ea tam ampla distractione sine urgente causa alienare voluisse in fraudem Fisci, Bart. *in l. post contractum, num. 2. ff. de donat.* & ibid. Picus, *n. 35.* Alciat. *n. 40.* Alex. *in cons. 55. n. 5. lib. 1.* & alii plures.

6 Notandum sextò, donationem in fraudem factam non valere, ut optimè probat Dec. *in cons. 525. sub n. 9.* Boss. *tit. de bonorum publicat. sub n. 51.*

7 His adnotatis; ad difficultatem propositam, an donatio facta post commissum delictum capitale à Milite Meretrici, cujus corpore usus est, sit valida, negativè videtur respondendum, & favet Tex. *in l. donationes, § ult. de don.* ubi apparet, ea bona donari non posse, quæ sunt Fisco addicta, *l. si Ancillam, Cod. de donat. inter virum, & uxor.* ubi habetur, Militem non posse Concubinæ donare, ut docent Card. Albanus, *in Lucubrat. in Bart. ad l. Idem, §. sed quod Meretrici, ff. de cond. ob turp. caus.* Glos. & alii juris Interpretes, *in l. miles ita haredem, ff. de militar. testam.* & Cabed. *1. p. decis. 116. num. 1. & 3.* ubi dicit, legatum, donationem, & promissionem pro servitio corporali turpiter exhibito non valere; ad quod confirmandum, adducit *num. 4.* quamdam sententiam datam in Lusitania in supremo Gravaminum Senatu Anno 1549. quo judicatum fuit, Clericorum Salarium Concubinis promissum pro servitio corporali præstito justè denegari.

8 Scio, hanc opinionem apud aliquos fuisse plausibilem; contrariam tamen puto esse veriorem, & probabiliorem, & sic amplectendam; nempe donationem factam à Milite, post commissum delictum capitale, meretrici, cujus corpore usus est, validam esse, Gothofredus, *in l. in primo motu allegandа.* Stuch. *p. 1. exercit.* Justin. *de cad. 5. assert. 5. ad litt. A.* Forman. *disp. 19. Thes. 6. ad litt. D.* Azor. *Instit. moral. p. 3. lib. 11. cap. 3. litt. A.* Bonac. *de contractibus, disp. 3. quæst. 13. punct. 2. num. 13.* Diana, *tom. 6. tract. 7. de donat. Ref. 29 num. 2. & Ref. 143. num. 2.* ubi recenset Barbos. Tiraquel. Guttierez, & alios tenentes, validas esse donationes à Milite factas

Meretrici, ob usum ejus corporis; imò salariã ex tali causa ei de justitia deberi,

9 Moveor primo juribus, *in l. Post contractum 15. ff. de donat.* ubi clarissimè dicitur, donationem post crimen capitale contractum antè condemnationem valere.

10 Moveor secundò rationibus; nam Miles per crimen commissum antè condemnationem non amittit dominium, & administrationem rerum suarum; Alias omnes delinquentes, quorum delicta sunt occulta, sua bona injustè possiderent, nec possent à Confessariis absolvi, quod est omninò falsum; atque adeò si noster Miles, capitalis criminis reus, dominium, & administrationem suorum bonorum non amittit, illud habet; si habet, donare potest. Tum etiam quia inspecto corporis servitio, hujusmodi donatio est potiùs censenda quædam debiti earum alis restitutio, quàm donatio, & ideò non reprobanda.

11 Moveor tertiò exemplo, mihi narrato à Viro nobili ex patria mea fide digno, in quodam suo commilite in ultimo Bello Pedemontii, qui commisso crimine militari, & quidem capitali, multas res suæ Concubinæ donavit, deindè timens suum crimen revelari Judici militari, fugam arripuit; & post paucos dies ab hoste fuit occisus. Concubina ad DEUM conversa scrupulis agitabatur ob præfatam donationem, dubitans non posse tutâ conscientiâ illa bona, quæ erant de peculio castrensi, retinere; & recurrens ad doctos, & pios viros pro suæ conscientiæ quiete, fuit ab illis assecurata, dictam donationem fuisse validam, & consequenter illorum bonorum retentionem esse tutam in foro Poli, & conscientiæ.

12 Concludimus igitur, capitalis criminis reum, post contractum crimen, si donat, non facere irritam donationem, posseque suæ Concubinæ donationes remuneratorias facere ob servitia facta & præstita; & teneri de justitia ei salaria, pro temporali servitio sibi impenso, præbere, & solùm quoad forum contentiosum debere hæc servitia in judicio probari.

13 Ad rationes in contrarium respondemus; ad primam, quòd lex allegata debet intelligi post sententiam criminis condemnatoriam, ut explicant Azor, Diana, loc. cit.

14 Ad secundam; quod lex citata intelligitur de donationibus merè gratuitis, ut optimè advertit Molina, *disp.* 275. *num.* 10. Luisius Turrianus, *in* 2. 2. *D. Th. disp.* 14. *dub.* 1. *n.* 8. Bonac, loc. cit. *n.* 14. ubi alios allegat.

15 Infero primò ex dictis, Clericum, qui donare suæ Concubinæ non potest, ut not. per Bart. & alios *in l. affectionis, ff. de donat.* posse tamen ob merita. Petrus Anchar. *in conf.* 247. Tiraquell. loc. cit. quia Clericus est Miles militiæ Cœlestis, propterea id, quod de Milite armatæ militiæ dicitur, ad Clericum esse trahendum, tradunt Bart. Salyc cum aliis adductis à Felio. *in cap. Cùm ex officii, col.* 1. *de præscr.* Dec. *in conf* 132. *col.* 1.

16 Infero secundò, eum, cujus bona sunt ob delictum publicata, & Fisco addicta, donare non posse donatione omninò perfectâ; cùm à Fisco rescindi possit, si delictum ad judicium pervenerit. Ut est reus criminis læsæ Majestatis, *l. ult. Cod. ad leg. Jul. Majest. & l. donationes, de donat.* & aliis juribus.

Infero tertiò, Hæreticum, qui sententiâ Judicis condemnatus est, donare & alienare non posse, *l. Manichæos, Cod. de hæret.* Neque posse donare eum, qui incestuosas, aut nefarias nuptias contraxit. *Authen de incest. & nefar. nupt. cap. Cùm secundùm leges, de hæret. in* 6. si sententiâ Judicis fuerit condemnatus; secùs verò antè condemnationem. *l. post. contractum, ff. de donat.* & tradit Azor. *p.* 3 *inst. moral lib.* 11. *cap.* 5. *lit. F.* Diana, *tom.* 6. *tract.* 7. *Ref.* 30. 17

Infero quartò, licere Militi, reo criminis capitalis, reo criminis hæresis, aliisque Reis jam condemnatis donare bona ab eis acquisita post latam sententiam condemnatoriam, aut post conversionem ipsorum; quia nova eorum bona non confiscantur, nisi iterum committant crimen, ob quod sint confiscanda; Siquidem bona de novo acquisita nuncupantur bona futura, & confiscationi non sunt obnoxia, quia ad eos nullo modo pertinebant. Julius Clat. §. *fin. l.* § *n.* 24. Simancas, *de Cathol. instit. tit.* 9. *n.* 61. Azor. *p.* 1. *inst. moral. lib* 5. *cap.* 7. *q.* 8. & alii. 18

Infero quintò, Doctores, nempè Pan. *in cap. Extremum, de hæret.* Tabien. Fem. Glos. *in cap. Accusatus, eod. tit* dicentes, hæreticum, ex quo lapsus est in hæresim, perdidisse omnia bona sua, & Fiscum incœpisse eorum esse Dominum; & hanc esse rationem, cur post mortem hæretici, bona Fisco competere sanxerit Alex. IV. esse intelligendos de bonis post sententiam Judicis amissis. 19

Infero sextò, Militem posse quidem repetere, quod concubinæ donavit titulo merè gratuito, non autem quod ei donavit ob usum corporis, vel ob aliam servitutem. Ita etiam Hurtad. *disp.* 11. *de contractib, diffic.* 6. Diana, loc. cit. *Ref.* 29. 20

Infero septimò, crimen non capitale delinquentis donationem non constituere irritam, ne quidem post condemnationem, ut advertit Diana, loc. proximè cit. *num.* 2. Henricus Bocerus loc. mox citand; Secùs verò in donatione causâ mortis etiam factâ ante crimen commissum, *l. si aliquis* 7. *ff. de mor. caus. donat.* & tradit Henricus Bocerus, *in tract. de don. cap.* 3. §. *ult.* cum aliis. 21

Infero octavò, Uxoratos posse validè, & licitè suis Concubinis donare, & teneri, & de justitia eis solvere salaria pro usu corporis, aliòque servitio ab illis recepto. 22

Infero nonò, meretricem posse petere in judicio promissionem sibi factam, Cyn. Salicet. *in l.* 2. *Cod. de condict. ob turp. caus.* Bart. *in l.* 4. § *sed & quod meretr. ff. de condict. ob turp. caus.* & alii. Et est opinio verior, & communior. Contrarium tenet Glos. *in d. l.* 4. § *sed & quod meretrici, ff. de condict. ob turp. caus.* 23

Infero decimò, donationem factam pro damno inferendo, vel pro homicidio patrando, vel pro falso deponendo, vel pro injustè judicando, impleto delicto, esse validam, & ante sententiam Judicis non esse restitutioni obnoxiam. Valent. *tom.* 3. *disp.* 5. *quæst.* 6. *punct.* 4. Sylv. *v. Eleemosyna, quæst.* 4. Less. *lib.* 2. *cap.* 14. *dub.* 8. *num.* 51. 24

num. 51. & alii, quos recenſet Diana, *tom.* 6. *Reſ.* 140. *num.* 2.

25 Infero undecimò, concubinam non poſſe cum omni proprietate dici eam, quæ in domo non detinetur. Sic etiam Bar. *in l. Concubinam, ff. de concub.* Circa hanc materiam poteſt etiam cerni Abb. *in cap. Innotuit, de elect.* Bal. ibidem.

26 Infero duodecimò, non eſſe penitus explodendam opinionem, aſſerentem, filios, qui naſcuntur ex muliere non retentâ ab Amaſio ſecùm in domo, non legitimari per ſubſequens matrimonium. Contrarium tennit. Gloſ. *in d. cap. Innotuit*, quam ibi ſequitur Joan. Andr. & Ant. Butrius.


27 Infero decimo tertiò, neque eſſe omninò rejiciendum dictum apud Bal, *in l. eamquam, Cod. de fideicomm.* ubi inquit, non poſſe ab eo, qui concubinam retinet, legitimari filios ex ea ſuſceptos; eſto matrimonium ſubſequatur, cùm honeſtè matrimonium contrahi non poſſit cum illa.

28 Infero decimo quartò, Judicem competentem Concubinatus eſſe Eccleſiaſticum, non Laicum; Concubinatus enim eſt crimen Eccleſiaſticum, cùm ſecundum leges civiles permittatur, ut tradunt Jo. Andr. *in cap. Sinè culpâ, de reg. jur.* Abb. *in Rubr. de adulter. in cap. Per venerabilem, col.* 12. *qui fil. ſint legit.*

29 Infero decimo quintò obiter, Concubinam Clerici non poſſe puniri à Judice Laico, ſi concubinatus eſt occultus: Secùs verò, ſi publicus eſt concubinatus. Felin. *in cap. Si concubina, de ſent. excomm.* Card. Albanus, *in Lucubrat. in Bart. in l. in Concubinatu, ff. de concubinat. num.* 7.

30 Infero decimo ſextò, Concubinarium, ſive uxoratum, ſive non, ſi recuſat dimittere Concubinam, eſſe prius ter monendum; & poſtea per Epiſcopum excommunicandum; neque eſſe abſolvendum, donec dimittat Concubinam, ejusque conſuetudinem. Concil. Turon. IV. C. 10. Concil. Trid. *Seſſ.* 24. *de reform. matrim. cap.* 8. & eſſe per Epiſcopum ſeparandum à concubina; ita ut nec ſimul habiteot, nec commune aliquid habeant. Concil. Triburien. I. *C* 49. Concil Rom. ſub Nicolao II. *C.* 13. & eſſe præſertim dictis pœnis obnoxium, nempe excommunicationi, ſeparationi, &c. ſi habet uxorem fidelem. Concil. Tolet I. *C.* 27. Concil. Aurelian. III. *C.* 9. Concil. Sabioen. *C.* 23. *cap. Cum dilectus, de accuſat.*

31 Infero decimo ſeptimò, Concubinas, ſive ſolutas, ſive conjugatas, canonicâ admonitione per Ordinarios adhibitâ, eſſe graviter puniendas, ſi nolunt obedire; & extra Oppidum, vel Diœceſim ejiciendas, aliisque pœnis contra Concubinarios ſtatutis affligendas. Concil. Trid. *d. Seſſ.* 24. *de reform. matri, cap.* 8.



XVII. DIFFICULTAS.

Uxor Militis, in bellica expeditione exiſtentis, neceſſitate famis coacta, adulterium cum aliis Militibus commiſit. Dubitatur, an non ſolum poſſit ſeparari à viro, ſed etiam ſequuto divortio dotem perdat, viro applicandam.

NOtandum primò, adulterium nil aliud eſſe, quàm alterius thori maritalis violationem. Habetur *in cap. Machaberis, cauſa* 32. *q.* 6. Et ita ſentiunt Goffredus, & Hoſt. *in ſumma, v. Adulterium, num* 1. Unde Gelaſius Papa, *in cap. Lex illa. §. adulterium, cauſa* 36. *qu.* 1. inquit, quòd adulterium dicitur quaſi ad alterius thorum acceſſio; quæ etymologia probatur ab Angelo Clavaſino, *in ſum. v. Adulterium.* 1

Notandum ſecundò, adulterium aliud eſſe, quando conjugatus coivit cum conjugata, & tunc appellatur adulterium duplex; & aliud eſſe, quando ſolutus habuit copulam cum conjugata, aut ſoluta coivit cum conjugato, & tunc dicitur adulterium ſimplex. Sylveſt. *in ſum. v. Adulterium, num.* 2. & omnes *in l.* 1. *Cod. ad l. Jul. de adult & l. inter liberas, §* 1. *ff. eod. tit. & in l. inter ſtuprum, ff. de verb. ſignif.* 2

Notandum tertiò, adulterii crimen grave admodum eſſe. *Cap. Quid in omnibus, cauſa* 32. *quæſt.* 7. Et ita docet Bald. *in cap. At ſi Clerici, §. de adulteriis, col. pen.* & Epiſcopus Verulanus, *tom.* 1. *ad Statuta Faventia, Rub.* 23. *lib* 4. *n.* 90. *&* 91. ubi dicit, adulterium judicari majus homicidio, cùm lædat famam, quæ eſt pretioſior, & & præferenda vitæ. Et Bart. *in rubr. ff. ad leg. jul. de adulter.* putavit, adulterium excedere omnia crimina, excepto crimine læſæ Majeſtatis. 3

Notandum quartò, adulterium eſſe difficilis probationis, neque poſſe alio modo probari, niſi ſolis conjecturis, & præſumptionibus: Et facit Text. *in cap. Præterea, de teſt.* ubi latè Felin. *col.* 1. Bar. *in leg. ſecundùm, § ult ff. de adulter.* Marſil. *conſ.* 1. *num.* 47. Dec. *conſ.* 557. *n.* 10. qui debent intelligi, quando adulterium non eſt notorium. Quando autem mulier dicatur notorium adulterium commiſiſſe, habetur *in cap. Significaſti, de divor.* ubi Abb. *num.* 4. ait, multos eſſe modos probandi notorietatem hanc; inter quos eſt, ſi mulier peperit filium, quandò per annum cum viro non cohabitavit; quam temporis circumſtantiam eſſe impensè notandam advertit Cardin. Albanus, *in Lucubrat. in Bart. in Rub. ff. ad leg. jul. de adulter. num.* 8. ibi dicens, quod Abb. ponit tempus anni, non autem novem menſium; nam mulier poteſt parere etiam in duodecimo menſe. 4

Notandum quintò, in iis, quæ ſunt difficilis probationis, probationes leviores admitti, *l. conſenſu, Cod. de repud.* & notat. Federi *conſ.* 119. Bart. *in l ſi quis ex argentariis, §. fin. ff. de eden.* 5

Notandum ſextò, copulam, quæ concludenter probari non poteſt, ut eſt Tex. *in cap. Litteras, de præſum.* probari, quando fuit ſolus cum ſola, & nudus cum nuda in eodem lecto; unde 6

sufficere ad probationem, si testis deponat vidisse solum cum sola, nudum eum nuda in eodem lecto jacentem, & facit Tex. *in d. cap. Praterea, de test.* & notat Dec. loc. cit. aut vidisse mulierem moram trahere, & coversari cum Militibus, & vidisse eam edera, bibere, & cum illis dormire in thalamo clauso, quæ omnia dicuntur indicia violenta: ut *in cap. Litteris fraternitatis tua de prasumpt. cap. Dixit Dominus causa 32 quaest.* 1. Moif. *in sum. tra. 4. cap. 14. num.* 23. Duard. *in cap. Omnis utriusque disp. 21. sect. 3. num. 62.* Quidquid dicant alii relati à Menochio, *cons. 31. num. 7.* quorum opinione admissâ, nullam potest unquàm adulterium probari. Et sic locus daretur innumeria inconvenientibus.

7 Notandum septimò, divortium, quod dicitur è diversitata mentium, ut habetur *in l. 2. ff. de divort.* asse legitimam separationem mariti, & uxoris quoad mutuam cohabitationem, ut habetur in Trid. *Can. 7. & 8. Sess. 24. de Matr.* ubi determinatur hoc de fide; & differre à repudio quod post legem Evangelicam nullatenùs est permissum; quia divortium propriè cadit inter virum, & uxorem post sequutam carnalem copulam; repudium verò etiam inter sponsum, & sponsam locum habet, ut repudiari possit sponsa, vel sponsus ex legitima causa & sic sponsalia dissolvuntur.

8 His adnotatis; ad difficultatem propositam, an uxor Militis per adulterium necessitate famis commissum, non solùm separetur à viro, sad etiam secuto divortio, dotem perdat, viro applicandam; negativè videtur respondendum, cùm non solum causa justa, & magna, ut apparet in hoc casu, sed atiam levis, & bestialis, ut dicunt aliqui, excuset à dolo, & consequenter à delicto. *l. igitur, §. potest, ff. de lib. cau.* Ang. *in l. Plagii, Cod. ad l. Flav. de plagia.* Alex. *cons. 127. num. 11. lib. 4.* Gram. *decis. 5. num. 25.* Cùm igitur hæc uxor necessitate potiùs compulsa quàm spontè deliquerit, videtur potiùs mereri veniam, quàm pro pœna amissionem dotis. Præterea à furto excusat fames. *Cap. Discipulos, de consecra. Dist. 5. & cap. 3. de fur.* Nihil enim durius est fame; & crudelior est mors propter famem, quàm propter bellum, vel pestem, ut ostendit Lucas da Penna; *in l. 1. Cod. de quib. muner. vel. praesta. nem. lice. se. excu. lib.* 10. & ideò mulier Militis, cùm impudica egerit, ne fame necaretur, videtur causâ justa agisse, nempè necessitate famis urgentis, quæ excusationem meretur.

9 Verius tamen contrarium arbitror; nempè per adulterium hanc Militis mulierem non solùm posse separari à viro, sed atiam dotem amittere, viroque hanc applicari, Sylvest. in verb. *Adulterium, quaest. 6.* Menoch. *cons. 31. sub. num. 17.* Molfesius, *in summa, p. 1. tr. 4. cap. 14. num. 22.* Duardus, *in d. cap. Omnis utriusque dispur. 21. sect. 3. num. 62.* & alii *in l. cum. mulier. ff. sol. matrimo. & in rub. Cod. de eden.*

10 Moveor primò juribus, *in l. Miles, §. socer, ff. ad leg. jul. de adult. l consensu, Cod. de repud. & in cap. Plerumque, de donat. inter virum & uxorem*, ubi est clarè decisum, uxorem, si propter ejus adulterium fiat divortium, dotem amittere.

Moveor secundò rationibus; nàm gravissima injuria, quæ per adulterium uxoris fit marito, est debito modo compensanda. Quo autem modo fieri potest hujusmodi compensatio? non occisione, quia jure Ecclesiastico prohibetur, *Cap. Interfectores, causa 33. quaest. 2.* Ergò dotis amissione. Tum atiam, quia hac pœnâ præcluditur aliquo pacto via adulteriis: Uxores enim scientes posse per adulterium amittere dotem, præter separationem à viro, non erunt tam faciles in adulterio committendo. 11

Moveor tertiò exemplo, in quadam fœmina, nomine Catharina, Jacobi uxore, relatâ à Menochio, loc. cit. quæ, cùm adulterium cum quodam Ugbeto commiserit sufficiantes probatum; fuit declaratum, dotem amisisse, atque ita eam repetere non potuisse. 12

Concludimus igitur, adulterio uxoris sufficienter probato, aut per confessionem ejus, qui adulterium committit; per confessionem, inquàm ordinatam dictæ, & præcisè ad probandum adulterium: aut per depositionem testium oculatorum; quod rarò potest evenire, cùm hæc delicta, pudori tam repugnantia, horia, & latebris secretis sequantur; aut per indicia violenta, juxta notata, fieri separationem matrimonii quoad thorum, & uxorem privari non solùm consortio mariti, sed etiam dota; & successivè nostrum Militem maritum, dotem suæ uxoris, ob ejus patratum adulterium, justè acquirere. 13

Ad rationes in contrarium respondemus: ad primam, nempè causam, non solùm justam, & magnam, sed etiam levem, & bestialem axcusare à dolo, & sic à delicto, hoc esse falsum, quando violantur præcepta juris naturalis, respondent Alex. *cons. 103. num. 14. lib. 1.* Cap. *cons. 21. col. pen.* Gomes, & alii; asserentes in criminibus lage divinâ, & naturali prohibitis, dictam regulam non procedere. 14

Ad secundam, concedendo, licere ob famis necessitatem furari; negando tamèn licere fornicari, aut adulterium committera, ut probat Tex. *in l. palàm, §. non est ignoscendum, ff. de ritu nuptia.* & tradit Marsil. *cons. 13.* in fin. Dec. *in l. qua propter necessitatem, num. 5. de reg. jur.* & ideò talis causa videtur nimis levis, & omnimodè insufficiens ad excusandam d. uxorem ab adulterio, & consequenter ab amissione dotis. 15

Infero primò ex dictis, pro separatione matrimonii quoad thorum ob adulterium alterius conjugis non sufficere quæcumque indicia, sed requiri, aut confessionem ejusdem conjugis adulteri. *Cap. Intelleximus*, ubi Abb. *n. 3. & 4. de adulteriis*, Gloss. Covar. & alii; aut alia indicia violenta, juxta notata; Repugnat enim rationi ob levem suspicionem, & uxorem dimitti à marito, & maritum relinqui ab uxore. 16

Infero secundò, dum adulterium uxoris probatur, ante separationem thori seu lite pendente, teneri maritum date alimenta uxori, etiam extra domum suam; quia maritus, ordinariè loquendo tenetur aleta uxorem, quando non sunt legitimè separati. Valerua, *differ. utriusque for. v. Alimenta, diff. 9.* ubi asserit, Maritum 17

ritum etiam post factam thori separationem teneri in utroque foro, externo nempè, & interno, alere uxorem, adducens Gloss. 1. in fin. *in cap. Significasti, de divort.* Card. Alexand. *in cap. Ex parte, col. fin. vers. sed. opere pretium, de sponsal.* Et probat; quia uxor licet sit adultera, non propterea desinit esse uxor, etiam post thori separationem. Contrà Sot. *in 4. dist. 3. quæst. unic. art. 3. fin.* dicentem quoad forum conscientiæ maritum non teneri factà thori separatione alere uxorem.

18 Infero tertiò, utroque conjuge in adulterium lapso, v.g. marito publicè, uxore occultè: & e contra, non posse occultum adulterum negare debitum conjugi publicè convicto de adulterio, nec ab illo in conscientia divertere. Ità docent Host Jo. And. Suarez, Coninch. Reginal. quos probat Molfesius, *in sum. p. 1. tract. 4. cap. 14. num. 25.*

19 Infero quartò, facto divortio culpâ uxoris filios educandos esse apud virum innocentem expensis uxoris; sic è contrà esse educandos penes uxorem innocentem, & expensis viri, si divortium fiat culpâ viri; quia dos restituitur uxori ex dispositione juris ob culpam, & crimen mariti; undè fructus sunt uxoris, & alimenta debent de bonis viri persolvi,

20 Infero quintò, Conjugem innocentem posse, ob adulterium alterius, ad Religionem transire; habetur *in cap. Agathosa, causa 27. quæst. 2.* & aliis juribus cumulatis per Sanchez, *lib. 10. de matrim. disp. 11.* cùm adulter amittat omne jus conjugale, & teneatur se continere, nec possit ad alias nuptias transire, vivente conjuge innocente: quod etiam confirmat exemplum in Constantia de Piccolominea Ducissa Amalphia, quæ, stante adulterio viri optime probato per Martinum Navar. coram Gregorio XIII. ingressa est in Monasterium S. Mariæ Sapientiæ Neapolis, ubi sanctissimè usque ad cinerem vixit, ut refert Molfesius *in p. 1, sum. tract. 4. cap. 14. num. 52.*

21 Infero sextò, uxorem adulteram, post separationem legitimam à viro, posse cogi in pœnam adulterii aliquod Monasterium ingredi, ut non sit ampliùs in occasione adulterandi. Et ita fuit decisum coram Summo Pontifice Gregorio proximè memorato, ut notat Molf. loc. cit. ubi addit, virum, qui adulterium commisit, non posse aliud matrimonium contrahere, non tamen cogi ingredi Religionem aut castitatem vovere.

22 Infero septimò, licere viro innocenti, invitâ uxore adultera, Ordines Sacros sumere. Glos. *in cap. Constitutus*, verb. *ad gradum, de convers. conjugat.* Molfesius, loc. cit. ubi innumeros alios recenset. Contrarium tenent Hostien Graff. Jo. And. & alii.

23 Infero octavò, maritum ante factum divortium in adulterium lapsum, posse cogi per Judicem Ecclesiasticum redire ad conjugem adulteram; siquidem adulteria conjugum mutuâ compensatione tolluntur, tam quoad divortium, quàm quoad amissionem dotis respectu uxoris & amissionem, antiphati respectu mariti, *l. viro, atque uxore, ff. solu. matri.* ubi Glos. sic dicens,,, Quòd si culpâ mariti solvatur matrimonium, ipse amittit donationem propter nuptias ,, Si autem culpà mulieris, ipsa amittit dotem, ,, Si utriusque culpâ solvatur, certè dicit hæc. *l.* ,, quòd compensantur adinvicem delicta, & ita ,, nullus amittit. Palud. Bald. & alii. Et etiam ,, posse cogi redire ad matrimonium conjugem innocentem, si sequutâ sententià divortii, in adulterium labatur, tenet Gloss. *in cap fin.* in fine, *de adulteriis, cap. Ex litteris*, in verb. *ad invicem, de divor.* cum vigeat ratio compensationis.

Infero nono, adulteram, quæ filium mittit ad Hospitale, ut adulterium occultetur, & 24
ne illud possit probari, licet non peccet hoc faciendo; Cajet *in sum.* verb. *Adulterium;* Tolet, *in summ. lib. 5. cap. 11.* teneri in solidum cum adultero Hospitali damna reficare; nisi aliunde excusentur, puta ratione paupertatis; cùm bona Hospitalium ad alendos pauperes, non verò divites ordinentur.

Infero decimò incidenter, parentes adul- 25
teros teneri filios adulterinos alere per se, vel per alios, & etiam per se, vel per alios illos instruere. Duardus, *in d. cap. Omnis utriusque disput. 21. sect. 3.*

Infero undecimò, quæstionem adulteri pro 26
lucro dotis non posse moveri contra hæredes adulteri, si maritus conscius adulterii uxorem viventem non accusavit. Cyn. Bald. Salyc. & alii *in. l. ult. Cod. ad leg. jul. de adult.* apud Menoch. *cons. 626. num. 5.*

Infero duodecimò, posse maritum autho- 27
ritate propriâ, & absque judicio Ecclesiæ, ab uxore sua adultera divertere, si illius adulteria sunt notoria, & è contra; cùm ab Innocente non aquiratur hoc jus per Judicis sententiam, sed ex ipsa natura contractus, & sic ex dispositione juris. D. Thom. *in 4. dist. 35. q. 1. art. 3. in corp.* D. Anton. *in sum. p. 3. cap. 5.* Covar. *part. 2. de sponsal. cap 7. §. 5. num 8.* & alii.

Infero decimotertiò, non posse virum oc- 28
cultè adulterum in conscientia uxorem publicè adulteram accusare civiliter; & dotem acquirendo teneri inconscientia restituere; quia ex legum dispositione applicatur dos viro, non quidem adultero, sed innocenti. Sylv. *v. dos, quæst. 14.*

Infero decimoquartò obiter, facto divor- 29
tio ob hæresim uxoris, dotem applicari Fisco. Sanchez. *lib. 10. de Matrim. disp. 21.* Reginal. *lib. 31. num 314.* Molfes. loc. cit. *num.* 22.

Infero decimoquintò probabiliùs, Mere- 30
tricem conjugatam pœne adulteris inflictæ esse obnoxiam. Scio tamèn, quòd Episcopus Verulanus, loc cit. *num. 97. & 98.* directè probat, Virum ad Meretricem conjugatam accedentem pœnas adulteris statutas minimè incurrere, sed aliâ mitiori pænâ esse plectendum.



XVIII. DIFFICULTAS.

An Feudatarius, seu Vasallus videns Principem suum in arce, vel prælio periclitantem, si desinat eum adjuvare, amittat Feudum.

1 NOtandum primò, feudum secundùm aliquos dici à *fœdere*, seu *faida*; secundùm alios à *fide*, & *Fidelitate*. Gloss. *in cap. 1.* in verb. *si tale. de capit. Corradi*, Jul Clar. *in §. Feudum, quæst. 5.* Intrigliol. *cent. 1. de feud. quæst. 2.* Dec. *in conf. 413. num. 2.* & secundùm alios feudum esse vocabulum Gothicum, & Longobardicum, deductum forsitan ab illa voce Germanica *Fecd*, quæ bellum significat. Prædia enim, quæ occupabantur in bello; quæque à Victore eâ lege colenda, & fruenda militibus suis tradebantur, ut eum perpetuò Dominum agnoscerent, & quasi illius clientes se profiterentur, feuda nuncupabantur, ut patet in lexico juris, in verb *feudum*, & tradunt Auctores citati.

2 Notandum secundò, Feudum esse benevolam concessionem rei immobilis, vel æquipollentis immobili, factam pro homagio, bocest jurato servitio fidelitatis. Ità Rainerius, *in cap. Imperialem, de probib. feud. alien. per Frider.* Syiveſt. in verb. *feudum, num. 1.* Quidquid dicat Jul. Clarus, §. *Feudum*, ubi duas alias feudi definitiones ponit.

3 Notandum tertiò, illum propriè dici Feudatarium, seu Vasallum, qui obstringitur ad ea, quæ traduntur *in cap. 1. de forma fidelitatis*, & nota per Menoch. *in conf. 65 n. 46.*

4 Notandum quartò, Feudum dividi in Regale, & non Regale, in ligium, & non ligium, in quaternatum, & non quaternatum, in hæreditarium, & mixtum, nempe partim ex pacto, & providentia, & partim hæreditarium. Quæ divisiones à nobis minimè explicatæ brevitati studentibus videri possunt apud Bald. *in prælud. feud.* Jul. Clar. *in §. Feudum, quæst. 7.* Molfes. *in summ. p. 1 tract. 12. cap. 10. à n. 20 ad 28.*

5 Notandum quintò, formulam jurisjurandi, quod Beneficiarius, seu Feudatarius præstare Domino compellitur, hanc esse, *lib. 2. feud. tit. 5.* „ Ego N. N. juro super hæc Sancta DEI Evangelia, quòd in posterum ero fidelis Domino „ N. N. sicut debet esse Vasallus Domino; nec „ id, quod mihi sub nomine fidelitatis commi- „ serit Dominus, pandam alii ad ejus detrimen- „ tum, nec pandi permittam, me sciente.

6 Notandum sextò, in formula jurisjurandi Domino præstandi sex contineri, ut habetur *in cap. De forma, causa 22. quæst. 5.* & inter ea primum esse, ne Vasallus damno aliquo Dominum afficiat, aut affici sinat, sed potiùs se illud impediturum juret; ut notat Azor. *Instit. moral. p. 3. lib. 10. cap. 12.* ubi etiam clarè, & compendiosè explicatur.

7 Notandum septimò, ex pluribus causis amitti feudum, puta ex variis delictis; ob mutationem status; per alienationem factam inscio Domino; ex obitu sine hæredibus; ex defectu investituræ non petitæ ab hærede infrà annum, & diem; & ex aliis causis, ut habetur *tot. tit. quibus ex caus. feud. amitt.* Vide Card. Alban. *in Lucubrat. in Bart. in l. Jurisgentium, §. Quintmò, ff. de pactis, n. 7.*

His adnotatis; ad difficultatem propositam, an Feudatarius, seu Vassallus videns Principem, seu Dominum suum in arce, vel prælio periclitantem, si desinat eum adjuvare, cùm possit, amittat Feudum; negativè videtur respondendum; nam Vassallus non tenetur ex propriis pecuniis succurrere Domino, versanti in mortis periculo; & hanc esse communem Doctorum sententiam, testatur Aiciat. *in resp. 161. num 9.* relat. à Menoch. *in conf. 721. num. 11.* & sic neque tenebitur, videns eum periclitantem in arce, aut in prælio, adjuvare sub pœna amissionis Feudi. 8

Veritas tamen est, Vassallum, seu Feudatarium feudum amittere, si in arce, aut prælio Dominum dimittit non mortuum, nec vulneratum ad mortem. Bal. & Felin. quos producit, & sequitur Card. Alban. *in Lucubrat. in Bart. in l. ut vim, ff. de just. & jur. num. 21.* Afflict. *in cap. 1 §. Licet Vasallus, num. 3.* Sylv. *in summa.* in verb. *feudum, quæst. 14. num* 16. Azor. *Inst. moral. p. 3. lib. 10. cap. 13.* Menochius, *in conf. 281. n. 32.* Molfesius, *in summ. p. 2. tract. 12. cap 10.* & alii communiter. 9

Moveor primò juribus, *in §. Quia suprà, lib. 1. feud. tit. 5. & lib. 2. tit 24. §. Item qui*, ubi apertè dicitur, quòd Vassallus amittit feudum, si Dominum periclitantem in prælio deseruerit, *& in cap. 1. de forma fidelitatis, & in cap. 1. de nova forma fidelitatis*, ubi Vassallus promisit, ac juvavit defendere Dominum in bello. 10

Moveor secundò rationibus; nam feudum dicitur à *faida*, seu *pheden*, id est inimicitia; quia Vassallus tenetur Dominum à publica, & privata inimicitia defendere; & ideò non defendendo eum in arce, aut prælio, videtur ex ipsa natura Feudi expelli à Feudo. Tum quia Vassallus deserendo Dominum in arce, aut prælio periclitantem, violat juramentum: Et violando juramentum, efficitur proditor, ut probat Gomesius, *in §. Rursùs, num. 24.* in fin. *inst. de actio.* & consequenter feudo privari debet, ut optimè deducit Menoch. *in conf. 99. num. 47.* 11

Moveor tertiò exemplo, in Joanne de Capua, Filio Francisci de Capua, Comitis Altavillæ, qui Anno 1495. die ultima Junii, bello in Regno Neapolitano inter Regem Ferdinandum II. & Carolum VIII. Francorum Regem extante, cùm vidisset Ferdinandum in prælio, ab eo commisso propè Seminatiam cum Prorege d. Caroli, à suo Exercitu profugato derelictum absque equo ab inimicis interfecto, ab equo descendit, in quo consedebat, & Ferdinandum super illum ascendere fecit: Hocque modo Ferdinandus mortem evasit, & Joannes ab hostibus vulneratus vitam amisit, dum putabat se, utpotè juramento obstrictum, teneri, ne feudum amitteret, Ferdinandum in Prælio periclitantem adjuvare. Ita referunt Julianus Passer. *in suis Annalibus in dicto Anno 1495.* Guicciardinus, *lib. 2. sua Historia*, Paulus Jovius, *part. 1. lib. 3.* Scipio Amita, *in familia de Capua, fol. 70.* & alii. 12

Con-

13 Concludimus igitur, Vassallum, qui deseтit Dominum periclitantem in arce, aut in prælio non mortuum, nec ad mortem vulneratum, feudo privari.

14 Ad rationem in contrarium respondemus, nobis minimè obstare; quia Vassallus jurat non afficere aliquo damno Dominum, nec sinere damno affici, sed illud impedire; non verò illum propriis pecuniis succurrere.

15 Infero primò ex dictis, Vassallum, qui scit Dominum esse captum, vel obsessum ab hostibus, vel ei imminere aliquod periculum, teneri absque alia requisitione ferre opem suo Domino; quia sciens certificari, moverique amplius non debet, ut per Text. *in l. item veniunt* §. *Petitam*, ubi Bart. *ff. de pet. hared. l. aut qui aliter*, §. *Si fortè*, *ff. quod vi, aut clam*, & *cap. Eum qui certus, de reg. jur. in 6.* & ibi Dyn. & tradit Bart, *in l. denunciasse* in princ. *ff. de adulter.*

16 Infero secundò, Vassallum amittere feudum ob crimen ingratitudinis, non quodlibet, sed grave, & tale, ut mereatur feudi privationem, *lib. 2. feud. tit. 24. §. Illud, & tit. 28.*

17 Infero tertiò, Vassallum jure amittere feudum si deseruerit Dominum in prælio, quamvis Dominus è prælio salvus evaserit; quia *lib. 1. feud. tit. 5.* sermo est absolutus, & simpliciter, si Dominus desertus fuerit; nec dicitur, si in prælio desertus à Vassallo Dominus perierit: Unde pœna desertionis est simpliciter intelligenda.

18 Infero quartò, Vassallum, qui scit Domino insidias parari, nec certiorem eum facit, graviter peccare, & esse puniendum, *lib. 2 feud. tit. 28. §. Praterea*, quod est in feudis singulare.

19 Infero quintò, non amittere feudum Vasallum, qui Brachiis abscissis aufugit; quia Domino inutilis est ad ipsius defensionem. Gloss. *in §. Quia suprà, lib. 1. feud. tit. quibus mod. feud. amitt.*

20 Infero sextò, Vassallum non amittere feudum, si non defendat Dominum in bello injustè ab eo suscepto. *Cap. 1. in tit. hic finitur lex; Consuetud. Regni deindè incipiunt*, & ibi Bal & Jac. Card. Alban. *in Lucubrat. in Bart. in l. si quis in grave*, §. *Si maritus*, *ff. ad Senat. consult. Syllan. num. 1.* Belvisius, Afflict. & alii; quia quamvis Vassallus promiserit, & juraverit defendere Dominum in bello, non præsumitur promisisse, & jurasse defendere in bello ab eo injustè indicto; cùm juramentum non sit vinculum iniquitatis, neque contrà bonos mores, ut alibi juribus demonstratum est. Circa hanc materiam potest inspici Gloss. *sup. tit. quib. mod. feud. amit. lib. 1. feud.*

21 Infero septimò, non improbabiliter loqui Doctores asserentes, Vassallum teneri defendere Dominum propriis expensis; sic tenent plures, inter quos Clar. *in §. Feudum, qu.* 21. ubi addit, quòd in pari periculo Vassallus non tenetur ponere vitam pro suo Domino; licet possit ad salvandam vitam Domini exponere vitam propriam periculo mortis, ut tenet Molfes. *in summ. p. 1. tract. 11. cap. 19. n. 156.*

22 Infero octavò, Vassallum non teneri procurare liberationem Domini è carceribus, ibi justè detenti; Secùs verò, si pro debito esset carceratus, & posset Vassallus illum adjuvare, ut ex Text. *in cap. 1. §. Item si delator, qua fuit prima causa benef. amitt.* & notat Clar. §. *Feudum, qu. 24* quia saltem operari tenetur, ut è carcere exeat: Quam operam non præstando, secundum aliquos feudo privatur.

23 Infero nonò, Vassallum non teneri alimenta dare suo Domino ad paupertatem redacto; nisi culpâ Vassalli pauper factus sit; ut post alios notant Jul. Clarus, *d. § Feudum, q. 23.* Natt. *cons. 380.* Afflict. *decis. 278. & 279.* & alii, quos recenset, & sequitur Molfes. *in summ p. 2. tra. 12. cap. 10. num 45.* Contrarium tenet Bart. *in l. alimenta*, § *Imperatoris, ff. de liberis agnoscendis.*

24 Infero decimò incidenter, Vassallum amittere feudum, si intrà annum & diem, à die possessionis feudi investituram non petrit. *Cap. 1. quo tempore miles, tit. 22. & cap. 1. qua fuit prima causa benef. amitt. tit.* 24. Et est communis opinio; & tenet Azor loc. cit. *cap. 13. quæst. 2.* Exceptis tamen militibus, quibus annus, & totus mensis ad petendam investituram conceditur, *lib. 1. feud. tit.* 22. Circa quam materiam potest videri Menoch. *in cons. 304. num. 42. & 44.* ubi notat, ut locus sit amissioni feudi ob non petitam investituram, requiri dolum ipsius Vassalli, & allegat *cap. ult. de probib. feudi alien. per Lothar.* Dec. *in cons. 14. num. 6.* & Jas. *in cons. 64. colum. 4. vers. 1.*

25 Infero undecimo pariter incidenter, filium privari feudo hæreditario ob crimen læsæ majestatis à Patre commissum; nam ob hujusmodi crimen privatur bonis hæreditariis, ut per Tex, *in l. quisquis, ad leg. jul. majest.*

26 Infero duodecimò, Principem tempore suspicionis belli posse cogere Vassallum, ut sibi tradat castrum sive arcem, vel civitatem pro conservatione suæ vitæ, & directi sui, sive juris ad eam custodiendam simul cum Vassallo, & non aliquo malo ingenio, Angel. *in l. fin. Cod. de litig.* Bal. Præpo. & alii, quos recenset, & sequitur Boss. *tit. de Principe, & Privileg. n.* 258.

27 Infero decimo tertiò, Feudum antiquum, & paternum Domino directo, & non Agnatis deferri, quando Vasallus tunc Dominus illud amittit ex delicto contra personam ipsius Domini perpetrato. Menoch. *cons. 99. n. 144.* ubi dicit hanc sententiam esse magis receptam; quodque juribus, & Doctorum auctoritatibus clarissimè probat. Secùs verò, quando feudum ex alia causa amittit, puta ob Clericatum, &c. Tunc enim feudum Agnatis acquiri, tradit post alios Curt. jun. *in tract. Feud p. 5. principal. num.* 10. ubi alios producit.

28 Infero decimo quartò, Vassallum, qui amicitiam cum inimicis Domini sui contrahit, posse feudo privari Gloss. *in l. 1. ff. de offic. Præfect. Urb.* & Gloss. *in l. liberi, Cod. de inoff. testam.* Dec *in cons. 544.* Card. Alban. *in Lucubrat. in Bart. in rubric. prima Const. ffrum, num 6.* nam possum præsumere inimicum meum, qui cohabitat cum inimico meo; ut tradit Jo. de Ana. *in cons. 7.* ubi citat Innoc. *in cap. Repellantur de accusat.* & Archid. *in cap. Quamvis, de procurat. in 6.* unde validum esse argumentum ad convin-

convincendum aliquem, tanquàm reum criminis hæresis, familiaritatem hæreticorum, tradunt communiter juris interpretes: & ideò uxor hæretici non deberet cum suo conjuge habitare, ut tradit Abb. *in cap. De illa. de divort.*

XIX. DIFFICULTAS.

Titius detulit Turcis, Bellum cum Christianis gerentibus, secretum Alchimiæ: Dubitatur, nùm in excommunicationem Bullæ Cœnæ inciderit.

1 Notandum primò, Alchimiam, quæ est ars mechanica, & à D. Thom. super Boe. *de Tri.* inter scientias subalternatas Philosophiæ naturali, habentes opus corporale pro materia, enumeratur; esse artem transmutandi metalla secundùm formam substantialem, & naturales qualitates, verè, vel apparenter. Ita communiter scribentes de hac materia inter quos Sylvest. *in sum.* verb. *Alchimia, num. 1. & seq.* ubi disputat, an detur ars ista.

2 Notandum secundò, Artem, inquantùm utitur instrumento naturæ, inducere posse formam naturalem substantialem; & unam speciem secundùm partem mutare in aliam: secùs verò, præcisâ operatione naturæ, ut docet D. Th. 2. 2. *quæst. 77. art. 2. ad primum.*

3 Notandum tertiò, Alchimistas non facere verum aurum; cùm forma substantialis auri non fit per calorem ignis, quo utuntur Alchimistæ, sed per calorem solis in loco determinato, ubi viget virtus naturalis; sed tantùm facere aliquid simile auro, quantùm ad accidentia exteriora. Sylvest. loc cit. *num. 2.*

4 Notandum quartò, licitum esse per se exercere artem Alchimiæ. Pan. *in cap. Ex tuarum, de sorti. Old. in suis consiliis*; quia Alchimistæ metallarii sunt, qui proprio labore sibi, & Reipublicæ commoda comparant, *l. 1. Cod. de meta.* & à juribus protèguntur ratione utilitatis ex eorum officio provenientis; & ratio est, quia operantur per virtutes, quæ reperiuntur in elementia, aut herbis.

5 Notandum quintò, artem Alchimiæ posse esse illicitam ratione finis, per quem fit; ut si fieret propter inimicos annihilandos, vel propter Infidelium audaciam contrà Christianos fovendam; & ratione personarum, à quibus fit; ut si propter imperitiam exponerent se periculo consumandi Patrimonium suum, & domum suam ad miseriarum extremitatem reducendi. Ita Sylv. loc. cit. *num. 4.*

6 Notandum sextò, vi Canonis septimi Bullæ Cœnæ prohiberi sub pæna excommunicationis, Summo Pontifici reservatæ, deferre arma, ferrum, stamnum, chalybem, aliaque metalla ad Turcas, Hæreticos, aliosque Christiani nominis Inimicos; eisque auxilium præstare.

His adnotatis; ad difficultatem propositam, an Titius incidat in excommunicationem Bullæ Cœnæ, si deferat ad Turcas, aliosque Christiani nominis hostes, bellum cum Christianis gerentes, secretum alchimiæ, quo aurum, argentum, aliudque metalli genus confici possit, negativè videtur respondendum; nam sumus in pœnalibus, ut est excommunicatio, ubi verba strictè sunt interpretanda, & non fit extensio de casu ad casum, ut habetur ex Pan. & aliis, *in cap. Ad aures, num. 8. de rescriptis*; quia argumentum à majori, vel à paritate rationis non procedit in odiosa, & exorbitantibus, ut tradit idem Pan. *in cap. fin. num. 9. & in cap Licet, num. 4. de transl. Episcopi.*

Veritas tamen est, vinculo excommunicationis Bullæ Cœnæ Titium ligari, si Turcis, aliisquè Christiani nominis hostibus tradit secretum alchimiæ, seù conficiendi suo modo aurum, argentum vel alia metallorum genera; prævidendo ex ejusmodi traditione damnum Christianis secuturum. Viv. *in explicatione Canonis septimi Bull. Cœn. numer. 10. ult. edit.* Bonacina *disp. 1. quæst. 8. punct. 2. num. 12.* Duardus, *hic quæst. 23. num 8.* 8

Moveor primò juribus, *in l. scire leges, ff. de legib.* ubi habetur, quòd in dispositione legis intellectus sumitur à ratione, non à sonitu verborum, & *in l. 1. Cod. quæ sit long. consuet.* ubi dicitur; quòd ratio legis plùs debet attendi, quàm lex ipsa, seù verba legis; unde quamvis lex Bullæ Cœnæ in suis verbis comprehendat metalla, & non secreta conficiendi metalla, ratio tamen legis videtur ad hoc secretum extendi; quatenus ratio prohibitionis est impedire Turcis, bellum gerentibus cum Christianis, augmentum potentiæ; & secreto conficiendi metalla, præsertim aurum, potentia Turcarum augetur, ut in motu sequenti patebit. 9

Moveor secundò rationibus; vi Canonis prohibetur metallum ad hostes deferri: Ergò etiam secretum, quo fit metallum juxta regulam Aristot. *1. post. resol. cap. 2. semper enim propter quod est unumquoque illud magis est.* Tum quia, secretum conficiendi metallum, aurum, argentum, & alia, est eminenter metallum; & ideò in prohibitione delationis metalli continetur etiam prohibitio delationis secreti. Taciti enim, & Expressi eadem est virtus, *ut in l. cùm quid, ff. si. cert. pet.* & tandem, dùm ad Christiani nominis hostes defertur secretum alchimiæ, seù ars conficiendi metallum, verè dicitur auxilium, aut consilium eis præstari in detrimentum Christianorum, cum per tale secretum Christiani impugnentur; quod vi Canonis septimi Bullæ Cœnæ prohibetur expressè sub pœna excommunicationis. 10

Moveor tertiò exemplo à simili, in iis, qui docent, aut tradunt secretum conficiendi venenum, quo perfidi homines utuntur ad vitam aliis auferendam. Hos enim incurrere pœnam, & esse publicâ animadversione plectendos, probat ex variis auctoritatibus Tiber. Decian. *in tract. crimin. p. 2. cap. 22. num. 2.* Pœnam igitur excommunicationis non debet aufugere, qui secretum docet metallum conficiendi, quo perfidi homines, ut sunt Turcæ, & Hæretici, utuntur ad impugnandum, & necandum Christianos; quia servatis servandis militat eadem ratio. 11

12. Con-

12 Concludimus igitur, Alchimistam qui defert secretum conficiendi alchimiam, aurum, argentum, ferrum, & alia metalla, ad Turcas, Hæreticos, aliosque Christiani nominis hostes, incidere in excommunicationem Bullæ Cœnæ, sive delatio sequatur tempore belli, ut vult Bonac. loc. cit. sive tempore pacis, propter rationes alibi à nobis adductas, quòd negat Duard. loc. cit. *n.8.* nam dato etiam, & non concesso, quòd ejusmodi prohibitio non comprehenderetur sub illis verbis, *omniaque alia metallorum genera*; sub illis verbis, ejusdem Canonis; *Et alia hujusmodi, quibus Christianos impugnant*, contineri certum videtur.

13 Ad rationem in contrarium respondemus, in pœnalibus, & odiosis non fieri extensionem legis secundùm mentem legis extensivam; secùs verò secundùm mentem legis comprehensivam; ut quando apparet ratio legis, quæ legis est anima, ut est in casu nostro. Ratio enim legis, ut diximus plùs debet attendi, quàm lex ipsa, id est quàm legis verba, *d. l.* 1. *Cod, quæ sit long. consuet.* & *Dist.* 1. *cap. Consuetudo*, ubi dicitur, quòd lex est quidquid in ratione consistit: Undè Bal. *in cap.* 1. *de const.* dicit, quòd lex consistit in substantia rationis, & Bar. *in l. cùm mulier*, *ff. sol. mat*, dicit, quòd ratio legis & mens legis idem est, quod intelligitur causaliter, & de ratione finali, quæ dicitur ipsa lex; ut tradit Bald. *in cap. Dilectus*, il secondo, *de rescript.* atque adeò lex locum habet ubicumque habet locum ratio legis, *l.* 1. *Cod, interd.* In nostro autem casu locum habet ratio legis ut probavimus; & ideò ex ratione legis sic debet interpretari, & intelligi lex, ut ea in similibus, & odiosis, & pœnalibus extendatur.

14 Infero primò ex dictis, intellectum legis sumendum esse in dubio à ratione, non à cortice verborum; & inutilem esse illam legem, quæ habet plures intellectus, qui possint omnes esse veri, nisi probentur per alias leges. Ita sentit Bart. *in l. in ambiguo*, *ff. de reb. dub.* Sylv. *in summ* in verb. *lex, sub n.* 16.

15 Infero secundò, incidere excommunicationem Bullæ Cœnæ deferentes ad Turcas filum ferri, aut secretum perfectiùs illud conficiendi; quia deservit ad arcus tendendos, ut sic velocius, & frequentius absque fractione sagittæ mittantur. Quòd dicitur de filo ferri, esse intelligendum de filo omnium metallorum, ob identitatem rationis, docet Alter. *in explicat, Bull. Cœn, lib.* 5. *cap.* 7. *disp.* 8. *col.* 6.

16 Infero tertiò, excommunicationis Bullæ Cœnæ vinculo ligari eum, qui defert ad Turcas, aliosque Infideles secretum temperandi eum majori perfectione chalibem, quem nos Itali vocamus *acciaro*, ut magis resistat, & gladii aptiores fiant ad vulnerandum, cæteraque instrumenta ex chalybe fabricata, magis apta, & accommodata fiant ad prælium contrà Christianos.

17. Infero quartò, incidere in Bullam Cœnæ eum, qui defert ad Turcas, aliosque Infideles secretum purgandi & perficiendi stannum, quod est liquor primus fluens in fornacibus ex plumbo, cum argento in fodinis misto, ut inquit Plin. *lib.* 34. *cap.* 16. quia hoc metallum, cujus delatio prohibetur in Bulla ad majorem perfectionem per secretum tedactum, potest ad majores usus belli inservire.

Infero quintò, esse excommunicatum in Bulla Cœn. deferentem secretum conficiendi Bombas, ultimò, seu nostris temporibus inventas, ad Turcas, Hæreticos, aliosque Christiani nominis hostes; cùm his bellicis instrumentis majora damna causentur. 18

Infero sextò, non esse immunem ab excommunicatione Bullæ Cœnæ eum, qui Turcas, aliosque Infideles docet artem magis perfectam militandi; seu exercendi cum majori damno Christianorum bellica instrumenta, aut disponendi exercitum præliatorum: Iis enim præstatur auxilium & consilium, quòd expressè prohibetur in Bulla. 19

Infero septimò, illicitum esse exercere artem alchimiæ per artem magicam, aut aliam artem legibus odiosam, *l. uni Cod. de Thesaur.* & not per Sylv. in verb. *Alchimia*, *n.* 3. 20

Infero octavò, peccare mortaliter exercentes artem alchimiæ, quando propter imperitiam exponunt se periculo consumendi patrimonium suum stultè; non quod hujusmodi ars in se aliquid illicitum contineat; cum uti naturalibus causis ad naturalem effectum non sit de se illicitum; sed quia nefas cuique est se in vita, aut in bonis externis absque causa justa graviter damnificare. 21

Infero nonò incidenter, licere publicis metallariis, etiam invito Domino ingredi ad inquirenda metalla, quando id exigit publica utilitas, *l.* 3. & *l. quosdam*, *Cod. de metal*, & tradit Bossius, *tit. de metallis*, & *argentifod. sub n.* 1. 22

XX. DIFFICULTAS.

An deferens, seu transmittens pecuniam numeratam ad Turcas, Hæticos, aliosque Christiani nominis hostes, cum Christianis bellantes, incurrat excommunicationem Bulla Cœna.

Notandum primò, peruniam dictam esse à perudibus, quia antiqui divitias in pecudibus habebant, ut Abraham, Loth. Gen. 31. *cap.* 17. & 26. Jacob etiam; Gen. 31. Ita etiam observat Turrecrem, *in cap. Totum, n.* 2. *causa* 1. *quæst.* 3. 1

Notandum secundò, pecuniam dupliciter accipi, strictè scilicet, & latè: Strictè pro monetis, seu nummis aureis, argenteis, æreis; latè verò pro omni eo, quod est pecuniâ appretiabile, ut vinum, frumentum, gemmæ, & omnia mobilia, & temporalia, quæ ad pecuniam sunt reducibilia, *ff. de constit. pec. l.* 2. *de cap. Totum, causa* 1. *quæst.* 3. & tradunt Card Albanus, *in Lucubrat. in Bart. in l, singularia*, *ff. si cert. pet, num.* 4. Butrius, *in cap. Non satis, n.* 7. *de simonia*, Turrecrem. *in d. cap. Totum, num.* 2. *causa* 1. *q.* 3. Sayr. *in suo Thesauro*, *lib.* 3. *cap.* 34. *num.* 25. & consequenter pecunia venalis dicitur, & rebus venalibus æquiparatur, Menochius, *in cons.* 407. *num.* 57. 2

3 Notandum tertiò, pecuniam nuncupari secundum sanguinem, ut scripserunt Glos. *in l. Advocati, Cod. de advoca. divers. Jud.* Jas. *in l. nec quicquam*, §. *ubi decretum, num.* 2. *ff. de off. praeconf.* Nec mirum est, quia nomine pecuniæ, ut diximus, intelligitur quidquid possidetur ab homine, quod etiam habetur *in cap. Si Infidelis, causa* 28. *quæst.* 1. & tradit Turrecrem. *in cap. Qui Christi, n.* 1. *causa* 12 *q.* 2.

4 Notandum quartò, pecuniam esse matrem avaritiæ, juxta Aristot. 5. *politic.* nam crescente pecuniâ, crescit cupiditas, quæ est radix omnium malorum, ut dicit Apostolus, 1. *Tim. cap.* 6. *num.* 10.

5 Notandum quintò, pecuniam valde necessariam esse tempore belli, ut notat Menochius, *in consf.* 25. *num.* 7. & ideò Principes, bellum gerentes, pro habenda pecunia varias impositiones decernunt.

6 Notandum sextò, quòd pecunia duplicem potest habere usum, materialem, scilicet, & formalem: Materialem, in quantùm deservire potest ad bellica instrumenta conficienda: Formalem verò, quatenus pecunia est generale instrumentum ad omnes contractus. Suarez, *de Excomm. Papæ reserv. in Bull. Cœn. disp.* 21. *sect.* 2. *n.* 54. Duard. hic, *q.* 22. *Can.* 7. *sub n.* 2.

7 Notandum septimò, metallum dici quamcumque materiam duram è terræ visceribus effodi solitam, cujus septem genera recenset Rebuff. *in explicatione Canonis septimi Bull. Cœn. vers. metallorum genera*; & alibi à nobis notatum est.

8 His adnotatis; ad difficultatem propositam, an deferens, aut transmittens ad Turcas, aliosque Infideles pecuniam numeratam, incidat in excommunicationem Bullæ Cœnæ; negativè videtur respondendum: Nam si pecunia strictè sumpta prohiberetur ad hostes deferri, maximè sub illis verbis, *omniaque metallorum genera*, nomine autem metalli in hoc Canone intelligitur tantùm massa metalli; sicuti appellatione ferri intelligitur massa ferri. Prætetea sub argento legato nummi non comprehenduntur, ut habetur *ex l. Cum aurum, l. Quintus Mutius*, la seconda, §. 1. *ff. de aur. & arg.* atque adeo metallorum appellatione venire non potest pecunia numerata; & cum simus in odiosis lex Bullæ prohibens deferri ad hostes metalla, non debet extendi ad deferentes pecuniam numeratam: Et consequenter pecuniam Turcis, aliisque Infidelibus deferens non videtur Bull. Cœn. excommunicationi obnoxius.

9 Veritas tamen est, hac censura ligari ad Infideles pecuniam numeratam deferentes; cùm ejusmodi pecunia in Bulla prohibeatur deferri, sive in illis verbis, *aliaque metalla*, sive generaliter, sub illis verbis, *Aliaque hujusmodi, quibus Christianos, & Catholicos impugnant.* Filliuc. *tom.* 1. *tract.* 16. *de censur. cap.* 6. *n.* 137. Bonac. *de censur. Bull. Cœna, disp.* 1. *quæst.* 8. *punct.* 2. *sub. n.* 5. Ugolin. hic, *in explicat. Can.* 7. in verb. *Omniaque metallorum genera, n.* 5. Suarez, loc. cit. Duard, *in Bullam Cœn. lib.* 2. *in Can.* 7. *quæst.* 22. *conclus.* 3.

10 Moveor primò juribus, *in l. scire leges, ff. de legibus*, ubi habetur in dispositione legis, intellectum esse sumendum à ratione, non à cortice verborum, *& in l.* 1. *Cod. quæ sit long. consuet.* ubi dicitur, quod ratio legis plùs debet attendi, quàm lex ipsa, seu verba legis: Undè quamvis lex Bullæ non exprimat pecuniam numeratam, sed metalla; tamen cùm pecunia ex metallo conficiatur, censendum est, pecuniam etiam prohiberi deferri sub illis verbis, *omniaque metalla*, ut *in l. quæ tota, ff. de rei vendic.* ubi habetur, de toto ad partem idem esse judicium; ut not. per Crispolt. *in Casib. militar. cas.* 30. *n.* 7.

Moveor secundò rationibus; nam pecuniâ magis impugnantur hominea, quàm armis. Tum quia metalla non aliâ ratione prohibetur in Bulla, nisi quia ex illis fiunt ea, quæ ad præliandum sunt necessaria; atque adeò & nummi cujuscumque metalli prohiberi censentur, cum ex metallo fiant, & ad bellum, ut notavimus necessario requirantur; unde Carolo Quinto, & Ludovico Gallorum Regi rogantibus, quid ad belli apparatum opus esset, fuit responsum, *pecuniis*, repetito ter hoc nomine à respondentibus. 11

Moveor tertiò exemplo à simili, in illis, qui asportando farinam, incurrunt pœnam statutam à lege prohibente asportari frumentum; quia vetitâ frumenti transportatione, censetur etiam vetita delatio farinæ, ut tradunt Doctores, *in l. non dubium, Cod. de leg.* & fusè Viv. *in sua syl. opin.* 65 Cùm igitur prohibeatur delatio metalli, censetur etiam prohibita delatio pecuniæ; Et sic successivè deferens pecuniam ad hostes, eidem pœnæ, nempe excommunicationi, quam incurrit deferens metallum, debet esse obnoxius. 12

Concludimus igitur, excommunicationem Bullæ Cœnæ nullatenùs evitari ab eo, qui ad Turcas, Hæreticos, aliosque Christiani nominis hostes defert pecuniam numeratam, sive auream sive argenteam, aut cujuscunque alterius metalli; cùm pecunia tribus modis censeatur prohibita: Primò, quatenùs potest deservire pro conficiendis bellicis instrumentis, & sic sub nomine metalli, vel materiæ prohibetur. Secundò, quatenùs est generale Instrumentum ad omnes contractus, & sic continetur sub illis verbis: *Et alia hujusmodi, quibus Christianos impugnant.* Tertio denique, quatenùs pecunia est medium utilius, & magis necessarium ad bellum gerendum; & hoc modo comprehenditur sub iis verbis: *Consilium, auxilium, favorem ad id eis præstantes.* 13

Ad rationes in contrarium respondemus: Ad primam patet responsio ex dictis; pecunia enim prohibetur deferri, non solum sub illis verbis, *metallorum genera*, sed etiam sub aliis verbis; undè deferens semper dicitur favere hostibus ad Christianos impugnandum. 14

Ad secundam, seu ad jura, nobis non obstare; quia ibi agitur de dispositione facta in ultima voluntate, in qua præsumitur, quòd Testator voluerit gravare hæredem quantò minus fieri potest, & sic agitur de re odiosa Nos verò, sumus in casu, in quo agitur de re favorabili ob favorem Christianæ Reipublicæ, *arg. tex. in l. sunt personæ, ff. de Relig. & sump. funer.* & sic debemus ampliare dispositionem legis. 15

16. In-

16 Infero primò ex dictis, incurrere excommunicationem Bullæ Cœnæ eum, qui ad Turcas, aliosque Infideles defert Aurichalchum, quia est metallum accedens ad colorem auri, & olim maximo in pretio habebatur, ut notat Alter. *in explicatione Bullæ Cœnæ, disp. 8. lib. 5. cap. 7. col. 6.*

17 Infero secundò, deferentes ad hostes Christiani nominis, Mulos, Mulas, Asinas, Camelos, & similes; quamvis non veniant hæc animalia equorum appellatione, cum sint diversæ speciei; incurrere excommunicationem Bullæ Cœnæ, quia pecuniâ æstimari possunt, & comprehenduntur sub iis, quibus Christiani impugnantur.

18 Infero tertiò, quando Testator apposuit signum universale universalitati bonorum, ut puta si dixit: Lego omnia mea bona mobilia, vel usumfructum omnium bonorum meorum mobilium, contineri etiam sub illo res mobiles, venales, & consequenter pecuniam, ut tenent Bart. Didac. quos recenset, & sequitur Menoch. *in cons. 407. num. 16.* in fin. & mordicùs defendunt. Aug. *in §. quia parum, Authen. de nuptiis, col. 1. in vers. in Text.* Dec. *in cons. 381. num. 4.* ubi optimè probat in legato mobilium venire pecuniam.

19 Infero quartò, pecuniam solum inventam esse propter commercium, & aliam utilitatem non adferre, ut tradit etiam, & probat ex juribus Menochius, *in cons. 213. num. 4.* cùm inter mortales omnia ad commercium reducantur.

20 Infero quintò incidenter, pecuniâ multis, si quid fuerit emptum, jure speciali, ob ejus nempe favorem, effici ipsius Militis: Idemque dici de pecunia Ecclesiæ, cujus efficitur, quod ex ejus pecunia emitur. Ita Nald. *in sum.* verb. *pecunia, n. 7.*

21 Infero sextò, tondentes pecunias, sive ut eas transmittant ad Turcas, aliosque Infideles, sive ob alium finem, variis pœnis subjici de jure Pontificio, ut patet ex *Constit.* Pii V. Incip. *Cùm nil magis, &c.* quæ innovata, & ampliata est per Urbanum VIII. ad omnes Provincias Italiæ, & ad omnes personas etiam Ecclesiasticas, & quacunque dignitate fulgentes, ut per ejus *Constit.* incip. *In suprema Pastorali specula, &c.*

22 Infero septimò, non licere deferre ad Turcas, aliosque Infideles cum Christianis bellum gerentes, pecuniam, aut aliquid aliud temporale pro Inductione ad fidem; nec etiam si contra Christianos non bellent; aliàs non effugitur labes simoniæ, ultra excommunicationem Bullæ Cœnæ ut habetur *in cap. Quàm pio, causa 1. q. 2.* & not. ibi per Turrecrem. *n. 1.*

23 Infero octavò, illicitum esse trahere aliquem, aut ad fidem, aut ad Religionem per munera danda propter fidem accipiendam, vel ingressum Religionis ex pacto; Hug. *in d. cap. Quàm pio.* Contrarium tenent Jo. Vinc. Phil. & Ber. *extrà, de simonia, cap. Dilectus,* Circà hanc materiam videatur Turrecrem. loc. cit.

24 Infero nonò quoad rem nostram, ad tollendum aliorum scrupulos, non incurrere dictam excommunicationem eum, qui ad Turcas, aliosque Christiani nominis hostes defert paucos nummos, vel minimam, & exiguam rem ex prohibitis; cum parvitas materiæ excuset à peccato mortali etiam in his, quæ jure divino prohibentur, Felin. *in cap. Ita quorundam, n. 3. de Judæ.* Alter. *in explicatione Bull. Cœnæ, disp. 7. lib. 5. cap. 5. col. 6.*

25 Infero decimò incidenter, pecuniam naturaliter loquendo, esse vitam hominis, Glos. *in l. Advocati,* verb. *vitam, Cod de advoc. divers. jud.* quam citat Bal. *in l. si tuis, Cod. de oper. liber.* & ideò esse divitias, & facultates multùm æstimandas, tradit Cœpoll. *in tract. de Imperatore militum diligendo, §. divitiis, & facultatibus,* Vide tamen, mi charissimè Lector, quæ in contrarium attulit Jul. *in §. Transigere, col. 2. vers. 5. præmitte, Cod. de transact.* Potissimum verò Doctorem Gentium, *cap. 3. num 1. ad Col.* omnes Christi fideles divitias terrenas contemnere, & Cœlestes nunquam perituras optare, & inquirere edocentem, *Quæ sursùm sunt quærite, ubi Christus est in dextera DEI sedens, quæ sursùm sunt sapite, non quæ super terram.*

XXI. DIFFICULTAS.

Vir potens, & magnæ authoritatis, mandat deferri ad Turcas arma. Dubitatur, num incidat in Censuram Bullæ Cœnæ Can. 7.

Notandum primò, hæc duo verba, *transfero,* & *transmitto,* non esse synonima, sed inter se differre: Latiùs enim patet, *transmitto,* quàm *defero:* Etenim dicitur quis transmittere aliquam rem, sive per se ipsum, sive per alium deferat: Deferre verò propriè dicitur, cum quis per se ipsum rem asportat. 1

Notandum secundò, prohibitionem hujus Canonis extendi generaliter ad omnes Christianos, tam Clericos, quam Laicos, cujuscunque conditionis, status, dignitatis, & præeminentiæ sint, sine ulla distinctione; siquidem dictio, *omnes,* ibi posita est universalis, & complectitur singulos, nullumque excludit; ut per Tex. *in l. Textoribus, & l. Julianus, ff. de lega. 3. cap. Si Romanorum, Dist. 19.* ubi Glos. verb. *Dicendo,* notat, quòd verbo generali omnia debent comprehendi: Et tradit Covar. *lib. 1. var. Resol. cap. 13.* 2

Notandum tertiò, nomine Saracenorum venire hic omnes illos, qui impiæ, & nefariæ Mahumeti sectæ, atque perfidiæ inhærent, sive sint Turcæ, sive Tartari, sive Persæ, sive Arabes, sive Ægyptii, Africani, & Mauri, qui actu Christianos impugnant, & Ecclesiæ bona occupant; aut habitu, id est, qui oblatâ occasione eos impugnarent, si possent, odio Christianæ Religionis. Navar. *in cap. Ita quorundam, notab. 4. num. 7. de Judæ.* 3

Notandum quartò, Summum Pontificem in Bulla Cœnæ, nomine Turcarum, voluisse intelligere omnes Sectatores Mahumetanæ Sectæ, qui juxta communem usum nuncupari solent Saraceni, aut Turcæ: Et ideò in eadem Bulla utroque nomine usus est Summus Pontifex, ut sine ulla ambiguitate omnes hos comprehenderet. 4

5 Notandum quintò, in Bulla Cœnæ *Can.* 7. prohiberi transmitti, & deferri ad Turcas, Hæreticos, aliosque Christiani nominis inimicos, equos, arma, ferrum, stannum, chalybem, aliaque metalla, ac Bellica instrumenta, lignamina, funes ex quacunque materia, seu ipsam materiam usui bellico idoneam, ut suprà explicavimus.

6 His advotatis; ad difficultatem propositam, an qui mandavit deferri ad Turcas arma, inciderit in censuram Bullæ Cœnæ *Can.* 7. negativè respondent Tabiena, Cajetanus, Martin, Ledesm, Navar. quos recenset, & sequitur Sayr. *in suo Thesauro, lib.* 3. *cap.* 11. *num.* 25. eò quòd excommunicatio est quid pœnale, & odiosum; & pœnæ potiùs restringendæ sunt, quàm ampliandæ, *cap. Pœnæ, de pœnit. Dist.* 1. *cap. Odia, & cap. in pœnis, de reg. jur. in* 6. Excommunicatio verò Bullæ lata est contrà facientes; & Mandans non est faciens; cùm factum sit post mandatum; atque adeò Censura comprehendens facientes, non debet extendi ad mandantes.

7 Fateor hanc sententiam valido fulciri fundamento, propterea eam sequi putabam; nihilominùs re melius considerata, & mente Summi Pontificis attente ponderatà, contrarium visum est verius; atque adeò amplectendum cum Panor. *in cap. Mulieres, num.* 5. 9. 10. 12. & 13. *de sent. excomm.* Sylv in verb. *excommunicatio.* 7. *num.* 24. & in verb. *mandatum, quæst.* 4. Ugolin. *in explicatione Can.* 7. *hujus Bullæ*, in princ. *num.* 3. & 7. Azor. *p.* 1. *lib.* 8. *instit. moral. c.* 23. *quæst.* 13. in princ. Duard. *in Bull. Can. lib.* 2. *Can.* 7. *quæst.* 15. ubi allegat Rebuff. Alt. Bonac. & alios.

8 Moveor primò juribus, *in cap. Si Papa, de privil. in* 6. & *l. quoties, ff. de reb. dub* ubi habetur, quòd in *l.* verba non sunt frustrà ponenda: unde si Summus Pontifex per verbum *deferunt*, intelligit eos, qui per se portant: per verbum *transmittunt*; significat illos, qui per alios id agunt. Et *in l.* 1 §. *dejecisse, ff. de vi, & vi arm. l. is damnum, ff. de reg. jur. & l. hac edictali. §. si verò plùs, Cod. de secund. nupt. & in l via, Cod. de donat.* ubi habetur, paria esse aliquid facere, vel per se, vel per alium: unde si faciens seu deferens res prohibitas ad Turcas est excommunicatus, excommunicationem eamdem non debet aufugere mandans eas res deferri.

9 Moveor secundò rationibus; etenim qui mandat causa est mandato, ut Turcæ auxilium seu subsidium recipiant ad Christianos impugnandos; quodcumque enim opus tripliciter potest fieri, nempè, facto, consilio, & præcepto. Tùm quia ratio legis plùs est attendenda, quàm verba legis, ut alibi ex juribus probatum est; unde quamvis in lege Bullæ mandans non exprimatur, ad ipsum tamèn se extendit ratio legis, ipsumque comprehendit finis prohibitionis. Deinde lex pœnalis extenditur de uno casu ad alium, quando alioquin lex non haberet effectum, seu esset frustratoria, *ut in cap. Si Civitas, de sent. excomm.*

10 Moveor tertiò exemplo à pari, in iis, qui mandantes aliquem occidi, debent puniri eâdem pœna, qua feriendi sunt ipsimet homicidæ, ut probant Salic, *in l. non ideò minùs, quæst.* 6. *Cod. de accusat,* Alberic, *in tract. statuor p.* 3 *quæst.* 44. Ang. Aretin. *in tract. malef.* in verb. *Et Sempronium mandatorem, num.* 32. & 33. Cæpol. *in cons.* 34. *col. ult. in crim.* & alii asserentes, non solùm homicidam irregularem esse nec posse in sacris ministrare, sed etiam mandantem, inter quos Butrius, *in cap. Henricus, num.* 6. *de adulteriis.* Ob identitatem igitur rationis non videtur immunis ab excommunicatione lata contrà deferentes, seù transmittentes res in Bulla prohibitas ad Turcas ille, qui mandat has res ad eos deferri,

Concludimus igitur, vinculo excommunicationis Bullæ Cœnæ ligari eos, qui arma mandant deferri ad Turcas, Hæreticos, aliosque Christiani nominis hostes; quia hos Infideles saltem adjuvant contrà Christianos; & ideò si Auctores contrariæ sententiæ nolunt, mandantes proclamare excommunicatos, aut deferentes, aut transmittentes, debent eos fateri vinculo excommunicationis obnoxios, ut auxiliantes. 11

Ad rationes in contrarium patet responsio ex dictis, præsertim in motu secundo. 12

Infero primò ex dictis, esse excommunicatum in Bulla Cœnæ eum, qui mandat deferri res in Bulla prohibitas, non solùm ad Turcas, sed etiam Hæreticos declaratos per sententiam pronunciatam à Sede Apostolica, sive immediate per Papam, per Officiales, seu Delegatos, vel Subdelegatos Papæ in Curia, vel ubi Papa residet; Secus verò, si essent Hæretici declarati per sententiam Episcopi, vel alterius Prælati, aut Judicis, ut docet Alter. *in Bull. Can, disp.* 8. *lib.* 5, *cap.* 2. *col.* 5. 13

Infero secundò, incidere in Bullam Cœnæ ad Infideles, res, in Bulla Cœnæ prohibitas, deferri mandantes, sivè sint Personæ Ecclesiasticæ, ut Cardinales, Patriarchæ, Archiepiscopi, Episcopi, Generales, aliique Prælati, & Superiores; sivè sint Personæ Laicales, ut sunt Imperator, Rex, Dux, Princeps, Marchio, Comes, aliique Laici; cùm Constitutio generalis, vel præceptum contineus excommunicationem, obliget omnes absque ulla exclusione, cujusque dignitatis fuerint, nullumque extet juris privilegium, quo ab hujusmodi constitutione, & præcepto excipiantur, 14

Infero tertiò, non minùs peccare graviter mandantem res prohibitas deferri, ac deferentem easdem res, quàm peccent Turcæ his utentes ad pugnandum contrà Christianos, ut asserit Alexander III *in cap. Ità quorumdam, de Juda,* dicens, adjuvantes Saracenos contrà Christianos, pares, aut etiam superiores in malitia fieri illis; ex quo Navarr. *in d. cap. Ità quorumdam, notab.* 9. *num.* 1. deducit, majus peccatum committi à Christianis, qui arma Saracenis subministrant, quàm ab ipsis Saracenis, qui Christianos impugnant; licèt regulariter loquendo, qui delinquit, seu delictum committit, graviùs peccet, quàm qui auxilium præstando adjuvat, ut not. Gloss. 1. *in cap.* 1. *de off. deleg.* 15

Infero quartò, incurrere in censuram Bullæ Cœnæ mandantem deferri arma, aliaque prohibita, 16

hibita, eaque deferentem etiam ad Judæos habitantes in terris Infidelium; cùm isti Judæi sint Christiani nominis Inimici, & Ecclesiam Christi vexarent, si possent. Et sic etiam sentit Navarr. *in d. cap. Ità quorumdam, notab. 4. num. 17.* quia in Bulla adest clausula, *& alios Christiani nominis hostes, & inimicos.*

17 Infero quinto, non ligari vinculo excommunicationis Bullæ Cœnæ mandantem res prohibitas deferri, nec ipsum deferentem ad illos Saracenos, qui pacem habent cum Christianis, & nullum unquam bellum Christianis indixerunt, ut sunt aliqui Populi in Terris Indiarum habitantes, Regem Lusitanum recognoscentes; quique nunquàm fuerunt, neque ex causa Religionis, neque ex alia causa molesti Christianis, ut refert Navarr. *n. 16.* quoad illos enim cessat ratio prohibitionis, & tradit Alt. loc. cit. *col. 4.*

18 Infero sextò, graviter peccare, & censuram incurrere, non solùm mandantem, & deferentem, & aliquo modo res prohibitas Saracenis tradentem, sed etiam illum, qui maligno animo curat ad Saracenos has res transferri; dummodo qui has res tradit, non habeat legitimam causam tradendi, seu transferendi. Secus verò, si transferens ob aliquam causam legitimam excusaretur à peccato mortali.

19 Infero septimò, non liberari ab excommunicatione eos, qui permittunt ex sua ditione res prohibitas ad Turcas transferri; cùm subministrent, saltem per alios, Turcis prohibita. Et facit *Extravag. multa, de Juda.* ubi excommunicantur eodem modo deferentes, & permittentes prohibita extrahi ex suis portubus. Ità Navar. *num. 20.*

20 Infero octavò, non incidere in excommunicationem Bullæ mandantem, aut consulentem deferri ad Turcas, aliosque Infideles res prohibitas, nisi sequuto effectu, videlicet postquam mandatarius vi mandati, aùt consilii ductus est ad ferendum opem, vel favorem Infidelibus; & favor mandatus ad ipsos pervenit, ut optimè probat Alter. *in explicatione Bullæ Cœnæ, disp. 8. lib. 5. cap. 10. col. 3 vers. Non est autem excommunicatus,* & alibi à nobis est demonstratũ.

21 Infero nonò obiter, nunquam esse permittendum à Duce Exercitus res bellicas, & præsertim equos militares extrà Provinciam suam duci; quod laudabiliter observant Hispani, qui olim nullatenus permittebant, equos eorum, qui sunt multùm agiles, armigeris Nationibus vendi: quod notat Cassan. *in Catal. glor. mundi, p. 9. §. De jure verò civili.*

XXII. DIFFICULTAS.

Ecclesiasticus militans cum licentiâ Summi Pontificis contrà Turcas, Ecclesiam Catholicam infestantes, factus est dives, tum stipendiis, quæ à Principe accepit, tùm spoliis, quæ à Turcis eripuit. Dubitatur nùm hujusmodi militiam prosequendo, possit tutâ conscientiâ accipere decimas, quæ ei debentur.

1 Notandum primò, præcepta veteris Testamenti esse in triplici differentia; nempe Moralia, Judicialia, & Cæremonialia: Moralia erant principia juris naturalis, vel ex illis deducebantur, ut sunt Præcepta Decalogi; & hæc sunt per Legem Evangelicam confirmata, novumque ab ea robur acceperunt. Judicialia, quæ ad convictum hominum, & Reipublicæ gubernationem spectabant, ut erat decimarum solutio, immunitas aliquarum Civitatum; & sic de aliis; & hæc post mortem Christi defecerunt; suntque mortua, esto non mortifera, idest non obligant, sed ipsorum saltem aliqua possunt inculpate, sive absque culpa observari, quatenus à Summo Pontifice, vel à Regibus renovantur; & ideò renovata sunt in Jure Canonico plura præcepta judicialia, ut est immunitas Ecclesiarum, solutio decimarum, & alia. Cæremonialia demum, quæ post Christi mortem, non solum mortua sunt, sed etiam mortifera; quatenus primò, & principaliter ordinabantur ad significandum Christum venturum, qui cùm venerit, illa si viverent, essent mendacia. Circà hanc materiam vide D. Tho. *1. 2. quæst. 101. art. 1. 2. 3. & 4. & totâ, quæst.* 104. Lorc. *disp. 31. de leg.* Suarez. *lib. 9. eod. tit. cap. 4. & seqq.* Molfesius *in sum. p. 1. tract. 9. cap. 4. n. 25. cum seqq.*

Notandum secundò, in decima duo esse considerandà; videlicet ipsum jus accipiendi decimas, & ipsas res, quæ nomine decimæ dantur, D. Thom. 2. 2. *quæst. 87. art. in corp.* ubi dicit, jus accipiendi decimas esse spirituale; res autẽ, quæ nomine decimarum dantur, esse corporales. 2

Notandum tertiò, pro majori claritate, cui sedulo studemus, decimam posse dupliciter considerari; primò, quatenus est pars quædam fructuum qui percipiuntur: secundò, quatenus est certa, & taxata pars fructuum, & decimata; quoad primum respectum deberi de jure Divino, sivè naturali, Ecclesiasticis, & Dei Ministris, qui nobis spiritualia ministrant: & quoad secundum; nempè quatenus est talis portio taxata juxta consuetudinem regionis, esse de jure Canonico, seu Ecclesiastico, docet, D. Thom. loc. cit. *art. 1.* communiter receptus. Covar. *1. var. resol. cap. 17.* Canis. *de decimis, cap. 3. num. 7.* & novissimè And. Vallen. *in paratit. jur. Canon. lib. 3. tit. 30. §. 4. num. 4.* ubi dicit, hanc esse veriorem, & receptiorem Theologorum sententiam. 3

Notandum quartò, dari discrimen inter primitias, oblationes, & decimas, ut habetur ex D. Thom. 2. 2. *quæst. 85. art. 3* D. Aug. & aliis Patribus, & Scholasticis; siquidem primitiæ dicuntur primi fructus agrorum, & arborum; juxtà illud Deuteron. 26. *Tolles de cunctis frugibus tuis, & pones in cartallo;* atque adeò primitiarum oblatio fit Deo immediate in gratiarum actionem pro acceptis ab eo fructibus: dein verò in usum Ministrorum Dei convertuntur. Oblatio verò importat actum, non solùm exteriorem, sed etiam internum: sic Martyres obtulerunt seipsos Deo in Sacrificium laudis, intimè amando tormenta, quibus externe se tradebant. S. Aug. *lib. 10 de Civit. Dei, cap. 4.* Decima tandem est pars decima fructuum, & offertur immediatè Ministris Dei, tanquàm in stipendium ad ipsos sustentandos ob ministerium spirituale, quod præstant; propterea dicuntur decimæ esse DEI, & solvi DEO; quia sol- 4

solvuntur Ministris Ecclesiæ, quibus quod solvitur, & datur, DEUS sibi solvi & dari dicit. Unde oblatio differt à decima, ut genus à specie, quia oblatio est magis generalis, & sic tanquàm genus: Et decima, cùm respiciat tantummodò oblationem externam, est tanquàm species.

5 Notandum quintò, sepositâ omni Ecclesiæ assignatione, ordinatione, taxatione, iis solis ex lege justitiæ decimas deberi, quibus cura incumbit Animarum; cùm jus decimas percipiendi consequatur illud debitum, quo seminantibus temporalia debentur. His propterea esse ante omnes, vel ex decimis, vel Fidelium oblationibus, vel pensionibus, aliisque bonis Ecclesiasticis providendum ratio exigit, æquitas jubet.

6 His adnotatis; ad difficultatem propositam, quam in terminis à nemine reperi agitatam, nempè, an Ecclesiasticus, militans cum licentia Summi Pontificis contrà Turcas, vel alios Christiani nominis Hostes, Ecclesiam Catholicam infestantes, si factus sit dives aut stipendiis, aut spoliis, possit tutâ conscientiâ, hujusmodi militiam prosequendo, accipere decimas, quæ sibi debentur; negativè videtur respondendum: Dicit enim S. Aug. *Serm.* 219. *de tempore*, relatus, *in cap. Decima, causa* 16. *quæst.* 1. quòd decimæ sunt tributa egentium Animarum; & ideò si noster Ecclesiasticus, qui militat contra Turcas, non eget, non potest tutâ conscientiâ illas accipere, & consequenter nec retinere. Prætereà decimas fuisse institutas pro sustentandis DEI Ministris, dicitur in Sacris Scripturis; undè Malach. *cap.* 3. *num.* 7. 8. 9. 10. habetur, *Revertimini ad me & revertar ad vos, dicit Dominus exercituum, &c. Inferte omnem decimam, in horreum, & sit cibus in domo mea.* Ergò qui habet, non solùm sufficientem sed superabundantem sustentationem aliundè, non potest inculpate accipere decimas. Prætereà, Clericos illos convenit decimis, seu Ecclesiæ stipendiis sustentari, qui Ecclesiæ serviunt, sicut debent, Atqui noster Ecclesiasticus militiæ deservit, non Ecclesiæ; ergò eum non convenit Ecclesiæ stipendiis, seu decimis sustentari. Prætereà Num. *cap.* 18. *num.* 21. expressè dicitur: *Filiis autem Levi dedi omnes decimas Israelis in possessionem pro ministerio, quo serviunt mihi in Tabernaculo fœderis, &c. solis Filiis Levi mihi in Tabernaculo servientibus, & portantibus peccata populi.* At noster Ecclesiasticus, dùm bellat, non servit in Tabernaculo, quod juxtà mysticos intellectus est Ecclesia militans, ut explicat Dyonis. Carthus. *in Num. cap.* 8. sed in castris; non portat peccata Populi, sed arma. Ergò si recipit decimas, contra jus divinum operatur, & quod est juris alieni usurpat.

7 Fateor, hanc opinionem, inspectâ rationum, quibus fulcitur, superficie, aliquam demonstrare probabilitatem: Contrariam tamen, quæ mihi verissima, & æqua videtur, amplector. Sic puto sensisse Turrecrem. *in cap. Quoniam quidquid. causa* 16. *qu.* 1. §. *Ad quartam, num.* 8. & novissimè Andr. Vallen. *in Paratit. jur. Canoni, lib.* 3. *tit.* 30. §. 6. *n.* 14.

8 Moveor primò juribus, *in cap. Tua nobis, extrà de decimis*, ubi habetur, Clericis esse decimas dandas quantumcunque sint divites, vel mali, ut notat Turrecrem. loc. cit. & *cap. Decima tributa, causa ead. quæst.* 1. ubi apparet, Sacerdotibus non esse decimas denegandas; easque solventes multa bona consequi, & non solventes multorum criminum esse reos; & successivè, si decimæ reputantur in debito, nostro Ecclesiastico, contrà Turcas militanti, debentur. Et sic illorum acceptio est licita.

Moveor secundò rationibus. Dicit enim 9 Apostolus, 1. *Cor. cap.* 9. *num.* 7. neminem teneri suis stipendiis militare: *Quis militat suis stipendiis unquàm?* Quicunque igitur militat, sive dives sit, sive pauper, licite exigit, & recipit quod sibi debetur. Tum quia Sacerdotibus DEI, sive Ecclesiasticis decimas esse à Fidelibus solvendas Abraham factis, & Jacob promissis insinuat, lex statuit, & omnes Doctores commemorant, *cap. Decimas DEO, causa* 16. *quæst.* 7. Quis autem dixerit, nobis nequaquam licere accipere, quod ab aliis nobis debetur? Tum etiam, quia decimas esse Ecclesiasticis debitas non intuitu personarum, sed intuitu DEI, & servitii præstiti, communis est Canonistarum sensus: Et solvi, & dari DEO, quod ministris Ecclesiæ persolvitur, clarè notavimus. Illicitum autem nullatenùs potest esse exigere, & recipere nomine DEI, quod Dominus DEUS in signum universalis dominii sibi reservavit, & à Fidelibus in signum omnimodæ subjectionis ei tribuitur; quemadmodùm illicita nunquàm potest dici exequutio tributorum, quæ suo Principi tenentur Vassalli persolvere. Postremò, nemini ob divitias auferri sua jura oportet, *cap.* 1. *causa* 24. *quæst.* 1. Propterea noster Ecclesiasticus, quamvis dives, uti jure suo in recipiendis decimis, licitè potest.

Moveor tertiò exemplo, in tot Principibus, 10 & Regibus, qui tametsi thesauros possideant, & opulenti sint, nihilominus, tributa, quæ eis eorum subditi ex debito offerunt, non tam lubenter, quàm licitè, & absque scrupulo recipiunt. Nec non in pluribus Ecclesiasticis, & maximè Episcopis, qui in urbe, vel in Apostolicis Legationibus Christianæ Reipublicæ, seu S. Sedi Apostolicæ addicti, esto habeant undè vivant; nihilominùs decimas, aliosque redditus, qui sibi debentur, recipiunt, aut pauperibus posteà distribuendos, aut pro servitio Apostolico absumendos.

Concludimus igitur, nostrum Ecclesiasticum divitem, sive aliunde habentem unde vivat, 11 si militat contrà Turcas, vel alios Christiani nominis hostes, sicuti debet pro Ecclesiæ Catholicæ, seu Christianæ Reipublicæ tuitione, posse tutâ conscientiâ decimas, quæ ei debentur, accipere.

Ad opposita respondemus: Ad primum, concedendo ant. & negando consequentiam, quia licet iste 12 Ecclesiasticus decimas potest accipere, non ut in malos usus eas convertat, sed ut inde, tanquàm Egentium procurator, egentibus militibus, vel aliis subveniat.

Ad secundum, eodem modo respondetur; 13 nempè quod qui habet aliundè abundanter, unde vivat, non potest licitè accipere decimas in usus malos consumendas, concedimus; ut aliis provideat, negamus.

14. Ad

14 Ad tertium; admissâ mai; distinguitur minor Ecclesiasticus militando contrà Turcas non inservit Ecclesiæ particulari immediatè, transeat; mediatè, negatur: Quod sufficit ad justificandam decimarum acceptionem; dum enim militando deservit Ecclesiæ universali, in qua omnes Ecclesiæ particulares continentur, censetur etiam servitium Ecclesiæ particulari præstare.

15 Ad quartum, negando universaliter minorem dicit Alex. de Ales, relat. à Turrecrem. loc. cit. *sub num. 4.* quòd portare peccata Populi non solùm est curam Animarum suscipere, sed etiam pro peccatis populi orare, undè *Num. cap. 8. num. 19 Tradidique eos dono Aaron, & filiis ejus de medio populi, ut serviant mihi pro Israel in Tabernaculo fœderis, & orent pro eis, ne sit in populo plaga.* Quid autem impedit nostro Ecclesiastico, dum Marti deservit, & in Tentoriis moratur, mentem ad DEUM elevare, eumque pro peccatis populi exorare? Addo cum præfato Alex. nos optimè in Tabernaculo, seu in Ecclesia militanti DEO deservire, zelo honoris DEI pugnando, & Fidem Christianam, sive Catholicam Ecclesiam defendendo: Et secundùm hunc modum de Levitis Idololatriam vituli consitatis vindicantibus, ait Moyses. *Consecrastis manus vestras hodiè Domino, unusquisque in filio, & in fratre suo, ut detur vobis benedictio.* Per hunc modum Equites Melitenses, & SS. Mauritii, & Lazari, S. Stephani, aliorumque Militantium Ord. militiæ contrà Turcas, aliosque Christiani nominis hostes mancipati, consecratas habent manus Domino, ut meritò possint benedictionem decimarum percipere, si ab Ecclesia eis concedatur.

16 Infero primò ex dictis, licere Summo Pontifici, qui solus potest jus decimandi concedere, Rebuf. Betoius apud Menoch. *cons. 291. num. 45.* decimas de novo imponere rationabili causâ existente, Concil. Constan. *Sess. 43. in Const. Martini V.* qui mandat districtiùs observari jura, quæ prohibent inferioribus à Papa decimas, & alia onera Ecclesiis, & personis Ecclesiasticis imponi: Ibique additur „ Per nos autem nullatenùs imponatur generaliter super totum Clerum, nisi „ ex magna, & ardua causa, & utilitate, universalem Ecclesiam concernente, & de consilio, & consensu, & subscriptione Fratrum nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, & Prælatorum, quorum consilium commodè haberi poterit.

17 Infero secundò, decimas non esse Laicis concedendas; cùm non seminent ex officio spiritualia; Et adest Text. *in cap. Pervenit, causa 2. q. 3. d. cap. Decimas causa 16. quæst. 7.* & ideò Episcopum concedentem Laico decimas Ecclesiarum esse puniendum, vult Text. *in cap. Quamvis, de decimis*, & officio privandum, habetur ex Concil. Lateran. III. *de depositione, c. 8.* & meritò; cùm dare decimas Laicis sit simoniacum, & præsertim, si dentur ratione pecuniæ seu per pecuniam, *cap. Altaria, causa 2. q. 3*

18 Infero tertiò, decimas non posse transferri ad successores, seu de Laico ad alium Laicum, *cap. Prohibemus, cap. Ad hæc, decimis;* cùm non fuerint concessæ, ut Laici invitarentur ad benefaciendum ipsis Ecclesiis, sed ex aliis causis, ut notat Abb. *in cap. Cùm Apostolica, de his, quæ fin. à Prel. vers. ult.* Menoch. *cons. 90. num. 112. & 113.*

Infero quartò, non licere Laicis decimas possidere; quia jus decimarum est spirituale, cùm propter Divina, & Sacramentorum administrationem fiat decimarum solutio; & adest Text. *in cap. Revertimini, causa 16. quæst. 1. cap. Quamvis 17. cap. Tua 25. cap. Dudùm 31. de decimis:* Quod esse intelligendum de decimis acquisitis post Lateran. Concilium, observat novissimè And. Valen. *in Paratit. jur. Canonic. lib. 3. tit. 30. §. 6. n. 1.* ubi addit, illas nempè decimas acquisitas ante Concil. Lateranen. posse etiam hodiè à Laicis retineri, ut colligitur à Text. *in cap. Prohibemus, de decimis;* & ibi Gloss. Quis Laici sine periculo Animarum decimas de- „ tinere non possunt, prohibet Lateran. Concil. „ quod ipsi in alios Laicos decimas ipsas transfer- „ re non præsumant aliquo modo; & si quis eas, „ receperit, & non restituerit Ecclesiæ, ad quam „ pertinent, Christianâ careat sepulturâ. Et hu- „ jusmodi jus, videlicet jus quoddam decimarum secundarium, quod ab illo primario oritur, fuit subindè per summos Pontifices Imperatoribus, Regibus, aliisque supremis Principibus, alioqui juris primarii decimarum incapacibus, ob bene merita in Ecclesiam, benignè concessum: Quæ decimæ à Pragmaticis vocantur decimæ infeudatæ: Joan. Imbert. *Instit. forens. lib. 1. cap. 25.* 19

20 Infero quintò, non esse decimas Regularibus solvendas; Habetur etiam ex Concil. Later. IV. *c. 56.* quod est intelligendum de decimis, quæ eis authoritate Ecclesiæ minimè conceduntur; quippe quæ pertinent ad jura aliarum Ecclesiarum.

21 Infero sextò, licere Religiosis decimas, authoritate Ecclesiæ eis concessas, puta ratione eleemosynæ, recipere, & favet Text. *in d. cap. Quoniam quidquid, causa 16. quæst. 1.* Secùs verò sepositâ hujusmodi authoritate, Turrecrem. *in d. cap. Quoniam quidquid. num. 2.*

22 Infero septimò, Religiosis, curam animarum habentibus, sicut aliis Sacerdotibus, jus competere decimas recipiendi, cùm seminent spiritualia.

23 Infero octavò, Clericos, qui possident proprio jure, vel ex successione parentum, vel ex emptione, vel quocunque alio modo, ad decimarum solutionem esse adstrictos. D. Thom 2. 2. *quæst. 87. art. 4. in corp.* Secùs verò, quatenus sunt Ministri Altaris, spiritualia Populo seminantes, & propterea Ecclesiasticas possessiones habent. Hæc Angelicus Doctor, ibid.

24 Infero nonò, de omnibus rebus esse decimas solvendas, Concil. Lateran. III. *in append ad tit. de decimis, C. 3.* quam veritatem etiam Ethnici cognoverunt, Crœsum Cyro consilium dedisse, ut ex omnibus Hircis decimas quisque Jovi redderet; & Æginates decimam ex Persarum spoliis, qui Platæensi prælio occubuerant, diis quibusdam dedicasse, narrat Herodotus, *lib. 1. & 9.*

25. In-

25 Infero decimò, esse solvendas decimas per Ecclesiam in feudum aliquibus Militibus pro necessitate Ecclesiæ concessas. D. Th. 2. 2. *quæst 87. art. 3. ad 3.* Turrecrem *in d. cap. Quoniam quidquid, causa 16. quæst. 1. §. ad secundum, num. 5*

26 Infero undecimò, esse solvendas ab omnibus, etiam Ecclesiasticis, Monasteriis, Locis Piis decimas, quas Summus Pontifex solvi permittit Imperatori, Regibus aliisque Principibus, bellum contra Turcas, aliosque Christianæ Reipublicæ hostes habentibus. Concil. Lateran. V. *Seff. 12.* prout fuit à nobis clarè explicatum, *tom. 1. lib. 1. Diff.* 30.

27 Infero duodecimò, decimam esse solvendam non solum Sacerdotibus, curam Animarum habentibus, Episcopis, quando in certis casibus eis de jure eis debetur, sed etiam Summo Pontifici, non solum ab omnibus Ecclesiasticis, sed etiam ab omnibus Christianis, si eam ipse, postulante necessitate, exegerit, prout potest ex triplici titulo exigere; videlicet 1. tanquàm Pastor universalis Dominici Gregis: 2. tanquam supremus omnium bonorum Ecclesiasticorum Administrator: 3. Denique tanquam supremus Princeps in spiritualibus. Sic And. Vallen loc. cit. *num.* 13. Circa hanc materiam vide Less. 2. *de just. & jur. cap. 39. dubit. 5.*

28 Infero decimotertiò, decimas quæ solvi debent nostro Ecclesiastico, pro defensione Ecclesiæ militanti, vel aliis sivè de jure, sivè ex privilegio, nullatenus esse diminuendas. *Extra, "de decimis, cap. Tua nobis*, ubi dicitur, Ni-"mis profectò videtur, iniquum, si decimæ, "quas Deus in signum universalis dominii, sibi "reddi præcipit, suas esse decimas, & primitias "adseverans, &c. diminui valeant.

29 Infero decimoquartò obiter, non parùm mereri Christi fideles, qui decimas & primitias eorum fructuum, nullo jure obstricti, spontè Ecclesiis offerunt; & ideò Alb. Krantzius summopere laudat Carolum Magnum eò quod tributa Christianorum remiserit, & eorum loco decimas Ecclesiis; & Episcopis assignaverit, Metropol *lib. 1. cap* 8.

30 Infero decimo quintò etiam incidenter, nemini licere aliis personis sua prædia excolenda committere in fraudem decimarum, quæ solvi debent Ecclesiæ, vel gabellarum, quæ debentur Principi. Contrarium quoad decimas fuit damnatum in Concil. Lateran. IV. sub. Innocentio III. *cap. 53.*

31 Infero decimosextò etiam incidenter, Impedientes decimas solvi excommunicationem ipso facto incurrere. Clement *de pœnis, cap. fin.* Trid. *Seff. 25. de reformat. cap. 12. de decimis, in 6. cap. 1.* & decimas fraudantes, si non habent privilegium, esse per Episcopum excommunicandos. Concil. Sabinen. *C. 12. & 24.* Clement. *de decimis, cap. 1. & in d. cap. 1, in 6. de decimis.*

32 Infero decimoseptimò, omnes Laicos teneri solvere decimas. Concil. Lateran. III. *in Append. ad tit. de viris religiosis, C. 6.* solvere inquam jis, quibus competunt. Concil. Moguntsub Stephano Papa VI. *cap.* 17. Cùm Dominus in signum universalis dominii, quasi quodam titulo speciali sibi decimas reservaverit, Ecclesiasticis, seu suis Ministris offerendas; id quoque exigente non tantùm dispositione Juris Divini, sed etiam nostrâ utilitate; siquidem ex decimarum solutione plurimum pendet nostrorum bonorum conservatio, nec non multiplicatio. Lucullum Romani juris peritissimum, quod decimam vovisset, votumque persolvisset, maximis opibus auctum veteres existimasse, Author est Plut. *in Lucullo.* Contrarium, nempe quod decimæ non sint solvendæ, prohibetur *cap. Ex parte*, & aliis, *extrà, de decimis.*

Infero decimooctavo, decimas non esse puras Eleemosynas, sed debita, & obligationes Parochianorum, *cap. Tua nobis de decimis.* Concil. Senon. C. 17. Concil. Lateran. III. *Append ad tit. de decimis*, C. 2. Concil. Raven. I. sub Honorio IV. C. 7. & successivè. non posse à Parochianis propter peccata suorum Prælatorum ad libitum suum auferri, ut temerariè asseruit Joannes Wuiclefus, cujus error, seu erroneus articulus, 18. in ordine damnatus fuit in Concilio Constantiensi *Seff.* 8. 33

XXIII. DIFFICULTAS.

An Milites Catholici, qui in Bello pugnant contrà Turcas, aut alios Christiani nominis hostes pro defensione Christianæ Reipublicæ, aut recuperatione Civitatum, Regnorum, aliorumque Bonorum ab illis Infidelibus injustè occupatorum, Martyres sint dicendi, si mortem per manus eorumdem subeant Infidelium

Notandum primò, Martyrium dictionem esse græcam, & idem generaliter importare quod vox Latina, Testimonium; & Martyrem idem, quod Testis, ut colligitur *ex cap. Si quis præpostera, Dist. 50.* & apud Ecclesiasticos Scriptores, & juxta usum loquendi ab Ecclesia receptum, Martyrium accipi pro Testimonio veritatis Fidei; quæ testificatio per antonomasiam, & excellentiam Martyrium nuncupatur, quod potest sic definiri. Est realis mortis propter Fidem illatæ voluntaria perpessio. Joan. Viguer. *instit. theol. tit. de fortitudine, cap. 6. §. 1. vers. 1.* 1

Notandum secundò, Martyrium esse eximium actum fortitudinis, quamvis solius charitatis, & Fidei affectu subeatur: unde D. Amb. *lib. 1. offic. cap. 41.* ostendit fortitudinem magis in tolerando, quam in vincendo consistere; clarumque esse Christianæ sapientiæ argumentum contra Basilidem, sivè Basilidianos, asserentes, dementiam esse pati Martyrium pro confessione Christi; cùm absque crimine possit Christus ore tantùm negari; contra Georgium Davidem dicentem, Apostolos Martyres fuisse stolidos, nolendo abjurare Christum coram hominibus, & ob id interfici se permittendo; quas hereses refert, & optime confutat Cajet. *in 2. 2. quæst. 124. art. 4. in appendice.* 2

Notandum tertiò, Martyrium dupliciter sumi, late scilicet, seu per similitudinem; & strictè; late & per similitudinem, quando Christianus propter Fidem, & amorem Christi sustinet, 3

ſtinet, vel tormenta extrinſeca in corpore, vel paſſiones in animo: Strictè verò, quando mortem pro Chriſto ſubit, ut fusè probat Carolus Felix de Matta, *tract. de Canon Sanct. p.2. cap.11, ſub num.3.* Hinc. D. Aug. *conc. 2. in Pſal. 68.* ait „ Martyrem non pœna facit, ſed cauſa ; & idem docet *in Epiſt. 61. de coercendis hæreticis,* D. Bern. *Epiſt. 77. ad Hug. de S. Vict.*

4 Notandum quartò, ad martyrium in ſtricta acceptatione conſideratum quinque requiri, 1. propriæ voluntatis, & propriæ vitæ abdicationem. 2. Mortis non naturalis, ſed violentæ, & opprobrioſæ illationem, 3. Juſtæ cauſæ terminationem. 4. negationem reſiſtentiæ Tyranno. 5. ſtatum gratiæ, vel ſaltem legitimam ad eam diſpoſitionem. Ita DD, quos recenſet Matta, loc. cit. *ſub n. 7.*

5 Notandum quintò, vetuſtum ſatis eſſe Eccleſiæ morem, antequàm aliquem declaret martyrem, ſummâ diligentiâ ejus geſta examinandi; undè Collegium ſeptem Notariorum, qui hodie Protonotarii Apoſtolici nuncupantur, ad Martyrum res geſtas diligenter deſcribendas, inſtitutum fuit à Summis Pontificibus, Clemente Primo, Anthero Primo, Julio Primo: Ut refert Pet, Greg. Tholoſ. *in ſyntag. iur. lib. 15. cap.42. ſub n.12.* & poſtea auctum quinque aliis à Sixto Quinto, qui illis plura privilegia conceſſit, ut patet in ejus Bulla, incip. *Romanus Pontifex* 12. in ordine, edita Anno 1585. 16. Kal. Decemb.

6 Notandum ſextò, veri Martyrii effectum eſſe omnia delere peccata, tam actualia, quàm originale, ut per Tex. *in cap. Cathecumenum, & cap. Baptiſmi vicem, de conſecr. Diſt. 4.* & tradit D. Aug. *de Civit. DEI, cap.6.* in fin. *& cap.7.*

7 His adnotatis; ad difficultatem propoſitam, an Milites Catholici in bello pugnantes contrà Turcas, aliosque Infideles pro defenſione Chriſtianæ Reipublicæ, aut recuperatione Civitatum, Regnorum, aliorumque Bonorum, ab illis infidelibus injuſtè occupatorum, Martyres ſint dicendi, ſi in bello per manus eorumdem Infidelium occumbant, affirmativè videtur reſpondere D. Th. 2. 2. *q.* 124. *art. 5. ad 3.* quem ſequitur inter Recentiores Capiſuc. *tract. de controv. controv.27. de Martyrio,* §.12. in princ. nam Bonum Reipublicæ, pro quo moriuntur, ſi refertur in DEUM, efficitur Divinum, & ſic ſufficiens ſit cauſa Martyrii; omnium enim virtutum opera, prout referuntur in DEUM, ſunt quædam proteſtationes Fidei, per quam nobis innoteſcit, quod DEUS hujusmodi opera à nobis requirit, & nos pro eis remunerat. Præterea habetur ex Matth. 5. *Beati, qui perſecutionem patiuntur propter juſtitiam,* quod pertinet ad Martyrium, ut Gloſ. ibi dicit. Juſtitia autem complectitur non ſolùm Fidem, ſed etiam alias virtutes; & ſic aliæ virtutes poſſunt eſſe cauſa Martyrii. Præterea, non eſt contrà rationem Martyrii, quòd quis contrà perſecutores puguet, & quod inferendam ſibi à perſecutore mortem aufugere conetur: Poſſumus enim pugnare contra Infidelem nos invadentem, ut Fidem abnegemos, ab eoque tandem mortaliter vulnerati, mortem poſtmodum advenientem voluntariè ſuſcipere, & acceptare, & ſic Martyres effici.

Scio auctoritatem Doctoris Angelici eſſe venerandam; Quo verò in ſenſu debeat, aut poſſit ejus opinio in hac materia intelligi infrà in reſponſionibus ad objecta explicabo. Contrariæ igitur ſententiæ adhæreo, & dico, Milites in bello adverſùs Infideles pro Bono Chriſtianæ Reipub. pugnantes nequaquàm eſſe Martyres dicendos, ſi in bello occumbant. Leſſ. *de juſt. & jur. lib. 3. cap. 1. dub. 3. num. 36.* Henricus Henriq. *in ſum. Theol. Moral. Tom. 1. lib. 2. de Baptiſ. Sacram. cap. 37.* in fin. Laym. *Theol. Moral. lib. 3. ſect. 3.* Patres Salmant. *in Curſu Theol. Tom. 3. tract. 9. diſp. 3. dub. 2. §. 2. num. 23.* Molt. *in ſum. tract. 1 cap 11. n.30.* & alii. 8

Moveor primò juribus, *Auth. de teſtib.* in princ. ubi habetur, de ratione teſtis, qua teſtis eſt, eſſe, ut de rebus, & negotiis contrà negantes, vel dubitantes fidem faciat, & veritatem contrà illam inficientes patrocinetur, quod non ſequitur in caſu noſtro: *& cap. Baptiſmi, de conſecr. Diſt 4.* ubi habetur, quòd non pœna, ſed cauſa facit Martyrem; *& cap. Meritò, §. Firmiſſimè, cauſa 15. q. 1.* ubi dicitur, vitam æternam abſque dubio illos conſequi, qui pro nomine Chriſti martyrizantur: Omnes verò Milites in bello, ob bonum Reipublicæ pugnantes, ſalvari non eſt certum; imò probabile eſt multos ex illis damnari. *Et cap. Neque ad Cam, Diſt. 90. cap. Cathecumenum, de conſecr. Diſt. 4.* ubi apparet, ad rationem martyrii requiri charitatem ergà Chriſtum, & Confeſſionem Fidei Chriſtianæ coram perſecutore interrogante; quæ poſſunt deeſſe in Militibus pro Reip. defenſione contrà Infideles pugnantibus. 9

Moveor ſecundò rationibus; nam Chriſtianus dicitur, qui tenet Fidem Chriſti, D. Th. loc. cit. atque adeo ſola Fides Chriſti poteſt patientibus Martyrii gloriam præbere. Tum quia, nemo dicendus eſt verus Chriſti Martyr, niſi in patiendo imitetur Chriſtum, cujus Paſſionem recognoſcimus verum exemplar Martyrii. Chriſtus verò teſtimonium perhibuit veritati patiendo non armis pugnando, aut aliis modis Tyranno repugnando, nam dicitur *1. Pet. 2. num. 23. Cùm enim pateretur, non comminabatur tradebat autem judicanti ſe injuſtè,* & tanquam ovis coram tondente ſe ſine voce, ſic non aperuit os ſuum, ut dicitur in Act. Apoſt. *cap. 8.* 32. adeoque dum noſtri Milites armis repugnant Turcis, aliisve Infidelibus, dici non poſſunt veri Martyres Chriſti, quamvis pugnent pro defenſione Reipublicæ Chriſtianæ. Deindè Martyr minimè dici poteſt, qui voluntariè non moritur, ſed neceſſitate, ex defectu ſcilicet virium in hoſtem: Qui autem moritur pugnando contrà hoſtem, non videtur mori voluntariè, ſed neceſſitate, ex defectu, inquàm virium in hoſtem; neque ut Chriſtianos, ſed ut Miles victus ab hoſte. Præterquam quòd, ſecundùm ſenſum ſatis communem, ad rationem veri Martyrii non ſufficit quòd Tyrannus ad perſequendos Fideles ex motivo politico inducatur, ſed neceſſè eſt, ut moveatur ſimpliciter ex odio, quo fertur in ipſam Religionem; quod non ſupponitur in caſu noſtro, cum motivum, quod habent Infideles, ſit cauſa ſe, & quæ credunt ſua, defendendi. 10

11 Moveor tertiò exemplo, in tot Militibus, præsertim in Ordine Hierosolymitano, in bello pro Reipub. Christianæ defensione ab hostibus Fidei interfectis, quos nihilominùs Ecclesia Martyrum numero minimè adscribit; & cùm Phocas imperator id tentaverit, Orientales Episcopi restiterunt. Teste Baronio, relato à Capisucco, loc. cit. §. 16.

12 Concludimus igitur, Milites, pugnantes in bello contrà Turcas, aliosque Christiani nominis hostes pro defensione Reipublicæ, aut recuperatione Civitatum, Regnorum, aliorumque bonorum ab illis injustè occupatorum, non esse Martyres dicendos, si in bello occumbunt.

13 Ad rationes in contrarium respondemus; ad primam, quod illud bonum, pro quo moriuntur, in se consideratum, non est causa Martyrii, & intentio eorum, quâ solùm posset illud bonum effici divinum, & sic causa Martyrii non est nota certitudinaliter Ecclesiæ; solus enim DEUS occulta cordis humani cognoscit; & quamvis exteriùs suam intentionem Milites manifestarent, dicentes, se intendere hujusmodi bonum humanum in DEUM referre adhuc Ecclesia non esset moraliter certa de eorum intentione; cum potuerint mentiri, quod est Militibus satis familiare, aut, si veritatem dixerent, mutare propositum. Hæc Cajet, in 2. 2. loc. cit.

14 Ad secundam; quòd quamvis Fides, & aliæ virtutes in justitia continerentur, adhuc tamen moriens propter justitiam non redderet expliciè testimonium veritati Fidei, quod requiritur ad rationem Martyrii; cùm Martyr idem sit, quod Testis, & Testis qua talis est, & reduplicativè, juxtà notata, debeat fidem facere manifestè de veritate contrà illam negantes, aut de illa dubitantes.

15 Ad tertiam, patet responsio ex dictis; Martyr enim, si Martyr est, ad imitationem Christi Martyrum Regis, debet testimonium veritati præbere, patiendo, non repugnando.

16 Ad authoritatem D. Thomæ, respondet Schola Carmelitana Discalceata, *tom. 1, in 1.2, tract. 9. disp. 3. dub. 2. n 24.* quòd Sanctus Doctor intellexit de Militibus illis, qui capti ab Infidelibus, & ab illis tentati, ut vel fidem deserant, vel aliquod peccatum contra DEUM committant, vel exercitium alicujus virtutis Christianæ derelinquant, potiùs eligunt mortem subire, quàm eorum iniquæ voluntati parere; quæ responsio Eminentissimo Capisucco non placet.

17 Infero primò ex dictis, Martyres non esse dicendos milites, qui purâ intentione pugnant pro Fide, si in bello moriantur, quamvis multum mereantur pugnando; resistunt enim Tyranno, quod ratio Martyrii non tolerat.

18 Infero secundò, hæreticos, qui dicunt se pati pro Christo, non esse Martyres; quia Christo per veram Fidem non conjunguntur, nec patiuntur secundùm ejus doctrinam in Ecclesia D. Greg. *lib. 18. Moral. cap.* 14. & illis Martyrium non prodesse, si in hæresi moriuntur, *cap. Firmissimè, de hæreticis.*

19 Infero tertiò, ad constituendum verum Martyrem non sufficere mortem quoquo modo receptam, sed requiri, ut acceptetur solùm pro Christo, & pro Christianæ Fidei defensione.

Infero quartò, crudeles pœnas, patienter à Tyranno receptas, esse sufficientem Martyrii causam, quamvis mors non statim sequatur; ut patet de Sanctis Marcello, Silverio, Martino, Summis Pontificibus, & aliis ab Ecclesia pro Martyribus habitis: dummodò tamen cruciatus illi ex suâ naturâ sufficientes sint ad mortem inferendam, & tolerentur pro Christo, & pro Christianæ Fidei defensione: Nam de pluribus Philosophis legitur, multos sustinuisse cruciatus, non propter Christum, sed ut repressis carnis tumultibus, liberiùs speculationibus vacarent, ut fecit Plato, teste D. Hieronymo, contrà Jovin. *lib. 2.* 20

Infero quintò, lato modo dici Martyres illos, qui propter Fidem, & amorem Christi sustinent, vel tormenta extrinseca in corpore, vel passiones vehementes in animo, quamvis mors non sequatur. Sic dicitur Martyr B. DEi Genitrix Virgo, D. Hieron. *in serm de Assumpt.* Sic Joannes Evangelista per Domitianum Principem in Pathmos relegatus: D. Hieron. contrà Jovin. *lib.* 1. Sic etiam castè, & piè viventes, D. Greg. *Hom 3. in Evang.* 21

Infero sextò, quando proceditur ad Canonizationem Martyris, non solùm debere constare de corpore Martyrii, aut per evidentiam facti, aut per Testes, si Martyria in partibus infidelium accidunt, ubi Curia Catholica non habet facultatem Martyrum corpora inspiciendi; Sic docet Carolus Felix de Matta, *in Canoniz. Sanctor. part. 4. cap. 21.* sed omnia esse perpendenda, ne Martyrium alicujus celebretur, qui verè non fuerit Martyr. 22

Infero septimò, Martyrium ex parte mortem inferentis esse delictum graviter punibile, etiam pœnâ mortis naturalis, juxtà dispositionem, *l. 1. ff. ad l. Cornel. de sicar.* quamvis ex parte mortem patientis sit perfectissimus actus charitatis, maximo honore dignus in Ecclesia Militanti, & gloria in Triumphanti. 23

Infero octavò incidenter, constituto de causa Martyrii consistenti in perfectissima charitate, à qua reliquæ virtutes informantur, ut docet D. Th. 2. 2. *quæst. 4. art. 3 ad 1. & quæst. 23. art 8. ad* 1. posse Ecclesiam procedere ad Canonizationem Martyris, nec opus esse alias virtutes in medium deducere. 24

Infero nonò, non esse proptiè, & verè Martyres dicendos eos, qui in ministerio, peste laborantibus præstito, moriuntur; aut manifesto periculo mortis ad proximi salutem curandam se exponunt, etiam morte postea secutâ; Hæc enim est, & fuit semper communis Theologorum sententia, & Sanctorum Patrum sensus, ut notat Capisuccus, loc. cit. §. 11. Martyr enim, ut suprà diximus, est idem, quod Testis; & Ecclesia non consuevit Martyres appellare, nisi eos, qui Fidem coram Tyranno apertè testantur. 25

Infero decimò, Infantes, ante usum rationis, imò etiam in maternis uteris occisos propter Fidem Christi, Martyres censeri, & gratiam sancti- 26

sanctificantem recipere; quia testantur veritatem Fidei sanguine, dum non possunt voce. Ita etiam docent communiter Theologi. Cajet. 2. 2. *quæst. 124. art. 1. in solut. primi arg.* Sot. *in 4. dist. 3. quæst. unic. art. 11. §. secunda propositio*, Suarez, Reginald, & alii apud Capis. loc.cit. §. 3. & propter hancrationem Ecclesia universalis, ut Martyres venerandos, & colendos proponit Infantes Innocentes, causâ JEsu Christi ab Herode interfectos.

27 Infero undecimò, mortem pro Christo toleratam non habere virtutem constituendi Martyrem, & remittendi peccata, nisi interveniat dolor de peccatis admixtus; quia ad remissionem peccatorum necessarius est pœnitentiæ actus; & est unanimis Theologorum sensus.

28 Infero duodecimò, Martyres semper fuisse usque ab initio nascentis Ecclesiæ in maximo honore apud Catholicos. Teste Tertull. *lib. 2. ad uxor. cap. 4.* ut notat ibi Pamel. *ad n. 29.* D. Amb. *in Epist. ad Marcellin. Soror.* Baronio, in suis eruditis Annal. præsertim Anno 254. 361. & semper esse omni honore colendos, *lib. 5. Constit. Apostol. C. 7.*

29 Infero decimo tertiò, Martyrum vigilias esse ab omnibus etiam privilegiatis, in necessitate communi obsidionis, præsertim Turcarum, Hæreticorum, aliorumque Christiani nominis hostium observandas. Greg. I. *lib. 3. Epist. 20.*

30 Infero decimo quartò, Martyrum Sepulchra, seu Cœmeteria debere Psalmis, Missis, Orationibus, frequenti visitatione, aliisque Catholicæ Religionis actibus honorari, *lib. 6. Constitut. Apostolicar. C. ult.* Concil. Carthag. I. *C. 2.* Felix I. *Epist. 2.*

XXIV. DIFFICULTAS.

An liceat emere capta in bello, quod an justum sit, vel injustum, ignoratur.

1 Notandum primò, dubium illud esse censeri, quod potest esse & non esse, *l. de statu. ff. de testa.* Bat. *in l. admonendi, n. 20. ff. de jurejur.* Menoch. *in consil. 82. n. 59.*

2 Notandum secundò, dubium, atque incertum illud esse dici, quando adsunt rationes hinc indè. Ita Afflict. *decis. 149.* in fin. Soc. *in rub. & in l. si fuerit, ff. de reb. dub.* Neviz. *lib. 5. sylva nup. n. 74.*

3 Notandum tertiò, nemini licere rem furtivam, vel raptam emere, neque pignora perdita apud Usurarium; & Emptorem harum rerum teneri eas in specie restituere, si facultatem eas restituendi habet. Ita communiter DD. Inter quos Menochius, *in consil. 300. n. 17.*

4 Notandum quartò, de natura venditionis, & emptionis esse dominii translationem, *l. si quis alienam, l. ex empto, ff. de actio. empt. & vend.*

5 Notandum quintò, ex natura rei, & per se loquendo, non posse dari bellum justum ex utraque parte, ut alibi tetigimus; cùm actus contrarii circa idem non possint per se pertinere ad eamdem virtutem posse tamen dari bellum justum ex utraque parte per accidens; quando scilicet, tam pro una, quàm pro alia parte adsunt motiva, & rationes sufficientes pro justitia belli. Victor, *relect. 6. de jure belli, num. 32.* Trullen, *tom. 2. in Decal. lib. 5. cap. 2. dub 3. n. 10.* & alii à nobis alibi allegati.

6 Notandum sextò, omne bellum in dubio præsumi justum, si à Principe non recognoscente superiorem, fuit indictum, Sic docuit. Abb. *in cap. Sicut*, il terzo, *n. 13. de jurejur.* Quidquid dicat Aret. *in Consil. 14. n. 7.* Host. *in cap. Sicut, de treuga, & pace.*

7 Notandum septimò, quando non apparet de justa belli causa, in dubio præsumi justam causam. Abb. *in cap. 2. de treu. & pace.* Franc. Arias, *in tract. de bello, num. 158. arg. cap. Quæ in Ecclesiarum, de consti.* & aliis rationibus, optimè probat Menochius, *de præsumptionib. lib. 6. præsumpt. 96. n. 7.*

8 His adnotatis; ad difficultatem propositam, an liceat emere capta in bello, quod an justum sit, an injustum, ignoratur; negativè videtur respondendum cum Fagundez, *lib. 2. de justitia, cap. 2. n. 13.* Molin. *tract. 2. disp 36. & disp. 723.* Sanchez, *de matrim. lib. 2. disp. 41. n. 27.* & aliis, afferentibus, peccare eum, qui emit rem, de qua rationabiliter dubitat esse furtivam. Præterea afferunt communiter Doctores, Militem non subditum Principis, qui bellum gerit, non posse pugnare, quando rumor est, bellum esse injustum, nisi priùs consulat viros doctos, piosque afferentes, post diligens examen circa causam belli, bellum esse justum; adeoque & posito eodem murmure, peccat etiam, qui res in tali bello captas emit.

9 Fateor, hanc opinionem esse ferè communem, & magnam habere probabilitatem; nihilominùs contrariæ, quæ verior mihi videtur, libenter adhæreo cum Covar. *ad regulam, Peccatum, p. 2. §. 11. num. 7. & 8.* Less. *lib. 2. cap. 5. dub. 4. n. 12.* Diana, *p. 7. tract. 7. Res. 5.* Rebell. *p. 1. lib. 1. q. 10. sect. 2. n. 35.* quibus addi potest Menochius, *de præsumpt.* loc.cit. *n. 7.*

10 Moveor primo juribus, *arg. in cap. Inquisitioni, de sent. excomm. & in cap. Dominus, de secund nuptiis*, ubi habetur, quòd res dubis aufert obligationem cedendi: *Et in cap. Estote, de reg. juris*, ubi habetur, quòd ubi factum est dubium, ut quia potest esse delictum, vel non delictum, in dubio judicari debet non delictum; Ita etiam Glos. *in cap. Absit, causa 11. q. 3.* & tradunt Innoc. *in cap. Dudùm*, il primò, *de electio.* Alciat. *in tract. præsumpt. reg. 3. præsumpt. 1.*

11 Moveor secundò rationibus; nam quando bellum geritur à Principe, superiorem non recognoscente, bellum præsumitur justum, ut notavimus; Atque adeo quando ignoratur, an justum sit bellum, vel injustum, cuilibet licebit res in eo captas emere. Deinde stante dubio, par est utriusque partis conditio, ut docet Molin. *tom. 1. de just. tract. 2. disp. 35. vers. Enim verò*, ex eò, quia uterque Princeps, stante sufficienti probabilitate ex utraque parte, justè possidet; & sic justè emuntur res captæ in eo bello. Postremò, harum rerum emptio non præjudicat antiquis Dominis, quin potiùs in aliquod eorum commodum cedit, cùm propter ejusmodi emptionem multiplicentur homines, qui eo ipso quòd belli injusti-

tiam agnoverint, tenentur singuli integre res illas eis restituere; & injustitiam belli non agnoscentes, tenentur eam investigare, ut res ablatas Dominis restituant.

12 Moveor tertiò exemplo, in Mercatoribus, præsertim Lusitanis, qui secundùm doctrinam Molinæ, *tom. 1. de just. tract. 2. disp. 35.* ante quartam conclusionem, licite probabiliter emunt mancipia Guineæ, seu Insularum Promontorii Arsinarii, quod Caput Viride nuncupatur, capta in bellis, quæ Gentes illæ frequenter gerunt; ignoraturque, an hujusmodi bella justa sint, an injusta, cùm pro utraque parte belli adsint validæ rationes; adeò ut quæ ex iis prævaleant, difficile potest cognosci.

13 Concludimus igitur, quando bellum fuit à Principe, superiorem non recognoscente, indictum, cuilibet licere res emere captas in bello, quod ignoratur, an justum sit, vel injustum; ità tamen, ut qui emit, paratus sit, cùm primùm belli injustitiam agnoverit, res illas suis Dominis reddere; & si illæ non superfint, reddere id, in quo factus sit ditior; & etiam intentionem habeat, ut quoties aditus sibi aperietur ad sciendum, an bellum ex parte talis Principis injustum fuerit, id non desinat inquirere.

14 Ad rationem in contrarium respondemus; ad primam, concedendo illicitam esse emptionem rei, de qua rationabiliter dubitatur esse furtivam; sed negamus suppositum; non enim potest rationabiliter dubitari, quando bellum est à Principe, superiorem non habente, indictum; & adsunt rationes validæ pro utraque parte belli; ex quibus non possit cognosci, quæ ex iis prævaleant.

15 Ad secundam, respondemus, quod estò verum sit, non posse licite Milites bellare, quando rumor est, bellum esse injustum, nisi priùs consulant viros doctos, & pios, à quibus certiorentur de sufficienti justitia belli: quando tamen ignoratur, an bellum sit justum, vel injustum, non erit illicitum res emere in tali bello captas, si habeatur animus recognoscendi justitiam belli; & injustitiâ illius cognitâ, promptitudo adsit reddendi res emptas suis propriis Dominis.

16 Infero primò ex dictis, quando bellum geritur inter Christianos, & res anceps, seu factâ morali diligentia, non constat, an bellum justum sit, an injustum, præsumendum est, justum esse ex utraque parte per accidens, juxta doctrinam notatam. Et ita etiam docet Molina, loc. cit. *vers. Enim verò.*

17 Infero secundò, quando belli causa est antiquissima, neque cognosci potest justitia causæ, bellum esse pro utraque parte præsumendum justum; unde tuta conscientia posse emi, quæ ex tali bello capta sunt.

18 Infero tertiò ementem res, de quibus dubitatur esse furtivas, non peccare, si habeat animum adhibendi moralem diligentiam ad inveniendam rei veritatem & eas Domino restituendi, certificatus esse furtivas.

19 Infero quarto, quod si Fœnerator vendat vestes sibi pignoratas, quæ ex lapsu temporis prævenerunt ad eum ratione usurarum, potest emptor eas emere, si emat animo restituendi Domino, cujus sunt, Secùs verò, si absit talis animus, Ita docuit Gabriel Biel *in 4. sent. dist. 15. quæst. 11. in 16. dubitatione.*

Infero quintò, facientem servos captos in bello Infidelium, de quo ignoratur, an fuerit justum, vel injustum, posse retinere, aut vendere eos modo servos faciat animo eos liberos relinquendi, illisque persolvendi servitia, & commoda, quæ ex eis perceperit, cognitâ belli injustitia. 20

Infero sextò, dubitantem de jure suo, etiam si pacifice possideat, teneri examinare causam diligenter, & audire pacifice rationes alterius partis, si forte possit certum scire, vel pro se, vel pro alio; qui enim dubitat, & negligit scire veritatem, jam non bonâ fide possidet. Victoria, *Relect. 6. de jure belli, num 29.* 21

Infero septimò, licite à Christianis emi Incolas Monomotapæ, cujus Imperium in Africa situm est, teste Ludovico Gusmano, *tom. 1. de Missionibus Indiæ Societ. JEsu, lib. 3.* à principio Monomotapæ captos in bello, quia quamvis horum mancipiorum Emptores ignorent justitiam illius belli; attamen bellum, quod Christiani cum illius Terræ incolis gerunt, est justissimum, ut tradit Joannes à Sanctis, *in sua Æthiopia Orientali, lib. 1. cap 3.* & Fagundez, *de justitia, lib. 2. cap. 3. num. 1. & 2.* 22

Infero octavo, licere Mercatoribus Lusitanis emere servos ex eodem Regno Monomotapæ ab eorum Regulis, qui inter se bella gerunt, & captos in hisce bellis in servitutem redigunt, aut ob delictum perpetuâ servitute damnant; dummodo hi Mercatores positivum & rationabile dubium non habeant injustitiæ belli, aut servitutis, Ita etiam tenet Fagundez, loc. cit. *num. 2.* 23

Infero nonò, licitum esse emere mancipia in servitutem redacta in bello, quod sæpe Christiani habent cum Rege Calecutio, & tempore belli ex hoc Regno asportata; quamvis Emptoribus non constet de justitia belli; quia hujusmodi bellum, quod sæpe fuit, justum fuit, ut refert Maffeus, *Historiarum Indicarum, lib. 1. fol. 24 lit. F.* & etiam Fagundez, loc. cit. *num. 3.* & ideò Emptores possunt rationabiliter præsumere bellum, in quo capti fuerunt servi, quos emunt, esse justum. 24

Infero decimo, Samatrenses, qui Aceni vocantur, juste titulo belli servos fieri, & consequenter licite emi; quia Samatrenses, qui sunt Mahometani, bellum ex parte eorum injustum cum Christianis perpetuum habent, aut actu, aut habitu, ut alibi à nobis demonstratum est. 25

Infero undecimò obiter, licere Christianis juste bellantibus cum aliis Christianis, Christianos bello captos, non vendere, sed detinere, non ut servos, sed ut ab illis, dum detinentur, sint tuti, præsertim si Duces sint; & ut pecuniam aliquam justam, & moderatam quo eorum libertate, & dimissione accipiant; quod est in praxi, Ita Diana, *p. 7. tract. 7. Ref. 5. §. Notandum est.* 26

XXV.

XXV. DIFFICULTAS.

An bona capta in bello injusto fiant militum, illa capientium.

1 NOtandum primò sensum, communem Theologorum, nec non Juristarum esse, bona capta in bello justo esse capientia, bona, tuquam mobilia; qui enim habet justum titulum bell andi habet & justum titulū acquirendi.

2 Notandum secundò, non spectare ad vulgates, seu ordinarios milites justitiam belli examinare, sed ad Vocatos à Principe ad consilium publicum; unde milites tuta conscientia posse militare, nisi clare eis constet de injustitia belli, aut practice de illa dubitent, quod est difficillimum, & quasi dixerim, impossibile; cùm causæ, ob quas Principes bella movent, sint secretæ; & licet aliquando aliquæ publicentur, ut plurimum non sunt solæ, nec principales; atque adeò ignotis causis bellandi, redditur perdifficile privatis militibus ultimum formare Judicium de justitia, vel injustitia belli. Sic tradunt Jodoc. Victor. Valentia, Molin, & alii, quos recenset, & sequitur Molsesius *in sum. p. 2. tract. 12. cap. 3. num. 162.*

3 Notandum tertiò, in dubio, & quando non constat de injustitia belli, præsumendum esse, quod Princeps, tanquam bonus, & rectus, non moveat bellum, nisi ex gravi, & justa causa: *l. merito, ff. pro soc. & l. quoties, §. Qui dolo, ff. de probat. & cap. Dudum, & cap fin. de præsumpt.*

4 Notandum quartò, bellum, ut alibi dictum est, esse de jure gentium, ut per Text. *in cap. jus gentium, dist. 1. & in l. ex hoc. jure, ff. de just. & jur.* & sic successivè esse de jure gentium, quæ consequuntur ad bellum.

5 His adnotatis; ad difficultatem propositam, an bona capta in bello injusto fiant militum ea capientium; affirmativè respondet Fernandus Vasquius, *lib. 1. controvers. illustr. cap. 9. num. 14. & seq. & cap. 10. num. 2.* quando bellum est solemne, & publicum; quia lege belli de jure gentium universaliter statuitur, capta ab hostibus fieri capientium *ut in l. naturalem, § fin. ff. de acquir. rer. dom,* ubi nulla fit distinctio de bello justo, vel injusto, ut docet Gloss. *in cap Dicat aliquis, verb, omnia, causa 23. quæst. 5.* Prætetea David, victis Amalecitis, qui erant latrunculi, & injuste spoliaverant etiam Palæstinos, retinuit spolia eorum, tanquam jure acquisita, Ec denique capta in bello à militibus non restituuntur, nec à Principe ea repetuntur: & ideò consuetudine ex tacito bellantium consensu videtur introductum, bona mobilia, ad hostes pertinentia, in quovis bello capta, fieri capientium.

6 Veritas tamen est, bona in bello injusto capta nequaquam fieri capientium, sed esse suis Dominis restituenda: Castren *in repet. l. manumissiones, ff. le just. & jur* Jas. *in l. ex jure, num. 23. eod. tit.* Fortonius, *in d. l. manumissiones*, Guerrer. *in speculo Princip. cap. 47.* Covarr *in regul. Peccatum, p. 2. §. 11,* Sot, *lib. 4, de just. & jur. quæst, 2, art, 2.* & alii.

Moveor primò juribus, in *l. nam origo, ff. quod vi, aut clam. & l. si tamen, ff ad Macedonianum, & l. Pomponius, ff. de negoc. gest,* ubi habetur, quod principium cujuscumque rei est spectandum, & secundùm ipsum judicandum; unde si principium belli est injustum; bellum est Injustum, & injusta sunt quæcunque sequuntur ex tali bello: *& in l. ut vim, ff. de iust. & jur.* ubi dicitur, cuilibet licere de jure naturæ se, & sua defendere; & sic de jure naturali, attenta rerum divisione, posse se in possessione conservare; unde nefas esse bona in bello Injusto capientibus, ea sibi retinere. 7

Moveor secundò rationibus. Quæ acquiruntur in bello, jure belli acquiruntur; unde si bellum est injustum, cum non assistat jus, acquisitio erit injusta: ubi enim adest Injustitia, abest justitia; & ubi abest justitia, non adest jus belli Inferendi, quod non nisi justa de causa potest inferri, ut omnes fatentur; cùm jus belli ortum habeat ex justa causa bellandi, quâ sublata, tollitur etiam jus belli. Tum etiam, quia dum bona in bello injusto auferuntur, violatur jus ea possidentium; stante enim divisione rerum, jure gentium introductâ, quicunque possidet, jure possidet; actio verò, qua jus violatur, non potest parere aliquod justum, ut est dominium, quod est effectus justitiæ. 8

Moveor tertiò exemplo, in Romanis antiquis, quamvis Gentilibus, qui lumine rationis ducti, restituerunt libertatem, & agros Phocensibus; quia bellum fuerat injustum. Itâ refert Titus Livius, *lib. 28. histor. & lib. 42.* scribit, ob eamdem causam fuisse Liguribus cum libertate restituta eorundem bona, *& lib. 43.* testatur, idem fuisse cum Abderitis servatum: & alia bona in bello acquisita, quod justum minimè videbatur, fuisse à Populo Romano restituta, narrat Valer, Maximus, *lib. 6, cap. 5.* 9

Concludimus igitur, bona, capta in bello injusto, non fieri capientium, sed esse suis Dominis restituenda, dummodo aliqua causa justa non excusaret capientes, ut puta extrema necessitas, vel justa, & coacta compēsatio, & aliæ similes. 10

Ad rationes in contrarium respondemus: ad primam, jura allegata nobis non obstare, cum non debeant extendi ad bellum injustum; non enim possunt loqui, nisi de bello, quatenus à jure naturali, jure gentium, & divino permissum est; ita autē bellum non est justū, seu ex justa causa, non intelligitur permissum, Tum quia ex bello injusto non potest concedi justus titulus acquirendi; alliàs injustitia pareret justitiam, quod est chimera. 11

Ad secundam, negando suppositum; quia David non abstulit Amalecitis, quos fatemur fuisse Latrunculos, nisi spolia, quæ ipsi abstulerant à Civitate Siceleg, Imperium Davidis recognoscente, ab eisdem devastatâ, & igni tradita: unde recuperavit dumtaxat quæ ad populū suum spectabant, non verò, quæ fuerunt aliis injuste ablata. 12

Ad tertiam, gratis dici, fuisse introductum ex tacito bellantium consensu præsumptam consuetudinem; cùm nemo consentiat suis rebus injuste spoliari. 13

Infero primò ex dictis, Principem, qui injuste bellum movet, peccare contra justitiam adversus oppugnatos, & adversus sibi subditos; & iis omni- 14

omnibus teneri restituere damna. Castropolaus *de charit. tract. 6. disp 5. punct. 5. num. 1.*

15 Infero secundò, in bello iniusto nefas esse hostibus illa damna inferre, quæ licite inferuntur in bello iusto aggressivo usque ad plenam satisfactionem, ut puta, arces destruere, Regna occupare, hostes interficere, domos incendere, & similia.

16 Infero tertiò, bona immobilia non fieri capientium, sed esse Principi applicanda, ut per Text, *in l. si quid in bello. ff. de captivis*, & not. per Trullen. *in Decal. lib. 5. cap. 2. dub. 5. n. 6.*

17 Infero quartò, Fidelem, qui ad Infidelibus emit rem, quam in bello injusto malè acceperunt, peccare mortaliter, & teneri eam vero Domino restituere; cum bellum injustum non transferat dominium rei, ut docet D. Thom. 2. 2. *q. 66. art. 8.*

18 Infero quintò, illicitum esse militibus ex sibi retinere, quæ ab hostibus injustè pugnantibus antea fuerunt capta, sed ea esse prioribus Dominis restituenda; quia hostibus injustè pugnantibus, Domini rerum non amittunt earum rerum dominium, quæ fuerunt ab illis ablatæ. Ita etiam docet Cespedes, *dub. milit. dub 78.*

19 Infero sextò probabiliùs, & incidenter, fieri irregulares eos, qui in bello injusto servant militantium vestimenta; quia cooperantur, & proximè, militibus occidendis, Leander, *tract. 2. de irregul. disp. 8. quæst. 4.* Contrarium tenet Villadiego *tract. de irregul. cap. 6. num. 16.* Gibalinus, *cap. 4. de irregul. quæst. 3. consectar. 6. diff. 2. vers. quartò*: Quodque nos alibi tetigimus.

20 Infero septimò, esse irregulares vendentes, ac præbentes arma ad bellum injustum, saltem dum imminet bellum; quia verè cooperantur ad cædes. Sic Gloss. *in cap. Ita quorumdam, de Iudæ*, Navarr. *cap. 27. num. 224.* Suarez, Avila, & alii, quos recenset, & sequitur Leander, loc. cit. *quæst. 8.*

21 Infero octavò, in restitutione rei in bello injusto acceptæ, & emptæ, teneri Dominum verum pretium dare emptori, dummodò eam emerit animo vero Domino restituendi; quia negotium Domini utiliter gessit. Trullen, *tom. 2. in Decal. lib. 5. cap. 2 dub. 12. num. 2.* Contrarium tenet Navarr, *lib. 5. consil. de injuriis, & damno dato.*

22 Infero nonò, in restitutione rerum injustè ab hostibus captarum, & à militibus recuperarum, nihil militibus esse in rigore solvendum ob recuperationem, si bona sint Subditorum Principis, sub cujus signis milites recuperantes militant; quia milites tenentur ex officio ob stipendium, quòd recipiunt à Principe, defendere suos subditos in bonis vitæ & fortunæ. Cespedes, *in dub. milit. sub dub. 79.* ubi addit, si bona sint non subditorum Principis, ex quadam æquitate, non verò ex justitia rigorosè, aliquid esse dandum militibus pro recuperatione factâ.

23 Infero undecimò, posse facilè milites excusari à restitutione captorum in quocunque bello, publicâ auctoritate gesto; quia nunquam potest ipsis constare de injustitia belli.

Infero duodecimò, ad fedandos omnes scrupulos circa restitutionem rerum in bello captarum, posse milites deponere conscientiam dubiam, & judicare, bellum, quod à Principe superiorem non recognoscente indicitur, esse justum; cùm nulla ratiò possint omnes penetrari causæ à privatis militibus, quas habere possunt Principes bellum hostibus indicendi. 24

Infero decimo tertiò, illi, qui præstat auxilium ad injustè bellandum, non competere actionem mandati, vel aliam contrà vocatum sd impendia, vel damna contingentia sibi in occasione hujusmodi vocationis, vel mandati; cùm res turpis nullam inducat obligationem, *Instit. mand.* §. *Illud quoque* & tradunt etiam Innoc *in cap. Sicut*, & infrà, *num. 1. de jurejur.* Graff. *p. 2. dec. lib. 2. de bello, cap 20. num. 45.* 25

XXVI. DIFFICULTAS.

An Princeps, sivè alius, qui bellum illicitè movet, teneatur de necessitate salutis restituere omnia bona per suos milites ablata.

NOtandum primò, bellum corporale esse duplex, aliud justum, quod ortum habuit à DEO: Et aliud injustum, quod ortum habuit à Diabolo; ut optimè probat ex locis Sacræ script. juribus, & plurium DD. auctoritate, Turrecrem. *in cap. militare*, §. *Ad secundum*, *n. 3. causa 23. quæst. 1.* 1

Notandum secundò, bellum injustum, quod oritur à Diabolo discordiarum seminatore, contingere posse inter quoscunque homines, sive ejusdem domus, sive Civitatis, sive Provinciæ, sive extraneos, sive privatos, sive Principes: Experientia nimis lacrymabilis nobis aufert locum probationis. 2

Notandum tertiò, damnificare alium in bonis fortunæ dupliciter posse contingere, primò, quando infertur alicui damnum ablatione boni, quod acquiritur auferenti; Ut si ego auferam Titio pecuniam, & mihi appropriem. Secundò, quandò quis cooperatur ad auferendum alteri bonum, sed illud alii sibi appropriant. Turrecrem. *in cap. Si res*, §. *Ad quintum*, *num. 25. causa 23. qu. 6.* 3

Notandum quartò, Bona alicui multipliciter acquiri, vel ob casualem inventionem, vel ob injustam acquisitionem, vel ob turpem acceptionem, vel ob violentam extorsionem, vel ob errorem, aut ignorantiam ea dantis, à quo dari non poterant. 4

Notandum quintò, in bello sive justo, sive injusto multa damna à militibus inferri non solùm inimicis, sed etiam amicis, seu subditis Principis, sub cujus signis militant. Experientia docet hoc quotidiè fieri à Cohortibus cataphractorum militum sine aliqua distinctione. 5

Notandum sextò, milites, delinquentes in territorio Principis, cui subjacent, latrones esse; Et ut latrones de omnibus per eos commissis puniendos, *l. hostes, ff. de capt, & postl, rev.* Salic. & alii, 6

& alii, quos producit, & sequitur Ægidius Boss. *tit. de captura, n.72.*

7 Notandum septimò, Principem illicitè bellum gerere, quando viri docti, & boni, quos consuluit, omnes dixerunt esse injustum. Secùs verò, quando ex viris doctis, & bonis consultis varia oritur opinio; aliis nempè asserentibus, bellum esse justum; aliis dicentibus, esse injustum; sed rationes hinc indè adductæ parem habent probabilitatem. Sic etiam docet Azor, *Instit. moral. p. 3, lib. 2, cap. 7.*

8 Notandum octavò, *Instit. de obligationibus, quæ ex delicto nascuntur, lib. 3.* numerari quatuor genera obligationum, quæ ex maleficio oriuntur, nempè furtum, rapinam, damnum, injuriam; & appellatione damni, de quo hìc agimus, intelligi omne detrimentum illatum bonis, & rebus alienis, sive fortunæ, sive corporis ab homine libero, videlicet sui juris. Ita DD. communiter.

9 His adnotatis; ad difficultatem propositam, an Princeps, seu alius, qui bellum illicitè movet, teneatur restituere omnia bona per suos milites ablata, & hoc quidem de necessitate salutis negativè videtur respondendum: Nam restituere omnia bona in bello ablata, sive ab Inimicis, sive ab amicis per milites est sæpè impossibile; & ideò Principes, qui injustè movent bellum, ad impossibile non tenentur. Dicit enim Hieronymus, relatus à Turrecrem. *in cap. Si res, §. Ad primum, causa 14. quæst. 6.* „Bone DEUS! Possibile ne est restituere damna, quæ inferunt milites in tot furtis, in tot rapinis, in tot homicidiis, in tot violentiis, in tot incendiis, in tot oppressionibus, aliisque malis? Asserere igitur, teneri Principem bellum injustè indicentem, omnia damna restituere de necessitate salutis, est ei suam æternam salutem, ut impossibilem, repræsentare.

10 Veritas tamen est, Principem, vel alium, qui bellum illicite infert, teneri de omni damno, quod datur per milites suos, sive hostibus, sive subditis, & de omni homicidio, & violentiâ, quæ sequitur: Et hoc quidem de necessitate salutis. Bart. *in d. l. hostes, num.* 14 *ff. de capt. & postl. rever.* Bald. *in rubr. Cod. quod met. caus. col. 6.* Doctores, *in cap. Sicut dignum, de homicid.* Sylvest. *in sum.* in verb. *bellum* 1. *quæst.* 10. *n.* 11. Molin. *tom.* 1. *de just tract.* 2. *disp.* 123. & alii, quos recenset, & sequitur Ægidius Bossius, *tit. de crimin. læsæ maiestatis, num.* 129, *& tit. de captura, n.* 71.

11 Moveor primò juribus, *in l. Quoniam multa facinora, Cod. ad leg. jul. de vi publ. & in cap. Si res, causa* 14. *quæst.6.* ubi dicitur, peccatum non remitti, nisi restituatur ablatum, si restitui potest *& cap. ult. extrà de iniuriis, & damno dato,* Ubi habetur, quòd qui occasionem damni dat, damnum dedisse videtur.

12 Moveor secundò rationibus; nam Princeps, qui illicitè bellum movet, omnium damnorum, quæ sequuntur, sive in subditis, sive in hostibus, injusta est causa: Et sic ad restitutionem tenetur. Tum quia, dum bellum illicite, seu injustè movetur, alterius jus læditur; & quicunque jus proximi lædit, facit contrà particularem justitiam; At damnum, quod contrà justitiam infertur, ipsa justitia postulat restituendum. Deindè si Princeps bona ablata in suo injusto bello non restituit, impossibile ferè est, quòd inducatur æqualitas, quæ per suam injustam actionem ab eo læsa est.

Moveor tertiò exemplo, seu praxi: Scimus enim, quod Principes, in historiis relati, qui bellum injustum ex ignorantia probabili, seu etiam scienter, cum hostibus habuerunt, cognitâ, aut melius considerata belli injustitia, omnia damna, tam subditis, quàm aliis in tali bello data, restituerunt, aut aliis suis juribus cedendo; aut Civitates, imò, & Provincias donando, quando damnificati fuerunt Adversarii; gabellas verò diminuendo, & etiam omninò auferendo, & aliis modis compensando, quando ii, qui damnum passi fuerunt, subditi erant. 13

Concludimus igitur, Principem, vel alium, qui injustè bellum movet, si æterna cupit bona in Cœlo possidere, teneri omnia damna secuta, sive in furtis, sive in incendiis, sive in homicidiis, sive in aliis, restituere, aliàs in æterna mala incidere. 14

Ad rationem in contrarium respondetur, nobis non obstare; nam in quibus non potest recompensari æquivalens, sufficit, quòd recompensetur, quod possibile est: Et si actu non potest, sufficit quòd sit actu propositum, & voluntas restituendi, quod ablatum est, vel æquivalens, viri docti, prudentis, & pii arbitrio. 15

Infero primo ex dictis, non solum illum, qui bellum movet iniustum, sed etiam qui ita juvat, ut sine tali adiutorio non fieret, lethale committere peccatum, cum onere restituendi hostibus omnia damna data, & resarciendi suis damna recepta ab Adversariis justè pugnantibus. Ita etiam Sylv. *in summ.* in verb, *bellum* 1. *qu.* 10. *num.* 11. 16

Infero secundò, ad restitutionem damnorum omnes teneri, qui in bello iniusto fuerunt principales, si sine eis non fuisset factum; alios verò teneri de damno, quod intulerunt verbo, aut opere. Sic quoque Sylv. loc. proximè cit. 17

Infero tertio, remissionem damnorum, quæ fuerunt data à duobus Principibus bellum iniustum inter se habentibus, & postea, factâ pace fuerunt remissa, non extendi ad homines, & Vassallos utrinsque, nisi de consensu eorumdem huiusmodi remissio facta sit, arg. *Cod. de transact. l. 1. & extrà, de major. & obed. cap fin.* & tradit etiam Graff. *p. 2. decis. lib. 2. cap.* 20. *n.* 52. Is enim, qui movet bellum injustè, non potest per suam compositionem suis hominibus præiudicare. 18

Infero quartò, non licere exercitui, scienter iniuste pugnanti, rem, aut vitam hostibus auferre, qui justè bellant: Si verò is, qui bellum iniustum à principio suscepit, moneat hostilem exercitum justè pugnantem, ut à pugnando desistat, nolens in tali bello pugnare, & hostilis exercitus nolit desistere; tunc ei liceret se defendere ab hostium exercitu, etiam cum hostium interitu, si aliâ viâ non sit locus defensioni. Ita etiam docent Azor. *Instit. moral. p 3 lib. 2, cap. 7.* & alii plures. 19

20. In-

20 Infero quintò, Principem, qui scienter aut eum culpabili ignorantia bellum iniustum intulit, teneri restituere subditis suis damna omnia, quæ passi sunt in bonis tàm corporis, quàm fortunæ; nisi ipsi subditi, agnoscentes iniustitiam belli, suâ sponte, & Principe nullatenus cogente, nec præcipiente, comitarentur eum in bello; aut nisi ei damna, quæ passi sunt, libere remitterent: tunc enim ipsi sibimetipsis essent causa eorum damnorum. Hæc Molina, *tom. 1. de iust. tract. 2. disp. 123. §. Secunda conclusio.*

21 Infero sextò, eum, qui per culpam iniustitiæ rem alienam destruxit, vel deteriorem reddidit, teneri restituere, non solum valorem rei, eiusque fructus, sed etiam omne lucrum, quod cessat, & omne damnum, quod emergit, aliàs non induceretur æqualitas per iniustam actionem damnificantis violata.

22 Infero septimo, nullam adesse obligationem restituendi iniustè ablata, sivè in bello, sivè extra bellum, quando adest impossibilitas restituendi. Petrus de Palude, relatus à Tuttecrem, *in cap. Si res, §. Ad primum, num. 2, causa 14. quæst. 6.* ubi refert plures casus, in quibus excusatur quis à restitutione ablatorum.

23 Infero octavò, Principibus nimis facile bellum moventibus difficile admodùm reddi in Cœlorum Capitolio perpetuò triumphare. Ità etiàm advertit Boss. *tit. de captura, num. 71.* & ita deberent Reges, & Principes sedulò considerare, nè armis, dilatandi Regni, quod possident, cupiditate, Regnum Cœlorum quod possent possidere, in æternùm amittant. Ita pariter deberent Regum, & Principum Confessarii, & Consiliarii consultò advertere, ut eis veritatem, quæ non rarò sub velo adulationis absconditur, detegendo, possent, suo muneri satisfaciendo, à Summo Dominatore, Regum Rege, Domino Nostro JEsu Christo, qui veritas est, perennem consequi remunerationem.

XXVII. DIFFICULTAS.

An à Militibus, in bello injusto pugnantibus, stipendia accepta sint restituenda.

1 Notandùm primò, duplicem esse iustitiam, distributivam scilicet, cuius munus consistit in conferendis præmiis, dignitatibus, officiis, &c. iuxta qualitatem, & merita personarum; & commutativam, cuius munus est restituere rem ipsam, quæ debetur ad æqualitatem, sinè respectu ad merita personæ, sed respiciendo æqualitatem rei, quæ debetur. Ita communiter Theologi, & Jurisperiti.

2 Notandum secundò, restitutionem non esse actum justitiæ legalis aut distributivæ, sed particularis, & commutativæ; cùm restitutio sit facienda ad æqualitatem, quod pertinet ad iustitiam commutativam, ut docent Navarrus, *in sum. cap. 17. num. 6.* Covarruvias, *reg. Peccatum, p. 2. num. 1.* Bonac. *de præcept. Eccles. disp. 1. quæst. 1. punct. 1. num. 9.* & alii communiter cùm D. Tho. *2. 2. quæst. 62. a. 1.*

Notandum tertiò, ex triplici saltem capite, seu radice obligationem restituendi oriri, si hoc nomen, *restitutio*, late accipitur pro redditione rei debitæ ad æqualitatem: primò nempe, ex re accepta; secundò, ex iniusta acceptione, seu damnificatione; tertiò denique, ex contractu. Ita communiter Theologi. 3

Notandum quartò, illum dici possessorem bonæ fidei, qui habet bonam fidem; & ad bonam fidem non sufficere ignorantiam crassam, vel affectatam, sed requiri ignorantiam invincibilem, seu inculpabilem, & sic ignorans invincibiliter rem esse alienam, ant se non posse rem aliquam distrahere, possessor bonæ fidei nuncupatur; quemadmodum appellatur possessor malæ fidei, qui laborando ignorantiâ crassa, & affectata, culpabili, rem alienam retinet; atque adeò ad restitutionem tenetur, tamquam possessor malæ fidei. Ita tradunt Sayr. *in sua Clavi Regia, lib. 10. tract. 2. cap. 2. num. 2,* Molina, *tom. 3. tract. 2. disp. 720. num 4. vers. Dubium est.* Less. *lib. 2. cap. 6. dub. 6. num. 19.* Sanchez, Rebellus, & alii. 4

Notandum quintò, illum censeri factum locupletiorem ex re aliqua, qui, cessante bonâ fide, cognoscit, se occasione rei alienæ factum esse locupletem; puta, si cognoscat, se non fecisse aliquos sumptus, quos alioqain ex re sua fecisset; aut si aliquid habeat, quod alioquin non habuisset. Sic communitèr Theologi. 5

Notandum sextò, promissionem, stipulationem, pactionem quamcumque de re turpi, sivè sit contra justitiam, sivè contra quamcumque aliam virtutem, esse invalidam, nullam, peccaminosam, & sic rescindendam; unde qui pecuniam pro sententia injusta, pro adulterio, aut homicidio committendo promisit, non tenetur promissionem illam servare, Cajet. *2. 2. quæst 32. art. 7. ad 2.* Covar. *in regul. Peccatum, par. 2. §. 2. num. 1. de reg. jur. in 6.* Molina, & alii, quos recenset, & sequitur Sayr. *in sua Clavi Regia, lib. 10. tract. 5. cap. 3. num. 19.* dicens, hanc opinionem esse communem. 6

His adnotatis; ad difficultatem propositam, an à Militibus, in bello injusto pugnantibus, accepta stipendia sint restituenda, negativè videntur respondere Martin. Navar. *in Man. cap. 17. num. 30.* Tolet. *lib. 5. de instr. Sacerdot. cap. 21,* in fin, & in specie Cespedes, *in suis dub. militar. dub. 55.* nàm Milites, in bello iniusto bellando, quamvis iniustè agant, exponunt tamen vitam multis laboribus, & periculo mortis, quod est pretio æstimabile: & sic pro eo benè possunt iustè stipendium accipere: quod autem iustè accipitur, restitutioni non videtur obnoxium. Præterea, Meretrix, seu publica mulier, tradens alteri suum corpus, illicitè agit; nihilominus pro actu meretricii potest aliquid, tanquàm pretium actus illiciti recipere, & retinere ut docent D. Tho. *2. 2. quæst. 32. art. 7.* in corp. Cajet. ibi, Alex. de Ales, *in sum. p. 4. quæst. 24. memb. 5. art. 3. §. 6.* & alii innumeri apud Sayr. *in Clavi Regia* loc. cit. *num. 31.* Cur ergò Milites tot periculis, tot laboribus suum corpus tradendo, quod recipiunt, tanquàm pretium illiciti actus, non poterunt retinere. 7

8. Primâ

8 Primâ facie aliquam probabilitatem videtur hæc opinio habere; verùm si res purgato oculo inspiciatur, contrarium apparet: Undè Milites, in bello injusto pugnando, acceptum stipendium teneri restituere arbitramur. Sic nobis favere videntur Alex. de Ales, *p. 3 summæ, q. 40. memb. 6. art. 3.* §. 2. in fin. Palud. *in 4. Dist. 15. quæst. 3. art. 5.* in fin. Sot. *lib. 4. de just. quæst. 7. art.* 1. Valent. *tom. 3. disp. 5. quæst. 6. punct. 6.* §. *Quidnam restituendum sit, dub. 5.* Sayr. loc. cit. *n.*12. ubi alios allegat; & omnes alii asserentes, acceptum pro opere injusto esse restituendum.

9 Moveor primò juribus, *in l. 2. & 3. ff de condict. ob turpem causam, & l. juris gentium, § si ob maleficium, ff. de pactis, & l. Generaliter, ff. de verb. oblig.* ubi contractus irritatur, nullusque censetur, quo promittitur, aut accipitur aliquid pro actione injuriosa, & contra justitiam Tertii, ut contingit in casu nostro; quia Milites in bello injusto pugnando, actionem injuriosam Innocentibus, contra justitiam committunt.

10 Moveor secundò rationibus; nam Milites, in bello injusto pugnantes, tenentur per talem actionem pugnativam, utpotè injustam, damna data restituere, seu compensare, ut fatentur etiam Authores contrariæ sententiæ; & ideò acceptum per eandem actionem non possunt retinere. Est enim absurdum accipere, & juste retinere mercedem ex eadem actione, unde oritur obligatio restituendi damnum alteri illatum. Tum quia alienum, quod alteri debetur non est vendibile: Ita neque actio injuriosa aliis, præcipuè Innocentibus, vendibilis, ac pretio æstimabilis esse videtur. Præterquam quòd, admissâ nostræ sententiæ veritate, bellum injustum impeditur: Nam Milites scientes se esse obligatos restituere, non solùm acquisitum in bello injusto, sed & ipsa acceptà stipendia, minime bellabunt, saltem hi, qui contra Tartareos hostes, suasque rebelles passiones generosè bellando, sperant in Cœlorum Capitolio perenniter triumphare.

11 Moveor tertiò exemplo, in Advocato, qui restituere debet acceptum pro iniquo patrocinio; nam inique patrocinando, veritatem offendit, iniquitati favet, Judicem fallit, Innocentes lædit; unde per hujusmodi actionem iniquam non potest justè mercedem accipere; & accipiendo, tenetur restituere. Ita tradit D. Aug. *Epist. 54 ad Macedonium.* Et quod dicitur de togata Militia, debet etiam de armato Milite dici; cùm hinc indè militet eadem ratio, ut consideranti patet.

12 Concludimus igitur, Milites, in bello injusto scienter pugnantes, stipendia, quæ accipiunt, teneri restituere iis, quibus debentur, à nobis in illationibus exprimendis; & hanc restitutionem esse faciendam ante omnem Judicis petitionem, & condemnationem.

13 Ad rationes in contrarium respondemus: Ad primam patet responsio in secundo motu. Præterquam quòd Miles non est Dominus sui corporis secundùm se, neque est Dominus suæ vitæ, ut habetur, *l. liber homo, ff. ad leg. Aquil.* unde non potest injustè suam vitam periculo mortis exponere. Nemini autem licet accipere pecuniam pro re, cujus non est Dominus.

14 Ad secundam: Admisso ant. negamus consequentiam: Et disparitas est; quia meretrix vendendo usum sui corporis, illicitè agit, sed non injustè: Operatur enim contrà castitatem, non contrà justitiam. Miles verò in bello injusto pugnando, agit contrà justitiam; & ideò quamvis meretrix non teneatur restituere pretium pro usu sui corporis acceptum, à restitutione non excusabitur acceptum à Milite, injusto bello suam vitam temerariè, illicitè, & injuste, exponente.

15 Infero primò ex dictis, restitutioni esse obnoxium acceptum à Judice pro sententia injusta; aut à Teste pro testimonio falso; aut ab alio quocunque pro committendo peccato contra justitiam, putà pro alterius inimico occidendo, pro alterius domo comburenda, & similibus; & hanc restitutionem esse faciendam in conscientia, ut diximus in conclusione, ante omnem repetitionem, & condemnationem in Judicio latam.

16 Infero secundò, vendentes illicitè arma Saracenis, præter excommunicationem, quam incurrunt, ut alibi ostendimus teneri pretium acquisitum ex tali venditione in subsidium Terræ Sanctæ restituere: Ut habetur *in cap. Ad liberandam, de Judæ.*

17 Infero tertiò, conventionem factam ob causam belli injusti nullius momenti esse, unde si quid, ob talem causam, fuerit datum repetitioni esse locum, ut per Tex. *in l. 2. ff de condict. ob turpem causam.* Et tradit Menochius, *in cons. 1. num. 244.*

18 Infero quartò, teneri ad restitutionem eos, qui emunt liberantias Militum in bello injusto promissas; quia eas, tanquàm res non suas, non possunt Milites vendere.

19 Infero quintò, nemini licere ab hostibus emere vili pretio, quæ ab adversariis injustè extracta sunt; cùm priores Domini per injustam hostium extractionem, & rapinam dominium non amiserint. Sic etiam docet Bonac. *de restitut. in particul. disp. 2. quæst. ult. punct. ult.* §. *3. num. 24.*

20 Infero sextò, teneri ad restitutionem furtem, qui noctu domum alienam ingressus ad furandum, pedibus in aliquid offendit, illudque rumpit, quamvis nihil furetur; causat enim injustè alteri damnum. Ita etiam tradit Molina, *tom 3. disp.* 728. *n.* 2 Bonac. *de restitut. in genere disp. 1. q. 2. punct 3. n.* 12.

21 Infero septimò, subditum, qui ratione obedientiæ pugnavit in bello, cujus justitia practicè dubitabat, cognitâ belli injustitiâ, teneri damna hostibus illata resarcire, & stipendia accepta restituere: Sicut enim in hoc casu non excusatur à culpa injustæ damnificationis, ita neque excusatur ab obligatione restitutionis. Bannes, 2. 2. *q. 40 art. 1 dub. 7. conclus. 4.* Rebellus, *1. p. lib. 2. q 4. num. 14.* Molina, *tom. 1. de just. disp.* 113 & alii.

22 Infero octavò, teneri ad restitutionem eum, qui pecuniam accipit, ne occidat, vel ne furetur, vel ne detrahat; cum tradens, invitus tradat & accipiens injustè accipiat; quia accipi pro omittendo opere quod ex justitia omittendum

dum est. Ita etiam docent Lessius, Vasquez, Filliucius, quos recenset, & sequitur Bonac. *de restit. in genere, disp. 1. quaest. 3. punct. 2. num. 4.*

23 Infero nonò, non esse reddendam pecuniam petenti illam ad bellum iniquum gerendum, & traditam esse restituendam, vel tradendi, si est extrà patriam potestatem, vel ejus parenti si sub patria potestate vivit.

24 Infero decimò, Militem, qui pugnavit deposito dubio de injustitia belli, pro certo judicans, bellum esse justum, teneri restituere ea, in quibus invenerit se locupletiorem, postquam cognoverit injustitiam belli; quoad caetera, ob bonam fidem excusari. Sic docent plures, inter quos Molina, *tom. 1. de just. tract. 2. disp. 113.*

25 Infero undecimò, Mandatarium teneri restituere pecuniam acceptam pro homicidio mandato. Contrarium tenent aliqui.

26 Infero duodecimo, existentibus apertis indiciis, & rumoribus de iniustitia belli, teneri Militer juxtà suum captum adhibere diligentiam ad inquirendam belli justitiam, ne temerè, & ex ignorantia crassa se exponant periculo damna injustè inferendi, & stipendia injustè accipiendi. Ita etiam Molina, loc. cit.

27 Infero decimo tertiò, acceptum pro opere contrà justitiam commisso, esse restituendum danti ante omnem Judicis sententiam; post verò sententiam, ei cui ordinaverit Judex. Adrian. Sot. & alii, quos recenset, & sequitur Sayr. *in Clavi Reg. lib. 10. tract. 5. cap. 3. n 20.*

28 Infero decimo quartò, semper adesse obligationem restituendi ablata, quoties unque ablatione violatur justitia. Est contrà Albigenses damnatos in Concil. Later. III. dicentes expressè, *neminem teneri restituere ablata.*

XXVIII. DIFFICULTAS.

An bona, capta in bello indicto ab unà Civitate alteri absque Principis authoritate, restitutioni subjaceant.

1 NOtandum primò, Civitates esse in duplici differentia, seu speciè, subjectionis scilicet, & libertatis. Civitates subiectae sunt illae, quae alterius imperium recognoscunt: Liberae verò, ut est Civitas, seu Respublica Venetorum, & Civitas, seu Respublica Januensium, Civitas, seu Respublica Lucen: &c, quae superiorem non recognoscunt, & possunt leges condere, prout exigit illarum gubernium, ut docent omnes.

2 Notandum secundò, authoritatem belli offensivi indicendi esse in Principe, superiorem in suo Principatu non recognoscente, & in omni republica libera, quae superiori non est subiecta; ut tradit Molina, *tom. 1. de justitia, tract. 2. disp. 100.* & à nobis alibi demonstratum est.

3 Notandum tertiò, Principis in sua ditione & imperio superiorem non recognoscentis, authoritatem, justamque causam requiri, ut justum dicatur bellum. Ita docent Didac. Covar. *ad regul. Peccatum, p. 2. §. 9. num. 1. & 2. de reg. jur. in 6.* Franc. Arias, *in tract. de bello, n. 18. & 24.* Castrens. Jas. & alii, quos recenset, & sequitur Menochius, *in tract. de praesumpt. lib 6. praesumpt. 96. num. 5.*

Notandum quartò, bellum in dubio praesumi iustum, si à Principe non recognoscente superiorem fuit indictum, ut alibi demonstravimus; si vero ab inferiori fuit dictum, praesumi iniustum. Abb. *in cap. Sicut,* il terzo, *num. 13. de jure jur.* Franc. Arias, *in tract. de bello, n. 158.* Fumus, *in summ. Armil.* in verb *bellum, n. 15.* 4

Notandum quintò, quòd eadem est semper Civitas, idem Populus, eadem Universitas, ut per Tex. *in l. proponebatur, ff. de jud.* & egregiè notat Alex. ab Ale. *lib. 3. dier. geni cap. 1.* Glos. *in d. l. proponebatur,* in verb. *Existimari, ff. de jud.* 5

Notandum sextò, jurisdictionem, & merum imperium esse apud Rectores Provinciarum, *l. illicitas, §. universas, ff. de off. praesid.* & tradit Dec. *in cons. 360. n 4.* 6

Notandum septimò, quòd Civitas ipsa videtur tenere locum Principis, cum superiorem non recognoscit, ut not. Bart. *in l. hunc titulum, §. de qua re.* in fin. *ff. de postu. in l infamem,* in fin *ff. de pub iud. & in l, hostes,* in fin. *ff. de capti. & postli. rev.* 7

Notandum octavò, restitutionem, si leges civiles spectemus, esse repositionem in pristinum statum, *l. videamus, §. in Faviana, de usuris, & l. quòd si minor, §. restitut. ff de minor.* Dec. *l. in condemnatione, § & cum verbum, de reg. iur,* Marsil. *sing. 17.* Si verò Theologi audiantur; restitutionem esse redditionem rei acceptae, vel damni illati compensationem, habetur ex D. Th. 2. 2 *quaest. 62. art. 1.* in corp. quem refert & sequitur Tho. Tamb, *in Decal. lib. 8. tract. 3. cap 1.* 8

His adnotatis; ad difficultatem propositam, an bona, capta in bello indicto ab una Civitate alteri absque Principis authoritate, restitutioni subiaceant; negativè videtur respondendum. per Tex. *in l. si quid bello, & l. Hostes, ff. de capti & postl. rev. & cap ius gentium, 1 dist* ubi habetur, bona mobilia in bello capta iure gentium fieri capientium. 9

Veritas tamen est, huiusmodi bona restitutioni esse obnoxia. Joa de Plat. *Instit quib. mod. ius patr. potest. solv. § Si ab hostibus.* Graff. *p. 2. decis. lib. 2. de bello, cap 20. n. 13. & n 47* 10

Moveor primò juribus, *in l. in rem actio, ff. de rei vend.* ubi habetur, dominium rei captae remanere apud priorem Dominum, quando vi imperitur, *& l. qui à latronibus, ff de testam,* ubi appatet, rapientes bona in bellis indictis absque Principis authoritate, dici latrunculos, & ut tales esse puniendos; *ut d l. hostes, ff. de capt & postl. rev.* 11

Moveor secundò rationibus; nam bellum absque authoritate Principis indictum est iniustum, ut notavimus; Atque adeo bona in tali bello capta capientium non efficiuntur, ut docent D. Tho D Anton. & alii plures, quos producit, & sequitur Menochius, *tract. de praesumpt. lib. 6. praesumpt. 96.* Tum quia Civitas absque 12

Principis authoritate se habet, ut persona privata. Persona verò privata potest quidem se defendere ab Invasore, non verò ei licet bona ejus capere, nec rapiendo sua facere. Deindè onos restitutionis oritur ex actione injusta, ut docent Sanchez, Less. De Lugo, Val. Navar. Sylv. & alii, quos recenset, & sequitur Tho. Tamb. *in Decal. lib. 8. tract. 3. cap. 2. §. 3.* Esse actionem injustam capere bona proximi in bello injusto, videtur certum, & ideò hujusmodi bona restitutioni subjacent.

13 Moveor tertiò exemplo, In iis, qui privatâ authoritate pugnando contrà suos Inimicos, si aliquas eorum res capiunt tenentur ex communissima Theologorum sententia eas suis Dominis restituere: Ergò & Civitas, quæ absque Principis authoritate, quoad bellum ab ea indictum, ut persona privata se habet; aut aliquis ejus Civis, si bona hostium in hoc bello capit, ad restitutionem tenetur.

14 Concludimus igitur, Civitatem, quæ sine edicto Principis bellat, nec aliquam habet jurisdictionem super id, pro quo bellum agitur, posse quidem se, & sua ab Invasore defendere, & vim vi repellere, & etiam in repellendo homines occidere, sed cum moderamine inculpatæ tutelæ; non verò ei licere bona Civitatis adversæ capere, & sua facere, sed teneri ea restituere.

15 Ad rationem in contrarium, seu ad jura, quæ pro parte opposita allegantur, respondemus, esse intelligenda, quando bellum est justum: Fatemur enim & nos, bona capta in bello justo effici capientium: Secùs verò, si injustum bellum est.

16 Infero primò ex dictis, non licere Civitatibus subjectis, inconsulto Principe, cui subjiciuntur; nec alteri privato sumere vindictam de injuria sibi illatâ cum scriptum sit; *Mihi vindicta: Ego retribuam, Rom. cap. 12. n. 19.* quamvis possint illam petere Principis authoritate.

17 Infero secundò, Principem, & Senatores, qui Principis locum tenent, teneri ex justitia defendere causam Civitatis injustè offensæ, etiam cum restitutione damnorum, si id non fecerint, ut docent omnes, teste Molfesio, *in sum. p. 1, tract. 11. cap 19. n. 117.*

18 Infero tertiò, res furtivas, & vi possessas, nempè quæ per vim possidentur, vel quæ furto acquisitæ sunt, non posse præscribi; nam in his lex inhibet usucaptionem; tum quia has res habentes sunt malæ fidei possessores: Et denique, quia nemo ex delicto suo debet lucrum aliquod reportare, §. *Fortunæ*, ubi omnes, *Instit de usucap.* & tradunt Medina, Molina, & plures alii, quos recenset, & sequitur Sayr. *in sua Clavi Regia, p. 1. lib. 9. cap. 12. n. 6.*

19 Infero quartò, Civitatem, injustè bellum moventem, teneri de omnibus damnis, quæ ipsa, vel sui homines intulerunt adversæ Civitati, suisque hominibus Graff. loc. cit. *n. 48.*

20 Infero sextò, eum qui emit bona, sciens esse capta in bello injusto, teneri ad restitutionem; teneri, inquam, restituere rem, & fructus ejus existentes, & etiam consumptos malâ fide: Graff. loc. cit. *n. 50.* ubi explicat, quomodo emptor, qui tenetur restituere, possit à venditore repetere pretium,

21 Infero septimò, nolenti restituere bona capta in bello injusto, aut injustè quovis modo, non remitti peccatum, si potest restituere, seu si commodum habet restituendi. Ita docet, & explicat Turrecrem. *in cap. Si res*, in princ. *causa 14. qu. 6.* Hinc meritò hæresis Albigensium, videlicet quòd non tenetur quis restituere ablata, fuit damnata in Concil. Lateran. III, *cap. 26. sub tit. de Roman. Pontif. elig.*

XXIX. DIFFICULTAS.

Multa bona, ab hostibus in bello justo capta, reperiuntur apud Milites, qui ea acceperunt: Dubitatur, num teneantur ea restituere.

1 Notandum primò, bona in bello justo ab hostibus capta, esse in duplici differentia; alia nempè esse mobilia, ut sunt pecuniæ, vestes, argentum, aurum, & similia: Alia verò esse immobilia, ut sunt Castra, Oppida, Agri, Civitates, &c.

2 Notandum secundò, bellum esse justum, quando concurrunt illa tria alibi à nobis explicata.

3 Notandum tertiò, celebrem esse inter Doctores illam controversiam, an bellum in dubio sit præsumendum justum, an injustum; præsumi injustum tenent Host. *in sum de treug & pace* Aret. *in cons. 14. n. 7.* Præsumi justum, si à Principe, superiorem non recognoscente, fuit indictum, tradit Abb. *in cap. Sicut, n. 23 de jurejuran.* Franc. Arias, *in tract. de bello, n. 158.* Fumus, *in summ. Armil. v. bellum, n. 15.*

4 Notandum quartò, certum esse apud omnes, bona immobilia non effici militis, aut Ducis capientis. sed Regis aut Principis supremi, ut supra demonstratum est, bellum justum indicentis, in satisfactionem injuriæ acceptæ, recompensationem expensarum, & periculorum. Covar. *in reg. Peccatum, par. 2. §. 11. vers. res autem*, Gloss. *in l. devus, ff. de jure Fisci*, Bart. *in l. si quid bello, ff de capti*, Alex. & Jas *in l. 1 ff. de acquir. poss.* Vict. *de jure belli, Relect. 6. n. 50.* & alii plures, quos recenset, & sequitur Intrigliol, *in tract. de casib. cons. cas. 48. n. 3.*

5 His adnotatis; ad difficultatem propositam, an bona capta in bello justo fiant capientium, respondemus, absque controversia, affirmativè: Si bona sunt mobilia, & in bostium dominium legitimè transierunt D. Thom. 2. 2. *q. 66. art. 8. ad primum*, Jo. Mai. *in 4. sent. dist. 15. q. 20.* D. Anton. *in summ. p. 4. cap. 1.* Adrian *in 4. sent. in tract. de restit. §. Aggredior casus speciales*, Sylv. *in summ.* in verb. *bellum 1. q. 1.* Turrecrem *in cap. Jus gentium, n. 17. dist. 1.* Vict. *de jure belli, relect. 6 n. 51.* Coninch. *disp. 31. de bello, dub. 7. n. 125.* Molina, *tom. 1. de just. tract. 2. disp 118.* Diana, *tom. 7. tract. 7. de bello, resol. 33.* & alii plures, quos recenset, & sequitur Menochius, *de præsumpt. lib. 6. præsumpt. 96. num. 1.* nec non. & Intrigliol. loc. cit. *num. 1.*

6 Moveor primo juribus, *in l. Hostes, & l. si quid bello, ff. de captiv, l. naturales, §. ult. de acquir. rer. dom, & in d. cap. Jus gentium, 1. dist. & expressius, instit. de rer. divis. §. Item ea,* quæ

quæ ab hostibus, ubi dicitur, jure gentium, quæ ab hostibus capiuntur, nostra fieri.

7 Moveor secundò rationibus; nàm quod mandat Deus, justum est, Dens autem in Deuteron. *cap. 25.* dicit, seu sic de Civitate ex pugnanda mandat. *Omnem prædam exercitui divides, & comedes de spoliis hostium tuorum.* Tùm quia, ita exigit militum labor, qui aliquod præminm debet babere. Tùm etiàm, quia bona mobilia, ab hostibus in justo bello capta, alicui sunt reddenda, non hostibus, quia jure belli ea jnstè amisernnt; non Principi bellum indicenti, quia ad enm spectant immobilia, & milites, qui pro eo vitam mortis periculo exponunt, debet recognoscere: Ergò militibus ea occupantibus.

8 Moveor tertiò exemplo, in Abraham, qui victis quatnor Regibus, *Gen. 14.* suam potuit facere prædam, quam liberè recusavit, ut narrat D. Amb. *lib. 1. de Abraham*, & refertur *in cap. Dicat aliquis, causa 23. quæst. 5.* & not. ibi per Turrecrem. ubi dicit, capta in bello esse dividenda secuudùm merita personarum, quæ pugnaverunt, & victoriam belli repottaverunt.

9 Concludimus igitur, mobilia capta in bello justo capientis totà coofscientia effici, nisi consuetudo exter in contrarium in aliqoo loco; ita ut aut certa pars Principi cedat in sublevamen oneris, quod subit solvendo stipendia militibus; aut ut roti exercitui dividantur; cùm ex admissa, seu iuta horum bonornm retentione milites majori constantia, & alacritate excitentnr ad bellum suscipiendum & prosequendum.

10 Infero primò ex dictis, juste pugnantem non teneri restituere prædam, & habetur *ex cap. Si de rebus, causa 23. quæst. 7.* & not. per Vict. loc. cit.

11 Infero secundò, capta in bello justo non compensari cum debito principali; Et tenet Archiep. *in cap. Dominus noster. causa 23. quæst. 2.* Bart. *in d. l si quid bello, ff. de captiv.* quod est intelligendum, etiamsi hostis paratus sit aliis satisfacere de damno, & injuriis, quousque tamen secundùm æquitatem sit præstita satisfactio sufficiens de damno, & injuria. Ita Vict. loc. cit. ex Sylv.

12 Infero tertiò, eos, qui in bello justo capiuntur ab hostibus, de jure gentium fieri servos capientium, ut notat Turrecrem. *in d. cap. jus gentium, num. 17. 1. dist.* licet hodiè inter Christianos non serventnr jnra captivitatis, & postliminii quòad servitntem ex consuetudine, cui standum est, ut notat Bart. *in d. l. hostes, ff. de captiv.* & Sylv. *in summ.* in verb. *bellum 1. princ.*

13 Infero quartò, res captas in bello injusto, aut ubi justa causa bellandi non adfuerit, esse reddendas, eò quòd Bellantes inter se, cùm bellum inierunt, has capientibus donasse non intelligantur: nemo enim suum jactare temerè præsumitur, & bellum per se longè abest à contractuum natura.

14 Infero quintò, bona, sivè mobilia, sivè immobilia esse suis Dominis restituenda, si belli malam fidem habnerint Acquisitores: Intrigliol, loc. cit. *num. 2.* Et ita communiter.

Infero sextò, bona immobilia, quæ non 15 sunt hostium, quibus eripiuntur, sed furto, & rapina sublata, veris Dominis esse restituenda, seu reddenda: Et est communis sensus cum Gloss. *in l. 2. ff. de captivis*, tradit Covar. *in reg. Peccatum. 3. p. §. 11. num. 7.* Molina, *disp. 118. §. His ita explicatis*, & probat *lex captivus, §. Expulsis hostibus, ff. de capt. & postlim. reverf. & lex Pomponius, ff. de aquir. rer. domin.*

Infero septimò, ea, quæ hostis injustè aliis 16 eripuit, si quando venerint in potestatem eornm, qui justum bellnm gerunt, jure naturæ esse restituenda iis, quibus erepta sunt: sicut bona, quæ Piratæ, fures, ac latrones aliis eripuerunt, si quando in nostram potestatem venerint, tenemur ea suis Dominis restituere. Ita DD. communiter.

XXX. DIFFICULTAS.

An bona, quæ miles ex vi sui muneris de manibus Inimicorum recuperat, nondùm sufficientem eorum possessionem habentium, sint suis Dominis restituenda.

Notandum primò, Milites ea teneri defen- 1 dere, ad quorum custodiam à Pri ncipe, aut Duce destinantur; nàm milites recipiunt stipendia à Principe statuta, ut ei serviant prout justi belli necessitas postulaverit.

Notandum secundò, differentiam esse in- 2 ter hæc verba, quibus leges, & jnra interdùm utuntur; nempe reddere, restituere, solvere, satisfacere, redhibere: ut notatur per Azor. *Instit. moral. p. 3. lib. 4. cap. 1. vers. secundò, quæritur.*

Notandum tertio, verbum *restituere*, quod 3 sæpè sumitur prout est idem, quod reddere, proprie, & strictè sumptum, differre à verbo *reddere*; quia reddi dicuntur, tùm accepta, tùm ablata; restitui verò ablata. Ita communiter Juristæ, & Canonistæ.

Notandum quartò, restituere secundùm 4 etymologiam vocis, esse rem vel personam in statum, dignitatem vel officium reponere, à quo dejecta fuerat.

Notandum quintò, quòd quamvis resti- 5 tuere sit dumtaxat justitiæ commutativæ actus, & non distributivæ, ut docet D. Thom. 2. 2. *quæst. 62. art. 1. ad 2.* Adrianus, *in 4. quæst. 1. de restitutione*, Navarrus, *in Manual. cap. 17. num 6.* nihilominus, ut vult idem D. Thom. ibi *art. 1. ad 3.* restitutio aliquandò fieri debet, eò quòd violata fuerit distributiva justitia, sed non præcisè ex violatione justitiæ distributivæ; sed quia una cum justitia distributiva, violata fuerit etiam justitia commutativa.

His adnotatis; ad difficultatem propositam, 6 an bona, quæ miles ex vi sui muneris, de manibus inimicorum recuperat, sufficientem eorum possessionem nondùm habentium, sint suis Dominis restituenda, negativè videtur respondendum, & favet Text. *in l. si quid bello, ff. de capt. & postlim. reverf.* ubi res mobiles, quæ in bello

bello ex hostibus recuperantur, fiunt capientium. Præterea Milites hispani sua faciunt, nec tenentur restituere prioribus Dominis, quæ de hostium potestate extrahunt post viginti quatuor horas à puncto, quo hostes ea, vel ab Hispanis, vel ab aliquo alio usurpaverant. Ita docet praxis frequentissima, & admissa; atque adeò quæ recuperant milites, etiam ex vi sui muneris de hostium manibus, non videntur suis Dominis restituenda.

7 Veritas tamen est, harum rerum recuperatarū ab hostibus, nondùm sufficientem possessionem habentibus, restitutionem sive redditionem esse suis Dominis faciendam. Bal, *inl.hostes*, §. *Ab hostibus*, *ff. de capt.* Graff. *p.* 2. *decis. lib.* 2. *de bello*, *cap.* 20. *num.* 20. Molina, *tom.* 1. *de justitia*, *tract.* 2. *disp.* 118. Duardus, *in Bullam Cœnæ, lib.* 2. *in Can* 4. *quæst.* 15. *sub. num.* 1.

8 Moveor primò juribus, toto *tit.* 16. *ff. de re milit.* ubi habetur, ad milites pertinere Patriam ex officio tueri; & sic bona, ab hostibus capta, recuperate, & propriis Dominis restituere. Favet, *l.* 3. *ff. ad leg. jul. majest.* qua capite plectuntur, qui hostibus cedunt, & facit Text. *in l. Pomponius, ff. de acquir. rer. dom.* dùm in ea definitur, quod si lupus abstulit porcos meos, & rusticus, vel canis sui prædam lupo eripuerunt, restituenda mihi est, estò peritura esset omninò.

9 Moveor secundò rationibus; nàm bona ejusmodi recepta dicuntur non capta à militibus; & milites, defensores eorum, esse decet, non autem Dominos, ut habetur, *in l. ab hostibus capti. Cod. de postl. rev.* & *in l. si quis ingenuam*, §. *Quod si publicè*, & *l. si captivus*, §. *Expulsis hostibus*, *ff. de cap.* & *postli. rev.* Tùm quia milites tenentur ex officio defendere incolas, incolumesque eos servare, quemadmodùm tenetur Princeps ipse: at intrà defensionis limites continetur, ut conentur extrahere prædas de hostium potestate; & sic extractas tenentur propriis Dominis restituere; undè aliter faciendo, peccant contrà justitiam. Tùm etiam, quia ob rapinam, & injustam usurpationem hostium, Domini non amittunt rerum suarum ablatarum dominium; & ideò si recuperantur à militibus ex officio obstrictis eas defendere, suis Dominis sunt reddendæ.

10 Moveor tertiò exemplo, in iis, qui auferendo de manibus furis rem furatam, tenentur eam suo Domino restituere, & etiàm si rem furtivam emerent; quia dominium illius rei apud eum perseverat; à quo furto fuit ablata, & est communis Theologorum sententia; & ideò propter identitatem, imò majoritatem rationis, ablata de manibus hostium tenentur milites suis Dominis restituere; cùm ex vi sui muneris ea teneantur custodire, & defendere.

11 Concludimus igitur, bona quæ de manibus inimicorum ex vi sui muneris recuperant milites, esse suis Dominis restituenda, etiam nulla mercede illis soluta, sivè fuerint recuperata ante deductionem ad locum præsidii, sivè post deductionem, ut infra patebit.

12 Ad rationes in contrarium respondemus; ad primam, admittendo, res mobiles, quæ in bello ex hostibus recuperantur, fieri capientium, neque restituendas esse prioribus Dominis, quando ab hostibus talis esset acquisita possessio, quæ ad dominium comparandum sufficeret, nec eas defendere tenebantur ex vi sui muneris milites, eas recuperantes; Secus verò, deficientibus iis conditionibus, ut est in casu nostro.

Ad secundam respondet Molina, loc. cit, quòd militibus Hispanis favet consuetudo præscripta, quæ de ea re est, & vim habet legis. 13

Infero primò ex dictis, milites, qui vi muneris tenentur defendere Castrum, Agros, Domos, & alia, peccare mortaliter cum onere restitutionis, si id minimè efficiant; & ex eorum defectu furtum, aut rapina rerum per hostes, vel alios committitur. 14

Infero secundò, esse antiquis Dominis restituendas res ab hostibus captas, etiam ad locum præsidii deductas, si milites, qui tenebantur ex officio eas defendere, sunt continuò hostes insecuti, etiam intra ipsorum præsidia; cum non censeantur suisse capientium, quia apparet, quod locus non erat tutus, nec ipsa præda militum præsentiam resugit: *arg. l. quod idem*, & *l. naturalem* in princ. *ff. de acquir. rer. domin*, quia incontinenti recuperata finguntur, non capta *l. qui possessionem*, ubi Dyn. *ff. de vi*, & *vi arm.* 15

Infero tertiò quod quando in bello præda, & spolia ab hostibus capta dividuntur inter milites, si Dux, aut Capitaneus, vel sibi sumat, vel det plùs aut minùs, quàm debet uni militi, tenetur ex suo restituere, Ita etiam Azor. loc. cit. 16

Infero quartò, Judicem qui punit delicta, vel benefacta præmiis afficit, si in iis quempiam defraudet, teneri restituere, & resarcire damnum Azor. loc. cit. 17

Infero quintò, captos ab hostibus, si virtute militum liberentur, recuperare primum statum, & si recuperantur inter hostium præsidia, si sunt servi, esse Dominis restituendos; cùm milites debeant esse defensores, & non Domini. Ita etiam Graff. loc. cit. 18

Infero sextò, currus, quadrigas, & mulos, quibus arma, bombardæ, machinæ, victualia pro campo deferuntur, ipsorumque currum boves, & quadrigarum equos non esse militum recuperantium, quia in his habet locum postliminium, ut probat Graff. loc. cit. & alibi à nobis demonstratum est. 19

Infero septimò, furantem Christianos, à Paganis captivos detentos, ut eos libertati restituat, ad restitutionem non teneri præsertim si Pagani eos circumciderent in contemptum nostræ fidei: intendit enim hujusmodi pius fur duplex bonum facere, liberare nempè Animam Captivi à peccato infidelitatis, & occasionem peccandi infideli subtrahere. Astens. *lib.* 1. *tit.* 33. *art.* 3. 20

Infero octavò, publicam familiam (ut vulgò loquar) satellites, qui recuperant bona rapta à bannitis, & latronibus, teneri ea restituere suis prioribus Dominis; quia quamvis ex statuto præmium tribuatur bannitum occi- 21

occidenti; nihilominùs satellitibus non censetur tribui, per hoc quòd ex officio teneantur Bannitos exterminare, ut tradit Bar. *in l.* 1. §. *utrum, ff. ad syllan.* Felin. *in cap. De hoc, n.*10. *de simon.* Molin. loc. cit.

22 Infero nonò, Recuperantes naufragorum bona, etiam cum propriæ vitæ periculo, si non habebantur pro derelictis, teneri ea propriis Dominis restituere, aliàs incidere in excommunicationem Can. 4. Bullæ Cœnæ: Et est communis sententia, quam tenent, Graff. Ugolinus, & alii, quos recenset, & sequitur Duardus, *in Bull. Cœn. lib.* 2. *Can.* 4. *quæst.* 15. *num.* 4. & patet ex *d. l. Pomponius, ff. de acquir. rer. domi.* ubi simpliciter dicitur, naufragorum bonorum dominium, quousque recuperari possunt, esse penes ipsos naufragos Dominos.

23 Infero decimò, bona aliena recuperata cum vitæ periculo ab iis, qui ex officio non tenentur ea defendere, esse quidem suis Dominis restituenda, sed detractâ laboris, periculi, & expensarum æstimatione; nam periculum (de expensis non est dubium) cui se accurrentes subjiciunt, pretio æstimabile est, & præmium meretur, ut tenent Navar. Rebell. Molina. & alii, quos refert, & sequitur Bonac. *de Censur. Bull. Cœn. disp.* 1. *q.*6. *punct.*4. *sub n.*8.

XXXI. DIFFICULTAS.

An Miles, qui lusit ludo vetito, teneatur in foro conscientiæ restituere quidquid lucratus est.

1 NOtandum primò, ludum universaliter sumptum, esse quandam operationem exteriorem, animi recreandi causâ susceptam; & accipi pro dictis, vel factis ad oblectationem animi destinatis. Ita docent Arist. 4. *Ethic.* & hic D. Thom. 2. 2. *quæst.* 168 *art.* 2. & ità communiter DD.

2 Notandum secundò incidenter, Romanos antiquos ludum appellare omnem scholam, juxtà illud Martialis

Quid tibi nobiscum est ludi, scelerate Magister?

& ideò Magistros ludi dici, qui primas litteras docent; Quod etiam habetur *in l.* 2. §. *ludi, ff. de var. & extraord. cogn.* ubi Ulpianus sic habet „Ludi quoque litterarii Magistris, licet non sint „professores, &c.

3 Notandum tertiò, ludum, si honestè fiat, esse actum virtutis eutrapeliæ, seu jucunditatis, causâ reficiendi animum, vel exercendi corpus; Ita Arist. D. Thom. loc. cit. adeoque ex se non esse illicitum, sed posse tantùm esse per accidens; scilicet, ratione periculi blasphemiæ, rixarum, furti, &c. non verò ratione intentionis lucrandi, quæ, si est moderata, non censetur vitiosa. Schaccorum verò ludos, an sit actus virtutis, sit ne licitus, an non? Vide Hosti. *in sum. de excess. Prela.* Innoc. *in cap pen. de vit & honest. Cler.* Abb. *in cap. Clerici officia, eod. tit.*

Notandum quartò, ludum duo includere; 4 nempè contractum sponsionis, & ipsummet ludum; & contractum esse illam conventionem, ut victori certaminis res ab utroque exposita, tribuatur; ludum verò esse illudmet certamen ad invicem, ad animi delectationem pertinens: Undè ludus optimè describitur à Lessio, *cap.* 25. *num.* 2. sic. „Est contractus, quo ludentes „inter se paciscuntur, ut victori cedat quod uter- „que deposuit. „

Notandum quintò, tam in jure civili, quàm 5 in Canonico esse varias leges prohibentes, tam Laicis, quàm Clericis ludere; & præcipuè *in l. alearum usus, Cod. de Religiof. & sumpt. funer.* Harum legum violationem, sive transgressor sit Clericus, sive sit Laicus, esse peccatum tantùm veniale, scilicet ratione prodigalitatis, quæ ex genere suo est solùm culpa venialis, affirmat Medina, *in sum. cap.* 14. §. 28. ibi asserens, consuetudine videri has leges abrogatas; eò quòd Reges, Principes, aliique Potentes, imò & Episcopi eas non servent. Et his legibus non irritari contractum, asserunt, & probant plures, quos citat, & sequitur Molsesius, *in sum. p.* 2. *tract.* 12. *cap.*21.*n.*36.

Notandum sextò, de jure communi prohi- 6 beri ludos alearum, ut *tot. tit. ff. & Cod. de alea lusu, & aleator.* & aleæ nomine comprehendi ludos, qui magis fortunâ & casu, quàm arte, ac viribus reguntur, ut sunt ludi taxillorum, tesseratum ex pyxide, & similes; ut notat Card. Albanus, *in Lucubrat. in Bart. in Rubr. ff. de alea lusu. & aleator. n.* 1.

Notandum septimò, motivum, seu finem 7 Legislatorum in ludis prohibendis fuisse; quia in ludo pecunia, tempus, & quandoque etiam propria vita, corpus, & Anima amittitur; cùm ex ludo summâ facilitate transiri possit ad rixam, ex rixa ad inimicitiam, ex inimicitia ad sanguinis effusionem, ad homicidia, & ad alia scelera: Ideoque justè alearum nomen esse infame in jure, testatur Molsef. loc. cit. *num.* 34 dicique aleatores, qui attem aleæ exercent, ac sese quocunque ludendi genere varietati fortunæ committunt.

His adnotatis; ad difficultatem propositam, 8 an Miles, qui lusit, & ludo prohibito, teneatur in foro conscientiæ restituere, quod est aliis lucratus, affirmativè videtur respondendum cum Turrecrem. *in cap. Episcopus, num.* 11. *dist.* 35. & aliis; licet nulla vis, vel fraus interveniat; quia dum leges ludum prohibent, contractus est nullus, *ex reg tex in l. non dubium, Cod de leg.* Præterea, possessor malæ fidei dicitur, qui aliquid contrà legum prohibitionem mercatur, *l. quemadmodùm Cod de Agricol & censit. lib.*10. Præterea, humanæ leges puniunt ludentes reprobato ludo, ut ex ludo quæsita restituere cogantur, Covarr. *in reg. Peccatum, par.* 2. §. 4. *num.* 4. Gloss. fin. *in l. fin. ff. de aleat.* Item concedunt repetitionem victo, & ipso negligente, defensoribus Civitatis, vel Fisco, ut notat Molf. loc. cit. *n.* 100.

Verius tamen puto, si lex solùm prohibeat 9 ludum, & non impediat translationem dominii, cessantibus fraudibus, & aliis circumstantiis, quæ reddunt ludum illicitum, ante sententiam Judi-

Judicis, Militem, quamvis, peccaverit, non teneri, quod lucratus est, restituere. Covarru. *in reg Peccatum, par.* 2. §. 4. *col.* 4. D. Thom. 2. 2. *quæst.* 32. *art.* 7. *ad* 2. Major, *in* 4. *sent.* 15. *dist. quæst* 13. & ibi Paludan. *quæst.* 3. *art.* 5. Adrian. *in* 4. *quæst.* 11. *de restitut.* Medin. *de restit. quæst.* 22. Lessius, Toletus, Azorius, & alii innumeri, quos citat, & sequitur Salas, *tract. de lud. dub.* 5. *num.* 2 ubi vocat hanc sententiam probabiliorem. Corduben. *lib quæstion. Theolog. quæst.* 32. §. *Quoad secundam.* Gloss. *in pragm. sanit. tit. de spectacul.* Alpho à Castro, *lib.* 2. *de potest. leg. pen. cap.* 2. *corrolario* 3. & ibi, quos citat., & sequitur Introgliol. *tract. de casib. conf. cas.* 32. *num.* 15.

10 Moveor primò juribus, §. *per traditionem, Instit. de rer. divis.* ubi dicitur, nihil tàm esse naturali æquitati conveniens, quàm voluntatem volentis rem suam in aliam transferre, ratam haberi. Miles verò, qui ludo vetito ludit, vult rem suam ludo transferre; ac proinde benè transfertur. Et favet Tez. *in l.* 1. § *si conveniat, ff. depositi,* & *in l. Contract, ff. de reg. jur.* ubi habetur, quòd contractus ex conventione legem accipiunt.

11 Moveor secundò rationibus: nàm quando lex aliquid sub pœna prohibet, valet actus in contrarium factus, quamvis pœna Incurratur, ut notant Cyn. & alii *in l. Non dubium,* & ibi etiam Bar. *Cod. de leg.* Panor. *in cap.* 2. *Notab. ult. de testibus;* Quemadmodùm valet etiam judicium agitatum cum excommunicato, quantumcumquè notorio, antequam repellatur ab agendo, *arg. cap. Pia, de except. lib.* 6. & notat Sayr. *in Thesaur. lib.* 2. *cap.* 9 *num.* 12. ideòque licet contractus ludi juribus prohibeatur, adhùc est validus: quod autem valido contractu acquirimus, nostrum est. Ergò nisi cogamur sententiâ Judicis, non tenemur illud restituere. Tum etiam, quia jure Divino, & humano rem tantùm alienam tenemur restituere: Atqui Miles ludendo, rem suam lusit, non alienam, ludo sola lege humanâ prohibito. Ergò ex neutra parte impeditur dominii translatio, & consequenter quoad ipsum non habet locum restitutio.

12 Moveor tertiò exemplo, in Collusoribus Regni Neapolitani, in quo sunt plures pragmaticæ sub titulo *de aleatoribus,* & *lusoribus,* quæ prohibent certos ludos. Et idem est in Regno Castellæ, ut refert Rebell. *de oblig. just. par.* 2. *lib.* 12. *quæst.* 2. *num.* 3. & alibi; & tamen Collusores in hujusmodi ludis prohibitis, quod lucrantur sibi tutâ conscientia retinent, nec ad restitutionem obligantur à Confessariis, vel Theologis, quos ego circà hanc materiam consului.

13 Concludimus igitur, Milites, & quosvis alios, ludentes ludo prohibito, peccare quidem saltèm venialiter, sed acquisita per hujusmodi ludum, cessante fraude, non esse ante Judicis sententiam restitutioni obnoxia.

14 Ad rationes in contrarium respondemus: ad primam negando, contractum esse nullum ex eo præcisè, quòd leges ludum prohibeant; illud enim tantùm est nullum, quod fit contra dispositionem juris, seu legis, quando lex non solum prohibet actum, sed illum irritat, nullumque declarat, & successivè vult, nullam inde nasci obligationem, ut est communis doctrina, *in d. l. non dubium, Cod. de legibus:* Noster verò Miles lucratur ludo, quem lex prohibet, non tamen actum irritat, sed solum mandat esse restituendum, quod est amissum.

Ad secundam, dicimus, illum dici possessorem malæ fidei, qui aliquid mercatur contrà legem prohibentem actum, & illum irritantem, nullumque declarantem; non verò contra legem actum tantummodò prohibentem. 15

Ad tertiam, fatemur, leges humanas cogere ludentes reprobato ludo ad restituendum, sed post sententiam Judicis, non verò ante sententiam; cum leges pœnales non obligent, nisi post sententiam Judicis: & hæc est communis praxis 16

Ad quartam, fatemur, etiam leges civiles concedere victo repetitionem, sed in foro exteriori: & sic non solùm est necessè, ut pars petat, sed requiritur, ut Judex judicet, victorem teneri restituere. 17

Infero primò ex dictis, leges purè pœnales regulariter ad mortale non obligare, nisi contrarium constet ex intentione Legislatoris, vel aliundè, ut patet in Constitutionibus diversarum Religionum, quæ ad culpam non obligant, Ita &c. sivè jus sit commune, sivè municipale. Sic docent plures, inter quos doctus Molfesius, *in sum. p.* 1. *tract.* 9. *cap* 9. & *par.* 2. *tract.* 12. *cap.* 21. *num.* 37. Contrarium tenent multi. 18

Infero secundò, in ludo vetito, perditorem, qui solvit numerato, non posse ante sententiam Judicis occultè per compensationem aliquid sumere à victore, quia hic nihil debet ante sententiam. Ita docet etiam Sanchez, *lib.* 6. *de matrim disp.* 38. *num* 32. Tho. Tamb. infra citandus, *num.* 9. Contrarium tenent Cordub. & alii in materia simili loquentes. 19

Infero tertiò, licere domini rem, amissam in ludo vetito, comminari repetitionem, imo & pacisci cum victore de recipiendo aliquid in pretium, quod juri suo cedat non repetendo. Sic docet pariter Tho. Tamb. *in Decal. lib.* 8. *tract.* 2 *cap* 9 §. 1. *num.* 9. 20

Infero quartò, victum, qui lusit pecuniâ creditâ, sed ludo vetito, si forte juravit se soluturum, teneri solvere ob reverentiam juramenti; sed ei licere deindè repetere; secùs verò, si juravit non repetere. Hoc pariter docet Tho. Tamb. loc. cit. *num.* 11. 21

Infero quintò, utroque collusore renunciante legi concedenti repetitionem, cedenteque juri suo, posse adhuc utrumliber non solvere, & solutum repetere: dumodo non interfuerit juramentum; quia huic juri, facto in favorem boni communis, cedere valet nemo legitimè. Ita etiam docet Tamb. loc. cit. *in* 4. *illat.* 22

Infero sextò, esse restituenda in foro conscientiæ acquisita in ludo, sivè vetito, sivè non vetito, quando collusor fraudibus vicit; vel chartis falsis. Ita omnes DD. secùs vero, si fraudes sint juxta leges ludi, quæ non dicuntur propriè fraudes, sed industriæ, ut tradit D. Tho. 2. 2. *quæst.* 32. *art.* 7. *ad* 2. ubi Cajet. & omnes ejus Expositores. 23

24 Infero septimò, obnoxium esse restitutioni eum, qui cum filiofamilias lusit, & carente facultate ludendi; putà, si luderet de bonis paternis, sinè licentia patris; quia licet filiusfamilias dicatur, quasi Dominus, vivente patre, in bonis paternis, *l. in suis, ff. de liber. & posth.* reverà tamen bona sunt patris; & dum de illis disponit filius sinè patris licentia, committit furtum, & tenetur patri restituere, ut docent Sylv. in verb. *furtum*, *quæst. 11.* & alii plures.

25 Infero octavò, etiam in dubio, an leges Civiles prohibeant translationem dominii in ludo, victorem esse tutum in conscientia, retinendo quod est lucratus; quia consuetudine receptum est, non impedire translationem dominii; ut optimè observat Molf. *in sum. p. 2. tract.* 12. *cap.* 21. *num.* 102.

26 Infero nonò, Victum non teneri solvere, quando ludus, in quo amisit pecuniam, prohibitus jure municipali, & est impedita simul translatio dominii; quia lex Civilis ob bonum communitatis potest annullare temerarias promissiones, ad exemplum legis Ecclesiasticæ, quæ potest irritare vota imprudenter emissa; & ita communiter DD. ut notat Sayr *in Clav. Regia, lib. 11. cap. 13. num. 19.*

27 Infero decimo, Victorem non teneri restituere ante petitionem partis, sed posse expectare sententiam Judicis, si lex non impediat translationem dominii. Ita communiter DD. Secus verò, si lex irritaret contractum, & impediret translationem dominii; tunc inquam, teneri restituere, non solùm ante sententiam Judicis, sed etiam ante petitionem partis; quod etiam docet Sot. *lib. 4 de just. & jur. quæst. 5. art. 2. concl. 4.* in fin. Navar. *in sum. cap. 20. sub. num. 17.* Tolet. *in sum. lib. 5. cap. 17.* in verb. *quarum prima.*

28 Infero undecimò, collusorem, habentem animum non solvendi quod amittit, & hoc alterum latet; sivè credito, sive numeratâ pecuniâ ludat, non posse retinere, quod lucratur, si alter similem animum non habeat; quia contractus est inæqualis, dùm alterum decipit.

29 Infero duodecimò, quòd si quis, cum luserit credito contrà prohibitionem, solvat id, quod amisit, potest victor justè illud retinere; quia lex solum concedit repetitionem, non verò prohibet retentionem: ita DD. & ita consuetudo optima legum interpres explicavit. Contrarium sentiunt plures.

30 Infero decimotertiò, ludentem ludo prohibito pecunia creditâ, posse non solvere. Molin. *disp. 523. & 314.* Less. Sot. Navar. & alii contrà Medin.

31 Infero decimoquartò, lucrantem à minore, qui est pubes, & caret Curatore, non teneri restituere, donec, minore restitutionem petente, Judex lucrantem ad eam cogat; quia hic minor naturaliter; & civiliter obligatur ex contractu cum beneficio restitutionis. Secus verò, si minor Curatorem habeat; vel sit impubes, pubertati licet proximus: in quo sensu est intelligendus D. Tho. 2. 2. *quæst. 32. art. 7. ad 2.* cum innumeris aliis, quos refert Sanchez, *lib. 6. de matrim. disp. 38. num. 30.*

Infero decimoquintò, ludentem cum Religioso, voto paupertatis adstricto, vel cum alia „ 32
persona, cui facultas alienandi minime com- „
petit, teneri restituere; & restitutionem esse „
faciendam, nón ipsi, qui perdidit, sed patri. „
si est filiusfam; vel Tutori, si est sub tutela, vel Monasterio, si est Religiosus. D. Tho. quem producit, & sequitur Card. Albanus, loc. cit. *num. 9.*

Infero decimosextò, ludentem cum persona, quæ alienare non potest, & vincentem, non solùm teneri ad restitutionem, sed etiam posse puniri pœna furti, sed extraordinaria, juxtà Jo: de Ana *in cap 1. col. 3. de sortileg.* citat. Bald. not. *in Rubr de condict. ob turp. caus.* 33

Infero decimoseptimò, ludum tabularum cum taxillis, qui inventus fuit à Palamede, in Exercitu Græcorum contrà Trojam, ad Milites recreandos, ut tradit Soc. *in cap. Inter dilectos, de excess. Prælat.* & Paris de Puteo, *in suo tract. de ludo, num. 5.* Scholaribus esse perniciosum propter temporis amissionem, ut docet Paris ibid citans Albet. *in Auth. Interdicimus, de excess. Prælator.* 34

Infero decimooctavò, Scholaribus, seu studiosis posse concedi ludum pilæ, quem omni jure esse permissum, ait Ang. *in cons. 397.* Neque gravitati studiorum hunc ludum repugnare, tradit Valerius. *in Rubr. de otio*, ibi asserens, Scævolam Jurisconf. optime pilâ lusisse; & Socratem, qui fuit in sapientia tam excellens, pariter cum pueris, arundine interposita cruribus suis, sæpe lusisse. 35

Infero decimononò, non rectè se gerere Parentes; qui proli nullum assatim ludum permittunt: ludus enim est utilis propter quietem, & delectationem, ut docet D. Th. 2. 2. *quæst. 168. in corp.* ubi ex Philosopho, *in 4. Ethicor.* appellat durum, & agrestem, & successivè vitiosum ludos licitos, & moderatos nullatenus recipientem: ac proinde audiendus est Seneca, dicens: Sic te geras sapienter, quòd nullus te habeat, tanquam asperum, nec contemnat quasi vilem, apud D. Th. loc. proximè cit. 36

Infero vigesimò, ludos prohibitos in sua domo tenentem magis delinquere, quàm ipsos ludentes, ut docet Paris de Puteo, citans Bal. *in suo Tract. de ludo, num. 4. cum. seqq.* & ibi *num. 46.* 37

Infero vigesimoprimò, à ludis prohibitis esse omnimodè abstinendum, cum ab eis propè infinita scandala oriantur. Card. Alban. loc. cit. *num 9.* Secus verò, si ludi sunt liciti, & permissi; quemadmodùm sunt, qui fiunt gratiâ agilitatis, virtutis, aut fortitudinis, aut publicæ lætitiæ. Soc. *in cons. 16. in primo volum* Jo. de Ana. *in cap. 1. de sortileg.* 38



XXXII. DIFFICULTAS.

An pretium pro redemptione Captorum in bello justo inter Christianos sit in conscientia solvendum.

1 Notandum primò, hodiè inter Christianos propter Charitatem Christianam jus captivitatis, & postliminii cessare, & proindè captos ex hostibus etiam in justissimo bello, capientium servos de consuetudine generali minimè fieri, Bart. *in l. Hostes 4.* in fin. *ff. de capt. & postl. rever.* Angel. *in §. Item ea, n. 2. & 3 Inst. de rer. divis.* Laym. Less. & innumeri alii, quos recenset, & sequitur Diana, *Tom. 7. tract. 7. de bello, Ref. 19.* Et hæc veritas alibi à nobis demonstrata est.

2 Notandum secundò, captis in bello justo posse taleam imponi, at non posse, si bellum sit injustum. Bal. *in l. nam, & servius, ff. de neg. gest.* & idem repetit *in cap. Sicut*, il secondo, *de jurejur. col. 2. vers. sed numquid capto,* Dec. *in conf. 691. n. 1.*

3 Notandum tertiò, justum videri bellum, quòd ex edicto geritur, id est ex authoritate Principis non recognoscentis superiorem, ut per Tex. *in cap. 1. causa 23. quæst. 2.* & pluries à nobis probatum est.

4 His aduotatis; ad difficultatem propositam, an pretium pro redemptione Captorum in bello justo inter Christianos, sit in conscientia solvendum; negativè respondet Ægidlus, *in l. ex hoc iure, ff. de iust. & iur. part. 1. cap. 1. n. 7.* quia Captus in bello secundùm communem Doctorum sensum, non fit capientis; nec jus capturæ, & retentionis ob pretium redemptionis, extrà servitutis casum, in legibus Cæsareis invenitur: Atque adeò redemptionis promissio utpotè sinè jurè, & contrà bonos mores extorta, nullam potest parere in conscientia obligationem. Præterea, contractus factus cum Carcerato non valet, *l. qui in Carcerem, ff. quod met. caus.* & sic neo factus cum Capto detento,

5 Fateor, hanc opinionem probabilitate minimè carere. Contrariæ tamen, quæ verior, & probabilior videtur, libenter adhæreo; nempè pretium redemptionis esse solvendum à captis in bello justo, & sic licitè detineri posse, donec pretio se redimant. Gregor. Valentia, *Tom. 3 disp. 3. quæst. 16. de bello, punct. 3, vers. Quintò, Christianos quidem, & vers. Quinta assertio.* Alvatus Valascus, *Tom. 1. Consult. 30. num. 4. & 5.* Hurtad. de Mendoza, *de fide volum. 2. disp 169. sect. 11. §. 105.* Trullen. *in Præcept. Decal. Tom. 1. lib. 5. cap 2 num. 11.* Diana, *Tom. 7. tract. 7. Ref. 30. n. 3.* Dec. loc. cit. *n 5* ubi alios refert.

6 Moveor primò juribus, *in l. liber captus, Cod. de capt.* ubi probatur, pretium folutum per Amicum pro capto posse repeti: Et quod repetitur, debetur.

7 Moveor secundò rationibus; nam licet captus in bello inter Christianos, non sit servituti obnoxius, est tamen capientis debitor prò sua redemptione, relaxatione, cùm possit eum justè detinere quoad pretio redimatur: Et sic pretium, quod promisit, tenetur solvere. Tum quia Bellum ex parte Capti injustum supponitur, & ideò Victor, seu Capiens in pœnam injusti belli, & injusti periculi, in quo à Capto fuit positus, potest justè pecuniam exigere, undè captus ad conventam solutionem pro sua liberatione tenetur. Et denique Victor poterat licitâ morte captum punire, & voluit detinere; undè si Captus vitam suam pretio æstimabilem redemit, tenetur solvere pretium redemptionis.

Moveor tertiò exemplo, in Principe de Libreta, qui captivus quotumdam Militum, eis promisit viginti millia ducatorum pro conservatione vitæ, quam summam pro eo promisit, & solvit Marchio de Pescara, & eum liberavit; & fuit decisum, dictum Principem de Libreta teneri solvere dictam quantitatem Hæredibus Marchionis de pescara jam pridem defuncti. Ità refert Dec. loc. cit. Moveor etiam praxi quotidianâ in Germaniâ, Flandriâ, Galliâ, Hispania, Italia, plerisque aliis Christianorum Regionibus; Quando in his bella geruntur, talea in bello justo Captis solet imponi, & solvi; mihi hoc attestantibus pluribus fidedignis Militibus, & quidem Officialibus, ob eorum benignitatem me hîc Romæ Anno Sancto visitantibus, & à me super hanc materiam sedulò interrogatis. 8

Concludimus igitur, Captos in bello justo teneri pretium redemptionis, seu relaxationis suæ persolvere, & posse justè usque ad perfectam solutionem teneri, præsertim si ab aliorum Militum impetu, & strage, Capiens, seu Victor eos servavit; cùm tunc duplici titolo pecunia conventa debeatur Victori; custodiæ nimirum, seu tutelæ, & redemptionis, 9

Ad rationes in contrarium respondemus: Ad primam patet responsio ex dictis; quamvis enim Captus in bello non fiat capientis, potest tamen illi talea imponi, ut hîc, & alibi probavimus, quod sufficit pro justa, & debita solutione. 10

Ad secundam respodetur, hoc fallere, si contractus factus sit ad utilitatem capti, vel carcerati, ut liberetur. Ita Bal. *in Rubr. Cod. de resein. vendi.* & docet Dec. loc. cit. *num. 5.* alleg. *l. metum,* la terza, *§. Sed licet, ff. de eo, quod met. caus.* 11

Infero primò ex dictis, Captos in bello inter Christianos posse celebrare contractum; cùm sint sui juris. Docet etiam Diana loc. cit. *num. 3.* 12

Infero secundò, captos in bello inter Christianos, quamvis non efficiantur mancipia, posse tamen justè detineri, ut puniantur, si nocentes sint, vel pretio redimantur; & hoc privilegio etiam Hæreticos ex quadam consuetudine gaudere; cùm aliquo modo Christum, & libertatem per eum nobis datam profiteantur. 13

Infero tertiò, pretium redemptinnis esse regulandum ex qualitate, & divitiis personæ captæ: Unde Milites capientes posse obligari à Judicibus Exercitus pro pretio sic regulato captum relaxare, illis nolentibus, tradit etiam Rebuffus, *in d. l. Hostes, ff. de capt. pag. 641.* 14

15 Infero quartò, Captum in bello justo teneri redire ad carceres, prout promisit, ut nota. per Gloss. 1. *dist. in cap. Jus gentium*, & *in Clemen. Pastoralis*, in verb. *per violentiam*, *de re judica*.

16 Infero quinto, non solùm solutum ab Amico capti, ut liberetur, esse solvendum, ut notat Bal. *in l. liber captus*, *Cod. de capti.* sed etiam solutum ab Amico, qui videndo suum amicum in periculo perdendi vitam, nisi pro ipso solveret, solvit illo prohibente. Bald. *in l fin. Cod de nego, gest. col. 2. in verf. sed pone.* Et facit Tex. *in l. At si quis*, §. *Item Labeo*, *ff. de Relig. & summ. fun.* ubi dicitur, intuitu pietatis posse repeti expensas sepulturæ factas contrà prohibitionem Hæredis.

17 Infero sextò incidenter, licere Medico, qui Infirmum invitum curavit, ab eo expensas repetere. Et docet Turrecrem. *in cap. Non est grandis*, §. *ad tertium*, *sub num. 9. 83. Dist.*

18 Infero septimò, licere absque nota criminis læsæ Majestatis, reperienti furem in domo sua, & cum eo convenienti, ne ipsum ad Judicem deduceret, nec contrà eum accusationem institueret, licere, inquam, ipsum loco pignoris detinere, donec solvat; quia ei non fit injuriâ, sed maximum beneficium. Tradit etiam Tiber. Decian. *in tract. crimin. p. 2. lib 7. cap. 10. num. 12.*

19 Infero octavò, captum ab Infidelibus, cui datur facultas eundi ad suam patriam, eâ conditione, ut pro redemptione mittat certam pecuniam, aut juret illuc redire, teneri stare promisso, nempè aut pecuniam conventam solvere, aut redire, quamvis injustè sit captus, etiam cum periculo vitæ; nec debere tale juramentum relaxari, seu dispensari ob scandalum, & blasphemiæ periculum. Ita Trullen. *in Decal. tom. 1. lib 2. cap. 1. dub. 22. num. 5.*

20 Infero nonò, Principem, qui bellum illicitè, seu injustè infert, teneri de omni damno, quod sui Milites patiuntur, aut per Milites suos datur, & de omni homicidio, & violentia, quæ sequitur, ut per Tex. *in l. Quoniam multa facinora, Cod ad l. jul. de vi publ.* Bart. *in l. Hostes, col. 1. ff. de capt.* Bald. *in Rubr. quod metus caus. col. 5.* Doctores, *in cap. Sicut dignum*, & præsertim Innoc. *de homic.* quodque nos alibi tetigimus.

XXXIII. DIFFICULTAS.

An Christiani capti à Turcis tempore belli, & qui injustè detinentur in captivitate, si illis aliqua bona furentur, peccent & teneantur ad restitutionem.

1 Notandum primò, bellum, quod Turræ adversus Christianos gerunt, esse injustum ex parte eorum, undè Christianos ab illis in bello captos injustè detineri. Ita communiter Doctores, inter quos Molina, *Tom. 1. de just. tract. 2. disp. 37. in princ.*

Notandum secundò, furtum comprehendere omnem illicitam usurpationem rei alienæ, undè secundùm Legistas esse contrectationem rei alienæ fraudulosam, mobilem, corporalem, invito Domino, animo lucrifaciendi rem, vel possessionem, vel usum, factam: Graff. *p. 2. decis. lib. 2. cap. 22. num. 3.* ubi plura notat de furtis: Quæ etiam videri possunt *in causa 14. quæst. 5. & 6. causa 12. q. 2.* in primis noven capit. 2

Notandum tertiò, captivitatem esse quamdam pœnam juris, quæ à Victoribus infligitur, qui locum tenent Judicis in bello justo, Ita communiter Doctores, inter quos Molfesius *in sum. p. 2. tract. 12. cap. 3. n. 191.* 3

Notandum quartò, Christianos, quamvis capiantur in bello justo à Turcis, aut ab aliis Infidelibus, non effici illorum servos. Sic probabiliùs tenent Covar. *in reg. Peccatum p. 2. §. 11. num. 5. de reg. jur. in 6.* Mich. Salon. *tract. de domin. quæst. 3. art. 1.* post conclus. 4. Petrus Arragon. Navar. & alii, quos recenset, & sequitur Sayr. *in Clavi Regia. lib. 9. cap. 6. sub n 11.* Contrarium tenent Bart. *in l. hostes*, *ff. de capt.* Sylv. in verb. *furtum, quæst. 6.* Sotus, *lib. 4. de just. quæst. 2. art. 2.* & alii; Et omnes conveniunt, Christianos captos à Turcis non effici eorum servos, quando bellum est ex parte eorum injustum, aut coguntur vel ad Infidelitatem, vel ad deserendos bonos mores: Tunc enim hos Christianos liberos remanere, & licitè aufugere posse, omnes fatentur, & à nobis alibi fuit demonstratum. 4

His adnotatis; ad difficultatem propositam, an Christiani capti à Turcis tempore belli, & in captivitate injustè detenti, si ab illis aliqua furentur, peccent, & ad restitutionem teneantur, affirmative videtur respondendum; Nam servo non licet fugere. Sic Gloss. *in cap. Jus gentium*, in verb. *servitutes, dist. 1.* S. Anton. Sylv & alii, quos refert Sayr. *in Clav. Reg. lib. 9. cap. 6. n. 29.* Ergò nec licet ei furari à Dominis. Præterea, Turcæ bonorum suorum sunt Domini, qui autem rem alienam, aut bona temporalia à vero Domino aufert, furtum committit, & ad restitutionem tenetur. Præterea, tempore treugæ initæ inter Christianos, & Turcas, Christianis non licet furari Christianos apud Turcas in captivitate detentos: Ergò neque licitum erit Christianis captivis, sive adsit treuga, sive bellum, bona sua à Turcis furari: Ergò hoc furtum committendo peccant, & restituere tenentur. 5

Veritas tamen est, Christianos apud Turcas injustè detentos, aut tempore belli captos, qui à suis Dominis pecunias, gemmas, aut alia bona clam accipiunt, neque peccare, neque ad restitutionem teneri, Cajet. 2. 2. *quæst. 66. art. 8.* Molina, *Tom. 1. de just. tract. 2. disp. 37.* Nald. *in summ.* verb. *Infidelis. n. 1.* & *in* verb *Christianus. num. 3.* & in verb. *Servus, num. 1.* Emanuel. Sa, *in Aphoris Confess.* in verb *servus, sub n. 1.* Sylvest. *in summ.* in verb. *furtum, quæst. 7. n. 12.* Graff. *p. 2. decis. lib. 2. cap. 21. num. 27.* Diana, *p. 5. tract 13. miscell. 1. res. 98.* ubi alios citat. 6

Moveor primò juribus, *in l. non solùm, Cod. de commerc. & merca.* ubi habetur, Barbaris non solùm aurum non esse præbendum, sed etiam esse illis subtili ingenio auferendum, si apud 7

...sinventum fuerit, & Glos. ibi. „ Erant hi „ Barbari hostes Populi Romani; Turcas autem „ sic hostes publicos, certum est; Atque adeo vi hujus legis licebit Turcarum bona clàm accipere.

8 Moveor secundò rationibus: Christiani Turcarum captivi possunt rationabiliter in suis Principibus tacitam voluntatem præsumere, ut cum ab illis aufugiunt, Dominis suis, aliisque surripiant quæcunque potuerint Tum quia quidquid possident à Turcis sunt bona Christianorum tyrannicè usurpata. Ita Gaspar Meniglier Jesuita Gallus, Antonius Veglia Neapolitanus Franciscanus, quos refert Diana, loc. cit. & ideò cuilibet Christiano, tanquam membro Ecclesiæ, licebit ea surripere, & in Ecclesiam deferre. Tum etiam, qui Christiani in Turcarum captivitate serviunt, laborant, verberantur, patiuntur: Ergo possunt licitè eorum bona surripere in compensationem laboris, famulatus, injuriarum, lucri cessantis, damni emergentis.

9 Moveor tertiò exemplo, in quibusdam Christianis apud Turcas captivis in Africa, Tuneti nempè, qui è Turcarum manibus evadentes; ab illis non pauca bona clam acceperunt & proposito casu in Sacra Congregatione de Propaganda-Fide, fuit decisum die septimò Aprilis, Anno 1620. ex consulto aliquorum Theologorum, licitè illos Christianos se gessisse: Et postea eodem casu à Patre Francisco Longobardo Ordinis Minimorum, Missionario in Africa, proposito in Congregatione Sancti Officii; Post Theologorum discussionem, die 13. Augusti, Anno 1630. fuit sic resolutum „ Qui captivi injustè detinentur ab „ Infidelibus, possunt à Dominis particularibus „ accipere sine injustitia, vel aliqua ejus specie „ quantùm sufficit ad congruam compensationem „ nem etiam pro sufficientia redemtionis ab illis, „ vel aliis, qui sunt partes Reipublicæ, sive Judæi, „ sive Turcæ. Ita refert Laurentius de Peyrinis *in privilegiis Minimorum, tom. 3. cap. 4. num 29.*

10 Concludimus igitur, Christianos, qui apud Turcas injustè detinentur, vel capti in bello in eorum captivitate reperiuntur, posse jure belli ab illis bona surripere, nec ad ullam restitutionem teneri; dummodò absit scandalum, & damnum aliorum Christianorum, mendaciumque, conscientia erronea, vel fractio fidelitatis, ad quam tenentur, qui sub fide regia ibi adsunt, aut negotiantur. Ita Diana, loc cit.

11 Ad rationes in contrarium respondemus: Ad primam, negando esse illicitum servo Christiano, capto ab Infidelibus in bello, fugere præsertim si est injustum. Ei enim licitam esse fugam optimè probat Sot. *lib. 4. de just. qu. 2. art. 2.* post concl. 3. ubi ait, se non audere servos sic captos in bello etiam justo in tales angustias redigere, ut non liceat illis fugere. Sic Covar. & alii plures, relati à Sayr, loc. cit. *num. 30.* & sic ruit consequentia ex tali principio deducta.

12 Ad secundam, negando pariter, Turcas esse Dominos suorum honorum: Jure enim belli Principes Christiani sunt Domini rerum Turcarum; & cùm Turcæ sint hostes publici, & tyrannicè bona Christianorum possideant, sequitur, licere Christianis ex præsumpta Principum voluntate bona illorum surripere; & præceptum septimum decalogi: *Non furtum facies*, locum non habere in Christianis surripientibus res ab Infidelibus ex tacita Principum voluntate. Ita Albertinus, *in rubr. de hæret. in 6. q. 8. n. 4.*

Ad tertiam respondetur, non esse universaliter veram, cùm liceat furari Christianos apud Turcas detentos, si illos ad Infidelitatem cogerent; undè admissâ, citrà veri præjudicium; negatur consequentia, & assignatur disparitas; quia in furto Christianorum tempore treugæ violatur fides, & quidem juramento firmato, quæ etiam Infidelibus est observanda; non verò in furto, quod committunt Christiani surripiendo bona à Turcis, apud quos sunt captivi, quo in casu nulla supponitur fides data. 13

Infero primò ex dictis, Christiano capto in bello à Turcis licere fugere tum occultè, tum palam, ac vi etiam adhibitâ; excepto tamen casu datæ fidei de non fugiendo. Molina, Sayr, & cæteri Doctores, loc. cit. 14

Infero secundò, licere Christianis extrà treugam, & fidem datam, adjuvare Christianos injustè captos in bello, & in Turcarum captivitate injustè detentos ad fugam capiendam. Ita etiam Sayr. *in sua Clavi Regia, lib 9. cap. 6. sub num. 33.* Molina, *tom. 1. de just. tract. 2. disp. 37.* in princ. 15

Infero tertiò, suadentem fugere homini in bello justo capto, aut ad fugiendum adjuvantem, teneri restituere Domino valorem mancipii, & ea alia damna, quæ indè illi sequantur. Idem Molina, loc. cit. 16

Infero quartò, captum in bello justo formaliter ex utraque parte, quamvis possit justè retineri, & coerceri, ne fugiat, & vi reduci, si fugiat, posse tamen licitè fugere ad suos, aut quocunque velit, nec teneri se restituere; cùm in tali casu æqua sit conditio captivi, ac Domini sui, neque minùs pertineat ad eum dominium sui, & possessio suæ libertatis; quàm ad suum Dominum. 17

Infero quintò, Christianos captos in bello injusto à Turcis, & Saracenis, & in eorum captivitate detentos, posse in tali statu validum condere testamentum; quia reipsa sunt liberi, Molina, *tom. 1. de just disp.* 137. 18

Infero sextò incidenter, captivos apud Turcas, aliosque Infideles, posse ex bonis fideicommisso suppositis redimi. Menochius, *in cons. 589. n 3.* 19

Infero septimò, illicitam esse fugam servis empititiis, iis scilicet, qui se ipsos vendunt ad pretium participandum: Mols. *in summ. p. 2. tract. 12. cap. 3. num. 192.* in quo sensu est intelligenda Gloss. *in cap. Jus gentium*, in verb. *servitutes*, *Dist. 1.* quam sequuntur Medina, & alii asserentes, servum non posse licitè aufugere à Domino. 20

Infero octavò incidenter, non peccare, nec teneri ad restitutionem illum, qui dum non potest habere sibi debitum, sibi furtivè satisfacit de rebus debitoris; dummodò concurrant sex conditiones, quas describit Sylvest. *in summa*, in verb. *furtum*, *quæst. 13. num. 17.* quæque à nobis, brevitatis gratiâ, omittuntur. 21

22 Infero nonò, durante tempore treugæ, vel alicujus salviconductus, inter Christianos, & Turcas, non licere Christianis furari bona à Turcis; cùm non possit præsumi consensus propriorum Principum, neque quoad substantiam, neque quoad modum. Ita etiam Diana, loc. cit.

23 Infero decimò, licitum esse Infidelibus; in bello ininsto captis à Christianis, fugere Dominum suum. Sot. loc. cit. Covar. *in regul. Peccatum, p. 2. §. 11. num 5. & lib. 1. var. resol. cap. 2. n. 10.* & alii id asserens etiam de captis in bello justo, quos recenset, & sequitur Sayr. *in sua Clavi Regia. lib. 9. cap 6. n. 30.*

24 Infero undecimò obiter, licere Christianis ex tacito consensu Principum, fraudare gabellas à Turcis impositas; nam sicut Terræ, quas possident Turcæ spectant ad Principes Christianos; ita etiam ad Christianos Principes pertinent gabellæ, seu tributa, quæ Turcæ ratione talis dominii exigunt. Prætereaquam quod, huiusmodi gabellæ possunt facilè esse iniustæ. Videatur circa hanc materiam Sanchez, *in opuscul. tom. 1. lib. 2. cap. 4. dub. 5. num. 3. 8. & 9.* Quidquid dicant alii.

25 Infero duodecimò, Christianos, captos in bello à Turcis, peccare quidem, si aufugiant contra datam fidem, & juramentum, juxta reg. Tex. *in cap. Debitores, de iureiurand.* at non teneri redire ad hostes ob periculum deserendi fidem; & Prælatum teneri dispensare cum hujusmodi fugitivis circa violationem talis juramenti, ut ex reg. Tex. *in cap. Si verò, eod. tit.* & tenet Molf. *p. 2. tract. 12. cap. 3. n. 193.*

XXXIV. DIFFICULTAS.

An Milites Commendatarii D. Joannis Hierosolymitani possint succedere in Feudis, exclusis per Institutorem Religiosis à Majoratu.

1 Notandum primò, Feudum, ut suprà innuimus, esse vocabulum Gothicum, vel Lombardicum, non Latinum, deductum fortassè à Germanica voce, *Fecd*, quæ bellum, sive militiam significat; Et ideò in Constitutionibus Caroli Magni, Fedosus dicitur, qui hostis est publicus; etsi aliqui quos minimè reprobamus, etiam tradant, Feudum dici à fide, seu fidelitate, qua is, qui rem in feudum accipit, ei, à quo accipit, se obligat.

2 Notandum secundò, Feudum esse multiplex, nempè, propriè, & impropriè dictum, Regale, & non Regale; nobile, & ignobile, Ecclesiasticum, & Sæcnlare, Reale, & personale; Antiquum, seu Paternum, & Novum, Individuum, & Dividuum, quæ distinctiones videri possunt apud Doctores, præsertim Azor, *Inst. moral. p. 3 lib. 10. cap. 2.* per totum.

3 Notandum tertiò, quando Feudum est concessum pro se, & hæredibus, ac successoribus, servitium non esse personaliter præstandum. Ita docent Bal. *in l. quisquis, Cod. de Episc. & Cler.* Cæpha *cons. 1. num. 31. & cons. 2. num. 4. lib. 1.* & alii plures, quos refert Menoch, *cons 54. n. 15.*

Notandum quartò, Religionem Hierosolymitanam fuisse institutam, ut pro Fide Christiana adversus Turcas, aliosque Infideles arma sumeret, & pugnaret, ut scribit Volaterranus, *lib. 21. anthropol.* 4

Notandum quintò, Milites Hierosolymitanos esse personas Religiosas, & DEO dicatas, ut probat Text. *in cap. Quamvis, de decimis*, Gluss. *in Clem. Quia contingit*, in verb. *militarium, de Relig dom.* & scribunt Abb. *in rub. de Regular. n. 4* propè fin. Volater. *lib. 21.* Anthropologiæ, & alii à nobis relati, hanc materiam ex professo tractantibus. 5

Notandum sextò, Religiosos propriè dictos non succedere, nec Monasterium nomine illorum, quotiescumque à primo majoratus Institutore adjecta est clausula, ne in illo succedant Monachi, quæ conditio, excludens Monachos, aut Clericos à successione, si apponatur animo retrahendi, atque vocandi aliquem à statu Religionis, est quidem turpis, & indigna viro Christiano; & absque turpitudine, si apponatur ob bonum finem, puta ut familia conservetur; & tunc justa est, & valet, ut docent Joan. Lup. *rubr. de donat. inter vir. & uxor. §. 16. n 14.* Covar. *lib 1 variar. resol. cap. 19 num. 10.* Molina, *tom. 1. de just. tract. 2. disp. 207.* & alii innumeri, quos recenset, & sequitur Sanchez, *in precept. Decal. tom. 2. lib. 7. cap. 15. num. 6.* 6

His adnotatis; ad difficultatem propositam, an milites Hierosolymitani possint succedere in Feudis, exclusis per Institutorem Religiosis à majoratu, negativè respondet Menochius, *de arbitr. jud. casu 231. num. 5. & cons. 54. num. 14. & 24* ubi pro se plures recenset Doctores; quia Equites Commendatarii D. Joann. Hierosol. sunt veri, & omninò Religiosi; tribus substantialibus votis solemnibus devincti. Præterea capax minimè censetur Feudi, qui Feudi Domino servire non potest per se, nec per substitutum, *lib. 2. Feud. tit. 21. cap. 1.* in fin. *de mil. vassal. qui arma bel. depos.* Miles verò Hierosolymitanus Domino Feudi non potest servire, nec per se, nec per substitutum; cùm pro Fide Christiana debeant milites Hierosolymitani contrà Turcas, aliosque Infideles pugnare. 7

Fateor, huic opinioni magnam inhærere probabilitatem, undè illi adhærere firmiter putabam; nihilominùs re diligentiùs examinatâ, contrarium visum est verius, & probabilius, propterea à nobis amplectendum; posse nempè milites Commendatarios S. Joann. Hierosolymitani in Feudis propriis, & directis succedere; non obstante clausulâ excludente Religiosos à successione. Ita Alvarot. *in cap. 1. col. pen. vers. quaro, quid si vassallus, de mil. vassal qui arma bellica depos.* Barba. *in rubr. ext. de feudis, col. 3. vers. quid si vassallus efficitur miles.* Cut. jun. *in tract. de feud. p. 3. quæst. 10.* Ducnnas, *reg. 103. limit. 6, num 6.* Calefat. *de equest. dignit. n. 33.* Tapia, *Auth. ingressi verb. sua, cap. 15. num 20. Cod de Sacrosanct. Eccles.* Molina, *tom. 3 disp. 623. num 5.* Bonac. *de contractibus, disp. 3. quæst. 8. punct. 3 num. 4.* Sanchez, loc. cit. *num. 48 &* alii plures, quos refert Menochius *in cons. 54. num. 1.* 8

9. Mo-

Moveor primò, juribus, *in l. nullus, qui*
9 *nexu, l. neminem, Cod. de Decurion. lib.* 10. ubi dicitur, quòd Effectus illustris propter aliquam dignitatem adeptam non vetatur per substitutos suo muneri satisfacere, ut ibi Gloss. Certum est autem, horum militum S. Joann. Hierosf. statum auctum esse ratione equestris dignitatis adeptæ, *& arg. Auth. ingressi, Cod. de Sacrosanct. Eccles.* ubi habetur ex regula generali, Monasterium succedendi capax, succedere in omnibus Professi bonis, & juribus, & sic in majoratu, annexam jurisdictionem in aliquod Oppidum, aut Castrum habente. Ergò, & succedere possunt singuli Religiosi, ubi rigor Instituti non obstet, cùm Religiosi singuli partes sint Monasterii, & de toto ad partem idem sit judicium, *l. qua de tota, ff. de rei vendic.*

10 Moveor secundò rationibus; nam Religiosus, ut optimè probat Sanchez, *in Opere morali, lib. 7. cap. 12. num. 13.* non perdit jura sanguinis, nec desinit esse de familia, & agnatione, in quo fundatur jus succedendi. Tùm quia, esto quòd milites Hierosolymitani sint vere & propriè Religiosi, cessant, tamen in iis rationes, quarum vi Religiosi in Monasteriis degentes à successione excluduntur. Hi enim milites latum, & non strictum habent votum paupertatis, splendide vivunt, familiæ decus, honorem, & agnationem conservant; quod cæteri Religiosi non faciunt; atque adeò excluduntur. Ita Tapia, loc. cit. Præterquamquod, hi Equites non deposuerunt arma bellica, cùm ex eorum institutione debeant contrà Turcas, aliosque Infideles pugnare, & Fidem Catholicam defendere; unde cessat ratio *cap. 1. de vassal. mil. qui arma belli depos.* quo Vassallus deponens arma, Feudo privatur.

11 Moveor tertiò exemplo, in domino Laxaro ex antiquissima, & nobilissima Carettorum familia, Equite Hierosolymitano, qui, ut refert Menochius nobis contrarius, *in cons. 54. num 3.* in Feudis successit: quod est in consuetudine, & usu apud Pedemontii, & Montisferrati Regiones: Teste Neviz. *cons. 30 num. 4.* in fin. & recedere non debemus à consuetudine receptâ, quæ legis vim habet, ut per Text. *in l. minimè. ff. de leg. cap. Consuetudo, dist. 4.*

12 Concludimus igitur, milites commendatarios S. Joann. Hierosolymitani, non obstante conditione excludente à Majoratu Religiosos, succedere ad quoscunque majoratus, & quæcunque Feuda reverti, & in eis cum cæteris Fratribus succedere; dummodò tamen eorum Constitutiones non obstent.

13 Ad rationem in contrarium respondemus; ad primam, milites Hierosolymitanos esse quidem verè, & proprie Religiosos, non tamen strictè, sed late, siquidem vitam in sæculo degunt, morantur in aulis splendide amicti; unde quamvis sint Deo dicati, possunt se negotiis sæcularibus implicare, jurisdictionem exercere, cæteraque agere, quæ fendi possessio postulat.

14 Ad secundam: admissâ majori propositione, negando minorem: miles enim Hierosolymitanus, si non potest per se Domino Feudi servire, potest per substitutum; nam servitium personale in Feudo petitum potest per alium præstari, quando in eo non eligitur industria personæ. Secùs verò, quando eligitur, *l. inter Artifices, ff. de solut.* Nunquam verò videtur electa personæ industria, quando Feuda conceduntur à Principe supremo pro se, & Hæredibus, ut in casu nostro, uti docent Bald. Felin. & multi alii, quos recenset, & sequitur Menochius, loc. cit. *num. 13.* Sanchez, *in Oper. moral. lib. 7. cap. 15. num. 37.*

Infero primò ex dictis, posse succedere in 15 Feudo, aliisque bonis, non obstante clausula excludente Religiosos, Commendatarios Equites, qui uxorem ducere possunt. Et ita docent Molina Jurisconsultus, *lib. 1. de primog. cap 13. num 98.* Molina Jesuita, *tom. 1. de just. disp 623. num. 5.* Sanchez, loc. proxime cit *num. 5* Bunac. loc. cit. num. 4.

Infero secundò, Vassallum, qui eminentem 16 Cardinalatus dignitatem obtinet, posse Feudum retinere, & per Substitutum servire. Ita etiam Ruin. *cons. 142. num. 2. lib. 1.* Quod negat Menoch. *de arbitr. jud. cas. 231. num. 6.* & posteà fatetur *in cons. 54. num. 2.* Et idem dici de Episcopo, tradunt Imo. *in cap. inter dilectos, num. 6. de fide instru* & ibi Felin *num. 3.* quia Episcopus habens Feudum, potest per alium servitium personale Domino Feudi præstare.

Infero tertiò, in qualicumque majoratu, in 17 quo sit clausula excludens Religiosos, succedere Religiosum, quando est Novitius; cum Novitii nondum sint Religiosi, sed in via, ut sint, *cap. Religioso, de sent. excomm. in 6.* nec in his odiosis appellatione Religiosorum Novitii comprehenduntur, ut tradunt communiter Canonistæ. Contrarium teuent Andr. de Isern. & alii, quos refert Sanchez, loc. prox. cit. *n. 33. & 34.*

Infero quartò, posse in Feudo succedere 18 Religionem, quæ potest decenter servitium personale in Feudo petitum exhibere, & per substitutum illud præstare. Secùs verò, quando hujusmodi servitium non potest decenter à Religione exhiberi, nec sufficit illud per substitutum præstari.

Infero quintò, mutos, surdos, claudos, cæ- 19 cos aliosque similes posse Feudum paternum retinere; cùm possint per alium sibi substitutum præstare obsequia, quæ Domino Feudi debentur. Hanc esse opinionem communem, affirmat. Azor. *Inst. moral. p 3 lib. 10. cap. 8. quæst* 1. in fin.

Infero sextò ad Fœminas, quibus successio 20 in Feudis, universaliter loquendo, denegatur; cùm fœmina capax non sit officiorum, quæ ad obsequia Feudorum pertinent, nec idonea ad militandum, *l. cùm Prætor. ff de judiciis.* in pluribus casibus Feudum transferri; primò, quando pacto in investitura impetratum est, ut fœminæ, & qui ex fœminis descendunt, succedant in Feudo, *lib 1. Feudor. tit. 1. & lib. 2. tit. 11.* Secundò, ii Feudum sit fœmineum, seu maternum, quod originem habuit à Fœminis, ut sunt nobilissima Feuda Provinciæ Astensis relicta titulo donationis à Carolo V Imperatore cuidam Beatrici à Sabaudia, & post eam Principibus hujus Regalis Familiæ Successoribus; ut habetur ex pluribus historiis, & authenticis scripturis, quæ reperiuntur in Archivio Astensi, ut mihi testatur per litteras Illustrissimus Hercules Tho-

mas ex nobilissima, & antiquissima Familia Rotaria, Patricius Astensis, Marchio Cortanserii, aliorumque Feudorum Dominus, rerum experimento celebris, nec non in rebus militaribus impensè versatus. Sicque in aliis casibus, ab Azorio, loc. cit. *quaest.* 2. relatis.

21 Infero septimò obiter, Filium emancipatum in Feudo succedere. Cuit. *in tract. Feudor. p.* 3. *num.* 2. *quaest.* 1. Hannetonius, *de iure Feud. lib.* 2. *cap.* 2. Duarenus *in Comment. de consuetudinib. Feudor. cap* 11. *n.* 3. & alii.

22 Infero octavò, Monasteria non comparare bona Commendatariorum Hispaniarum professorum, qui uxores ducere possunt; cùm ipsi sint veri Domini eorum, quae acquirunt, capacesque sint Majoratuum, in hisque possint succedere antiquà Hispaniarum consuetudine, perinde ac si Commendatarii non essent, licèt in Majoratu apposita esset clausula excludens à Majoratu Religiosos. Ita etiam tradit Molina Jesuita, *part.* 1. *tom.* 3. *de iust. & iure, tract.* 2. *disp.* 623.

23 Infero nonò, Clericos succedere posse in Majoratibus, tam non habentibus jurisdictionem annexam, quàm habentibus annexam jurisdictionem, & praeter simplicem jurisdictionem, habentibus dignitatis nomen, & jus, quod titulus vocatur, videlicet Ducatus, Marchionatus, Comitatus, &c. & etiam in Regnis, quoniam verè capaces illorum sunt, tanquam proprii eorum Domini; cùm hujusmodi dominatio repugnantiam non habeat cum Sacerdotio, aut Pontificatu etiam summo; dummodò tamen Sacerdotes, & Pontifices administrent per Ministros, ad id electos, hujusmodi temporalia dominia quoad ea, quae eos non decet per se ipsos exercere, aut ipsis nimiam curam, & distractionem afferre possent; & modò etiam relinquant Beneficia curam Animarum habentia, quando expediter attendere regimini saeculari, qualeesset Regni. Haec Molina, loc. cit. *n.* 6.

XXXV. DIFFICULTAS.

Moritur Miles intestatus, qui neque Ascendentes, neque Descendentes habet. Dubitatur, cui ejus Bona debeantur.

1 NOtandum primò, Illum dici decedere intestatum, seu ab intestato, qui aut nullum fecit testamentum; vel quia noluit, vel quia secundùm jura non potuit; aut condidit testamentum nullum ex defectu legitimae solemnitatis; aut si fecit, jure postea ruptum est; aut si testamentum fuit legitimè factum, nullus ex eo haeres apparet: Aut si testamentum rescindatur, sive jure praetorio per contrà tabulas, sive ex alio legitimo titulo, ut fusè, & doctè explicant Astens. *lib.* 3. *tit.* 35. Sylvest. in verb. *Haereditas* 1. *num.* 3. Molina, *Tomo* 1. *de iust. tract* 2. *disp.* 162.

2 Notandum secundò, Consangnineos posse considerari in triplici linea, nempe in linea rectà ascendentium, in linea rectà descendentium, & in linea collaterali; & Consanguineos in linea rectà ascendentium esse Patrem, Avum, Proavum, Abavum; Consanguineos in linea rectà descendentium, esse filios, nepotes, pronepotes, abnepotes: Consanguineos verò Collaterales esse fratres, sorores, filios fratrum, & sororum. Ita etiam distinguit Bonac. *de contract. disp.* 3. *quaest.* 17 *punct* 3. *sub n.* 22.

Notandum tertiò, inter se minimè differre 3 voluntatem, & dispositionem testamentum conficientis, & voluntatem morientis ab intestato quoad effectum; cum ambae faciant haeredes suos successores, quamvis una faciat expressè, altera tacitè, ut per Tex *in l. Conficiuntur*, in princ. *ff. de iure Codicil. & l. Cum filio*, *ff. de leg.* 1.

Notandum quartò, Bona eorum, qui ex hac 4 vita discedunt, nullo haerede relicto, qui ab intestato succedat, dici bona vacantia. Azor. *Instit. Moral. p* 3. *l.* 1. *cap.* 13. §. *sexti generis*, & etiam dici bona caduca, seu haereditatem caducam, quia ceciderunt bona à linea, cui de jure debebantur, *ut in l.* 1. *Cod. de bon. vacant. lib.* 10.

Notandum quintò, Fiscum dici à fiscinis, 5 hoc est sportulis, quia antiquitus à Populis, quibus facultas competebat Regem creandi, ad Regiam dignitatem eligebatur Pauper; & ut pecuniam ad praeliandum haberet in communi Aerario ab iisdem ponebantur maximae pecuniarum quantitates, quibus tempore necessitatis uteretur, ut legitur *in Lexic. iur.* verb *Fiscus*, & apud Authores, inter quos Molses. *in summa, p.* 2. *tract.* 12 *cap* 3. *n.* 291.

Notandum sextò, Fiscum, qui à *fidendo*, 6 secundùm quosdam deducitur, quòd scilicet illo thesaurum nostrum fidamus, esse Cameram Regiam, in qua receptatur quidquid ad commodum pecuniarum, & Regni pertinet, ut tradunt Glos. & Joan. de Plat. *in Rubr. Cod. de iure Fisci, lib.* 10. ex Tex. *in l. Celsus*, *ff. de contrahend. empt.* vel, ut placet Asconio, esse sporteum receptaculum pecuniis reponendis accommodatum. Hinc Aerarium Principis Fiscum dici, communis est sensus, & tradit Paulus Jurisconsultus, *in l. Ergò*, §. *Si quis autem*, *ff de fideicommiss. libert.* quamvis alii Fiscum ab aerario distinguant, asserentes, Fiscum dici pecuniam Principis, & aerarium pecuniam publicam; Fiscum esse totum Principis patrimonium, & comprehendere etiam extraordinarios redditus, qui proindè confiscationes nuncupantur; Aerarium verò esse omnem locum, in quo reponitur cuiuslibet generis pecunia, sive aurea, sive argentea, sive aerea: Et ideò rectè Trajanus Imperator Fiscum, seu aerarium Reipublicae lineam nuncupare solebat, quòd sicut eo crescente, ut docent Philosophi, reliqui artus, ac membra tabescunt: Ita crescente Principis fisco, seu aerario Civitatis corpus unà cum membris languescit. Et Apollonius Tyaneus, aerarium Principis considerando, dicebat, divitias non esse aestimandas, quas in occulto Princeps retinet: Nam illae ab arenae cumulo parum differunt. Philostr. *lib.* 5. *de vita Apollonii.*

7 His adnotatis; ad difficultatem propositam, cuinam Bona Militis, ab inteſtato morientis, absque Aſcendentibus, & Deſcendentibus, & Collateralibus etiam Conſanguineis usque ad decimum gradum, qui ei in hæreditate legitimè ſuccedant, debeantur, respondemus absque ulla controverſia, Fiſco, ſeu Principi. Azor. *p. 3. Inſtit. Moral. lib. 1. cap. 13. colum. 6.* Molina, *tom. 1. de juſt. tract. 2. diſp. 164. concluſ. 11.* Vincent de Franch. *deciſ. 125. num. 12.* Andr. & alii, *in Conſt. Regn. quadragenalem.* Sayr *in ſua Clavi Regiâ, lib. 9. cap. 12. num. 31.* Molfeſius, *in ſum. p. 2. tract. 12. cap. 3. num. 135. & n. 292.* ubi alios refert.

8 Moveor primò juribus, *in l. 1. § ult. ff. de jure Fiſci, & l. 1. & l. vacantia, Cod. de bonis vacantibus, lib. 10. & l. unica, Cod unde vir, & tot. aliis tit. Cod. de caduc. tollend.* ubi ſtatuitur, bona vacantia, quæ olim habebantur pro derelictis, hodiè applicari Fiſco, & ſublatū eſſe omnem modum caducitatis; ut etiam tradunt Scribentes in Tex. alleg.

9 Moveor ſecundò rationibus: nam bona Militis ab inteſtato decedentis, ſecundùm jura non habentur pro derelictis; Ergò ad aliquem pertinent, non ad Conſanguineos, quia noſtra difficultas ſupponit omnes deficere, qui poſſint legitimè ei in bonis ſuccedere: Ergò ad Fiſcum, qui eſt ſaccus Regius, in quem, juxà notata, rediguntur vacantia bona. Tùm quia Princeps habet ſupremum rerum dominium; dicitur enim Princeps à principio, quòd primus omnium dominetur, nempè apud quem in Repub. eſt ſumma rerum poteſtas; & de Principe dicitur, omnia jura in ſcrinio pectoris habere, ſeu omnia ejus eſſe competere, ſecundùm meum intellectum, & omnium jurium notitiam eum minimè latere, ut intelligunt communiter Juriſperiti, *in l. Omnium, Cod. de teſtam. & in cap. 1. de conſtit. in 6.* aque adeò bona Militis, & cujusvis ab inteſtato morientis, omnibus deficientibus Conſanguineis, Aſcendentibus, Deſcendentibus, & Collateralibus, ratione hujus ſupremi dominii non ad alium, quàm ad Principem ſpectare videntur.

10 Moveor tertiò exemplo, ſeu praxi, præſertim in Regno Neapolis, ubi jure ſpeciali talia bona Fiſco applicantur; & ſcimus in aliis Regionibus bona morientis inteſtati, deficientibus conſanguineis, Fiſco incorporari. Et de hoc plura extant exempla etiam in Statu Eccleſiaſtico, brevitatis gratiâ omiſſa.

11 Concludimus igitur, ad Principem ſpectare bona Militis, vel cujusvis defuncti, cujus nullus eſt hæres, eique eſſe applicanda, juxta regulas in illationibus ſubſequentibus exprimendas, exceptis tamen bonis mobilibus, quæ per Epiſcopum loci in pios uſus impendi debent; ut habetur *in Auth. Omnes Peregrini, Cod. Communia, de ſucceſſionibus,* & tradunt Molina, loc. cit. & Azor. infrà alleg. *num. 21.*

12 Infero primò ex dictis, Defuncto ab inteſtato hæredes illius ſuccedere in omnibus ejus, deducto ære alieno, & factâ competenti funeris impensâ, niſi quando teſtamentum eſt nullum quoàd hæredis, vel hæredum inſtitutionem & validum quoàd legata: nàm tunc hæredes ab inteſtato ſuccedunt in omnibus bonis defuncti, deductis legatis validis. Hæc Molina, *tom. 1. de juſt. tract. 2. diſp. 162. verſ. Quando quis.*

Infero ſecundo, Defuncto ab inteſtato ſuccedere in bonis, Deſcendentes, qui aſcendentibus, & quibuscunque aliis præferendi ſunt; quando tamen, decedentis legitimi Deſcendentes reperiuntur, & his nullum civile impedimentum obſtat. Tradit etiam inter alios Molina, *tom. 1. de juſt. tract. 2. diſp. 158. verſ. Ut ergo.* 13

Infero tertio, Morienti ab inteſtato, deſcententes non habenti, qui illi ſuccedant, ſuccedere in omnibus ſuis bonis, Aſcendentes. Et videtur communis Juriſtarum opinio. 14

Infero quartò, quæcunque bona decedentis ab inteſtato ſine liberis, æque eſſe dividenda inter patrem, & matrem, & inter alios aſcendentes paternos, & maternos, ita aperte ex juribus Authenticorum poſtea ſancitis, tradunt Bald. & alii, quos refert Molina loc. cit. *diſp. 163.* Contrarium tenet Bartolus *in Authen. Itaq. Cod. Communia, de ſucceſſionibus,* & dicitur, uſu eſſe receptum in Gallia. 15

Infero quintò, Morienti ab inteſtato, & neque Deſcendentes, neque Aſcendentes habenti, ſuccedere Conſanguineos Collaterales, qui juxta modum computandi jure civili à Molina explicatum, *tom. 1. de juſt. tract. 2. diſp. 160.* usque ad decimum gradum incluſivè, illi proximiores fuerint; niſi adſit in aliqua Regione jus aliquod legitimum in contrarium introductum; eum hujusmodi Conſanguinei ſint naturaliter pars parentum; & quibus, ſi viverent parentes, maximè vellent benefieri, *l. quod ſcitis, Cod. de bon. qualib.* & hæc æquitas valde placuit Juſtinianei juris Conditoribus, æquitatis ſtudioſiſſimis in Quæſt. inter fratres plenos, & conſanguineos, & uterinos. 16

Infero ſexto, inter Conſanguineos collaterales, illos ſuccedere morienti ab inteſtato, idque per capita, qui ei reperiuntur proximiores in gradu. Ita habetur expreſsè, *in Authen. de hæredib. ab inteſtato, §. Si vero neque, in Authen. poſt fratres 2. Cod. de legit. hæred.* & tradunt Ant. Gomez, Covar. & alii communiter. 17

Infero ſeptimò, incidenter, Monaſterium capax ſuccedendi, ut ſunt nunc omnes Religiones etiam mendicantes, exceptis Fratribus Minoribus de Obſervantia, & Cappuccinis S. Franciſci, ſuccedere in omnibus Religioſi bonis, tàm acquiſitis ante profeſſionem, nulla facta de illis antè profeſſionem diſpoſitione; quam acquiſitis poſt profeſſionem, ſivè acquiſita ſint titulo hæreditatis, ſivè donationis, ſivè quovis alio legitimo titulo. Ita habetur, *in §. Si qua mulier, Authen. de Sanctiſſi. Epiſcop. Authen Ingreſſi, Cod. de Sacroſ. Eccleſ. & in cap. Quia ingredientibus, cauſa 19. quaſt. 3.* Et eſt commune axioma. Quidquid Monachus acquirit, ſuo Monaſterio acquirit. 18

Infero octavò, bona Fiſco ſæculari debita, ob mortem Militum, aut aliorum ſine ullo hærede vacantia, præſcribi quadriennio, ſi talium bono- 19

bonorum denuntiatio facta sit Fisco, & Fiscus ea occupaverit, ut per Tex. *in l. 1. Cod. de quadriennii præscript. & in l. Intrà quatuor, ff. de diversis, & temporalib. præscript.* Et ita tradit Sayr. *in Clavi Regia, lib. 9. cap. 12. num. 31.* ubi fusè, & diserte tractat de bonis Fisco acquisitis, corporatis, & incorporatis, ad eum spectantibus, tàm ob mortem decedentis ab intestato sine hærede, quàm ratione pœnæ ob commissa delicta. Azor. *p. 3. Inst. Moral. lib. 1. cap. 23. vers. Bona itidem* ubi dicit, idem juris esse de quibuslibet aliis bonis, Fisco debitis sed nondùm possessis, & asserit, constare *ex l. in omnibus, ff. de diversis, & temporal. præscript.*

20 Infero nonò, bona Hæreticorum, qui post obitum damnantur, præscribi non posse, nisi elapso tempore, jure Canonico definito, ut advertunt Simancas, *in Catholicis Institut. tit. 9. num 134* Covarru. *in Epito ad 4. librum Decretalium, p. 2. cap. 6. §. 8. num. 16* & deberi Fisco Ecclesiæ; cùm crimen hæresis pertineat tantùm ad Forum Ecclesiasticum, ut disponunt Canonicæ sanctiones, non Fisco laicali; nisi Summus Pontifex hujusmodi bona suo speciali privilegio Regibus, & Principibus concedat. Ex quibus patet, improbandam esse Bartoli sententiam, *in l. 2. Cod. de Apostatis*, asserentis, Judices Ecclesiasticos, & Inquisitores hæreticæ pravitatis non posse quinquennio post mortem hæretici inquirere de illius crimine ad effectum confiscationis bonorum.

21 Infero decimò, bona mobilia Peregrini morientis in hospitali domo ab intestato, nullo relicto hærede, esse per Episcopum Loci in pios usus distribuenda. *Authen. Omnes peregrini, Cod. Communia, de successionibus*, & tradit Azor. *p. 3. Instit. Moral. lib. 1. cap. 13. §. Sexti generis.*

22 Infero undecimò, bona alicujus, quæ sunt post mortem pauperibus distribuenda, non posse ante ejus mortem distribui; cùm hujusmodi distributio redundet in pauperum supervenientium præjudicium. Bart. *in l. Cùm pater, §. à filia, ff. de leg. 2.* & ibi Card. Albanus, *in Lucubrat. in Bart. num. 1.* Dec. *in l. Cùm tempus, ff de reg. jur.* producit. Anch. & alios, loquentes contrà hanc Bartoli decisionem; putans eorum opinionem esse veriorem.

XXXVI. DIFFICULTAS.

Miles pro sua Hærede instituit suam meretricem, eique arma, equum, & alia bona reliquit. Dubitatur, nùm ipsa possit hæreditatem, & bona ei relicta in conscientia retinere.

1 NOtandum primò, fornicationem simplicem, quæ est inter species luxuriæ, & de suâ naturâ peccatum mortale, & doctrina contraria fuit damnata ab Innocentio XI. & est propositio 48. in ordine ab hoc Sancto Pontifice damnatarum; fornicationem, inquam, si vocabulum spectemus, à voce *fornix*, descendere, quæ loca quædam concamerata, ad modum arcus significat, in quibus meretrices se prostrare solebant; adeòque fornicari nil aliud esse quàm rem cum Meretricibus habere. *in Clavi Regia, lib. cap. 2. num. 1.*

Notandum secundò, illam non dici meretricem, si ob amorem peccat, nisi plures admiserit, ut probat Tex. *in cap. Vidua est, 34. Dist.* 2

Notandum tertio, Meretricem esse infamem, & probat Tex. *in l. pen. ff. de his, qui not. infam.* unde ut infamem repelli à testimonio, *l. palàm, §. Non est, de ritu nupt.* & tradunt Alent. Ausrerius, Crotus, & alii, quos recenset, & sequitur Menochius, *in cons 169. num. 19.* 3

Notandum quartò, Milites posse disponere de bonis castrensibus, quæ sunt militum stipendia, & universim quæcunque bello acquirunt, vel à parentibus, vel ab alio contemplatione militiæ, *l. si forte, & l. Castrense, ff. de Castrens. pecul. l. 1. Cod. eod. tit. lib. 12.* Coter. *de jur. milit. lib. 2. cap. 11.* Molin. *tom. 1. de just. tract. 2. disp. 230. §. In primis ergò Castrensia bona* Crispolt. *in Casib. militar. cas. 45. num. 10.* & nos supra demonstravimus. 4

His adnotatis; ad difficultatem propositam, an Meretrix, à Milite defuncto hæres instituta, possit in conscientia retinere hæreditatem, & alia bona ei relicta: negative videntur respondere Dec. *in cons. 564. num. 5.* Card. Alban. *tom. 2 in Lucubr. in Bart. in l si Ancillam, Cod. de dona. inter vir. & uxor. & in l. Idem fi. §. sed quòd meretrici, ff. de cond. ob turp. cau num. 1.* Ga. Malvasia, *in cons. 14. num. 63.* Afflict. *in decis. 125.* & alii, quia alienatio nec ratione pretii, nec ratione donationis valet à filiofamilias, & Milite facta, ut habetur *in l. Affectionis, ff. de donat. & l. 2. Cod. de donat. inter vir. & uxor. & l. Miles ita, §. 1. ff. de testa milit.* Præterea, Militibus interdictum est instituere hæredem turpem personam, *l. Miles, §. Mulier, ff. de milit. testam. l. mulierem, ff. de his, quibus ut indign.* Cyn. & alii *in l. 2. Cod de donat. inter vir. & uxor.* Tiraquel. *de Nobilitate, cap. 23. num. 21.* adeòque mulier, in quam turpis suspicio cadere potest, & à fortiori Meretrix, ut talis nota, ex testamento Militis aliquid capere non potest. 5

Fatemur, hanc opinionem à probabilitate, & veritate non aberrare. Contrariæ tamen, quam probabiliorem, & veriorem esse arbitramur, si constat de veritate testamenti, libenter adhæremus cum Bart. *in l. fin. Cod. de edict. Divi Adriani toll. num. 20.* Crispolt. *de Casib. militar. cas. 45. num. 12.* ubi pro se citat Menoch. Hieronym. de Laurent. Sic, etiam sentit Cesped. *in dub. militar. dub. 65.* 6

Moveor primò juribus, *in l. 4. § sed & quod meretrici, ff. de condict. ob turp. caus.* ubi sic ait Ulpianus. „ Sed & quod meretrici datur reperi non potest, ut Labeo, & Marcellus scribunt, &c. Il- „ lam enim turpiter facere, quòd sit meretrix, sed „ non turpiter accipere, cùm sit meretrix: *& in* „ *d. l. fin. Cod. de edict. Div. Adr. toll.* ubi habe- „ tur, possessionem hæreditatis non esse personæ institutæ denegandam, si constet de Testamento non abolito, nec cancellato, neque ex quacumque suæ formæ parte vitiato. 7

Moveor

8 Moveor secundò ratione in jure fundatâ: Nam Miles de peculio Castrensi gaudet privilegio testandi independenter ab aliorum voluntate, *l. Ex militari, §. si filius, & l. si certarum, & si pater, & l. Miles, cum l. seq. ff de mil. testam* & ideò Persona, in cujus favorem testatur, potest adire hæreditatem, eamque tutâ conscientiâ retinere. Tum quia hæreditas à Milite relicta meretrici est velut pretium pro actu meretricii. Meretrix verò, seu publica mulier, quod ei datur, tanquam pretium actus, recipere, & retinere potest, ut tradunt D. Thom. 2 2. *quæst. 32. art. 7.* in corp. & plures post ipsum, & à nobis alibi probatum est.

9 Moveor tertiò exemplo, in Juda, *Gen. 38.* qui, quamvis non instituerit hæredem meretricem, fecit nihilominùs pactum cum Thamar, quam existimabat meretricem; & postea misit ad eam hædum, tanquàm pretium actus illius, prout antea promiserat; peccavit enim Thamar, & ipse etiam Judas, & tamen nec in Sacra Scriptura, nec à Sanctis Patribus reprehenditur, quod pacto se obstrinxerit hædo recognoscendi meretricem in turpis illius concubitus mercedem, quod est signum, & Judam potuisse dare, & meretricem potuisse recipere, & retinere.

10 Concludimus igitur, validam esse Militis institutionem, & meretricem hæredem posse in conscientia hæreditatem retinere, dummodò castè, & honestè vixerit, quæ conditio, si non exprimitur in testamento, præsumitur ex voluntate Testatoris; cùm sit credendum meretrici hæreditatem, seu sua bona ipsum relinquere, ut desistat à malo, & incipiat vivere benè, scilicet Christianè,

11 Ad rationes in contrarium respondemus: Ad primam, quod jura allegata solùm prohibent Militibus dare meretrici largas donationes, dùm vivunt, ut se abstineant à libidine, ne vires necessariæ ad bellandum in eis enerventur: Quod est extra casum nostrum: Deindè negando, filiumfamilias, & Milites non posse disponere de peculio Castrensi, ut patet ex juribus allegatis in quarto Not.

12 Ad secundam respondent Doctores, qui nobis favent; & inter eos Crispolt, loc. cit. *n. 26.* Cespedes, loc. cit. §. *Respondeo legem*, jura allegata respicere tempus præsens, non tempus præteritum, seu excludere à possessione hæreditatis relictæ personam, quæ est turpis, sive infamis tempore, quo instituitur hæres; non verò quæ fuit talis alio tempore ante testamenti factionem; cùm persona, quæ tempore elapso fuit turpis, possit turpitudinis notam expungere, pœnitentiam agendo: Infamiam enim facti tolli per factum contrarium, nempe per emendationem ipsius delinquentis; & infamiam juris tolli abolitione criminis, nempe declaratione Judicis, tradit cum communi Doctorum sensu, Molses, *in summ. p. 1. tract. 6. cap. 8. num. 32.* Propterea Christus Dominus graviter repræhendit Pharisæum, qui infamare Magdalenam tentabat. S. Luc. *cap. 7. num. 39.* cùm jam esset lacrymis pœnitentiæ ejus infamia omnimodè expurgata, S. Luc, ibid Prætterquam quòd, ut fœmina dicatur meretrix, & successivè turpis, & infamis, requiritur, ut ejus turpitudo publicè venalis sit, ut per Tex. clarissimum, *in cap. Meretrices causa 32. quæst. 4.* Turpitudo verò meretricis, de qua loquimur, non fuit publicè, sed privatè venalis, ut consideranti patet; seu ut clariùs me explicem: Ut fœmina dicatur meretrix, & consequenter turpis, non sufficit, quòd sit ab uno cognita; sed requiritur, ut plures eam cognoscant: Dicit enim Tex. *in d. cap. Vidua est*: Meretrix est, quæ multorum libidini patet;„ Imò Glos. ibi asserit (quod ego non dicerem) illam dici meretricem, quæ admisit plures, quàm viginti tria millia hominum: Atque adeò dum meretrix instituta à nostro Milite benefactore fuit dumtaxat cognita, non censetur in rigore meretrix, & sic nec persona turpis: Ergò jura in contrarium allegata minimè illi præjudicant.

13 Infero primò ex dictis, acceptum à Militibus tanquàm pretium libidinis, aut ex donatione, juxta metas juris naturæ, licitè à meretrice retineri, quoad usque per Judicem ad restituendum cogatur. Sayr. *in sua Clavi Regia, lib. 10. tract. 5. cap 3. n. 37.*

14 Infero secundò, communiter excusati mulieres largas donationes à militibus accipiendo ob juris civilis ignorantiam: *Arg. cap Turbatur navicula Petri*, & ibi Glos. §. *Notandum, causa 1. quæst. 4.* secùs verò hujusmodi ignorantiâ minimè existente.

15 Infero tertiò, posse quidem Milites, nec non & alios Fornicarios instituere hæredem meretricem, non tamen teneri postea adimplere promissum, si ei excessivam quantitatem in pretium pro usu sui corporis promiserunt, & quæ esset verè prodigalitas. Covar. *in regul. Peccatum. p. 2. §. 2. num. 2.* in fin. Sot. *lib. 4. de just. quæst. 7. art. 1. ad 2.* & plures alii, quos recenset, & sequitur Sayr, loc. cit. *n. 38.*

16 Infero quartò, publicæ meretrici non solùm licitam esse retentionem pecuniæ, aut rei, quam ob usum corporis sui, gratuitâ donatione, aut in pretium justum accepit, sed etiam post peractam fornicationem concedi actionem in foro exteriori ad petendum pretium moderatum, ante fornicationem promissum, aut consuetum, si nullum antea fuerit ei pretium constitutum; cùm meretrix præsumatur non gratis, sed pro consueto pretio suum corpus Fornicario exhibuisse.

17 Infero sextò, meretricem cogi posse ad solvendam gabellam pro ejus lucro. Card. Alban. *in Lucubrat. in Bart. in l. Idem si, §. sed quod meretricis, ff. de cond. ob turp. cau. n 6.*

18 Infero septimò, Filiumfamilias Doctorem posse, non præcedente Patris licentiâ, de suo quasi castrensi peculio testari; quia prætactum privilegium Militum ab Imperatore extenditur ad inermem, seu Togatam militiam, *in l. fin. Cod. de inoff. testam.* & tradit. Clar. *in §. Testamentum, quæst. 18.* Crispolt. *in Casib militar. cas. 45. num. 16.* ubi dicit, idem procedere de filiofamilias Clerico, & probat *l. 32. & Auth. Presbyteros, Cod. de inoff. testam.*

19 Infero octavò, in sententia aliquorum, Religiosum, qui habet licentiam à suo Superiore generalem expendendi pecuniam, vel facere aliquam donationem, si hanc expendat in usus illicitos, non peccare contra votum paupertatis; eùm meretrix, puta si cum ea rem habet, possit justè ab eo exigere pretium pro usu sui corporis præstito. Ita Card. de Lugo, *de just. & jur. tom. 1. disp. 3 sect. 7. num. 142.* Salas, *tract. de ludo, dub. 21. num. 4.* Diana, *tom. 7. tract 3. Res. 58. num. 2.* Contrarium, quod nobis magis placet, tenent plures, quos refert Diana, loc. cit.

20 Infero nonò, meretricem, quæ pro usu corporis accipit moderatum pretium ab Equitibus Commendatariis S. Joannis Hierosolymitani, SS. Mauritii, & Lazari, S. Stephani, Alcantaræ, Calatravæ, & similibus, peccare quidem mortaliter, rem turpem committendo cum illis, non tamen teneri illud restituere eis, aut Monasterio eorum, dummodò hi habeant licentiam de aliquibus bonis disponendi. Diana, loc. cit. *Res. 55.* Contrarium docent alii, tenentes oppositam sententiam, asserentes, Religiosis, habentibus facultatem de aliquibus bonis disponendi, nefas esse illa in usus illicitos insumere.

21 Infero decimò, posse Confessarios absolvere meretrices sufficienter dispositas dictorum Equitum, & ipsos quoque Equites verè pœnitentes, absque onere restitutionis, si nolint restituere. Ita etiam docet Michael Zunardus, *in Direct. Confess. part. 2. prac. 4. cap. 31. quæst. 8.* quia opinio nostra est probabilis, & à nobis docetur, ut fragiles ad pœnitentiam reducantur, difficilè eam amplexaturi, si cogerentur sententiam, quæ restitutionem præscribit, amplecti, & sequi. Meliori tamen aliorum judicio in hac materiâ tam gravi sensum nostrum submittimus.

22 Infero undecimò obiter, carnem esse mortificandam, & luxuriæ aditum præcludendum remediis infra explicandis; scimus enim luxuriâ Sapientes infatuati. Testis est Salomon, relatus *in cap. Salomon, causa 32. quæst. 4.* Sanctos prosterni, ut est exemplum de David, quod refertur *in cap. Septies, §. David quoque, de pœnit. Dist. 3.* Fortes vinci, testatur Samson, relatus *in cap. Si non causa 23 quæst. 5.* Animas ad inferos præcipitari, quod negaverunt Valdenses, damnati in Concilio Lateran. III. sub Alex. III. impiè dicentes: *Urente carnis libidine, omnem carnalem commixtionem licitam esse:* Qui error non differt ab errore Beguardorum, & Beguinarum, temere, & inverecundè dicentium: *Actum carnalem in Anima perfectè contemplativa non esse peccatum;* qui error fuit, inter septem alios, damnatus in Concilio Viennensi, sub Clemente Papa V. ut habetur *in cap. Ad nostrum, de hæret. in 6.*

23 Infero duodecimò etiam incidenter, luxuriam esse statim à mente ejiciendam, nam hujusmodi vitium, dum in cogitatione non reprimitur, etiam in actione dominatur, & probat Tex. *in cap. Hinc etenim, Dist. 46.* & delectationi luxuriæ solent diversæ voluptates turpitudinis jungi, *cap. Non solum, causa 32. quæst. 7.*

Infero decimo tertiò, inter cætera luxuriæ remedia à nobis *tom. 1. lib. 4 Diff. 16. num. 21.* sufficienter explicata, optimum esse, turpibus existentibus in mente cogitationibus, divertere cogitationem ad alia objecta, puta ad contemplandum judicium DEI, pulchritudinem virtutis, præsertim castitatis, horrorem mortis periculum in peccato moriendi, pœnas inferni, Gloriam Paradisi, & similia. Si adhuc urgeret tentatio, ad vulnera Domini nostri JESU Christi toto corde, toto spiritu, omnimodâ fiduciâ statim recurrere: Nam S. Augustinus, *tom. 9. lib. unic. cap. 21. Manual. pag. mihi 388.* sic loquitur: Cum me pulsat aliqua turpis cogitatio, recurro ad vulnera Christi; cùm me reprimit caro, mea, recordatione vulnerum Domini mei resurgo, &c. Si ardor libidinis moveat membra, mea recordatione vulnerum Domini nostri Filii DEI extinguitur. 24

XXXVII. DIFFICULTAS.

Miles ex delicto militari capite damnatus, testatur de bonis dumtaxat Castrensibus. Dubitatur num Hæres adire possit hæreditatem, eaque bona in foro poli retinere.

NOtandum primò, non omnia delicta Militum esse militaria, sed ea dumtaxat, quæ militiam lædunt, ut alibi à nobis explicatum est. 1

Notandum secundò, Militem in dubio præsumi velle testari jure militari, non verò jure communi, cùm Miles ignoret commune jus civile, *l. 1. Cod. de jur. ignor. Inst. tit de milit. test.* in princ. Quod autem ignoramus, non præsumitur id nos velle, quia voluntas supponit notitiam, & intelligentiam, *l. Macer decedens 19. vers. nec enim, l. eum. qui 12.* in princ. *l. nihil 12. § si cum filius, ff de inoffic. testam.* & tradit Vasquius, *tract. de success. creat. §. 24. num. 45.* Heuric. Bocerus, *tract. de bello, lib. 1. cap. 20. num. 4.* Quidquid dicant Wesembecius, Grassus, & alii. 2

Notandum tertiò, Testamentum in pluribus casibus, universaliter loquendo, valere cum minori numero septem Testium, ut Testamentum inter liberos, & Testamentum ad pias causas, in quo sufficiunt duo Testes, *cap. Relatum, de testam.* ut Testamentum Rustici, in quo sufficiunt quinque Testes, *l fin. Cod. de test.* Et idem procedit tempore magnæ pestis, quando plures testes non possunt haberi ob mali suspicionem. Et hæc omnia tradunt Covar, Jul. Clar. Tusch. Bald. Bellamer. Afflict. & alii, quos recenset, & sequitur Molfes. *in summ. p. 2. tract. 13. cap. 2. num. 135. & seq.* ubi ponit alios casus, in quibus valet Testamentum minus solemne. 3

Notandum quartò, Militem posse utroque jure testari, communi scilicet, & privilegiato, seu militari, *l. 3. ff. de milit. test.* Et docet Menoch *de præsumptionib. lib. 4. præsumpt. 4. n. 2.* Et alibi à nobis demonstratum est. 4

5. No-

5 Notandum quintò, à Jure civili solemnitatem introduci in testamentis ad removendam suspicionem falsitatis, *l. Hac consultissima*, in fin. *Cod. qui testam. fac. poss.* Et in foro conscientiæ solam veritatem attendi, *cap. Tua nos, de sponsal.*

6 His adnotatis; ad difficultatem propositam, an Hæres institutus à Milite, ex delicto militari capite damnato possit adire hæreditatem, & bona ab eo relicta in foro conscientiæ retinere; negativè videtur respondendum; quia capite damnato, vel deportato Testamentum faciendi facultas non conceditur, ut per Tex. *in l. ejus, qui* 8. *§. 1. & seqq. ff. Qui testam. fac. poss.* & ibi Bart. & copiosè Paris, *in cons. 56. num. 11. lib. 3.* Præterea, sicut damnati, & reportati sunt incapaces hæreditatum, & legatorum, *l. 1. Cod. de hæred. instit.* Ita neque possunt in aliorum favorem testari, aliisque sua bona relinquere; cùm damnatus capite, imò deportatus habeatur pro mortuo, ut per Tex *in l. 1 § pen. ff. de bon. poss.* Ideoque si miles deportatus, aut capite damnatus non potest instituere hæredem; supposita testamenti factione, non potest hæres adire hæreditatem, bonaque relicta in foro poli retinere.

7 Fatemur, hanc opinionem, si jus commune spectemus, esse veram; at quia nos sumus in materia militum, qui jure privilegiato gaudent, ideò contrariam amplectimur, constanter asserendo, militem deportatum, vel aliter capite damnatum jus testamenti faciendi habere, dummodò ex militari delicto damnatus fuerit, & Sacramenti Fides rupta non sit; & sic successivè hæredem, ab eo institutum, posse hæredem adire, eamq; in foro conscientiæ retinere. Gloss *in l. ex militari* 11. *ff. de testam. milit.* Diana, *tom 6. tract. 8. res. 78. n. 2.* ubi dicit hanc esse plurium sententiam.

8 Moveor primò juribus, *in d. l. Ex militari* 11. in princ. *ff. de testam. milit.* ubi clarissimè dicitur, quod Miles deportatus, aut capite damnatus ex militari delicto, potest testari super bonis Castrensibus, & quidem jure militari: Et *in d. cap. Tua nos, de sponsal.* ubi habetur, quod in foro conscientiæ sola veritas attenditur; Undè si tale Testamentum est verum, cessat ratio juris civilis communis ponentis impedimentum; & servanda est ratio juris naturalis, & privilegiati.

9 Moveor secundo rationibus; nam in foro conscientiæ satis est servari solemnitatem juris naturalis, & civilis: Et successivè, dum Testamentum hanc habet solemnitatem, quam supponimus Testamentum nostri militis habere, quamvis testatus fuerit jure militari, validum in utroque foro censetur. Tum quia in materia contractuum, & ultimarum voluntatum duæ obligationes ex omni actu humano resultant; naturalis scilicet, & civilis, ut communiter docent Civilistæ, & Theologi. Naturalis oritur ex ipsamet contrectatione, promissione, vel dispositione, ut singuli naturaliter teneantur servare promissa rationabiliter facta: Civilis verò, quæ procedit ex ipso jure civili, approbante talem contractum, vel dispositionem; ideoque dum jus civile non improbat dispositionem, sed ei assistit, dispositio suam retinet naturalem obligationem; & consequenter in tali dispositione relictum potest legitimè possideri, & tutâ conscientiâ retineri ab eo, qui ad hæreditatem vocatur.

10 Moveor tertiò exemplo, seu potiùs praxi quotidiana tempore belli in exercitibus: Scimus enim, milites passim delicta militaria committere, & deportatos, vel capite damnatos Testamentum condere, & hæredes vocatos hæreditatem adire, eaque quietâ, & tutâ conscientiâ frui: Id mihi attestantibus pluribus fide dignis viris, quos circa hanc materiam, ut scirem, quomodò poteram me tutè gerere, maturè consului.

11 Concludimus igitur, relictum ex testamento condito, sive jure communi, sivi jure militari à milite, aut deportato, aut capite damnato, posse in foro conscientiæ retineri, dummodò adsint tres conditiones: Prima, si sit damnatus ex delicto militari; Secunda, si Sacramenti Fides non sit rupta: Tertia, si de peculio Castrensi sit testatus.

12 Ad rationes in contrarium respondemus: Ad primam, quod jura allegata non loquuntur de militibus; quibus favet bonus Tex. in primo motu allegatus.

13 Ad secundum, militat eadem responsio: Præterquam quòd, quamvis milites deportati, vel capite damnati non essent capaces hæreditatum, & legatorum; non per hoc sequitur, non posse validè testari, cùm lex citata *Ex militari* eis tribuat jus, seu facultatem testandi.

14 Infero primò ex dictis, Militem capite damnatum, testando de peculio Castrensi, posse testari, tàm jure communi, quàm jure militari; quia lex allegata non determinat: Undè potest interpretari, & intelligi in utroque jure, præsertim quia sumus in favorabilibus.

15 Infero secundò, Militem, capite damnatum ex militari delicto, jure militari non posse facere testamentum de aliis bonis, quæ non sunt Castrensia, nisi in sententia ab eo, qui condemnavit, facultatem testandi obtinuisset, *l. si quis filio 6. § sed & si quis, ff. de injust. rupto, & irrit. fact. testam.* juncta *l. si quis 22. § 1 ff. de leg. 3.*

16 Infero tertiò, si filiusfamilias ignorans patrem suum decessisse, de bonis Castrensibus in militia testatus est, non pertinere ad hæredem sui Patris bona, sed solùm Castrensia.

17 Infero quartò, valere testamentum militis, qui incertus, an sui juris sit, testamentum facit.

18 Infero quintò, validum esse testamentum factum à milite, qui nesciebat, seu erat incertus, an ejus pater viveret.

19 Infero sextò, militem captum ab hostibus, si reversus fuerit, posse testamentum jure militari facere, cùm gaudeat beneficio postliminii. Ita docent Enenckelius, *de privileg. milit. lib. 2. privileg. 16. num. 2.* Bocerus, loc. cit. Hunnius, *in Encyclopedia juris, part. 4. tit. 5. cap. 2. num. 2.*

20 Infero septimò, Militem sequentem bellum injustum, propter rapinam, & pecuniam, sive damnatus sit capite, sive non, non posse testari. Ita tenet, & probat Reusnerus, *part. 4. cap. 5. n. 15.* Diana, loc. cit. *Res. 76. n. 2.*

21 Infero octavò, posse militem, sive damnatum ex militari delicto, sive non, pro parte testatum, & pro parte intestatum decedere, & habetur *ex l. jus nostrum*, ibi, *in paganis*, *ff. de reg. jur.* § *non autem*, ibi, *nisi sit miles*, *Instit. de hæred. inst. l. si miles 6. l. Idem est 13, l. neque enim, ff. de milit. testam* nam militi ratione publicæ utilitatis plura jura, & statuta favent, ut advertit Tiraq. *de privileg. pia causa, privileg. 13.* in fine.

22 Infero nonò, Testamentum in Castris jure militari factum suam validitatem retinere, sive miles testator in bellica expeditione decedat, sive etiam post missionem, dummodò non fuerit lapsus à missione, nisi unus annus, *l. si certarum 17. §. ult l. quod constitutum, 21 testamenta 26. & l. quod dicitur 38. ff. de test. mil*

23 Infero decimò, ex testamento nullo ex defectu voluntatis testantis, quovis modo eveniat, aut quia facto contra dispositionem juris ab eo, qui non potest testari, non posse hæredem tutâ conscientiâ hæreditatem retinere, imò esse furem, si bona relicta retineret, Jul. Clar Cardinal Mantic. Vasq & alii, quos recenset, & sequitur Molfes. *in summ. p. 2. tract. 13. cap. 2. num. 139.* Secùs verò secundùm plures, si esset nullum ex defectu solemnitatis juris civilis, si habeat requisita juris naturalis. Circa hoc videatur Molfes. loc. proximè cit.

24 Infero undecimò, substitutum militis admitti, si miles instituit in primo gradu eum, quem poterat instituere ex suo privilegio, juxta *l. neque, §. 1. ff. de mil. testam.* deindè secundo loco instituit eum, quem de jure communi hæredem facere poterat, & moriatur miles ipse testator post annum à missione, quo tempore cessant militum Privilegia.

25 Infero duodecimò, hæredem universalem teneri exonerare conscientiam defuncti, si quæ bona inter relicta malâ fide acquisierit, ut frequenter in militibus accidere solet. Ita communiter Doctores, inter quos doctissimus Molfesius, loc. cit. *num.* 212.

XXXVIII. DIFFICULTAS.

Moritur in bello Regularis Apostata, qui militando multa bona acquisivit: Dubitatur, num hujusmodi Bona ad eius Monasterium, quoad ius, & dominium pertineant.

1 NOtandum primò, Apostasiam, quod est vocabulum æquivocum, dicere retrocessionem, seu desertionem instituti semel suscepti cum animo, vel obligatione permanendi in illo; nam apostatare idem est, quod deficere, seu retrocedere, juxta Text. *in cap Non observetis, causa 26. quæst. 7.* & tradunt Graff. *p. 2 decis. lib. 3. cap. 25. num. 2.* Suarez, *disp. 16. de infidel. sect. 5.* & alii communiter.

2 Notandum secundò, Apostasiam in genere sumptam, esse temerarium recessum à statu Fidei, vel obedientiæ, vel Religionis. Ita Graff. Suarez, loc. cit.

Notandum tertiò, Apostasiam à Religione dividi in apostasiam ab ordine, & à Professione religiosa, de quibus Principaliter tractatur in tit. Decretalium, *de apostatis, & reiterantibus baptisma*; & hanc apostasiam committi, quando habitu Religioso postposito, reditur ad sæculum, ut traditur *in cap. fi. de vit. & honest. Cler. & cap In audientia, & cap. Perpendimus, de sent. excomm. causa 20. quæst. 3. cap. 2. & 3. & de Apost. cap Quidam, cap. pen.* 3

Notandum quartò, non omnem retrocessionem dici Apostasiam, sed illam dumtaxat, quâ retroceditur à Religione ad sæculum, vel à Fide Catholica ad aliam sectam, *l. 1. Cod de Juda. cap. Non potest, causa 2. quæst 7. & cap Beatus, causa 3. quæst. 4.* 4

Notandum quintò, apostasiam Ordinis, seu Religionis pluribus modis contrahi; nempe deserendo Religionem, quam quis professus est, *cap. fin. dist. 50.* Assumendo habitum sæcularem, abdicatâ tonsurâ, & coronâ, *causa 20 quæst. 1. cap. Si in qualibet.* Negotia sæcularia amplectendo. *Cap Literris, de vit. & honest. Cler* Uxorem in statu Ordinis Sacri ducendo, *cap Ex parte, extrà de Cleric. coniug.* 5

Notandum sextò, dari differentiam inter fugitivum, ejectum, & apostatam; nam primus dicitur, qui per se exivit, & stetit extra Monasterium, ut se Superiori celaret; quamvis postea pœnitentiâ ductus ad Superiorem redeat, *ff. de ædil. edi. l. quis sit fugitivus* & notat Butr. *in cap. Ne Religiosi, num. 5 de regul.* Secundus is dicitur, qui ab alio ejicitur; & dicitur dupliciter, justè, & injustè, ut per Pan. *in cap fin. de regul.* Tertius denique is, qui, ut diximus, recedit à Monasterio cum animo redeundi. 6

Notandum septimò, quemcunque Religiosum professum à Religione apostatantem dimisso habitu peccare mortaliter, & statim esse excommunicatum, *cap. 2. ne Cler. vel Monach. lib 6.* à qua tamen excommunicatione potest quilibet Confessarius approbatus absolvere, vel proprius Prælatus; cùm nemini sit reservata, juxta ea, quæ habentur *in cap Nuper, de sent. excomm.* & not. per Duard. *in Bulla Cœnæ lib. 1. in Can. 1. quæst. 17. num. 39.* 7

Notandum octavò, bona posse dupliciter acquiri ab Apostata, licitè, ut sunt ea, quæ acquirit petendo eleemosynam, vel acceptando liberalem donationem, vel quæ ex labore acquirit. Illicitè, ut sunt, quæ acquirit per injustitiam contrà justitiam commutativam, ut per furtum, usuram, vel quamcunque negotiationem iniquam; aut illicito modò, sed justè, & sine alterius injuria, ut facit meretrix. 8

Notandum nonò, difficultatem non procedere circa bona ab Apostata per injustitiam acquisita; cùm sit certissimum apud omnes esse Dominis restituenda, quando certi sunt Domini, ad quos jus hujusmodi bonorum spectat. 9

His adnotatis; ad difficultatem propositam, an Bona Regularis Apostatæ, qui in Bello, sive extrà claustra mortuus est, ad Monasterium, 10
quoad

quoad jus, & dominium, pertineant, affirmativè videtur respondendum, loquendo de bonis, tam licitò, quàm illicitò modo acquisitis; quia Religiosus nihil sibi acquirit, & per se loquendo, & ex vi sui status acquirit proprio Monasterio, etiam dùm est in fuga, & extrà claustra sicut Domino servus, *ff. de acquir poss. l. 1. §. Per servum*, & habetur ex aliis juribus, relatis à Buttio, loc. cit. atque adeò bona Regularis Apostatæ in bello morientis, sive extrà claustra, turpi, & illicitò, aut justo modo acquisita ad Monasterium spectare videntur, & ita docet Abb. *in cap. Quod à te, de Cler. conjug.* & allegat pro se *Capit. Abbates, causa 18. quæst. 2.*

11 Fateor, hanc opinionem, stando in jure communi, apparere veram: Contrariam tamen, attentis juribus particularibus, & novis infra allegandis, cogor amplecti: Et sic assero, bona nempe acquisita sine injustitia Regularis Apostatæ in bello morientis non ad Monasterium pertinere, sed ad Cameram Apostolicam: Navar. *in comment. de spoliis*, §. 7. *num. 3. 4. 5.* Laurent de Portel. v. *Apostata*, Naldus, *in summ.* in verb *Religiosus*, *num. 35.* Cesped. *in dub. militar. dub. 50.* Duard. *in Bullam Cœn. lib. 2. in Can. 1. quæst. 17. vers. Revertantur* Card. de Luca: *tom 14.* in annot. ad Sac. Concil. Trid. *disc. 34. num. 26.* & alii.

12 Moveor primò juribus, in Const. 19. Pii IV. *Decens*, §. 2. Const. 43. Gregorii XIII. *Officii nostri*, §. 2. *3. & seq.* Const. Sixti V. 100. *In conferendis*, §. 17. in quibus declaratur, Clericorum tam Sæcularium, quam Regulàrium bona ex illicita negotiatione, vel aliàs contra Sacros Canones acquisita sinè injustitia, ad Cameram Apostolicam, post eorum obitum, pertinere.

13 Moveor secundò rationibus, nam quidquid lucratur Apostata, non lucratur, ut membrum Monasterii; & ideò ad Monasterium bona in apostasia acquisita non pertinent. Tùm quia, in Summo Pontifice adesse potestatem disponendi, & applicandi cuicumque voluerit ex rationabili causa bona ab Ecclesiasticis acquisita, certum est; atque adeò cùm per dictas Constitutiones justè fuerit ablatum jus Monasteriis ad bona Apostatæ, & translatum in Cameram Apostolicam ad hanc pertinent, non ad illud.

14 Moveor tertiò exemplo, relato à Navarr. loc. cit. & à Suarez, *tom. 4. de Relig. lib. 3. de Religiosf. mutand. statum, cap. 2. dub. 4. num. 23.* in quodam Religoso Apostata, qui in Indiis viginti millia ducatorum negotiando acquisierat; quam pecuniam, quæ secundùm antiquos Canones ad Religionem pertinebat, fuit decisum à Theologis consultis, juxta nova jura, ad Cameram Apostolicam pertinere.

15 Concludimus igitur, Bona, sivè licitò, sivè illicitò modo acquisita à Regulari Apostata in bello, seu extra claustra, sivè intra claustra morientе, ad Cameram Apostolicam quoad jus, & dominium pertinere.

16 Ad rationes in contrarium respondemus: ad primam, negando Regularem Apostatam bona sibi, & successivè Monasterio lucrari, cùm non lucretur, ut membrum Monasterii.

Ad secundam, seu ad jura, constat illis vim 17
esse ablatam à novi juris dispositione.

Infero primò ex dictis, non solùm Religio- 18
sorum Apostatarum sed etiam aliorum quorumcumque indebitè extra claustra degentium bona pertinere ad Cameram Apostolicam. Ita etiam Nald. loc. cit. & habetur expressè in d. Const. Sixti V. *in conferendis*, §. 17.

Infero secundò, etiam stipendia à Regulari 19
Apostata in bello acquisita ad Cameram Apostolicam pertinere, quia sunt illicito modo acquisita; cum Ecclesiasticus juxta sæpè dicta bellare non possit.

Infero tertiò, posse Cameram Apostoli- 20
cam post mortem Regularis Apostatæ, recuperare illa bona, quæ per injustitiam lucratus est, quando illorum Domini sunt penitus incerti, & occulti. Ita etiam docet Suarez, loc. cit. *num. 20.*

Infero quarto, quando bona injustè acqui- 21
sita sunt pauperibus, seu in pias causas distribuenda, cum ignotus sit verus Dominus, non posse arbitrio Apostatæ, illa acquirentis, fieri hujusmodi distributionem; cum ad talia bona jus aliquod habeat Camera Apostolica.

Infero quinto, illicitum esse, Regularis 22
Apostatæ bona, licitò, aut illicitò modo acquisita, aliis donare, aut in usibus superfluis consumere, sed licere tantum iis uti, prout necessitas postulaverit.

Infero sextò, pertinere ad Cameram Apo- 23
stolicam bona Regularis, qui de licentia Superiorum Religionis dimitteret habitum, ut in aliam Religionem ingrederetur, si hac secunda Religione ante professionem abdicata, adiret bellum, in quo moriens bona acquisita relinqueret, quamvis semper retinuisset animum ad primam Religionem redeundi. Sic docent etiam Navar. *de spol. Cleri.* & Cespedes, loc. cit. Quidquid dicat Laym. hoc solùm Cameræ Apostolicæ concedens, quando fugitivus est de Ordine Mendicantium qui bonorum communium incapax est.

Infero septimò, ad Cameram Apostolicam 24
pertinere bona Regularis ejecti, & militiæ adscripti, tempore ejectionis ab eo acquisita, pertinere, inquam, post ejus mortem, si extra Religionem obierit: Et hoc quidem per motum proprium Gregorii XIII. incipientem: *Officii nostri*, Card. de Lugo, *de just. tom. 1. disp. 5. sect. 11. num. 240.* Lezana, *in summa, qq. Regul. tom. 1. cap. 23. num. 16* & alii, quos recenset, & sequitur Diana, *tom. 7 tract. 1. de dub. Regul. resp. 194.* in fin. Quidquid dicat Naldus, *in summa*, in verb. *Religiosus*.

Infero octavò, bona, quæ Monachus fu- 25
gitivus, & ad aliquam Ecclesiam Prochialem promotus, acquirit contemplatione suæ personæ, post ejus obitum, ad Cameram Apostolicam pertinere: bona verò ab eo acquisita contemplatione Ecclesiæ, ad quam injustè fuit promotus, asserit Ant. Butr. *in cap. Ne Religiosi, num. 7. de regul.* pertinere ad eam Ecclesiam

Infero nonò, ad Cameram Apostolicam 26
pertinere omnia Clericorum spolia, quorum appellatione, ut explicat Molina, *tom. 1 de just.*

just. tract. 2. *disp.* 147. veniunt ea, quæ per illicitam negotiationem aut per quemcunque alium modum illicitum à Clericis acquiruntur; & ea, quæ per mortem Beneficiariorum remanent de redditibus eorum, postque eorumdem competentem sustentationem. Et ita sancitum apparet in Extravagantibus Pauli Tertii, Julii Tertii, Pauli Quarti, Pii Quinti, ut etiam notat Molina, loc. cit.

27 Infero decimò, Monachum vagabundum, qui non dimittit habitum, non dici propriè Apostatam; quia ad propriam Apostasiam Religionis requiritur habitus Religionis dimissio, & reversio ad Seculum, ut per Text. *in cap.* 1. *dist.* 50. & ibi Doctores communiter.

28 Infero undecimò, Religiosum per dimissionem habitus, assumendo habitum Laicorum, vel Clericorum sæcularium, exhibendo se oculis hominum absque justa causa, non solùm esse ipso facto excommunicatum: *Cap.* 2. *ne Cleric. vel Monach. lib.* 6. sed etiam effici inelegibilem: *cap. Legimus, causa* 16. *quæst.* 1.

29 Infero undecimò, Apostatam, qui reliquit Monasterium, & ad vitam sæcularem, & militarem migravit, esse militiâ, & omni honore priùs spoliatum, ab Episcopo loci in Monasterium mittendum, *Authen. de Episc.* §. *Si Monachus.*

30 Infero decimo tertiò incidenter, Moniales Turris Speculorum Romæ, si recedant à Monasterio, non esse Apostatas, quia non sunt Religiosæ, quamvis gaudeant privilegio fori, & Canonis, & exemptione gabellarum. Diana, *tom* 7. *tract.* 1. *de dub. Regul. res.* 350. & non posse validè, more Monialium Clausuræ adstrictarum, sacramentaliter sua peccata confiteri, sive intra, sive extra Monasterium, nisi Confessario specialiter eis deputato per Eminentiss. Cardinalem Vicarium, aut ejus Vicesgerentem, ut constat ex litteris, quæ Urbis Confessariis noviter conceduntur; quæ prohibitio etiam cæteras Urbis Oblatas comprehendit.

31 Infero decimo quartò, Apostatas, Fugitivos esse omni studio requirendos per Prælatum, ut à statu apostasiæ, & successivè æternæ damnationis eripiantur: Suarez, loc. cit. *cap.* 2. *n* 19. Duard. *in Bullam Cœna lib.* 2. *in Can.* 1. *quæst.* 17. *in addit.* Non enim possunt salvari Apostatæ in apostasia incorrecta decedentes, quod temerè negavit Joannes Wicleffus impiè dicens: *Ingredientes Religionem, aut aliquem Ordinem eo ipso inhabiles esse ad observanda Divina Præcepta, & per consequens ad perveniendum ad Regnum Cœlorum, nisi apostataverint ab eisdem, qui error* 34. in ordine fuit damnatus in Concilio Constantiensi, *Sess.* 8.

32 Infero decimo quintò, Apostatam à Religione non posse à Summo Pœnitentiario absolvi, nisi ad Claustrum redeat, vel ad alium Ordinem arctiorem; vel æque arctum transeat. Pius IV. *Const.* 54. *In sublimi*; neque posse ad Parochias, vel ad alia Beneficia admitti, & admissum esse rejiciendum. Concil. Ravennat. II. *cap.* 21. sub Clement. V. & indigere Summi Pontificis dispensatione, si Ordinem Sacrum accipit. *cap. fin. de Apostatis, &c.*

XXXIX. DIFFICULTAS.

Moritur in bello Miles ab intestato, multa bona relinquens malè acquisita in variis Regionibus, ubi militaverunt, & Domini illorum bonorum ignorantur. Dubitatur, num hujusmodi bona sint jure naturali, an solo jure positivo humano Pauperibus distribuenda.

Notandum primò, Bona, si ethymologiam spectemus, dici à beando, *l. subsignatum*, §. *Bona*, *ff. de verb. signific.* quæ quidem beatio magis habetur ex rerum fructibus, quàm ex nuda proprietate, ut advertit Soc. quem tecenser, & sequitur Menochius, *in cons.* 1143. *num.* 21. 1

Notandum secundò, aliqua bona dici vacantia; & talia esse quando nullum habent successorem, vel nullus speratur. Ang. *cons.* 193. *col. penult.* Bar. *in l. fin. ff. de fideiuss.* & vocari etiam bona caduca, seu hæreditatem caducam, quia ceciderunt bona à linea, cui de jure debebantur, *ut in l.* 1. *Cod. de bon. vocant. lib.* 10. 2

Notandum tertiò, Bona incerta nuncupari ea, quorum Dominus ignoratur, nec non & ea, quorum quantitas & summa, quæ est restitutioni obnoxia, est incerta; & etiam ea, quæ perdita sunt inventa ab alio, & tamen Dominus ignoratur. Ita Azor. *p.* 3. *Instit. Moral. lib.* 4. *cap.* 26. 3

Notandum quartò, illa bona dici derelicta, quæ Dominus abjicit, & deserit sine animo vel voluntate ea repetendi; & ideò in jure civili communi adest in Digestis titulus: *Pro derelicto.* 4

Notandum quintò, tribus modis dici bona injustè acquisita. Primo modo ita injustè, ut proprio Domino sint restituenda; ut sunt bona acquisita per furtum, per rapinam, concussionem, fraudem, usuram, metum illicitum, & sic de aliis. Secundò injustè ex parte dantis, & accipientis, sed hæc non restituuntur danti, ut evenit in simonia, in qua datum & receptum debet in eleemosynam erogari, & non danti restitui. Tertiò denique ex modo illicito, sed acceptio est licita, ut contingit ex turpi quæstu, per Meretricium. Ita D. Thom. Abulens. Azor. & alii, quos producit Molfesius, *in summ. p.* 1. *tract.* 1. *cap* 16. *à num.* 31. *usque ad n.* 35. 5

Notandum sextò, jure omnes convenire, quòd res aliena, sive malè accepta, sive malè retenta, sive bona fide accepta, ac retenta, est restituenda Domino. 6

Notandum septimò, communem esse omnium Doctorum sententiam ante bonorum existentium distributionem adesse obligationem adhibendi omnem diligentiam possibilem ad verum Dominum inveniendum, quando ignoratur; & per Dominum intelligi eum, qui habet rei dominium, & proprietatem, vel habet quasi dominium, vel habet usumfructum, vel usum, vel possessionem. 7

Notandum octavò, nomine pauperum non solùm intelligi personas egenas, sed etiam Ecclesias, Xenodochia, Monasteria, & quæcunque alia opera pia, 8

pia, ut tradit Graft. *p.* 1. *decis. lib.* 2. *cap.* 100. *quæst.* 3. citans D. Thom. 2. 2. *quæst* 185. *art.* 7. *in corp. & ad secundùm.*

9 His adnotatis; ad difficultatem propositam, an Bona male acquisita in variis regionibus à milite mortuo ab intestato, si illorum Dominus verus ignoratur, sint jure naturali Pauperibus distribuenda, an solo jure positivo bumano; videtur respondendum, solo jure tantùm positivo humano, cum Sot *lib* 3. *de just. quæst.* 7. *art.* 1. *ad* 3. Reginal. *lib.* 4. *num.* 922. Sayr. *in sua Clavi Reg. lib.* 10. *tract.* 2. *cap.* 2. *num.* 11. Malfel. *in sum p.* 1. *tract.* 1. *cap.* 16. *numer.* 32. Cesped. *in dub militar. dub.* 15. & aliis quorũ fundamentum esse videntur jura *in cap. Qui habetis, causa* 14. *quæst.* 5. *& cap. Non sane, ead. caus. & quæst.* ubi habetur, res male acquisitas, si licet per furtum, per rapinam, per usuram, esse pauperibus reddendas, quando non potest Domino, vel ejus hæredibus, *arg. Authen. Omnes peregrin. Cod. de successoribus*, ubi statuitur, per Episcopum loci in pios usus esse impendenda bona Peregrini, si in Hospitali domo decedit ab intestato, nullo relicto hærede. *Et arg. in cap. Cùm tu, de usuris*, ubi Alex. Papa III. præcipit, ut acquisita per usuram, quorum Dominus omnino ignoratur, pauperibus conferantur, *& in cap. Cum sit nimis, de judæ.* ubi Innoc. Papa III. idem statuit de extortis prætextu officii. Præterea si hujusmodi bona deberentur jure naturali pauperibus, non posset Pontifex, aut Respublica aliis usibus applicare, quod est falsum; Praxis enim docet contrarium. Præterea si bona incerta, & male acquisita essent jure naturæ Pauperibus distribuenda, lex ista semper vigeret, & deberet vigere, quod non potest dici; cum Domini horum bonorum possint esse Turcæ, Saraceni, & alii, qui mortui sunt extrà gremium Ecclesiæ, & in peccato mortali quibus nullum juvamen pareret restitutio Pauperibus facta.

10 Fateor, hanc opinionem aliquam habere probabilitatem, eique adhærere putabam; re tamen melius perpensâ, virisque doctissimis super hanc materiam consultis, contrarium visum est verius, & probabilius; & ita videntur sentire D. Thom. *in* 4. *sent. dist.* 15. *quæst.* 1. *art.* 5. *quæstiune.* 3. *ad primum, &* 2. 2. *quæst.* 62 *art.* 5. *ad tertium*, Sylv. *in summ.* verb. *restitutio* 8. *quæst* 5. Covar. *in regul. Peccatum, part.* 3. § 1. *num.* 3. Navar. *in præcept. Decal cap.* 17. *num.* 92. *&* 93. Palud. Cajet. & alii, quos producit Azorius, *p.* 3. *Institut. moral. cap.* 26. §. *Verum difficultas est.*

11 Moveor primo juribus, *in d. cap. Cum tu, de usur. cap Sicut dignum, de hom.* §. *Eos*, aliisque juribus, quæ dicunt, obligatum teneri restituere, nulli factà mentione de authoritate Episcopi vel Principis: & quamvis facerent, essent intelligenda, quòd Episcopus debet procurare, ut hujusmodi restitutio fiat, non autem quod ejus authoritas sit necessaria, ut patet *in cap. Religiosus, de testa in* 6. & favet Textus, *in cap. Jus naturale*, 1. *dist.* ubi habetur, illud esse de jure naturæ, quod est omnium nationum commune: Communem sane morem bona incerta pauperibus erogandi, quando Dominus est ignotus, testantur Historiæ tùm Ecclesiasticæ, tùm profanæ.

12 Moveor secundò rationibus, Siquidem quando res legitimum habent Dominum, nec derelictæ sunt, nec lege humana ex ejus dominio ablatæ, ratio naturalis dictat, eas res expendendas fore in ipsius Domini utilitatem, si ipsi fieri non potest restitutio juxta ipsius voluntatem rationabiliter præsumptam, non aliàs: Voluntas profectò præsumpta Domini ignoti non alia potest esse, nisi ut ejus bona, in ejus utilitatem, nempe vel pauperibus, vel piis Locis erogentur, ob spiritualem ejus salutem. Tùm quia jure naturali cogimur res incertas suo Domino restituere meliori modo, quo possumus; non possumus autem aliter hujusmodi restitutionem præstare legitimo Domino, nisi in pauperibus, qui loco Domini succedunt. Tùm denique, quia jus naturale dictat, ejusmodi res esse restituendas, alicui certe; cui? Dominio si scitur; ejus hæredibus si ignoratur: eorum Animabus, si omnes ignorantur: atqui per solos usus pios possunt eorum Animæ hujusmodi restitutionem recipere.

13 Moveor tertiò exemplo, sivè praxi universali, scimus enim, ut supra tetigimus apud omnes Nationes morem vigere, bona incerta, ignoto Domino, ejusque hæredibus ignotis, pauperibus, vel Locis piis erogandi, id sane esse faciendum jure, seu ratione naturali dictante, & exigente.

14 Concludimus igitur, bona male acquisita à milite, qui ab intestato decessit, in locis, ubi militavit, esse pauperibus reddenda, vel in alios usus pios distribuenda, non tantùm jure positivo humano, sed etiam jure naturali.

15 Ad opposita respondemus: ad primum, jura nobis non obstare, imò favere; tùm dicant tantummodò, restitutionem rerum ablatarum esse per potentiam Superiorem procurandam, quando qui restituere tenetur, vel id facere non vult, vel non rectè distribuit, vel Dominus eorum fuit manifestus usurarius, quo in casu se potest Episcopus intromittere, ut eorum fiat dispensatio: sic Sylv. Navarr. loc. cit. cum communi Canonistarum, & Theologorum sensu.

16 Ad secundum, negando bona incerta à Pontifice, vel à Republica aliis usibus non piis applicari extrà casum necessitatis, quæ legi non subjacet. *Cap. Querelam, cap. Brevi, de jurejur. cap. Si quis propter, de furtis, cap. Discipulos, de consecr.* 5. *dist. l. quæ propter necessitatem, ff. de reg. jur.*

17 Ad tertium; transmisso ant: negamus conseq. nam estò, quòd horum bonorum Domini possint esse Turcæ, Saraceni, aliique Infideles, qui mortui sint extra gremium Ecclesiæ, & in peccato mortali; nihilominus restitutio facta pauperibus, vel Locis piis, potest juvamen parere eorum hæredibus, si vivunt, dispositivè, nempe Deum movendo ad illis gratiam conversionis impendendam, vel saltem eorum Patriæ, cujus ipsi fuerunt patres, mortuis omnibus eorum hæredibus; & hoc sane juxta ipsorũ voluntatem ratione quidem æqua præsumptam, dum nunc in inferis experiuntur, æternæ pœnæ esse obnoxios

noxios, qui extra gremium Ecclesiæ in infidelitate, & in peccato mortali decedunt.

18 Infero primò ex dictis, adhibendam esse omnem diligentiam ad inveniendum Dominum rei, qua omissâ, res est iterùm Domino compatenti restituenda, quamvis pauperibus fuerit data: Secùs verò post adhibitam diligentiam debitam in Domino rei inquirendo. Sic docet etiam Azor. loc. cit. cum aliis.

19 Infero secundò, rem non esse dandam pauperibus, sed esse distribuendam inter illos, ad quos novimus spectare, sed ignoramus in particulari, cujus sit. Ita etiam Doctores citati.

20 Infero tertio probabiliter, bona incerta, quæ restitutioni obnoxia sunt, pauperibus iis posse restitui, etiam absque auctoritate Episcopi; & est opinio communis, ut tradunt Scotus *in 4. dist.* 15. *quæst.* 2. *art.* 4. Sotus, Sylvest. Navarr. & alii. Contrarium tenent plures Canonistæ, & juristæ, quos refert Sylv. verb. *Restitutio 8. quæst.* 5.

21 Infero quartò, quando bona restituenda sunt pauperibus, non adesse obligationem restituendi melioribus, seu justioribus ejusdem Oppidi vel loci ex vi præcepti. Navar. *in Man. cap.* 17. *num.* 93. Sylv. loc. cit. asserentes, sufficere sine fraude date pauperibus occurrentibus.

22 Infero quintò, habentem hujusmodi bona incerta, pauperibus restituenda, posse, consulto præsertim Confessario, vel alio viro pio, docto, & prudenti, vel sibi, ut pauperi, vel suis, ut pauperibus dare, dummodò ipsius paupertas, vel suorum sit certa, & evidens. Ita etiam Azor. loc. cit. *colum tertia*, ubi hoc assertum optime explicat.

23 Infero sextò, bona posse etiam pauperibus restitui, quando eorum Dominus scitur, sed tantùm distat, ut ei restitutio commodè fieri non possit; nec tempus superest ad eam restitutionem faciendam. Sic etiam tradunt Covar. *in Reg. Peccat. p.* 3. §. 1. Navar. *in Man. cap.* 7. *num* 29. quia tunc res se habet, ac si bonorum Dominus esset incertus: pauperibus inquam iis magis, qui sunt in eo loco, ubi bona sublata sunt, quàm alienigenis. Ita tradit Bart. *in l.* 2. *Cod. de anno. civil. lib.* 11. & facit Glos. *in Cap. Si pater*, in verb. *pauperes*, *de testam. lib.* 6. & docet Graff *p.* 1. *dec. lib.* 2 *cap.* 128. *num.* 12.

24 Infero septimo, res, quæ pro derelictis habentur, desinere esse Domini & fieri occupantis, vel apprehendentis, ut per Tex. *in l.* 1. *ff. ad leg. Rhodiam, de jact.* §. *Si mercis*, in fin. & *Inst. de rer. divis.* §. *alia sane*. & aliis juribus.

25 Infero octavò, bona vacantia pertinere de jure communi civili ad Fiscum, seu Principem, vel Rempub. *l.* 1. & *per totum Cod de bon. vacan. lib* 10. *l.* 1. §. *ult. ff. de jure Fisci*, & *in tit. quæ sint Regalia, in usib. feudor* & tradunt Boss. *tit. de bonis vacant. num.* 1. Azor. *p.* 3. *Inst. Moral. lib.* 1. *cap.* 13. § *Sexti generis*: Molf. *in sum. p.* 2. *tract.* 12. *cap* 3. *num.* 135. & alii.

26 Infero nonò incidenter, contra Fiscum Ecclesiæ Romanæ non currere præscriptionem quamlibet, nisi centum annorum, *cap. Cum nobis, de præscript.* & quadraginta contra Fiscum cujuslibet alterius Ecclesiæ, *cap. Ad aures, cap. De quarta, cap. Illud autem, eod. tit.* & tradit Azor. *p.* 3. *Inst. Moral. lib.* 1. *cap.* 23. §. *Bona.*

XL. DIFFICULTAS.

Socius Militis, post ejus obitum in conflictu sequutum, erogavit in pauperes partem pecuniæ illius, cujus sciebat adesse Hæredes. Dubitatur, num potuerit hoc facere.

Notandum primò, Eleemosynam esse nomen græcum, & dici ab *eleeo elosu*, quod est misereor, seu quod latinè interpretatur, misereor, seu misericordiam exerceo, quia Misericors alienam miseriam suam facit. 1

Notandum secundo, Eleemosynam esse opus, quo datur aliquid indigenti ex compassione propter Deum D. Tho. 2. 2. *quæst.* 32. *art.* 1. Turrecrem. *in cap. Quamobrem, num.* 2. *dist.* 1. & alii: & ideo eleemosyna est actus misericordiæ, ut tradunt D. Tho. Turrectem. ibidem. 2

Notandum tertiò, Eleemosynam habere efficaciam ex duobus, nempe ex ipso Faciente, inquantùm est opus meritorium, & ex Recipiente, inquantùm obligatur ad orandum pro eo, qui eleemosynam dat, sivè pro eo, cujus nomine eleemosyna datur; unde eleemosynæ efficacia respectu præmii accidentalia, puta, remissionis pœnæ, vel alicujus hujusmodi, magis attenditur ex magnitudine dati: respectu verò præmii essentialis, non semper attenditur ex majori dato, seu ex abundantiori largitione, sed ex majori affectu, ut patet in illa Vidua Evangelii; Marc. *cap.* 12. *num.* 42 quæ duo tantùm misit minuta, & tamen dicitur, quòd plus omnibus misit. Et ita tradit ex Bonav. Turrecrem. *in cap. Non satis*, §. *Ad primum, n.* 17. 86. *Dist.* 3

Notandum quartò, Eleemosynam duplicem esse, aliam, scilicet corporalem, ut sunt omnia opera corporalia misericordiæ; & aliam spiritualem, ut sunt omnia opera spiritualia misericordiæ. D. Tho. communiter receptus 2. 2. *quæst.* 32. *art.* 2. 4

Notandū quinto, eleemosynam dandam esse de superfluo proprii patrimonii, deducto necessario pro se, & suis secundùm decentiam status singulorū, D. Tho. loc. cit. *art.* 5. & 6. & necessarium in hoc casu, esse duplex, naturæ, scilicet, & personæ; naturæ dici, quod est alicui necessarium absolutè ad conservationem vitæ suæ, & suorum, personæ verò dici, quod est alicui necessarium ad sustentandum vitam secundùm decentiam status proprii, ac suorum. Ita DD. citati. 5

Notandum sextò, Taciti, & Expressi patrem esse virtutem, *l. Cùm quid, ff. si cert. peta.* & tradit Menoch. *in conf.* 108. *num.* 54. & satis etiam expressum dici id, quod venit ex conjecturis, & præsumptionibus, ut per Tex. *in l. licet Imperator, ff. de legatis* 1. & *l. si quis locuples*, in fin. *ff. de manum. testam.* 6

His adnotatis; ad difficultatem propositam, an socius militis, post ejus obitum in bello, seu conflictu sequutum, possit licitè in pauperes erogare partem aliquam pecuniæ illius, dum scit adesse illius Hæredes; negativè videtur respondendum, *ex l. id, quod nostrum, ff. de regul. juris*, ubi habetur, id, quòd nostrum est, sinè facto nostro, à nobis auferri non posse. Tùm quia illi- 7

illicitum est alienum accipere ob finem dandi eleemosynam; ut enim actio licita sit, non sufficit bonum esse finem, propter quem fit, ut patet in usuram exercente ob finem faciendi eleemosynam, quod exercitium est malum, licet finis sit bonus; Bonum enim consurgit ex integra causa. Præterea, socius militis, si charitate motus, vult Animæ Defuncti subvenire, debet de propriis bonis, & non de alienis eleemosynam pauperibus erogare; cum jure communi prohibeatur, ut per Tex. *in cap. Eleemosyna, causa 14. qu. 5. cap. Non est putanda, caus. 1. qu. 1. & cap. Transmiss. de decimis.* & tradit Card. Albanus, *in Lucubrat. in Bart. in l. 1. ff. ret. amot. num 2.*

8 Fatemur, hanc sententiam à verò non deflectere, stando in rigore juris communis, hæredibus jus concedentis in universis bonis Defuncti; nihilominus inspecto charitatis jure, nec non & juris communis interpretatione, contrariæ adhæremus, asserendo, socium præfati militis licitè potuisse partem aliquam pecuniæ acceptæ illius in auxilium ejus Animæ in pauperes erogare, quamvis sciverit adesse illius hæredes. Ita sentire videntur Everar. *in sua Centuria, in loco à verisimili*, in princ. & clarius Antoo. Nald. *in suis Annotationibus practicis Decret. in cap. Si quis propter.* Cespedes, *in dub. milit. dub. 31*

9 Muveor primò juribus, in illa generali Regula; Quod facti causa potiùs attenditur, quàm ipsum factum. *cap. Occidit, causa 23. q. 8. & C Sciat, causa 7 q. 1. & in §. Idemq; juris est Institut quibus ex causis manumit. non lic.* ubi expressè dicitur, verisimile non esse, quod ille, qui sibi hæredem reliquit servũ, omissâ datione libertatis, noluerit etiam libertatem ei relinquere: Quæ regula de verisimili intentione disponentis procedit, & locum habet in omni materia, ut probat Dec. *in cons. 89.*

10 Moveor secundò rationibus; nam DEus mandavit unicuiq; de proximo suo. Proximus autem noster sunt etiam Defuncti, magnis pœnis in purgatorio cruciati, & sic in maxima, & extrema necessitate positi; & consequenter promptum auxilium exigentes; quod in nostro casu ab Hæredibus, utpote distantibus, fuisset ex necessitate differendũ; adeoq; cuilibet fas est, attentis circumstantiis, defectum hæredum, ex bonis ad hæredes spectantibus, supplere. Tum quia talis præsumitur Defuncti voluntas, juxta regulam in sexto Not, expressam: Id enim verisimiliter fecisset, si mors propinqua nota ei fuisset, præsertim quia in vita solebat in pauperes eleemosynam erogare; ob id fas est operari, quod illa decedentis voluntas expressa fecisset.

11 Moveor tertiò exemplo, seu praxi, quam scimus adesse in pluribus Diœcesibus Regni Neapolitani, in quibus per Episcopos disponitur ad pias causas in favorem ab intestato decedentium, etiam relictis hæredibus, moderata quantitas, nempè quarta mobilium bonorum Defuncti, aliàs non sepelitur, ut refert Nald. loc. cit. ibi asserens, hanc praxim, seu consuetudinem fuisse approbatam per Sacrã Congreg Episc. & Regul. rescribentem Episcopo Umbriacens. sub die 5. Febr. Anno 1591. Cujus consuetudinis fundamentum maxima videtur æquitas, juxta Glos. *in l. Tale pactum*, in fin. *ff de pactis.*

12 Concludimus igitur, licitè se gessisse socium militis defuncti, qui, ut ejus Animæ promptè sobveniret, in pauperes erogavit moderatam partẽ pecuniæ illius, quamvis sciverit adesse illius hæredes.

13 Ad rationes in contrarium respondemus: ad primam, admittendo dispositionem juris, sed quando non apparet, seu non constat de nostra voluntate præsumpta.

Ad secundam, negando suppositum; non enim accipitur alienũ, sed bona ipsius Defuncti, in ejusdẽ utilitatem, seu in bonũ ejus Animæ convertuntur. 14

Ad tertiam, admittendo, potuisse etiam de bonis propriis sublevare pauperum miserias pro Amico Defuncto, & inter Purgatorii miserias lacrymante; sed negando ex hoc deduci, fuisse illi illicitum erogare de bonis hæreditatis; cùm fuerit consensus tacitus, & præsomptus, & etiam utcunque expressus ipsius Defuncti. 15

Infero primò ex dictis, licere uxori de bonis mariti ex ejus præsumpta voluntate eleemosynã facere præsertim pro eo, sivè vivens sit, sive defunctus, moderatè tamen, & juxta viri facultates; & etiam contra ejus voluntatem expressam, si dubitet ob ejus crudelitatem eum nunquam facturũ. Ita tradunt Raymun. Rodulph. Sylvest. Navar. quos recenset Nald. loc. cit. & Molf. *in sum. p. 1. tract. 1. C. 16. n. 36.* Contrarium nempè, non licere uxori, contradicente marito, eleemosynam de bonis mariti pauperibus erogare, tradit Card. Albanus loc. cit. ubi cum distinctione procedit, dicens, aut mulier habet alia bona ultra dotem, & tunc de illis po-„ test eleemosynam facere, quia marit⁹ de illis non„ potest se intromittere, contradicente uxore, *l. hac, lege, Cod. de pact. conventis &c.* Aut non habet alia„ bona, quàm dotem; & tunc non licet mulieri„ contradicente marito, eleemosynam pauperibus„ erogare, quia dominium rei dotalis ad maritum„ pertinet, *l. Doce, Cod. de rei vend.* „ 16

Infero secundò, licere Amico Defuncti facere pro eo eleemosynam, etiam de bonis ab eo illicitè acquisitis; dumodò tamen non fuerint acquisita per injustitiam, ut per rapinam, furtum, usuram, in quo casu sunt restituenda proprio Domino, si sciatur; sed per aliam actionem turpem, putà, adulterium, homicidium, &c. Ita etiam docent Turrecr. *in cap. Non sanè, n. 1. & 2. causa 14. q. 5.* & alii communiter. 17

Infero tertiò, licitum esse cuivis furari, sive capere aliena, ut faciat eleemosynam extremam necessitatem patienti, ubi aliunde haberi non posset; quia in casu extremæ necessitatis omnia sunt communia: Undè si licet necessitatem patienti de alieno accipere, alteri idem licebit, ut hujusmodi indigenti subveniat: Præterquam quod, in tali casu præsumitur licitè Domini voluntas. 18

Infero quartò, accipientes eleemosynam obligari ad orandum pro eleemosynam dante. Id enim videtur exigere Gratitudo. 19

Infero quintò, duobus æqualiter indigentibus, potiùs esse dandum eleemosynam justo, quam impio, & magis bono, quàm minùs bono, exceptis propinquis, consanguineis, sive parentibus, qui sunt præferendi: Undè potiùs est subveniendum Patri impio, quàm extraneo justo, ut etiam tradit Turrecrem *in cap. Non satis, §. Ad secundum, sub n. 11. dist. 87.* Excepto tamen casu extremæ necessitatis, in quo magis subveniendum est Extraneo extremè indigenti, quam patri non tantam necessitatem patienti, D. Th. 2. 2. *q 32. art. 3.* in corp. 20

Infero sextò, Eleemosynam posse fieri de eleemosynis, & decimis, & habetur *ex cap. Habebat, causa 12. q. 1,* & per Turrecrem. in hunc locum clarè explicatur. 21

22 Infero septimò, illum, qui habet necessarium naturæ, juxta notatam explicationem, teneri cum diminutione proprii status subvenire proximo in extrema necessitate. Covar. *lib. 3 var. resol. cap. 4. n. 5.* Navar. *in sum cap 24 n 5* & alii, quos recenset Molf. *in sum. p. 1. tract. 1. cap. 16. n. 28.* Idemq; etiam docet D. Th. *2. 2. q 32 art. 6.* in corp. estò in fine dicat, quòd *in casibus laudabiliter prætermitteret aliquis id quod ad decentiam sui status pertinere videretur.* Ex eo quia, ut explicat Cajetanus ibidem, ly, *laudabiliter non sumitur, ut distinguitur contrà* ly, *ex debito præcepti, sed contrà* ly, *vituperabiliter, &c.* Ultraquam quòd, verba etiam importantia consilium, aliquandò vigorem obtinent præcepti, *ut ex cap. Rogo, causa* 11. *q. 3.* & ibi Glos. verbo, *Rogo,* & colligitur ex Tex. *in l. Si Servi mei rogatu,* & ibi Glos. *ff. de neg gest.*

23 Infero octavò obiter, pecuniam, per simoniam acquisitam, non esse restituendam ei, qui dedit, sed debere in eleemosynam erogari: Molf. loc. cit. *n. 33* ubi asserit, idem esse dicendum in similibus, in quibus datio, & acceptio est contrà justitiam legis divinæ, ut est in casu simoniæ; vel contrà legem, ut est in Judice &c. & allegat D. Th. Abulens & alios.

24 Infero nonò, licere superiori Monasterii, vel cui esset commissa bonorum administratio ejusdem Monasterii, facere eleemosynam de rebus Monasterii: dummodò eleemosyna sit moderata, juxtà illud Lucæ, *C. 11. n. 41 Quod superest, date eleemosynam:* & hoc quidem ex præsumpta Fidelium voluntate.

25 Infero decimò, licere Religiosis professis, superiorum imperio subjectis, quamvis non habeant administrationem bonorum Monasterii, facere illas eleemosynas, quas superior eis expressè committit, vel eas, quas probabiliter præsumerent ab eodem ratas habendas. Ita docet D. Th. comuniter receptus, & à Molfesio relatus loc. cit. *n. 40.*

26 Infero undecimò, licere servis eleemosynam de bonis Domini facere, sed solùm quantùm eis à Domino fuerit expressè commissum, vel ita probabiliter possent præsumere, ut quando darent res parvi momenti, quæ communiter à Dominis solent dari illis, qui ostiatim mendicant. Molf. loc. cit. *n. 41. & 42* ubi dicit, idem esse asserendum de filiisfamil. & aliis Superiorum imperio subjectis.


27 Infero duodecimò, in danda eleemosyna esse modum servandum, ut tradit D. Thom. communiter receptus, *2. 2. q 32. art. 9.* in corp. qui modus describitur à Molfes. *in summ. p. 1. tract. 1. cap. 16. n 45. & seqq.* & aliis.

28 Nos verò, in eroganda Egenis eleemosyna plura esse consideranda arbitramur videlicet eorum fidem, necessitatem, conditionem; nec non jus ad rem, quæ in eleemosynam datur, & etiam alia notata per Glos. *in cap. Non satis, 86. Dist.* Fidem quidem, cùm meliùs sit subvenire Fidelibus, quàm Infidelibus; & Fidelibus probis, quàm improbis; ut per Tex. *in d. cap Non satis.* Meliores enim magis merentur vivere, & successivè subsidia vitæ obtinere: Necessitatem; qui enim communi bono, sive spirituali, sive temporali incumbit, si aliquâ necessitate laboret, præferendus est, procul dubio, aliis Egenis privatis; quia bonum commune præferri particulari, probat Tex. *in l 1. Cod de primipil. lib.* 12 & docet D. Th. *2. 2. q. 26. art. 5.* Conditionem, nam pœnam longè majorem, ratione egestatis sentire Nobiles, quàm Plebejos, dubitat nemo, & habetur *in d. cap. Non satis;* ideoque Nobiles esse ignobilioribus præferendos in ordine charitatis, dictat ratio naturalis. Jus denique ad rem, quæ in eleemosynam datur; nam quando urget, nedum charitas, sed etiam justitia; qui habet jus ad rem illam, aliis hujusmodi jus minimè habentibus, titulo justitiæ, cæteris paribus, est præferendus Hoc idē procedit ratione beneficii accepti, ut Benefacientibus benefaciamus ex naturali obligatione, quod probat Tex. *in l. sed & in lege, § Consuluit ff de petit. hæred.*

Hoc ultimum consultò addidimus nostræ, & 29
alienæ consulentes utilitati; ut scilicet, Legentes, seu isto nostro Opere, pro publica utilitate elaborato, utentes, moveantur ad aliquod beneficium nobis, & alteri præstandum, eleemosynam nempè, non quidem temporalem; cum nostris Legibus temporalia inquirere nobis expressè prohibeatur, & Alter eâ minimè indigeat, sed quod admodum spiritualem, quod nullo jure vetitum est, videlicet. Primò, Divinū Benefactorem devotè exorare pro Domino Cæsare Baldi, ex Nobili, & antiquissima Familia Baldi Genuensi, ut constat ex Magno Libro Nobilitatis illius Reip *fol. 61,* quæq; originem traxit à Civitate Florentiæ, cujus gubernio trium circiter sæculorum spatio, dum erat Respublica, laudatissimè præfuit, ut ex authenticis præfatæ Familiæ Scripturis, Florentiæ sextodecimo Kal. Nov. A 1614 promulgatis, apparet: Ex qua insuper, ut Historiæ testantur, plurimi Senatores, aliiq; celeberrimi Viri prodiêre; inter quos Guido Antesignatus Dignitate donatus cujusq; Vigiles Carolum IV. Augustum Cæsarem Bononiam usq; duxisse, Scipio Ammiratus in Florentinis Monumentis, *p. 1. tom. 2. fol. 669.* calamo sincero conscribit: Exorate, inquam, pro Domino Cæsare Baldi, prudentiæ æque, ac pietatis Viro; eò quòd cùm esset nostræ penitùs conscius paupertatis, tanquàm Cœlestis Providentiæ instrumentum, Typis Opus hoc suis sumptibus, commune Bonū unice intendens, fecerit demandari. Dein verò nostri calami compati exilitati, majora hisce publicæ intelligentiæ suppeditare nescientis Eleemosyna enim actus est ex compassione proveniens, juxta, D. Th. 2. 2. *qu. 32. art. 1.* & sic errores cunctos, in hisce nostris paginis quomodocumq; offensos, nobis potiùs, quā Typis imputandos benignè corrigendo condonare: Et Deo Optimo Maximo plurimas agere gratias, pro nobis hujusmodi gratiarum tributum reddere insufficientibus, ob Divinæ Bonitatis Assistentiam nobis, variis Laboribus continuò distentis, exhibitā in inchoanda, prosequenda terminanda hac nostra Theologia Bellica; Deumq; ardenter deprecari, ut, cum alios rectè bellare docuerimus, discamus contra nos ipsos rectè pugnare; S. Ambrosio, *tom. 3. in C 21 S Luc.* sic asserente, Multoq; graviores domestici „ hostes sunt quàm extranei; nos ipsos penitùs, „ vincere eodem S. Ecclesiæ Doctore, dicente, *tom. 2. in Ps. 118.* in illa verba: *Paratus sum. & non sum turbatus, lit. F.* In te ipso tibi bellum est; Bonum est, „ ut in tranquillitate sit animus tuus, & in quadam, „ serenitate Et de hostibus communibus omnimodè triumphare, Apostolo, *2. ad Tim. cap. 2. n. 5.* admonente „Nam & qui certat in agone, non co- „ ronatur, nisi legitimè certaverit; Nec non Ecclesiā, „ adhortante, imò præcipiente: Estote fortes in bel- „ lo, & pugnate cum antiquo serpente, & acci- „ pietis Regnum æternum. „

FINIS LIBRI OCTAVI.

MAN-



MANTISSA
AD LIBRUM PRIMUM, TERTIUM, QUARTUM, THEOLOGIÆ BELLICÆ,

Mantissa ad Librum I. Difficult. pertinen. ad Reges, & Principes.

I. DIFFICULTAS.

An Summus Pontifex, videns inter Principes Christianos sævire bellum, graviter peccet, si negligat eos pacificare, eosdemque in Pace conservare.

1 Notandum primò, tantum esse pacis Bonum, teste D. Augustino, *lib. 19. de Civit. DEI, cap. 11.* ut in rebus terrenis nihil soleat gratius audiri, nihil desiderabilius concupisci, nihil melius inveniri. Hinc etiam Musa Silii Italici, *lib. 11.* sic cecinit,

—— Pax optima rerum,
Quas homini novisse datum est. Pax una triumphis
Innumeris potior.

2 Notandum secundò, duplicem esse Reipublicæ Christianæ pacem, unam nempè Ecclesiasticam, quæ consistit in unitate Fidei, & Sacramentorum, de qua hic non loquimur; alteram vero Politicam, quæ in externa justitia, & tranquillitate reperitur.

3 Notandum tertiò, Pacem, si veram definitionem spectemus, esse quamdam ordinatam animi concordiam cum DEO, cum se ipso, & cum proximo: Ab aliis definitur pax, quòd sit tranquilla libertas. Origenes, explicans verba Apostoli, *Rom. cap. 1. Justificati ex fide pacem habemus.* „Pax, inquit, dicitur, ubi nemo diffidet, nemo „discordat; ubi nihil hostile, nihil barbarum „geritur. A S. Augustino, in *Ps. 84.* eadem „traditur definitio: Rogat enim: Pax quid est? „Et respondet: Ubi nullum bellum est: Quid „est, ubi nullum bellum est? Ubi nulla est con„tradictio, ubi nihil resistit, nihil adversum est. Et *Serm. 57. de verbis Domini*, à S. Doctore pax nuncupatur serenitas mentis, tranquillitas animi, simplicitas cordis, vinculum amoris, consortium charitatis.

Notandum quartò, supra Episcopos unum debere esse, & esse omnibus Superiorem in Ecclesia, videlicet Summum Pontificem, ut ostendit juribus, & rationibus Turrecrem. *in cap. Cleros, dist. 21. §. Ad sextum.* 4

His adnotatis; ad difficultatem propositam, an Summus Pontifex, videns inter Principes Christianos sævire bellum, graviter peccet, si negligat illos pacificare, eosdemque in pace conservare; videtur negativè respondendum; nam Sanctitas Apostolica, aut invenit Sanctum, aut facit, ut per Tex. *in cap 1. dist. 40.* adeoque ejus negligentia in hoc casu non videtur culpabilis. Præterea, esto quod Papa, ut homo, possit in culpam prolabi, nihilominùs ut homo non est ita culpis obnoxius ut cæteri homines, uti ostendunt Felin. *in cap. 1. de Constit.* Abb. *in cap. Significasti, de elect.* & alii, quos producit Vival. *in explanatione Bullæ Cœnæ, Can. 2.* 5

Veritas tamen est, negligentiam Pontificis in procuranda, & conservanda pace inter Principes Christianos, quos scit ad invicem bellare, esse graviter culpabilem, si absque gravi Christianæ Reipublicæ detrimento id facere potest. Ita Turrecrem. *in cap. Officii nostri, causa 24. q. 1.* Duard. *in cap. Omnis utriusque sexus, disp. 4. sect. 1.* & alii. 6

Moveor primò juribus, *in cap. Studendum est, dist. 90.* ubi Episcopis cura imponitur inducendi Dissidentes, sive Clericos, sive Laicos ad pacem: à qua obligatione non debet esse exemptus Papa, qui est primus inter Episcopos. Et *d. cap. Officii nostri*, ubi Julius Papa sic dicit. „Non est „nobis dissimulare, non est tacere libertas, qui„bus major cunctis Christianæ Religionis zelus „incumbit. 7

8 Moveor secundo rationibus; nam Summus Pontifex, tanquàm bonus Pastor, tenetur pascere Oves, juxta Præceptum Christi in Jo. *cap. 21. Pasce Oves meas:* Unum autem ex principalibus nutrimentis Ovium est pax, quæ est actus, & effectus charitatis; quæque exuperat omnem sensum, ut habetur *ad Philip. 4.* & quam Mundus dare non potest, ut habetur Jo. *cap. 14.* Amore enim, quo DEUM, & proximum diligimus, Anima nostra summopere nutritur, & idcò in Missa Solemni datur Fidelibus Pax in signum amoris; & etiam, quia Eucharistia est Sacramentum pacis, & unionis, quæque in Missis Defunctorum non datur; quia tunc Sacrificium non offertur pro pace præsenti, sed pro requie sempiterna, ut clarè ostendit Molf. *p. 1. summ. tract. 3. cap. 11. n. 68. & 69.* atque adcò si Pontifex negligens est in hoc nutrimento præstando Ovibus, & præsertim nobilioribus, quales sunt Principes, & Reges, non potest à culpa excusari. Tum quia inter Notas insigniores, seu symbola, quæ veram, & Sanctam à spuria, & immunda Ecclesia distinguunt, prima est Unitas, ut habetur *in Conc. Const. 1. cap. 7.* Scimus autem totius Ecclesiæ unitatem consistere in connexione membrorum inter se per dilectionem, & charitatem, mediante Spiritu Sancto sub uno, & eodem Capite, ut habetur *ad Ephes. cap. 1.* & successivè Papa, qui est Caput Ecclesiæ, tenetur procurare, & stabilire hanc membrorum connexionem, quæ fit præsertim per vinculum pacis, ut dicit idem Apostolus ibid. *cap. 4.* ut hujusmodi Unitas perpetuo ostendatur. Deindè, Summus Pontifex, utpotè Vicarius Christi, tenetur vicem gerere Christi, & consequenter ea agere, quæ ipse egit. Quid autem egit Christus? Pacem dedit, Pacem procuravit, Pacem reliquit: *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis,* Jo *cap. 14. n. 27.* Ergò Bellantibus præsertim Principibus, debet Pontifex pacem dare, eosque in pace conservare: Et ideò aliter faciendo, à culpa gravi, tanquàm suo muneri minimè satisfaciens, immunis non est.

9 Moveor tertiò exemplo, in Gregorio IX, qui quinque Decretalium Libros; & in Bonifacio VIII. qui sextum compilandos ad pacem, ac tranquillitatem Christianæ Reipublicæ tuendam, & conservandam curaverunt, ut ex eorum Proæmio patet. Et omissis, brevitatis gratià innumeris Pontificibus, à Baronio in suis Annal. relatis, qui ad evitandam culpam, pacem inter Principes adinvicem bellantes conati sunt accersere, & conservare, sufficit reflectere ad exemplum nostri Sanctissimi Patris CLEMENTIS XI. feliciter Regnantis, qui sciens Summi Pastoris proprium munus esse, Principes adinvicem bellantes pacificare, eosque in pace conservare, ut pacem ponat inter Supremas Potestates hisce nostris temporibus inter se pugnantes, laborinoo partir, omnibus mediis utitur, nullam viam ad hunc terminum ducentem omittit; per semetipsum cum Oratoribus horum Principum, & Dominatorum continuò de hoc agit; Per suos Legatos eosdem ad concordiam reducere tentat, eos charitativè admonet, authoritativè hortatur, loquitur, scribit, operatur, potissimum vetò, ardentes orationes fundit, ut DEUS det servis suis illam, quam Mundus dare non potest pacem. Eidem propterea apprimè consonat quod habetur, Luc. *Cap. 14. Rogat ea quæ pacis sunt.*

Concludimus igitur, à culpa gravi non esse 10
immunem Pontificem, qui, sciens inter Principes Christianos sævire bellum, notabiliter negligens est in procuranda, & conservanda pace inter eos.

Ad opposita facilè respondemus: ad pri- 11
mum, Textum non facere contra nos; siquidem communiter explicatur, quòd ad ejusmodi Dignitatis culmen non nisi Sanctissimi Viri regulariter assumuntur; non quòd Assumpti ad talem Dignitatem non possint peccare, quâ homines sunt: & insuper explicari potest quòd non possunt peccare, seu in errorem nullo pacto possunt incurrere, quando se gerunt, ut Caput Ecclesiæ, definiendo ex Cathedra in iis, quæ pertinent ad Fidem, ad mores, & ad Bonum universale ipsius Ecclesiæ; quod utique concedimus, & qui contrarium assereret, in hæresim incideret, ut cum communi Theologorum, & Canonistarum sensu docent Tho. Del Bene, *de Locis Theol. Dubit.* 10. *num 5. & 9.* Anton. Gabr. *lib. 2. commun. opinion. tit. de clauf. §. 2. num. 1.*

Ad secundum, admittendo, Summum Pon- 12
tificem non esse culpis, & erroribus ita subjectum, ut sunt alii homines; sed negando conseq. ut enim Papa ex negligentia peccet, sufficit nobis, quòd ut homo ex humana fragilitate possit peccare, licet sit Dei Vicarius generalis, ac ratione sui muneris, ac Dignitatis sit omnium Sanctissimus, & omnibus superior, ut rectè probat Duardus, *in suis Commentariis in Bull. Cœn. lib. 1. cap. 4. quæst. 2.*

Infero primò ex dictis, Summum Pontifi- 13
cem, qui ex humana fragilitate lapsus est in aliquam culpam, submittere se in Sacramentali Foro Sacerdoti, tanquam speciali Dei Vicario, ut per Tex. *in cap. Absit. causa* 11. *quæst. 3.* & in hujusmodi actu non vendicare sibi locum Summi Sacerdotis, sed privatæ personæ.

Infero secundò, Summum Pontificem in 14
actu Sacramentalis Confessionis effici minorem & Sacerdotem, cui se submittit, effici majorem; & successivè subiici ejusdem Sacerdotis interrogationibus, & judicio.

Infero tertiò, posse Summum Pontificem 15
multis modis peccare, nempe in concedendis privilegiis, dispensationibus, Indulgentiis sine legitima causa, in promovendis ad Ecclesiæ Dignitates, & Officia Ecclesiastica personas minime idoneas; item in conferendis Ecclesiasticis Beneficiis, non attenta meritorum ratione, aut neglectâ demeritorum evidentiâ.

Infero quartò, Summum Pontificem, cum 16
præter Jurisdictionem spiritualem habeat etiam supremum dominium temporale, posse, ut temporalem Principem, peccare in omnibus, in quibus peccare solent Principes sæculares.

Infero quintò, Summum Pontificem, quà 17
talem, posse peccare ex defectu debitæ sollicitudinis in regimine universalis Ecclesiæ.

Infero sexto, Episcopum, in suo munere 18
negligentem, culpam committere juxtà qualitatem negligentiæ, & Canem justè dici impudicum,

cum, *in cap. Qui nec, causa 2. quaest. 7.* unde de Episcopis, aliisque Praelatis, qui nec in se, nec in aliis rationem regiminis habuerunt aut habent, putat Turrecrem. *in d. cap. Qui nec, num. 1,* Danielem fuisse locutum, *cap. 13.* ibi dicentem; *Iniquitas egressa est à Senioribus Judicibus, qui videbantur regere populum.*

19 Infero septimò, negligere perturbare Perversos, idest prohibere, & removere Perversos à malo commisso, vel committendo, esse eis in malo consentire. Ita Eleutherius Papa, relatus, *in cap. Negligere, causa 2. quaest. 7.* dummodò tamen hujusmodi prohibitio possit commodè, & sine peccato fieri; aliàs nullum sequeretur peccatum ex defectu prohibitionis, ut per Tex. *in cap Primum, causa 22. quaest. 2.*

20 Infero octavò, incidere in solemnissimum Canonem *Si quis*, seu incurrere excommunicationem eum, qui potest prohibere percussionem, aut occisionem Clerici, & non prohibet, dummodò dolosè hoc faciat; secùs verò, dolo minimè interveniente; cum in illum casum, vel alium nullus incidat sine dolo; *arg. in l. 1. ff de sicariis*; & patet in *cap. 1. extra, de sent. excomm.* & docet Turrecrem. *in d. cap. Negligere,* & in corp.

21 Infero nonò, discordiam, quae est eordium dissensio, ut docet Cicer. 4. *Tuscul.* esse ex genere suo peccatum mortale, nisi actus imperfectio excuset; quia per se adversatur paci, & concordiae, quae ex charitate causatur, ut docet D. Th. 2. 2. *quaest. 37. ar.* 1. in corp.

22 Infero decimò, se manifestare imitatorem Dei, qui est Deus unitatis, & pacis & mereri pro praemio gloriam Divinae Filiationis, quae est in conjunctione perfecta ad Deum, per consummatam sapientiam, ut docet D. Thom. 1. 2. *quaest. 69. art. 4.* in corp. eum, qui in se ipso, & inter alios pacem habet, & procurat; & sic dicitur; *Beati Pacifici quoniam Filii Dei vocabuntur,* S. Matth, *cap. 5. num. 9.*

II. DIFFICULTAS.

Princeps Christianus ab Haereticis, aliisque Christiani Nominis Hostibus impugnatus, postulat à Sancta Sede, ut se defendat, pecuniam, Milites, aut Arma. Dubitatur, num Summus Pontifex, si neget aut negligens sit in tali ope praestanda, peccet mortaliter.

1 NOtandum primò, Summum Pontificem esse Vicarium Dei, Patrem Patrum, Episcopum Urbis, & Orbis, & ad ipsum spectare sollicitudinem omnium Ecclesiarum, & teneri providere, remediis opportunis, omnibus necessitatibus Ecclesiae, ut optime probat Molf. *in proemio ad Consuet. Neapol. quaest. 8.*

2 Notandum secundò, in Summo Pontifice, utpote Vicario Christi, debere esse omnes virtutes, ut sit omnibus exemplum bonorum operum; & inter caeteras, debere ardentem habere Charitatem, ut etiam Animam suam paratus sit ponere pro Grege Christi sibi commisso, ut Christus egit, & docuit, ut habetur Jo. *cap. 10.* & ibi S. Greg. *Hom.* 14. nec. non, & fidelitatem in administratione Ecclesiae sibi commissae, ut diligentissime custodiat Gregem Domini, spretis omnibus divitiis, & propriis commoditatibus.

Notandum tertiò, Summum Pontificem habere utrumque Gladium, & potestatem, Regalem, ac Sacerdotalem, cujus figuram habemus in dominio Melchisedech, qui fuit simul Rex, & Sacerdos. Gen. *cap. 21. cap. Denique, 21. dist.* 3

Notandum quartò, non posse Principem pro arcendis Haereticis, aliisque Catholicae Fidei hostibus, quando ejus Terrarum, ac subditorum vires non suppetunt, quamvis necessitate compulsum, uti rebus Ecclesiasticorum; Ecclesiarum, imponendo talleas, & alia onera ejusmodi ipsis Ecclesiasticis, sed in tali casu teneri adire Summum Pontificem, ut *in cap. non minùs & cap. Adversùs, de Immun. Eccles* aut Episcopum, & Clerum loci pro praefata impositione, quando, urgente necessitate ratione belli ingruentis, accessus ad Summum Pontificem haberi non potest. 4

Notandum quintò, rerum Ecclesiae fructus in quatuor partes, juxtà dispositionem Sacrorum Canonum, esse distribuendos, unam pro Episcopo, aliam pro Fabrica Ecclesiae, tertiam pro Pauperibus, & quartam pro Ministris, *cap. Quatuor, cap. de reditibus, cap. Mos est, causa 12. q. 2.* 5

Notandum sextò, omnia Summo Pontifici licere, dummodò non faciat contra Fidem, aut non deroget abaque justa causa aliorum jura, aut non offendat Deum per peccatū mortale, aut veniale; & peccatū mortale committere in transgressione Decalogi, & in omnibus illis, quorū commissio, & omissio ex lege divina, quae videlicet in veteri, & novo testamento continetur mortalia sunt. 6

His adnotatis, ad difficultatem propositam, an Summus Pontifex peccet mortaliter, si neget, aut negligens sit in praestanda ope Principi Christiano ab Haereticis, aliisque Catholicae Fidei Hostibus impugnato, quando non potest hujusmodi Princeps suis viribus se defendere, videtur negativè respondendum; quia diffinitum est non licere quibuscumque Clericis arma sumere, vel praebere ad impugnandum quoscumque homines maximè ubi timetur sanguinis effusio; nemo autem dixerit, non adesse in bellica impugnatione evidens periculum effusionis sanguinis, & esse peccatum ea non facere, quae minime licent, Praeterea, Papa habet plenissimam potestatem, & dispositionem in Bonis Ecclesiasticis, & in Beneficiis. *cap. Proposuit, de concess. praebend. & Clem. 1,* in fin, *ut lit. pend,* & latè Hier. Gonzalez, *ad Regul. de Mensib.* §. 1. *proaem.* atque adeò non tenetur Papa potiùs ad hunc usum, quàm ad alium res Ecclesiasticas destinare, & successivè Principi ab Haereticis impugnato, ad eum recurrenti auxilium praebere. 7

Veritas tamē est, à peccato non esse immunem Papam, si negligat in dicto casu auxilia praebere Principi, ab haereticis, aliisque Christiani nominis hostibus impugnato. Turrecrem. *in cap. Scire, causa 23. quaest. 8.* Duard. *in cap. Omnis utriusque sexus, disp. 4. sect. 3. num. 1,* & alii communiter brevitatis causā praetermissis 8

Movent primò juribus, *in d. cap. Scire, causa 23. quaest. 8.* ubi Leo Papa IV. sic dicit „ Nunquàm ab aliquibus nostros homines finimus opprimi (sed si necessitas ulla occurrerit) praesentialiter vindicamus: quia nostri Gregis in omnibus 9

„ bus ultores esse debemus, & præcipui Adjutores. *Et cap. Si ea, causa 23. quæst. 4.* „ ubi dicitur, quòd ex delatione inferendi vindictam in Maios, DEI patientia ad irascendum provocatur. *Et cap. Sicut excellentiam, ead. causa, & q.* ubi Gregorius rogat Gennadium Patricium ad bellandum contra Hostes nostræ Religionis.

10 Moveor secundò rationibus; Summus enim Pontifex est Pater communis, & ideò tenetur Filios in necessitate constitutos remediis opportunis adjuvare; quemadmodum pater tenetur auxilia præstare filio indigenti, etiamsi filius dissipaverit ea, quæ pater fortè ei assignaverat. Tum quia Pontifex, ut volt Jodoc. in verb. *Papa*, Busæus, in verb. *Pontificis summi status*, dicitur *à posse, & facere*, nempè propter maximam potestatem, quam habet præ aliis, & in alios: Ergò si negligens est in exercenda hac potestate adversus Hæreticos, aliosque Christiani nominis hostes, opprimentes Principem Catholicum, non potest à culpa excusari; cùm munus Summi Pontificis sit propagare Fidem, evellere Infidelitatem, dissipare Hæreticos, & alios Ecclesiæ universalis Inimicos, eorumque progressus omninò impedire juxta illud Jerem. *cap 1. Constitui te hodiè super Gentes, & super Regna, ut evellas, & destruas, &c. & ædifices, & plantes.* Tum denique, quia bella contra Hæreticos, aliosque Ecclesiæ Catholicæ Inimicos Ecclesiastica prælia reputantur, *cap. Sicut, causa 23. quæst. 4.* & Infidelium impugnatio est negotium JESU Christi, ut habetur *in Extravag. Copiosus, de Judæ.* & ibi Gloss. *verf. Domini negotium*; atque adeò Pontifex, qui est Christi Vicarius, si negligens est in agendo hoc Christi negotio, procul dubio culpam committit.

11 Moveor tertiò exemplo plurimorum Pontificum, à Baronio, & aliis Ecclesiasticis Scriptoribus relatorum, qui scientes, se esse obligatos in conscientia adjuvare opportunis remediis Principes, & Reges Christianos, ab Infidelibus impugnatos, arma, homines, pecuniam, aliaque subsidia ad eos miserunt. Hi præterrim fuêre, omissis brevitatis causâ antiquis, Clemens IX. & Innocentius XI. fel. record. quorum Primus Venetis ad resistendum in Bello Cretensi Turcarum violentiis; Secundus verò Leopoldo Primo Imperatori electo, ut se se ab ingenti pariter Turcarum Expeditione defenderet, innumera scutorum millia subministravit.

12 Concludimus igitur, Romanum Pontificem teneri, si potest, opem ferre Principi Christiano, quando ab Hæreticis, aliisque Christiani nominis Inimicis Bello impetitur; & vires non habet ad resistendum, nec ab alia Potestate, aliàs à culpa immunem minimè esse.

13 Ad opposita respondemus: Ad primum, prohibitionem factam omnibus Clericis de non sumendis armis ad impugnandum quoscumque homines, esse de jure Ecclesiastico, quo Papa superior est, & in quo dispensat, ut alibi ostensum est. Alias responsiones, quæ facile possunt videri, dat Turrecrem. *in cap Sicut Excellentiam, cap. Si verè, causa 23. quæst. 4. Et in cap. Omnis, num. 1. eadem caus. quæst. 8.*

Ad secundum, quod Pontifex non dicitur absolutè Beneficiorum, ac bonorum Ecclesiasticorum Dominus, sed Dispensator, juxta illud Apostoli, *1. ad Corinth. cap. 4 Sic nos existimet homo, ut Ministros Christi dispensatores, &c.* Dispensatores dixit Apostolus, non Dominos. Et idem ad Tim, *cap. 1. Oportet enim Episcopum sinè crimine esse, sicut DEI dispensatorem, &c.* & refertur *in cap. Legimus, 93. Dist.* Et Pontificem esse Beneficiorum, & bonorum Ecclesiasticorum Dispensatorem, tradunt D. Thom. *2.2. quæst. 100. art. 1. ad ult. & in 4. sent. Dist. 25. quæst. 3. art. 3. ad 2.* Card. Zabarella *in Clem. 1. in 2. oppisit. de summ. Trinit. & Fid. Cathol.* Card. Cajet. *in 2. 2. quæst. 44. art. 8. & quæst. 100. art. 1.* Sot. *lib. 3. de just. & jur. quæst. 6. art. 2. in resp. ad 5.* & alii, quos producit, & sequitur Menoch. *in cons. 112. num. 6.* Bona enim Ecclesiæ sunt bona Egenorum, *ut in cap. 2.* & ibi Panor. *num. 3. de reb. Eccles. non alien.* Et esse deputata ad sublevandum Indigentes, sive Clerici sint, sive Laici, habetur ex eod. Pan *in cap. 1. eod tit.* undè patet hujusmodi bona quoad dominium esse Christi, & Ecclesiæ, cujus Caput est ipse Christus; quoad usum, & sustentationem, esse Pauperum; quoad administrationem, esse Clericorum. Colligitur etiam *ex cap. Res, caus. 12. quæst. 1. cap. Indignè, ead. caus. quæst. 2. & cap. Attendendum, causa 17. quæst. 4.*

Infero primò ex dictis, Summum Pontificem, utpote omnium Fidelium Pastorem, & Patrem, omnes debere tueri, eos maximè, qui specialiter sub sua Protectione vivunt. Quod etiam tenet Greg. Papa, relatus *in cap. Quisquis in negotiis, 87. dist.* & Turrecrem. ibid. 15

Infero secundò, Prælatos, qui vident suos subditos opprimi, teneri eos defendere, si possunt. Et habetur etiam *in d. cap. Scire, causa 23. quæst. 8.* 16

Infero tertiò, Romanum Pontificem teneri, si potest, succurrere Principi Christiano, indicenti ex zelo Fidei Catholicæ bellum Christiani nominis Inimicis, ut eos perdat, si deficientibus ex aliquo accidenti militibus, pecuniis, aliisque requisitis ad bellandum, constitutus sit in periculo illis cedendi, absque ulla spe auxilium ab aliis Potestatibus recipiendi. 17

Infero quartò, licitum esse punire, persequi, & debellare Hostes Fidei; quia adhoc hortantur, inducunt, provocant Sancti Pontifices, ut videre est *in cap. Si verè, causa 23. quæst. 4.* ubi Gregorius ad alliciendum Gennadium Patricium ad bellandum contra Hæreticos, illum summopere commendat de victoriis plurimis, quas habuit. 18

Infero quintò, cuilibet licere auxilia præstare ad bellum gerendum, non causa fundendi sanguinem humanum, sed causâ dilatandi Rempublicam Christianam, & Cultum Divinum. Idem etiam sentit Turrecrem. *in d. Cap. Si verè.* 19

Infero sextò, Prælatos, tum Sæculares, tum Regulares, elargientes bona Ecclesiæ, modo non servato, & irrationabiliter, citra omnem controversiam, culpam gravem incurrere, si elargitio sit in notabili quantitate; & ea recipientes 20

non

non posse tutâ conscientiâ ea retinere, ut etiam probat Text. *in cap. 2. de donat.* & docet Duardus, *in cap. Omnis utriusque dist 4 sect. 10.* cùm hujusmodi Prælati non fint Domini, sed tantùm Dispensatores; & Procuratores Bonorum Ecclesiasticorum.

11 Infero septimò, non posse Summum Pontificem, nullâ causâ præcedente legitimâ, bona, quæ Ecclesiæ sunt, cui voluerit dare: quod etiam tradunt Menoch Duard. loc cit. & alii DD. allegati.

12 Infero octavò, non licere Pontifici Beneficium Ecclesiasticum indigno conferre, aliàs non Dispensator Mysteriorum Christi, sed Dissipator nuncuparetur.

13 Infero nonò, Summum Pontificem teneri ex charitate sibi Conjunctis consanguinitate, vel affinitate, si pauperes sint, & egeant pro conservatione status, aliquid elargiri de bonis Ecclesiæ; & ex justitia, si eidem Ministri tanquam digniores præficiantur: Secùs verò, ut thesaurizent. Et habetur ex Concil. Trident. *Sess 25. cap. 1. de reform.* & docet Duard. cum aliis, *in d. cap. Omnis utriusque dist. 4. sect. 10. num. 4.*

14 Infero decimò incidenter, inspectâ Pontificis etymologia, nempe à *posse*, & *facere*, nomen Papæ, licet olim fuerit etiam Episcopis tributum, nunc solùm Vicario Christi convenire: unde Gregor. VII. anno 1073. Romæ Synodum instituit contrà Schismaticos, in qua statuit, ut Papæ nomen unicum esset in universo Orbe Christiano, nec liceret alicui seipsum, vel alium eo nomine appellare; ut tangit Baronius in notis ad Martyrolog. Rom. die 9. Aprilis, cum Bellarm, & aliis.

15 Infero undecimò, omnes Christi fideles teneri aliquo modo, saltem precibus, si aliter non possunt, Principem Catholicum, bellum cum Infidelibus habentem, adjuvare, ut eos vincat, & victos ad veram pacem cum Ecclesia universali perducat; ideoquè cum eadem Ecclesia omnibus repetam, quod in Conc. Trid. *sess 18. Decr. de lib. delect.* dicitur „ Quoniam verò „cadem sancta Synodus ex corde optat, deumque enixe rogar, quæ ad pacem sunt Ecclesiæ, „ut universi communem Matrem in terris „agnoscentes quæ quos peperit, oblivisci non „potest, unanimes uno ore glorificemus Deum, „& Patrem Domini Nostri JEsu Christi, per „viscera misericordiæ ejusdem Dei, & Domini „Nostri, omnibus, qui nobiscum communionem non habent, ad concordiam, & reconciliationem, & ut ad hanc Sanctam Synodum „veniant, invitat, atque hortatur, atque charitatem, quod est vinculum perfectionis, am„plectantur, pacemque Christi, exultantem in cordibus suis, præseferant, in quam vocati sunt, in uno corpore.

III. DIFFICULTAS.

An liceat Principi suâ lege prohibere, nè bona immobilia, jure belli, aut alio justo titulo acquisita, vendantur cuicunque sine sua licentia, exceptis Nobilibus, & Militibus.

Notandum primò, duplicem esse legem, Divinam nempe, & humanam; Divinam sic dictam, quia à Deo emanavit; & de ista hic non loquimur: humanam, quam sic nuncupamus, quia dependet ab humana potestate; sivè potestas illa immediate data sit homini à Deo, ut est Pontificia potestas, sivè mediate, ut Imperatoria, & Regia, quæ sunt Potestates, à quibus Mundi gubernium dependet. 1

Notandum secundò, legem humanam variè ab Authoribus definiri, à Cic. *lib. 6. de Repub.* ad quem accedit Lactantius, *lib. 6. cap 7.* sic „ Lex est recta ratio naturæ congruens, diffusa „ in omnes constans, sempiterna, quæ vocat ad „ officium jubendo, aut vetando à fraude deter- „ ret; à S. Anton. Sylv. Tabien. & aliis, quos „ producit Sayr. *in Clavi Regia, libr. 2. cap. 1. numer. 2.* sic, Lex est rationis ordinatio, homi- „ ni, quid agendum, quidvè non agendum sit, „ ostendens, in omne bonum instituta, à qua non „ discordat illa, quam affert Clemens Alexan- „ drinus, *lib. 1. strom. circâ fin.* scilicet, Lex est recta ratio, quæ jubet quidem ea, quæ sunt „ facienda. Mihi verò omnium optima videtur, „ illa esse, quam producit D.Thom. *1. 2. quæst. 90. art 4. in corp.* „ Lex nihil aliud est, quàm quædam rationis ordinatio ad bonum commune „ ab eo, qui curam communitatis habet, pro- „ mulgata. Ex quo patet, legem pro nullo privato commodo, sed pro communi utilitate Civium debere esse conscriptam; & Arist. *lib. 4. Polit. cap. 1.* ait „ sunt autem leges omnes ad Rempublicam accommodandæ, non autem Res- „ publicæ ad leges. „ 2

Notandum tertiò, quòd lex humana potestatem habet obligandi transgressores, quamvis non semper, ut infra explicabitur, ad peccatum mortale, ut ex locis Sacræ Scripturæ optime probat Sayr. *in sua Clavi Regia, lib. 3. cap 6. sub. num. 2.* & præsertim lex Ecclesiastica, ad quam condendam adest in Ecclesia potestas, ut fatentur omnes Catholici contrà Wicleff, quod patet ex articulo ejus 38. damnato in Concil. Constantiensi, *sess. 8.* & Joan. Hutz, quod patet ex articulo ejus 15. damnato in eodem Conc. *Sess. 15.* contrà Lutherum ut constat ex Bulla Leonis X. *Exurge Domine*, ubi inter cœteros ejus errores damnatur 27. contrà Calvinum, *lib. 4. Instit. cap. 10.* & contra alios Hæreticos, andacter negantes, adesse in Ecclesia potestatem condendi leges obligantes in conscientia ad earum observantiam. 3

Notandum quartò, dari in Republica Christiana corpora perpetua, videlicet Cathedrales, vel Collegiatas Ecclesias, Monasteria, Xenodochia, Confraternitates, & alias Universitates, 4

quæ

quæ publico Bono, tùm spirituali, tùm temporali prosunt; siquidem in eis, aut Horæ Canonicæ recitantur; aut infirmi pauperes curantur; aut Disciplinæ Sacræ, & bonæ litteræ docentur; unde meritò in Conc. Constan. *Sess. 8.* fuit damnatus articulus 29. Joan. Wicleff, qui est, *Universitates, Studia, Collegia, Graduationes, & Magisteria in eisdem sunt vana gentilitate introducta, & tantùm prosunt Ecclesiæ, sicut Diabolus.*

5 Notandùm quintò, legem sive titulum de amottizatione bonorum ex ipsis terminis repugnare Immunitati, & Libertati Ecclesiasticæ: siquidem amottizatio est verbum Gallicum *Amortissement*, quod translationem ad manus mortuas significat; & ita hic terminus intelligitur, non solùm in Regno Galliæ, ut notat Ægydius. *tract. de amortizationib* in princ. sed etiam in Regno Valeotiæ, ut refert Petrus Belluga *in speculo Principum, Rubr. 14. §. Veniamus, num 29.*

6 Notandum sextò, manus mortuas appellari Ecclesias, Capitula, Collegia, Universitates, & similia Corpora. De Ecclesiis quidem est Text *in cap. Liberti, causa 12. quæst. 2.* & notant Andr. & cæteri *in cap 1. de alien. Feud.* & alienationem bonorum in manus mortuas amottizationem dici, eò quòd talia quodamodò mortificantur bona; cùm præfata corpora quidquid semel acquirunt, & in suam potestatem redigunt, tam firmiter retineant, sicut manus hominis morientis, quæ id, quod in articulo mortis comprehendit, firmissimè conclusum tenet, ut inquit Petrus Pechius *tract. de amort. bon. cap. 2.*

7 His adnotatis; ad difficultatem propositam; an liceat Principi suâ lege prohibere, nè bona Immobilia jure belli, aut alio justo titulo acquisita, vendantur unicuique sinè sua licentia, exceptis Nobilibus, & Militibus, videtur affirmativè respondendum. Siquidem Principi licitum est suo statuto prohibere nè merces cujusvis generis exportentur è Provincia, vel inferantur; quamvis hujusmodi Statutum comprehendat quoscumque: Ergò pariter ei licebit suâ lege prohibere, nè bona immobilia jure belli, acquisita cuique vendantur, exceptis &c. Prætereà, fas est Principi præscribere eas leges, quas vult rebus immobilibus subditorum, ut tradunt Doctores, & inter eos Cujacius apud Aug, Michel, *in Discuss. Theol. jur. discus. ad leg. amortiz.* Prætereà, ex nullo alio titulo potest hujusmodi lex esse illicita, nisi quia videtur excludere Ecclesias, & Ecclesiasticos: sed iste titulus non efficit, nàm quilibet Testator potest repellere hæredem à sua hæreditate, si Monasterium ingrediatur, & Monachus fiat, ut sua bona conservêntur in familia: Covart. *var. resol lib. 1. cap. 19. num. 8.* Mantica *de conject. ult. volunt l. 11 tit. 7. num. 18.* & ideò à fortiori licebit Principi suâ lege, vel suo statuto decernere de bonis immobilibus, quæ sunt sub sua ditione, prohibere eorumdem alienationem in Ecclesias, vel Ecclesiasticos. Prætereà, Privati possunt licite cavere paciscendo, nè bona sua alienentur in Ecclesiasticos, ut tradunt Gloss. Abb, & alii Canonistæ *in cap. Potuit, extrà, de locat*, Gloss. & Doctores, *in l. fin. Cod. de jur. Emphit.* quisque igitur tenetur concedere, id multo magis fieri posse per legem publicam Principis. Et denique Summus Pontifex scit in aliquibus Provinciis, & Regnis hujusmodi leges promulgari, & observari, & nihil dicit; quod sane sufficienter manifestat, illicitas minime esse; cum Pontifici non sit dissimulate, nec tacere libertas cui major cunctis Christianæ Religionis zelus incumbit, ut dicit Tex. *in cap. Officii nostri, causa 24. quæst. 1.*

Hæc opinio, primò aspectu, aliquam probabilitatem videtur habere; nihilominus, si suditos perpendatur, Immunitati, & libertati Ecclesiasticæ repugnare clarissime constabit; atque adeò contrarium absolutè sentimus, videlicet nequaquam licere Principi suâ lege prohibere, nè bona jure belli, vel alio titulo acquisita, vendantur cuicunque, Nobilibus, & Militibus exceptis, & ita nobis consentire videntur Petrus Jacob de Aurillaco Gallos, *in suis libellis, tit. de causis, ex quibus Vassalus debeat amittere feudum*, col. 26. vers. *quidam verò spretis juribus.* Joannes Valerus Hispanus, *in suis differrentiis*, verb. *Bona, Diff 3.* Felin. *in cap. S. Maria, de Const. num.* 86. Syl. *v. Immunitas 2.* Diana, *p. 1. tract. 2. resol.* 104. Lapus, *allegat.* 92 *num.* 7. Antonius Bovius, Julius Roffus, Fagnanus, Fraocifcus Cælios, Anastasius Germonius, & alii, quos producit, & sequitur Thom. Del Bene, *p. 1. de Immunit. Eccles. cap. 8. dub. 12. num. 1. & seq.* & novissime Augustinus Michel in tota sua doctissima Discussione Theologico-Juridica, & maxime *cap. 2. §. 5.* & alii omnes, qui asserunt legem amortizationis Immunitati, & Libertati Ecclesiasticæ repugnare. 8

Moveor primò juribus, *in cap. fin. de Immunit. Eccles.* ubi dicitur, Dominos temporales qui prohibent subditis, nè cum personis Ecclesiasticis contrahant, vel eis communia obsequia exhibeant, ipso facto excommunicationem incurrere: *in l. Privilegia, Cod. de Sacros. Eccles.* ubi imperator aperte præcipit, omnes pragmaticas sanctiones, quæ contrà Canones Ecclesiasticos, interventu gratiæ, vel ambitionis elicitæ sunt, robore suo, & firmitate vacuatas cessare Et idem habetur, *in l. 13. & l. 15. Cod. eod.* Nec non Authen, *Cassa, Cod. eod.* ubi Fridericus Imperator revocat omnia statuta contrà libertatem Ecclesiasticam, & adversus Canonicas, & Imperiales sanctiones, & nova ficti prohibet; & quamvis hujusmodi revocatio, & prohibitio videatur comprehendere solam Italiam, attameo Glos. ibi, verb. *per totam Italiam*, extendit ad alias partes, sic dicens, ibi maxime fiebant, si tamen „ & alibi in Romano Imperio hæc fiant, „ eadem est æquitas: ergò idem jus, *ut ff. de verb. oblig. l. Titia*, in fin. *& ff. ad leg. Aquil. l. Illud.* Quod verò lex, de qua nostra procedit difficultas, repugnat Immunitati, & Libertati Ecclesiasticæ, clarè ex motu sequenti patebit, 9

10. Move-

10 Moveor secundo rationibus; ut enim lex sit justa, & licita, debet esse proportionata Bono communi, quod est finis legis; quia, ut notavimus, & Isidorus relatus à D. Thom. 1. 2. *quæst. 96. art.* 1. in corp. dicit *in lib. Etymologiarum*, „ nullo privato commodo, sed pro com„muni utilitate Civium lex debet esse conscripta, „ Bonum autem commune, subdit D. Thom. „ loc. cit. constat ex multis, & ideò oportet, le„gem respicere multa, & secundùm personas, „ & secundùm negotia, & secundùm tempora: Lex verò, de qua est sermo, non respicit bonum commune, sed particulare, nempè bonum Nobilium, & Militum; neque plures, cùm excludat omnes, aliquibus exceptis: Ergò non est bono communi proportionata: Ergò injusta, & illicita. Tum quia, hujusmodi lex repugnat Immunitati, & Libertati Ecclesiasticæ; dictio enim *quisque*, aut *quicunque* est propriè collectiva, sicut dictio *omnis*, non autem distributiva, *l. hoc articulo*, in princ. & ibi DD. *ff. de hered. instituendis*, ubi aperitè dicitur, hoc articulo *quisque* omnes significari. Alex. *in l. Centurio, ff. de vulg. & pub. num. 68*, sicuti etiam dictio *Quibuscunque* est universalis, & comprehendit omne genus personarum, ut probat Tiraq. *in Tract. de Retract. consang.* §. 1 *gl 7. num.* 20. & 22. Menoch. *in cons.* 324. *num* 7. & ideò lex, quâ Princeps prohibet, ne bona immobilia jure belli acquisita vendantur cuicunque, exceptis &c. absque sua licentia, excludit quoque Ecclesiasticos, qui comprehenduntur in dictione *cuicunque*, à comparatione talium bonorum, quod sufficit ad violandam libertatem Ecclesiasticam, Statuta enim contra libertatem Ecclesiasticam dicuntur, quando directè, vel indirectè sunt contra privilegia, vel prærogativas concessas Ecclesiis, vel Ecclesiasticis Personis, seu piæ causæ, à Papa, vel à Principe sæculari, ut demonstrat Innoc. *in cap. Noverit, num.* 5. & 2. & ibi Butr. *de sent. excomm.* Abb. *cons.* 63. in princ. *p.* 1. Card. Tuschus, *tom.* 5. *lit. L. Conclus.* 342. *num* 12. Barbos. *tom.* 2. *in Jus Pontif. in cap. ult. de Reb. Eccles. non alien.* Quapropter Glos. *in cap fin. de immunit. Eccles. in* 6. dicit, quòd prohibitio directa ab subditos, ex qua indirectè præjudicatur Clericis quoad ipsorum libertatem non tenet, Tum etiam, quia quomodo potest in lege, prohibente cuicunque alienationem bonorum absque licentia Principis, salvari libertas Ecclesiastica? Si enim requiritur Domini temporalis licentia pro hujusmodi alienatione, ab eo sanè dependet omnis contrectatio, & consequenter non est libera. Denique Constantinus Magnus ad Fidem Catholicam conversus abstulit legem, *Collegium* 8. *Cod. de hered. instituendis*, aliasque iniquissimas leges Ecclesiasticæ libertati repugnantes, ut videre est *in l.* 1. *Cod. de Sacros. Eccles.* ubi Imperator libertam statuit potestatem instituendi Ecclesiasticos in quibusvis bonis, tam mobilibus, quàm immobilibus; & successivè multò magis concessit facultatem quæcumque bona donandi, aut per contractus inter vivos pro pretio alienandi in Ecclesias, & Ecclesiasticos.

11 Moveor tertiò exemplo, in Philippo II. Hispaniarum Rege, qui, ut refert Guevata, *in propugnat. libert. Eccles.* §. 6. *num.* 21. revocavit legem amortizationis, latam à Joanne II. quâ prohibebantur subditi alienare bona immobilia in manus non privilegiatas, tanquam repugnantem libertati Ecclesiasticæ: Nec non in Carolo II. Siciliæ Rege, qui similem legem revocavit, ut observat Th. Del Bene loc. cit. *num.* 4.

Concludimus igitur, Principi nequaquam fas esse sua lege prohibere, ne Bona jure belli, aut alio titulo acquisita, vendantur cuicunque, Nobilibus atque Militibus exceptis, absque sua licentia, cùm in consequentiam Personæ Ecclesiasticæ, & Collegia, Universitates, Xenodochia, aliaque Loca pia, quæ manus mortuæ dicuntur, exclusionem à comparatione talium bonorum patiantur, quod sufficit ad violandam libertatem Ecclesiasticam. 12

Ad opposita respondemus: Ad primam, concedendo ant. scimus enim secundùm sententiam communiorem Canonistarum, & Theologorum, Suarez, *lib.* 3. *de legib. cap.* 14. *num* 6. Diana, *p.* 1. *tract* 2. *resol.* 7. Laym. *lib.* 1. *tract* 4. *cap.* 13. in princ. Sayr. *in Clavi Regia, lib.* 3. *cap.* 4. *num.* 16. esse servandas etiam à Clericis, aliisque Personis Ecclesiasticis leges, sive Constitutiones civiles, quæ non repugnant Sacris Canonibus, & statum Clericalem minimè dedecent, sed ob publicam utilitatem Reipub. ejusque bonam gubernationem latæ sunt, circa materiam Communem Clericis cum aliis juribus; & quæ æque ab omnibus servari queunt absque ullo injusto gravamine Clericorum, quæ videlicet eos obligant, quoad vim directivam, non autem quoad vim coactivam, sive reatum, & obligationem ad pœnam: Et negando consequentiam, quia lex, quâ Princeps prohibetet, ne venderentur bona immobilia cuicunque, non foret lex communis; non enim contineret materiam communem; ideoque nec justa esset, nec pertinere ad personas Ecclesiasticas posset: At lex de non evehendis mercibus ponitur communis, omnes promiscue obligans, videlicet Laicos, & Clericos, hos tamen juxta præfatam distinctionem vis directivæ, & non coactivæ. 13

Ad secundum, distinguendo pariter ant. Potest Princeps rebus subditorum leges præscribere quascunque vult, si ex illis nullum detrimentum, nec directè nec indirectè libertas Ecclesiasticorum patiatur, concedimus: Secùs verò, negamus: Demonstravimus enim præjudicium saltem indirectè Clericis, seu Personis Ecclesiasticis inferri, quando bonorum immobilium alienatio in quoscunque prohibetur. 14

Ad tertium, concedendo majorem: Negando minorem, & paritatem probativam; siquidem personæ privatæ de rebus suis disponunt jure dominii, & proprietatis, cum quilibet sit rei suæ moderator, & arbiter, juxta Text. *in l. In re, Cod. mandat.* adeòque sicuti possunt eas omninò distrahere, & abjicere, sic pariter possunt eas relinquere tantummodò suæ familiæ cum exclusione Monasterii; quod propterea non est contra bonos mores. Principi verò non competit dominium, & proprietas rerum, quæ pertinent ad privatos, ut tradit com- 15

communi sententia, Feliu. *in cap. Quæ in Ecclesiarum, num. 26. 27. & 33.* Ahb. ibid. *num. 10. & 11. extrà de Constitut.* & successivè, si Princeps disponit de aliqua re, necessariò disponit jure jurisdictionis, quæ non potest extendi, sive directè, sive indirectè ad Ecclesiasticos, qui non sunt subditi absque præjudicio eorum libertatis, sive à jure naturali, sive gentium, sive aliunde quæsitæ.

16 Ad quartum, eodem modo respondetur: Non enim valet arguere à Privatis ad Principes, ob rationem in antecedenti responsione allatam; quemadmodùm non valet argumentum à Principibus ad Privatus circa rerum dispositionem, & alia.

17 Ad quintum, quòd quamvis Summus Pontifex sciat in aliquibus Regnis hujusmodi leges promulgari, & observari, & tolerer; nihilominùs in his, quæ sunt contrà libertatem Ecclesiasticam, tolerantia non est approbativa, ut testatur discordia, habita super hoc inter Pontificem Paulum V. & Rempublicam Venetam, Anno 1606. sed tantummodò permissiva, ad vitandum scilicet majora incommoda, ut ostendunt DD. inter quos Thom. Del Bene, loc. cit. *num. 6.* Quod enim Ecclesia permittit, nolens permittit, juxta Text. *in cap. Hac ratione, causa 31. quæst.* 1. ubi dicitur: *Quod enim permittimus, nolentes præcipimus*, id est Glos. *permittimus, quia malas hominum voluntates ad plenum prohibere non possumus.*

18 Infero primò ex dictis, cuilibet liberum esse sua bona, tam mobilia, quàm immobilia relinquere quibuscunque personis, Monasteriis, Ecclesiis, Xenodochiis, Communitatibus, alisque Corporibus perpetuis, seu immortalibus, quæ manus mortuæ nuncupantur.

19 Infero secundò, ad condendam hujusmodi legem, seu legem, qua prohibeantur subditi vendere sua bona quibuslibet, requiri Sanctæ Sedis consensum, scilicet Summi Pontificis, aut Concilii generalis, à quibus, gravi causâ existente, potest sæcularibus Principibus aliqua jurisdictio in Ecclesiasticos permitti; quod est extra controversiam, ut tradunt Laym, *Theol. Moral. lib. 4. tract. 9. cap. 8. num. fin.* Diana, *tract. 2. de immunit. Resol. 6.* & alii. Scimus enim quod Concilium Universale Lugdunense II. sub Gregorio X. Anno 1274. celebratum, Regibus Galliæ toleravit jus Regaliæ in illius Regni Ecclesiis, in quibus ab immemoriali tempore exercitum erat; impositâ pœnâ excommunicationis latæ sententiæ, si illud jus extenderetur ulterius ad alias Diœceses, tunc ab exercitio Regaliæ immunes: Adest Textus, *in cap. Generali, de elect. in 6.*

20 Infero tertiò, justè excommunicari *in cap. fin. de Ecclesiarum immunit. in 6.* Dominos temporales, qui interdicunt suis subditis, ne Prælatis, aut Personis Ecclesiasticis quidquam vendant, aut emant ab eis: Item, ne ipsis frumentum molant, coquant panem, &c.

21 Infero quartò, statuta, quibus Laicis interdicitur, ne bona immobilia vendant Clericis, aliisve, vocari solita decreta amortizationis, cùm inhibeant bona Laicorum venire in manus Locorum piorum, quæ sunt immunia à morte, ac mutatione, seu sunt immortalia, & nequeunt ampliùs in Laicos alienare, quæ semel acquisivere.

Infero quintò, Episcopum nullatenùs posse jurisdictionem exercere in Exemptos à sua jurisdictione, ne indirectè quidem, putà, prohibendo suis subditis, ne cùm illis communicent; quod habetur *ex cap. Quanto, extrà, de privilegiis*, ubi declaratur, privilegia non esse extendenda extra personas, locum, aut rem, quibus concessa sunt, ut optimè explicat Andr. Vallensis, *in Paratit. jur. Canonici, sub tit. 3. § 1. num. 2. & 3.* August. Michel, *in Discuss. Theolog. jurid. cap. 2. §. Sit tertium,* Privilegia enim nec indirectè sunt violanda. 22

Infero sextò, id, quod à lege permittitur, etiam in foro conscientiæ licere, ut voluit D. Thom. quem refert, & sequitur Flor. de S. Petro, *in l. Ex parte hæres, ff. Famil. ercisc.* & tradit Card. Albanus, *in Lucubrat. in Bart. in l. 1. ff. de legib. num. 3.* Secùs verò, saltem universaliter, id, quod Legislator tolerat. 23

Infero septimò, constituente Republica rebus venalibus pretia, Clericos clarius eas vendentes peccare mortaliter, & ad restitutionem excessuum teneri, sicut Laici; cùm hujusmodi lex pretium taxans, consulat bono communi, & necessitati omnium præsertim Egenorum. Sic etiam Sayr. *in Clavi Regia, lib. 3. cap. 4. num* 17. Hoc patet, potuisse licitè Carolum V. Anno 1539. in Hispania, & maximè in Regno Castellæ, ob magnam sterilitatem, & penuriam aquæ, talem legem constituere: Quod referunt, & approbant Alphonsus à Castro, *lib. 1. de potest legis pœnal. cap. ult.* Michael Salon, *in 2. 2. tom. 2. quæst. 77. art. 1. controvers.* 10. 24

Infero octavo, Clericos, & alias personas Ecclesiasticas, teneri servare leges, aut statuta Laicorum, seu non esse exemptos ab obligatione directiva legum civilium, aut statutorum, quæ non repugnant Sacris Canonibus, vel statui Clericali, & quæ ad bonum statum Reipub. conducunt. Angelica, *v. lex, num. 5.* Sylv. & alii innumeri, quos producit, & sequitur Sayr. loc. cit. *num. 16.* ubi dicit hanc opinionem esse communem. 25

Infero nonò, peccare mortaliter Clericos extrahentes tempore belli, vel alio quòvis tempore equos aut alias res contra edictum, seu præceptum Regis, statuentis ob bonum commune, ne quis sine licentia equos, aut alias res à suo Regno ad alium Regnum transferat per quoscumque contractus, sive venditionis, sive emptionis, sive permutationis: Nobis consentit Thom. Zerola, *in praxi Episcopali, tom. 1. v. prag. dub.* 2. & hanc legem esse in Regno Castellæ, testatur Alphons. à Castro loc. cit & habetur *in lib. 6. Regalium Ordinationum, tit 9. leg. 10.* Contrarium, nempè Clericos non peccare transferentes, &c. tenet Navar. *in cons. 3. in novis, & in antiquis, de Constit. cons. 4.* 26

Infero decimò, subditos, quando lex non videtur ita manifestè bonum commune respicere, non debere facilè judicare eam esse iniustam, 27

sed

fed teneri judicium formare in favorem legis; cùm fæpè fæpiùs caufa finalis legis lateat fubditos. Prætterquam quòd, id, quod videtur pertinere ad commodum Principis, ut plurimum refertur ad bonum commune.

28 Infero undecimò, debere Principes, antequàm novas leges condant, fummâ maturitate ponderare, non folùm, an id expediat pro Reipublicæ utilitate, ut admonet Tacitus *lib. 2. hift.* fed etiam, an ex legibus ferendis poffit aliquod detrimentum pati Libertas Ecclefiaftica: Siquidem quemadmodum leges utiles plùs Reipublicæ profunt, quàm arma, ut advertit Illuftriffimus de Zaulis, *tom. 2. ad Statuta Faventia, ad Rubr. 7. lib. 5. num 88.* ita inconfultæ, & Libertatem Ecclefiafticam offendentes, plùs nocent, quàm hominum interneciones.

29 Infero duodecimò, effe omninò explodendam, tanquàm juribus, & rationi oppofitam, illam perniciofiffimam regulam, à Politicis propagatam; nempè quòd ratio boni publici, vel neceffitas det jurifdictionem, feu modus fit acquirendi jurifdictionem, ubi nulla fubeft; nam hæc, vel eft ordinaria, vel extraordinaria: Si ordinaria, dumtaxat conceditur vel à lege, vel à Principe nullum fuperiorem recognofcente, vel à confuetudine legitimè præfcriptâ. Si verò eft extraordinaria, feu delegata, à Judice ordinario datur: Quod etiam notat Michel, *in fua Difcuff. Theol. jurid. cap. 2. §. 3. n. 2.*

30 Infero decimo tertiò, violari Ecclefiæ libertatem, fi Refpublica ftatuat, ne per fuos Judices reddatur jus alicui Prælato, puta Epifcopo contra fuos debitores; fit enim contra privilegium omnibus Clericis conceffum. *Cod. de Epifco. & Cler. Auth. ftatuimus*, & hoc probat etiam Tex. *de excep. cap. 2. in 6.* & ratio eft, quia in tali cafu non læditur particularis Prælatus tantùm, ut fupponit Innoc. relatus à Sylv. *v. Immunitas 2. num 3.* fed tota univerfalis Ecclefia, & ejus libertas, ut optimè probat Sylv. loc. cit. ubi pro fe allegat Zaba.

31 Infero decimo quartò, leges humanas dici juftas & triplici titulo, nempè ex fine, ex actore, & ex forma: Ex fine quidem, quando ordinantur ad bonum commune: Ex actore verò, quando lex lata non excedit poteftatem ferentis; & denique ex forma, quando fecundùm æqualitatem proportionis imponuntur fubditis onera in ordine ad bonum commune. Hæc D. Th. 1. 2. *quæft. 96. art. 4.* in concl.

32 Infero decimo quintò, leges humanas, fi juftæ funt, habere vim obligandi in foro confcientiæ à lege æterna, à qua derivantur, juxta illud Prov. 8. *num. 15. Per me Reges regnant, & leges Conditores jufta decernunt.* Et facit *l. feu Ep. Inter claras, Cod. de Sum. Trinit.* & ita præter D. Thom. loc. proximè cit. tradunt Alex. *in conf. 65. in 6. Volum.* & alii, quos allegat & fequitur Card. Albanus, *in Lucubrat. in Bart. tom. 1. in l. 1. ff. de legib. num. 6.*

33 Infero decimo fextò, teneri Principes quoad vim directivam, leges fuas in confcientia obfervare, & id quidem ex difpofitione omnium jurium: Divini fcilicet, quia à Chrifto Domino Matth. 23. reprehenduntur, qui dicunt, & non faciunt, & qui aliis onera gravia imponunt, & ipfi nec digito volunt ea movere. Canonici, ut colligitur ex *cap. Pro illorum, de præbend.* ubi Innoc. Papa III. ait: *Cùm nobis legem imponere non debeant, quam ipfi negligunt obfervare; & ex cap. Cum omnes, de Conftitut.* ubi idem Pontifex dicit: *Cùm igitur quod quifque juris in alterum ftatuit, ipfe debeat uti eo.* Civilis denique, ut habetur *in l. 4. Cod. de legib. & Conftitut.* ubi habetur: *Digna vox eft majeftate regnantis, legibus alligatum fe Principem profiteri.* Et hoc pariter comprobat fuo dicto Sapientis authoritas, nempè Catonis, relato ab Innoc. III. *in d. cap. Cum omnes*, & D. Thom. *1. 2. quæft. 96. art. 5. ad 3.* & ratio eft, quia leges humanæ ordinantur ad bonum commune, cui non folùm Cives, fed etiam Princeps tenetur confulere, ut docent D. Thom. loc. proximè cit. Sayr. *in fua Clavi Reg. lib. 3. cap. 4. num.* 10. & alii afferentes, Principem fuis legibus quoad vim coactivam, & pœnas in foro exteriori effe omninò folutos; quod utique & nos lubenter admittimus.

Infero decimo feptimò incidenter, ad dignofcendum, quando leges Canonicæ obligant fub mortali, effe confideranda verba legis, quando claré non conftat de intentione Legiflatoris. 34
Quando enim verba funt præceptiva, puta: *Præcipimus, Mandamus, Jubemus, Probibemus, Inhibemus, vetamus, Interdicimus*, vel præceptivis æquipollentia, puta: *Debeant, Teneantur, Neceffariò, Neceffe eft, Non licet, Non poteft:* tunc fignum eft, illius Legis, feu Canonis transgreffionem effe culpam mortalem. Quoad verbum *Oportet* eft controverfia inter Doctores, an fit præceptivum, vel præceptivo æquipollens, ut funt. *Decernimus, Statuimus, Ordinamus, Volumus, Sancimus*; dummodò non adfit pœna gravis, puta excommunicatio, degradatio, privatio Ecclefiafticæ fepulturæ, mors, carcer perpetuus, confifcatio omnium bonorum, infamia, fed pœna levis, non obligant fub mortali. Secùs verò, fi ponerentur præfatæ pœnæ, quæ non nifi pro mortalibus infliguntur. De irregularitate verò, & fufpenfione dubitant Doctores, an fint numerandæ inter pœnas graves, & fucceffivè conftituentes earùm transgreffionem in linea culpæ gravis, aut inter leves; cùm hæ nonnunquam pro folo veniali peccato, & aliquando fine ulla culpa imponantur. Qui plura circa materiam in hac illatione contentam defiderat, infpiciat Joan. Medin. *Cod. de jejunio, quæft. 7. dub. 2.* Martin. Ledefm. *2. 4. quæft. 17. art. 2. dub. 6.* Alphon. à Caftro, *lib. 1. de poteft. leg. pœnalis, cap. 5. document. 4.* Sayr. *in Clavi Regia lib. 3. cap. 6. num. 19. & 20.*




IV. DIFFICULTAS.

An Clericus, si in bello justo pugnet, & occidat, vel mutilet ad defensionem Regis, vel Principis, quem videt occidendum ab hostibus, incurrat irregularitatem.

1 NOtandum primò, causam infligendæ pœnæ unam esse emendationem delinquentis, quando est pœna citra mortem: Textus est expressus, *l. si pœna. ff. de pœnis.*

2 Notandum secundò, legem etiam in odiosis, & pœnalibus extendi ad omnia, ad quæ verba extenduntur, *l. cum lege*, & ibi Glos. *ff. de testam.* & Dec *in l factum*, §. *in pœnalibus, ff. de regul. juris*, & eò magis, quia verba legis, juxtà finem, propter quem edita est, debent intelligi, *l. in agris, ff. de acquir. rer domin. cap fin. de praben.*

3 Notandum tertiò, quod quando causa finalis legis non extenditur ad aliquem casum, casus ille non comprehenditur sub illa lege; cùm verba legis, quantumcunque generalia sint, restringantur, & intelligantur juxta terminos suæ rationis, quæ dicitur legis anima. *Cap. Ratio nulla, de praben, l. cùm pater*, §. *dulcissimis, ff. de leg. 2.*

4 Notandum quartò juxta dicta, in lege magis esse attendenda, quæ comprehenduntur ex mente Legislatoris, quàm ea, quæ comprehenduntur ex verbis. Ita docet Bal. *in l. scire leges, ff. de legib.* Et à verbis recedimus, quando apparet de mente disponentis, *l. non aliter cum materia, ff. de leg. 3.*

5 His adnotatis; ad difficultatem propositam, an si Clericus in bello justo pugnet, & occidat ad defensionem Regis, vel Principis, quem videt occidendum ab hostibus, incurrat irregularitatem; negativè respondent Covar. *in Clem. Si furiosus, de homic.* §. *unica, num. 5.* Major, *in 4. dist. 15. quæst. 30.* Graff. *lib. 2. decis. cap. 65. num. 15.* Henriq. *lib. 14 cap. 11.* §. *3. versic. Tertio, num. 21. lit. O.* Card. *tom. 1. disquisit. 17. art. 12.* & alii plures, quos producit Sayr *in suo Thesaur. lib 6. cap. 17. num. 21.* §. *Secunda opinio*, Fundamenta hujus opinionis videntur esse, quia *in l. 5.* §. *Item Divus, ff. de sicar.* dicitur, homicidium illud esse impunitum, quod quis ad defensionem propriam, vel suorum commiserit, aut ad propulsandam injuriam à se, vel à suis: Et favet *cap. Error, 83. Dist.* ubi hæc, „ Negligere quippè, cum possis deturbare per„ versos, nihil aliud est, quàm fovere, nec „ caret scrupulo societatis occultæ, qui manife„ sto facinori desinit obviare. Et *cap Non in inferenda, causa 22. quæst. 3.* cujus verba hæc sunt. „ Non in inferenda, sed in depellenda injuria lex „ virtutis est. Qui enim non repellit à socio inju„ riam, si potest, tam est in vitio, quam ille „ qui facit. Ex quibus apparet, nos obligari uti mediis opportunis, non solum ad evitandam mortem patris, filii, aut alterius conjuncti, sed etiam cujuslibet extranei, si citra nostrum periculum possimus. Et *l. ex meo, ff. de servit. rustic. præd.* ubi habetur, Quòd homo homini officium debet. Quando igitur alterius occisio necessaria creditur ad nos defendendum, vel proximum nostrum, non potest dici, quòd inducat irregularitatem. Præterea, ut Clericus fiat irregularis debet committere actionem, quæ repugnet, seu sit inconveniens statui Clericali: At quisnam dixerit; defendere in justo bello Principem, aut Regem, ab hostibus occidendum, esse actum Clericali statui inconvenientem; cùm potius jure naturali ac divino debitus sit? Præterea, defendens se eum morte alterius, cum moderamine inculpatæ tutelæ, non fit irregularis. Clem. *cap. Si furiosus, homicid.* Ergò neque Principem defendendo ab hostium aggressione: ita enim videtur esse mens Pontificis, licet verbis non exprimatur; cum vita Principis sit necessaria ob bonum commune, quod in ejus morte, tempore præcipuè belli, damnum pateretur. Non est igitur credibile, quòd Pontifex velit denegare Bono communi privilegium: quod privato bono concedit, cum privato bono publicum sit præferendum. Deinde, quomodo possum meo privari officio faciendo id, ad quod aliquando ex præcepto charitatis, & ex jure teneor naturali? Dicitur enim Deutor. 6. Matt. 19. Luc. 10. *Diliges proximum tuum sicut te ipsum*: Idem *causa 18. quæst. 4. cap. pen. & de pænit. 2. Dist. cap. Charitas*, il secondo. Non apparet igitur credibile, ut quia teneatur lege charitatis, & lege naturæ defendere proximum cum tanto sui detrimento, scilicet reddendo se inhabilem ad Ordines Sacros recipiendos. Postremò, Moyses, qui erat Sacerdos, cum vidisset Hebræum ab Ægyptio injuriam accipientem, defendit eum, ita ut Ægyptium sterneret, atque in arena absconderet, ita S. Amb. *lib. 1. de Offic. cap. 36*, summæ virtuti hujusmodi Moysis actum attribuens; unde sanctus Moyses hinc priùs orsus est tentamenta bellicæ Fortitudinis Jeremias pariter, ut advertit Dionysius Carthusianus in Matth. *cap. 26. num. 51.* dixit Judæ Machabæo: Accipe gladium sanctum munus à Deo, quo „ deiicies Adversarios Israel. Petrus quoque Apo „ stolorum Princeps gladio Malchum in auricula „ percussit, seu mutilavit, ut suum defenderet Magistrum Regum Regem; quemque in hujusmodi mutilatione minimè peccasse verisimilius putant S. Amb. *in Luc.* S. Jo. Chrysost. *hom. 85, in Matth.* S. Leo, *Serm. 1. de pass.* S. Paschasius, *lib. 12. in Matth.* Beda hic, Tolet. *in cap. 18. Joan.* & meritò; cùm hoc fecerit pro amore, & ferventi zelo ergà Christum, qui gladium in vaginam convertere ei præcepit, cum gladio protegi minimè indigeret, ut explicat Diony. Carth. loc. cit. Actos igitur, qui non solùm immunes à culpa existimantur, sed etiam magnam merentur laudem, quæ præmium est virtutis, non possunt ulli pœnæ, & successivè irregularitati esse obnoxii.

Fateor hanc opinionem, non exiguam habere probabilitatem, ob rationes tam intrinsecas, quàm extrinsecas, quibus fulcitur, proptereà olim illi adhærere putabam; re tamen melius considerarâ, & unâ cum subtili Theologo, & Canonistâ examinata, nempe Fr. Bonaven- 6

naventura Sant' Elia à Panormo, S. T. M olim Examinatore Generali, & in Romana Cutia Procuratore, nunc Regen. General Tertii Ordinis S. Francisci, Sac. Congregationis Indicis Consultore, Sanctæque Romanæ, ac Universalis Inquisitionis Qualificatore, Amico meo charissimo, doctrinâ, & eruditione præclaro; contrariam, quæ videtur communis, tutior, in praxi consulenda, & sequenda, libentèr amplector cum Gloss. *in Clem. si furiosus*, verb. *suum*, *de homicid.* Pan. *in cap. Olim* 1. *num.* 15. *de restit spoliat.* & *in cap.* 2. *num* 3. *de vit.* & *honest. Cleric.* Angelica, *v defensio*, § 3. & *v. homicidium* 3. §. 3. S. Anton. 3. *p. tit.* 29. *de irregul cap* 2. §. *homicidium facto* Sylv. *v. homicidium* 1. *quæst.* 9. *vers Quartum*, & *v. Excommunicatio* 6. *quæst.* 9. Navar. *in Man cap.* 27, *num* 213. *vers. Quarto.* Tabiena, verb. *irregularitas* 2 § *vigesimoquintò*, & *vigesimoseptimo.* Medin. *lib.* 1. *instruct. Confess. cap.* 11. §. 10. Salon, *in* 2. 2 *quæst.* 64. *art.* 7. *controversia* 2. Tolet *lib. instruct. cap.* 27 *versic Tutus.* & est communis inter Thomistas, teste Salon loc. cit.

7 Moveor primò juribus, *d. Clement. si furiosus, de homicid.* ubi Clemens V. Summus Pontifex declarat, nullam adesse irregularitatem, quando aliter mors propria vitari non potest, „ nisi infasotis occisione. En verba Tex. Si fu„ riosus, aut infans, aut dormiens hominem „ mutilet, aut occidat, nullam ex hoc irregu„ laritatem incurrit. Et idem de illo censemus, „ qui mortem aliter vitare non valens, suam „ occidit, vel mutilat invasorem; atqueadeò secùs dicendum est de occisione pro vitanda Proximi morte: quando enim nec lex, nec causa finalis legis extenditur ad aliquem casum; casus ille non comprehenditur sub illa lege, ut notavimus. Et *cap. In lectum*, *causa* 34. *quæst.* 2. ubi dicitur, actionem aliàs ex sui natura peccaminosam, sed ratione ignorantiæ invincibilis, vel aliarum circumstantiarum excusabilem, esse pœnitentiæ obnoxiam.

8 Moveor secundò rationibus in jure fundatis: nàm verba legis, juxtà finem, propter quem edita est, tantummodò debent intelligi, *l. In agris. ff. de acquir. rer. dom. cap. fin. de preben.* Lex verò, seu d. Clem. edita est pro liberando ab irregularitate occidente invasorem ad defendendam propriam vitam, Ergò nullatenùs debet intelligi de occidente ad defendendam vitam proximi. Tùm quia in quailbet lege duo considerantur, nempe verba legis, & mens Legislatoris; at in Clementina, *si furiosus*, neutrum favet occidenti, aut mutilanti ad proximum defendendum; non verba, quia comprehendunt solùm occisionem pro vitanda morte propria: non mens Summi Pontificis, seu Legislatoris, quia generaliter, & absque ulla restrictione fuisset locutus,

9 Moveor tertiò exemplo à pati in aliquibus, relatis *in Capitul. Excommunicatorum. causa* 23. *quæst.* 5. qui interfecerunt quosdam excommunicatos, & sciscitanti ab Urbano II. Godefredo, Lucano Episcopo, quantam pœnitentiam debuisset eis imponere; respondit Summus Pontifex sic,, Non enim eos homicidas arbitramur, quos adversùs excommunicatos, „ zelo catholicæ matris Ecclesiæ ardentes, ali„ quos eorum trucidasse contigerit. Ne tamen „ ejusdem Ecclesiæ matris disciplina deseratur,„ eo tenore secundum, quem diximus, pœni„ tentiam eis indicito congruentem; qua divi„ næ simplicitatis oculos adversùs se complacare,„ valeant, si fortè quid duplicitatis pro humana „ fragilitate in eodem flagitio incurrerint: Ex„ quibus verbis satis clare apparet, non esse ab „ omni pæna immunem eum reputandum, qui„ alios occidit etiam ex zelo, sivè ex charitate, cùm debeat pœnitentiam sibi imponendam subire; & successivè non effugere irregularitatem, quæ tota pœna esse potest in occisione minimè peccaminosa, eum, qui alios ad proximum defendendum occideret,

Concludimus igitur, Clericum nostrum, si in bello justo pugnet, vel occidat, vel mutilet, ad defensionem Regis, vel Principis quem videt occidendum ab hostibus, incurrere irregularitatem, licet hoc possit facere sinè omni peccato, quando vellent hostes injustè hujusmodi internecionem patrare, & non posset alio modo impediri. 10

Ad opposita respondemus: ad jura, ad ultimam rationem, & ad exempla, quòd probant tantùm in hujusmodi occisionibus nullum intervenire peccatum, seu has occisiones, & mutilationes licitas esse, quod nobis non obstat, quia irregularitas contrahitur sinè culpa, etiam ex merito, ut notat Gloss. *in d. Clem. si furiosus*, verb. *suum*, puta in Judice justè occidente. 11

Ad secundam rationem respondemus, negando non repugnare statui Clericali humani sanguinis effusionem: & ideò personæ Ecclesiasticæ in causis criminalibus, ne se pullant sanguine, solent delinquentes etiam Ecclesiasticos, ut notat Molf, *in summ p.* 1. *tract.* 11. *cap.* 19. *num.* 123. morte dignos Curiæ sæculari tradere, ut illos pœna mortis afficiat. 12

Ad tertiam rationem; concedendo antecedens, & negando consequentiam: quia defendens se cum morte alterius, declaratur immunis per Summum Pontificem ab irregularitate: Irregularitas enim est de jure humano, & super omne jus humanum est Summus Pontifex: quæ declaratio minime apparet in occisione patrata ob alios defendendum, 13

Infero primò ex dictis, fieri irregularem quoad ordines non solùm susceptos, sed etiam suscipiendos, eum, qui occidit, vel mutilat volentem occidere Regem, vel principem, Gloss. *in Clem* verb. *Nullam.* Quidquid dicat, & sentiat Gratianus, *in Cap. Illud, causa* 15. *quæst.* 1. 14

Infero secundò, esse irregularem eum, qui ad defensionem parentum, uxoris, aut filiorum, in bello justo aliquem occidit. Contrarium tenent sectatores sententiæ oppositæ, asserentes, quòd hujusmodi personæ in tali necessitate petinde habentur, ac si essent una persona cum ipso; & quisque potest seipsum defendere alium occidendo absque metu irregularitatis. 15

Infero tertiò, incurrere irregularitatem Clericum, qui in bello justo occidit aliquos, vel illos mutilat ob defensionem Patriæ. Cajet. Navarr, & alii, loc. cit. quod negant Valentia 2 2. *disp.* 3. *quæst* 16. *punct* 4. Palaus. *tom.* 1. *tract.* 6. *disp.* 5. *punct.* 6. *n.* 7. & 8. & alii. 16

17 Infero quattò, non ligari irregularitate Clericum, qui in justo bello licitè bellando, occidit, vel mutilat aliquem hominem, ut se defendat; cùm quilibet, non solùm possit, sed teneatur jure naturæ defendere propriam vitam. Ita docet etiam Hurtad, *de fide, disp. 169. de bello, sect. 14. subsect. 2. §. 140.* & est communis opinio. Contrarium tenet Majolus, *lib. 5. cap. 49. n. 4. §. Hac de iis.*

18 Infero quintò, esse obnoxium pœnis contra homicidas latis eum, qui tenens gladium in manu, non potest resistere, quin gladius sibi auferatur à volente occidere Episcopum, nisi ipsum auferre contendentem Interimat. Contrarium sentit Duardus, *in BullamCæn lib. 1. cap. 2. quæst. 1. addit. lit. A.* ubi etiam docet, posse, imò teneri ita facere Vassallum, ne Dominus occidatur, & militem pro belli Præposito; aliàs capite plecteretur.

19 Infero sextò, non fieri irregularem Judicem, aut Carnificem, si invasus à reo pro necessaria sui defensione occidat illum. Est communis sententia, ut notat Cespedes, *in dub. milit ar. dub. 15.*

20 Infero septimò, non esse irregularem eum, qui occidit furem nocturnum; cùm fur nocturnus possit occidi, ut habetur ad literam *in l. furem nocturnum, ff. ad leg. Cornel. de sicariis.* Exod. 22. *vers.* 2. ubi reus sanguinis est, qui furem diurnum, non autem, qui furem nocturnum occidit; dummodò in eo adsint quatuor conditiones; prima, ut fiat pro defensione sui, *cap. 2. de homicid.* secunda, ut clamet, quod pertinet ad forum externum, ut vicini possint testari; tertia, ut Dominus rerum non possit aliter furem capere; quarta, ut nequeat per testes furtum probare.

21 Infero octavò, non fieri irregulares Ecclesiasticos, si furem nocturnum occidant ad defendendum se dummodò adsint quatuor circumstantiæ supra notatæ; quia cùm jure naturæ id sit omnibus concessum, non debet denegari Ecclesiasticis. quod expressè habetur *in cap. Dilecto de sent. excomm. in 6.* & etiam *in cap. Olim 1. de restitut. spoliat.* & ita etiam docet Molfes. *in sum p. 1. tract. 11. cap. 19. n. 115.* ubi plures Doctores citat pro se.

22 Infero nonò, non fieri irregularem Clericum, qui revelat proditorem Patriæ, & Reipublicæ, aut malum imminens in futurum, factâ solitâ protestatione, etiamsi inde sequatur mors; cùm nullum Præceptum Ecclesiasticum juri naturali, aut præcepto divino repugnet. Ita etiam docet Sayr. *in Thesaur. lib. 6. de irreg. Cler. cap. 19. num. 5.*

23 Infero decimò incidenter, Patriam oppugnantes posse licitè occidi à liberis, & à parentibus. Ang. *in cons 23.* ubi multa scripsit de obligationibus erga Patriam. Card. Albanus, *in Lucubrat. in Bart. in l. lex Cornelia, ff. de injur. n. 10.* Injuria enim contra Patriam, vel contra Religionem illata, potest injuria propria appellari cujuscunque: Et ideò quemlibet posse eam tanquàm propriam prosequi, dixit Aog. *in §. fin. Authen. quomod. oport. Episcop.* Card. Alb. loc. cit. *& in l. veluti, ff. de just. & jur. num. 1.* allegat Goff. qui ex Text. *in l. minimè, ff. de Relig. & sumpt. funer.* dicit, quòd Pater potest pro Patriæ defensione occidere filium.

Infero undecimò pariter incidenter, non esse reprobandam doctrinam Soc. *in cons. 31. col. fin. in 1. vol.* asserentis, Patriæ magis, quàm Parentibus esse parendum, & magis Patriæ subveniendum, quàm liberis; neque Doctrinam, *consilio 12.* inter consilia Albert. Brun. ubi habetur, Patriam esse parentibus anteponendam; nam cuilibet chari sunt parentes, chari sunt liberi, & familiares, sed omnes hominum charitates in una Patria continentur, teste Cicerone *in lib. de Offic.* quem circa hanc rem citat Alex. *in cons. 134. col. 2. in 4. vol.* 24

Infero duodecimò, Clerico defendenti occisione, aut Parentes aut Principem, esse facilè concedendam dispensationem super irregularitate contractâ; cùm potuerit hujusmodi occisio esse licita, imò meritoria. 25

Infero decimo tertiò, in materia defensionis esse cautè procedendum quoad forum tam internum, quam contentiosum, quam possit quisque facilè decipi; nam Bart. *l. sed etsi quemcunque, ff. ad l. Aquil.* dicit, si Titius probat, aliquem venisse contra se cum gladio, & illum occidit, ex hoc probatam esse defensionem Titii; Contrarium verò videtur sentire idem Bart. *in l. scientiam, §. Qui cùm aliter, eod. tit.* ut notat doctissimus Cardinalis Albanus, *in Lucubrat. in Bart in d. l. sed & si quemcunque, ff. ad leg. Aquil. num 1.* ubi asserit in materia defensionis, sive sui, sive proximi, non esse prætermittendum Aret. *in cons. 34.* ibi optimè loquentem, & hanc materiam declarantem, & Philip. Dec. *in cons. 678. num. 1. 2. 3.* 26

V. DIFFICULTAS.

An Principi liceat, pro Bello justo indicendo, exigere aliquid à Subditis ultra consuetum, vel commune statutum, si suam pecuniam nondum totam consumpserit.

Notandum primò, subsidium charitativum dici instar actionis subsidiariæ, quæ datur, aliâ actione deficiente. Ita Bartholom. Bellinz. *in tract. de charit. subsid. quæst. 10. num. 2.* vel subsidium esse, quod, urgente necessitate, exigitur, & præstatur ut vu't. Craver. *in cons. 294. col. 8.* in princ. Et sic subsidium exigitur, cùm urget necessitas, & exigens non habet aliundè, ut sibi succurrat. 1

Notandum secundò, charitativum subsidium, quoad quantitatem exigendam, secundum Afflict. *decis. 136.* in Regno Neapolitano, esse decimam annui redditus: Secundùm Antonium ab Alex. quem refert Menoch. *de arbitr. jud. cas. 179. num. 3.* esse dimidium generalis collectæ; & secundùm Card. *in cap. Cum Apostolus, quæst. 7. de censib.* & Soc. jun. *cons. 16. num. 3. lib. 3.* esse Judici arbitrarium, seu esse in Judicis arbitrio hoc subsidium constituere, juxta qualitatem loci, annui redditus, & expensarum à Prin- 2

Principe, aut Episcopo efficiendarum. Huicque opinioni nos adhæremus, nec aliter sentire videtur. Boer. *quæst. 134. num. 5. dec. 88. num. 3.*

3 Notandum tertiò, donativa, quæ Rex à suo Regno exigit, debere plures habere conditiones; primam, ut fiant in casibus à jure permissis; secundam, ut fiant propter publicam utilitatem; tertiam, ut Regi non supperant suæ facultates; quartam, ut fiat impositio juxta facultates singulorum. Graff. *tom. 1. decis. casuum conscientiæ, lib. 3. cap. 1. num. 7.* Turrianus, *in 2. 2 tom. 2. disp. 44. dub. 1. & 2.* Molfes. *in sum. p. 2 tract. 12. cap. 22. num. 36.* Valentia, Suarez, & alii innumeri, quos recenset, & sequitur Diana, *tom. 7, tract. 6. res. 2.* §. 1.

4 Notandum quartò, Principes constitutos esse ad hoc, ut bonum procurent subditis, ut colligitur ex Matth. 20. ubi Christus ait; *Principes gentium dominantur eorum*: Undè Joannes VIII. Summus Pontifex, relatus *in cap. Administratores, causa 23. quæst. 5.* dicit, Potestatem Sæcularem teneri defendere Ecclesias, & pupillos, & viduas protegere, refrænare malos; & ita scribit Turrecrem. *in d. cap. Administratores.*

5 Notandum quintò, Subditos, Reipublicæ, cujus sunt partes, teneri subvenire, non solùm sua, sed & se ipsos exhibendo, ac exponendo, quando bonum commune, ac necessitas publica id ita postulat, Sylv. *in summ.* in verb. *dominium, quæst. 5. num. 6.* Molina, *p. 1. tom. 3. de just. & jur. tract. 2 disp. 667. n. 1.*

6 His adnotatis; ad difficultatem propositam, an liceat Principi pro bello justo indicendo, exigere aliquid à Subditis ultra consuetum, vel commune statutum, si nondum pecuniam suam totam consumpserit; affirmativè videtur respondendum; cùm Principi pro communi, publicaque utilitate permissum sit de rebus subditorum disponere, & illas ab eis invitis auferre. Ita sentire videntur Bald. *in l. si ita*, §. *Dominus, ff. de usu, & habita.* Alberic. *in l. ult. ff. eod.*

7 Veritas tamen est, Principi etiam supremo nequaquam licitum esse subsidium à populo requirere, ut bellum aliquod justum gerat, nisi propriis deficientibus pecuniis. Ita communiter Jurisperiti, & Theolog. Alciat *respons. 161. n. 12.* Soc. jun. *cons. 98. num. 10. lib. 3.* Rolan. à Valle *cons. 1. num. 67. & 68.* Franc. de Marchis, *q. 472. num. 4.* Boer. *quæst. 134. n. 9.* Menoch. *cons. 194. num. 6. cons.* 264. *num. 34. & cons. 307. num. 49.* Sylv. *in summ. v. dominium, quæst. 5. num. 6.* Graff. *p. 1. decis. lib. 3. cap. 1. n. 7.* Diana, *tom. 7. tract. 6. de comitiis* per totum, & alii.

8 Moveor primò juribus, *in l. navis onusta*, §. *Cùm autem, ff. ad leg. Rho. de jactu. l. Titius*, §. *Quia in vita, ff. de legat.* 2. ubi habetur, iniquum esse aliquem duplici onere gravari, præcisâ necessitate, duplici profectò onere gravarentur subditi, si præter consuetum, & commune tributum, novum eis imponeret Princeps, suis pecuniis non adhuc deficientibus. *Et arg. in cap. Cum Apostolus*, §. *Prohibemus, de censib.* ubi apparet, à Sacro Lateranensi Concilio decretum fuisse, Episcopos non debere talleis, & exactionibus proprios subditos gravare, nisi magna, & justa causa, probabilisvè necessitas urgeat.

Moveor secundò rationibus; nàm Princeps 9 ea facere non posse dicitur, quæ injusta sunt; neque in his exercere posse plenitudinem potestatis, quæ in peccando non est posita, ut docet Crav. *in cons. 241. num. 20.* Injustum absque dubio esset, si Princeps plenum habens proprium ærarium, vellet alienum exhaurire. Tùm quia subsidium solùm præstatur, quando urget necessitas: atque adeò: non existente necessitate, subsidium non potest excipi.

Moveor tertiò exemplo, in Duce Ferrariæ, 10 qui Paulo Tertio Pontifici Maximo, ab eo quamdam summam pecuniarum requirenti, ut bellum gereret adversùs Turcas, respondit, non teneri ad talem solutionem, sciens Ærarium Pontificium non esse exhaustum: & optimam, rationabilemque fuisse responsionem, testantur, Jurisconsulti, quos recenset, & sequitur Menochius, *in cons. 75. num. 81.* ubi exemplum narrat.

Concludimus igitur, permissum quidem esse 11 Principi supremo, ut bellum aliquod justum gerat, auxilium, seu subsidium requirere à subditis, sed quando ex proprio ærario non habet, ut provideat; unde ante omnia debere proprias pecunias impendere, seu proprium ærarium exhaurire, & publicæ Populorum necessitati consulere; & ærario proprio deficienti, subsidium à populo petere.

Ad rationem in contrarium respondemus, 12 Principem etiam pro communi, publicaque utilitate auferre non posse liberè, & absolutè rem alicujus, sed teneri, vel ei solvere pretium, vel rependendo damnum, rem alteram tradere. Ita Gloss. *in l. Barbarius, v. multo magis*, in fin. *ff. de offic. Prætο.* Rom. *in cons. 310. col. 1. vers. probatur.* Dec. *in cap. Quæ in Ecclesiarum, num. 26. de constit.* Goz *in cons. 15. num. 12.* & alii. Ita observatum fuisse testatur Menoch. *de arbit. jud. cons.* 178 *num. 6.* à justissimis, piissimisque Ducibus Sabaudiæ, qui bellaturi ad se, suaque defendendum, exacta à subditis cum annuis eorum censibus præstari consueta pensaverunt.

Infero primò ex dictis, Principem, qui 13 causâ publicæ utilitatis compellitur Feudatarium feudo, aut Dominum re sua privare, non esse tutum in conscientia, si ei non solvit pretium vel rem æquivalentem tradit; atque ita recompenset. Sic docet etiam Bart. *in l. ult.* §. 1. *ff. de pign. act.* Jas. *in l. Barbarius, num. 36. & 37. ff. de offic. Prætor.* Bald. Albert. & alii.

Infero secundò, Officialem, qui, causâ 14 publicæ utilitatis, aufert rem à privato, teneri ei solvere mercedem; aliàs non esse tutum in conscientia.

Infero tertiò, Principem, aut Commu- 15 nitatem volentem conducere flumen per agros alienos, debere agrorum Dominis solvere pretium Jas. *in d. l. Barbarius, num 38.* ex sententia Bald. Angel. & aliorum scribentium in materia de obligat.

Infero quartò, Prælatum, qui à Clericis, 16 & ab Ecclesiâ requirit charitativum subsidium, priùs debere impendere, quod habet in scrinio, & dein-

& deinde subsidium petere. Ita etiam censuit Franc. de Marchis, *quaest. 42. num. 4.* Boer. *quaest. 134. num. 9.* Car. *in Clem. 1. col. 3. de excess. Praelato.*

17 Infero quintò, licere Praelatis pecuniam non habentibus in arca subsidium charitativum à subditis requirere; vel quando est consecrandus, ut tenent Gramm. *decis.* 88. in fine, Isernia, & alii; vel quando agitur de recuperandis Ecclesiae bonis. Gemin. *cons. 74.* quem secutus est Boer. *quaest. 134 num. 2.* Hae enim, & similes sunt justae causae subsidium charitativum exigendi, ut tenet Menochius, *de arbitr. jud cons. 178.* per totum, ubi clarè explicat, quando Praelato fas, aut nefas est aliquid à suis subditis exigere.

18 Infero sextò, Principem, qui pacem inire non potest cum Adversario, nisi ei tradendo Castrum sui Feudatarii, teneri ei damnum resarcire, ut scribunt etiam innummeri Doctores, quos recenset, & sequitur Menochius, *in cons. 103. nummer. 26. & cons. 307. num.* 50.

19 Infero septimò incidenter, Principem, qui concessit militi Castrum feudum, posse ibi ponere Custodes necessitatis tempore pro publica utilitate. Bald. *in l. si ita, §. Dominus, ff. de usu, & habita.*

20 Infero octavò, licere Principi reficere. & fortificare Castrum feudale, invito Vassallo. Albet. *in l ult. ff. de usu, & habita.* imò tempore belli capere locum Tertii, & ibi aedificare fortilitium; & Dominum loci teneri, tanquàm unum de populo, contribuere pro illa impensa. Ita etiam post Bald. Jacobin. afflict. *in cap. 1. §. Quid ergò, num. 25. de invest. de re alie. facta.*

21 Infero nonò, quòd quando Regnum reperitur multis tributis oneratum, debet Rex non imponere onus novum, sed minuere, vel suspendere gratias, & pensiones aliquibus assignatas. Sic quoque docent Scipio Rovit. *in consultatione, de donativis, num. 4. & seq. cons.* 100. Carolus de Tapia, *decis. 23. num. 83.* Rastellius *in regimine Principis, lib. 3. de causa efficienti parlamenti, num.* 4. Aponte, Valenzuola, & alii.

22 Infero decimo, justum esse donativum, & tributum impositum alicui Regno propter bellum, quod Rex in aliis Regnis justè gerit, & sumptus, quos alibi sustinet. Turrianus, *in 2 2. tom. 2. disp. 46. dub. 1. num. 5. & 6.* Vasq, *Opusc. de restit. cap. 6. §. 3. dub. 1. num. 7.* Diana, *tom. 7. tract. 6. resol.* 10. *de comitiis.*

23 Infero undecimò, imposito à Principe, ob bellum justum, aliquo tributo, subditos posse cogi contribuere quantum postulat, & quandiù id postulat publica necessitas, ac bonum commune. Secùs verò, cessante publicâ necessitate; cum populus non sit propter Principem, sed è contrario Princeps propter populum. Molina, *p. 1. tom. 3. de just. & jur. tract. 2. disp.* 667. *sub. num.* 1.

24 Infero duodecimò, non licere Principi, qui culpâ suâ Patrimonium prodigè consumpsit ludis, conviviis, profusis largitionibus, bellis inconsultis, & temerè gestis, nova tributa imponere, aut imposita augere, vel continuare, quoties aliunde potest publicum malum avertere Gabr *in 4. dist. 15. quaest. 5. art. 1. conclus. 2. casu* 3. Med. D. Anton, & alii, quos recenset, & sequitur Molses. *in summa, p. 2. tract. 12. cap. 22. num.* 71.

Infero decimotertiò, Principem, qui propter illicitam, aut indebitam sui patrimonii consumptionem, imposuit gabellas ad suum statum splendidè sustentandum, si pervenerit ad meliorem fortunam, teneri illud damnum extraordinarium, culpâ suâ datum populo ex tali impositione, eidem populo resarcire. Less. *lib. 2. de just. & jur. cap.* 33. *num.* 48. Med. & alii. 25

Infero decimoquattò, Reges, & Principes concedentes intuitu donativorum, ac servitiorum, eis per suas Provincias in pecunia praestitorum, suis subditis aliquas gratias, non posse hujusmodi concessiones revocare; quia gratia transivit in contractum onerosum; & revocari nequit. Praeterquamquòd, Princeps ratione tributorum contrahit cum subditis naturalem obligationem, ex qua hic effectus resultat, ut optimè probat Molses. *tom. 1. ad Consuet. Neapol. part. 4. tit. de renunc. quaest. 4. num.* 27. 26

Infero decimoquinto, Constituentes Parlamentum posse credere Regi, attestanti se esse ratione belli, aut aliorum, in necessitate, quando moraliter aliud in contrarium non constaret; quiacùm in Principe semper praesumatur justitia causae, ei est credendum quando attestatur de facto proprio, Landerchius, *cons. 145. num.* 2. Thom. Gram, *decis. 65. num.* 30. Oldrad. *cons.* 158. Bobadilla, *in polit. tom. 2. lib. 5. num.* 11. & alii apud Dian. loc. cit. *Res.* 5. 27

Infero decimosextò, Confessarios, & Consiliarios Regum, & Principum teneri diligenter examinare novas impositiones, quibus subditos gravant, ut cognoscant, an sint necessariae, & justae, nec nè; & observando esse (patum necessarias, aut injustas, teneri Reges, & Principes ab eis removere. 28

VI. DIFFICULTAS.

An habens à Principe immunitatem à tributis, pro publica belli necessitate impositis, sit immunis servandus, Principe pro eo non supplente.

Notandum primò, concessionem immunitatis justam esse, quando is, cui conceditur, valde utilis est Republ quam ipse solus magis per suam industriam juvat, quàm juvent caeteri, proportione servatâ, per contributionem, aut saltem aequaliter. Ita tradit Lucas de Penna, *in l. Vacuatis, Cod. de Decurionibus, lib.* 10. Petra, *de potest. Principis, cap.* 32 *dub. 2. principali, num. 9.* 1

Notandum secundò, jus naturale immutabile esse, *§. sed naturalia, Instit, de jur natur. cap. Sunt quidam, causa 25. quaest.* 1. *& cap. Non debet, de consanguinit. & affinit.* & tradunt post 2

post S. Aug. communiter Doctores Scholastici cum D. Th. 1.2. q.94. art. 4.

3 Notandum tertiò, quod nulla consuetudo potest contra jus naturale praevalere, ut per Tex. *in cap Cum tantò, de consuetudine:* Et ratio videtur esse, quia cùm jus naturale sit ipsa ratio dictans de honestate, sequitur, quamlibet consuetudinem contra ipsum jus naturale esse irrationabilem, utpote contra ipsam rationem.

4 Notandum quartò, Publicanis permitti exigere vectigal de omnibus, & quibuscunque rebus, quae transvehuntur, invehuntur, & advehuntur: Et hoc ex dispositione juris communis, *in l. universi, in l. omnium, & l. ex praestatione, Cod. de vectigal. & publica.* Glos. & DD. ibi.

5 Notandum quintò, Principem teneri lege naturali justitiam servare cum suis subditis; cùm lege naturali facere teneatur quod justum est. Sic communiter Jurisconsulti.

6 Notandum sextò, licitum esse Principi superiorem non recognoscenti, condere immunitatem ab oneribus, etiam patrimonialibus, dummodò sit clausula, quoad patrimonialia, non obstante *l. Vacuatis*, & aliis in contrarium facientibus, aliter non valeret. Bart. *in l. bi qui, ff. de jure immunit.* Alex. *in conf.* 101. *in primo volumine*, Parpal. *in l. Placet, colum pen Cod. de Sacrosanct. Eccles.* & quidem quando is, cui conceditur immunitas, potest Reipub. prodesse; quo in casu etiam Civitas potest concedere, ut tenet Parpal. loc. cit.

7 Notandum septimò, privilegia immunitatis regulariter esse à jure prohibita Anchar. *conf* 304. *col.* 5. *& conf.* 390 *colum.* 3. & pulchrè Albet. *in rubr. de immunitate*, ubi prolixum facit tractatum in materia onerum.

8 His adnotatis; ad difficultatem propositam, an Principe non supplente, immunis sit servandus ille, cui Princeps immunitatem concessit à tributis seu oneribus, pro publica belli necessitate impositis; affirmativè, absque ulla limitatione, videtur respondendum; cùm Princeps superiorem non recognoscens possit licitè uti plenitudine potestatis etiam sine causa, ut vult Peregr. *in tract. de fideicomm. art.* 52. *n.*234. Jas. *in conf.* 8. *num.* 51. Bal. *in tit. de pace Constantiae. in glos. non obstante.* Praeterea, Princeps potest dispensare in legibus, & illas observare non tenetur.

9 Veritas tamen est, immunem minimè illum esse servandum, cui Princeps immunitatem concessit, si concessionis justa non sit causa, & Princeps non suppleat, aut assignando aequivalens in compensationem remissionis merè voluntariae, aut Communitatem gravatam exonerando, aut alia subditorum onera minuendo. Lucas de Penna, *in l. Actores, vers unde inducitur hac lex, Cod. de Executorib. tributor.* Soc. senior. *in conf* 72. in fin *lib.* 4. Bursatus, *conf.* 16. *n* 97 *vol.* 1. Cachet *decis.* 95. *num.* 12. & 13. Menochius, *in conf.* 744 *num.* 1. Felin. *in cap. Accedent, de praesumpt.* Thomatus, *de Collect. num.* 17. Pechius, *in cap Qui sentit, n.* 10. *de regul. juris, in* 6. & alii, quos referunt Soc. Menochius, loc. cit.

10 Moveor primò juribus, *in l. Immunitates, Cod. de Agricol. & cens. lib* 11. *l. fin. Cod. quemadmodum civil mun. indic. lib.* 10. *& l. Vacuatis, Cod. de Decurion lib. eod* ubi habetur, Rescripta, concedentia immunitatem, esse cassa, & non valere; & facit *cap. Suggestum, de decim.*

11 Moveor secundò rationibus: Nam Princeps alicui concedendo immunitatem ab oneribus communibus, aliis praejudicat: Onus enim caeteris auget, quod est contra justitiam, & Princeps tenetur, ut notavimus, lege naturali justitiam servare cum subditis. Tum quia Princeps non potest dispensare in lege naturali, dictante faciendum esse, quod justum est, & non faciendum, quod est injustum. Vult autem justitia subditos aequaliter gravari, quando gravari postulat necessitas: Atque adeo si inaequaliter subditi gravarentur, consurgeret inaequalitas, & sic successive injustitia: Quo in casu Gratia Principis, utpote nulla, nullum potest habere vigorem.

12 Moveor tertiò exemplo, in Datiariis Placentiae, quibus cùm Serenissimus Dux Parmae, & Placentiae per suas litteras patentes inhibuisset in gratiam Regis Hispaniarum, ne quidquam exigerent pro transitu armorum, pulverisque tormentarii è ditione Mediolanensi Venetias per Padum, res dictas, nullo soluto vectigali, pertransire permiserunt, sed postea rogantes pro compensatione summae eis debitae, decisum fuit per Jurisperitos, super hac re proconsultatione electos, Serenissimum Ducem teneri praedictam summam compensare. Refert Menochius, *in conf.* 312.

13 Concludimus igitur, Principem non posse alicui immunitatem concedere, nisi sub conditione, quòd ipse suppleat quod solvendum esset ab eo, cui privilegium immunitatis concedit, & consequenter non esse servandum immunem privilegiatum, si abest hujusmodi conditio; cum tunc Gratia, seu concessio Principis sit nulla.

14 Ad rationes in contrarium respondemus: Ad primam, non posse Principem in foro interiori, absque peccati labe, uti plenitudine potestatis in Tertii praejudicium. Ita docet Peregr. *d. art.* 52. *num.* 125. Bal. *in l. si testamentum, Cod. de testam.* Host. *in Rubr. qui fil. sint legitim. col. pen. vers. quamvis autem.* Paul. de Cast. *conf.* 34. *col. pen. vol.* 2.

15 Ad secundam; admittendo, posse Principem dispensare in legibus positivis humanis. Secùs verò, in lege naturali; cùm jus naturale sit immutabile, ut notavimus.

16 Infero primò ex dictis, quod quando Princeps concedit immunitatem alicui, ne solvat vectigal, tenetur ipse de proprio compensare. Ita etiam tradit Menochius, *in conf* 744. *n.*1.

17 Infero secundò, permissum quidem esse Principi justa de causa, auferre jus Tertii, eique praejudicium inferre, Card. Alban. *in Lucubrat. in Bart. in l. Item si verberatum, §. Si quis, ff. de rei vindic. num.* 1. & remittit Lectorem ad Alex. *in conf.* 34. *col.* 2. *in* 4. *vol.* sed tunc teneri ex proprio rependere damnum.

18 Infero tertiò, Principem, concedentem alicui immunitatem ab oneribus communibus, si supplicetur per gravatos, teneri revocare privilegium, vel minùs gravare, per *cap. Suggestam, de decim.* & tradit Ægidius Boss. *de Princ. & privileg. n.* 164. ubi alios allegat.

19 Infero quartò, immunitatem, quæ conceditur ab oneribus, non trahi ad onera, quæ postea imponuntur propter bellum superveniens. Dyn. *in l. si ex toto, ff. de legatis.* Jas. *in l. principalibus, col. 3. ff. si certum peta.* Felin. *in cap. Causam, qua de rescript. colum.* 11. *vers. quinta declaratio*, & alii plures. Contrarium tenent Rayn. & alii.

20 Infero quintò, immunitatem concessam alicui non se extendere ad Hæredes, *l. 1. ff. de jure immunitatis*, in fin. Transire tenet Bal. relatus à Bossio, *tit. de Principe, & privileg. n.* 142. si immunitas est realis, non personalis.

21 Infero sextò, privilegium immunitatis, concessum posteris, non se extendere ad Fœminas, neque ad natas ex fœminis, ut *in d. l. 1.* in fin. *ff. de jur. immunit.*

22 Infero septimò, pendente controversia, an ille, cui Princeps concessit immunitatem, sit servandus immunis, nec ne, debere cogi ad solvendum, Bal. 1. *volum. conf.* 138 *col.* 2.

23 Infero octavò, eum, qui est in possessione solvendi, non posse, nec debere excusari à solutione, donec sit decisum in petitorio. *Cap. Querelam, de elect.* Abb *in cap. Pervenit, de censib.*

24 Infero nonò, cessante causa privilegii, & immunitatis, debere & ipsum privilegium cessare, ut per Tex. *in l. Athleta*, § 1. *& l idem Ulpianus, ff. de excusat. tutor.* & latè tradit Tiraq. *in tract. quòd cessante causa, cessat effectus, in* 1. *p. num.* 117. *& num.* 210. ubi apertè dicit, quòd, cessante causâ immunitatis, cessat ipsa immunitas.

25 Infero decimò, quando Princeps ob benemerita, ut putà ob magnum auxilium Reipub. præstitum, concedit alicui immunitatem, teneri alios Cives subire illud onus collectæ, quod àlias ille, immunitate donatus, cogeretur subire; juxta regulam, *Qui sentit commodum, sentire debet incommodum. Cap. Qui sentit, de reg. jur. in 6.* & tradunt Cæphal *in conf.* 58. *num.* 49. *lib.* 1. Barb. *in conf.* 13. *col* 2. *lib.* 2 Ripa, & plures alii, quos recenset, & sequitur Menochius, *in conf.* 156. *num.* 30, ubi adducit exemplum in Civitate Albæ.

26 Infero undecimò, immunitatem, concessam ab omnibus oneribus, & collectis, locum non habere tempore belli, Cæph. *in conf.* 451. *num.* 294. Rol. Rip. & alii, quos refert, & sequitur Menochius, *in conf.* 1061 *n* 18.

27 Infero duodecimò incidenter, Emptorem gabellarum, qui excusatur à tributo consueto propter bellum, excusari etiam propter treugam; cùm tempus belli comprehendat etiam tempus treugæ, etiam in materia pœnali, ut per Tex. *in cap. Significavit, de Juda.* & tradit Grass. *p.* 2. *decis. l.* 2 *de treuga, cap.* 21. *n.* 12.

28 Infero decimo tertiò obiter, cameralia onera tempore tam belli, tum pacis, omnes teneri in Statu Ecclesiastico solvere, nullo excepto. *Const.* 11. Pauli V. *In maximis. Const.* 2. Sixti V. *Inter varias*, ubi revocantur omnes concessiones in contrarium factæ cuicunque personæ Communitati, Magistratui, &c. etiam per instrumenta, pro quacumque causa, si sint in præjudicium Cameræ gabellatum, datiorum, tributorum, &c. ut patet etiam *in Const.* 13. Innoc. X. *Et si ea.* Excipiuntur tamen Personæ Ecclesiasticæ, sive Sæculares, sive Regulares quoad exemptiones, quæ sibi de jure competunt. Idem omnes illi, qui hujusmodi exemptiones obtinuerunt titulo verè oneroso, putà titulo emptionis, seu congruæ, & effectualis solutionis conventarum pecuniarum; vel ratione appaltuum. *l. Const.* 11. Pauli V. *In maximis*, §. 11. Item Eminentissimi Cardinales, Prælati, & Officiales Curiæ Romanæ, Ibid. §. 12. Patresque duodecim filios habentes, Ibid. § 13. Item Consanguinei Summi Pontificis, eo vivente, Camerales actuales, Cubicularii secreti, & Secretarii, & alii Prælati domestici Papæ. Ibid. *d* §. 12. Circa verò exemptionem ob numerum duodecim filiorum competentem etiam per Tex *in l semper*, § *demonstratur*, *ff de jure immunit. & in l si quis*, la seconda, *Cod de Decurion lib* 10. Vide Natt. *Conf.* 539. *lib.* 3. Roland. *conf.* 66. *lib.* 1. *& conf.* 52. *lib* 2. Menoch. *conf.* 486. & alios plures, quos producit Episcopus Vetulanus, *ad Statuta Faventiæ*, *tom.* 2. *Rubr.* 7. *lib.* 6. *num.* 30. ubi notat, hanc exemptionem, seu immunitatem in Urbe restringi quousque duodecim illi superstites in communi vivent, ac ad res, & bona pro usu proprio ex dispositione Bullæ Pii IV, quam ipse allegat; *& num.* 31. dicit, *in l. in lege censoria* 203. *ff. de verb & rer. signif.* esse definitum, quæ dicantur pro usu proprio inservire.

VII. DIFFICULTAS.

Princeps, non recognoscens superiorem, post partam de Inimicis suis victoriam, Civitatem, & alia Bona mobilia & immobilia donavit Ecclesiæ. Dubitatur, num valida sit hujusmodi donatio.

NOtandum primò, donationem secundùm Harpprechtum, *inst tom.* 1. *tit.* 7. *de donat. num* 17. esse actum, quo res propria ex liberalitate à volente proficiscitur; & in volentem confertur: Undè donatio debet esse gratuita, & liberalis: ut etiam ex *l. Donari, ff de regul. jur & l. Donari, ff. de donat.* ubi dicitur, donari videtur, quod, nullo jure cogente, conceditur; nullo jure cogente, exponit Glos. nec naturali, nec civili, nec prætorio. Cui etiam consentit Seraphin. *decis* 416. Tusch, verb. *donatio, conclus.* 620. *num.* 33 Molfes, *in summ. p.* 2. *tract.* 12. *cap.* 17. *num* 13. 1

Notandum secundò, quod donatio est contractus nominatus; cum habeat nomen proprium, & pariat actionem civilem, quæ actio nuncupatur ex pacto, vel donatione. Ita ex Jul. Clar. *l.* 4. *sent.* §. *donatio, quæst.* 1. licet olim fuerit donatio habita pro innominato: Ut ex Glos. *in l. in ædibus*, §. 1. *& in l. ex rebus, ff. de donat.* & est etiam de jure gentium. 2

3. No-

3 Notandum tertiò, materiam donationis esse omnia, quæ veniunt in commercium humanum; aut quorum dominium transferri potest, sive sint res corporeæ, sive incorporeæ, ut jura, & actiones; necnon & spes habendi, & jus litigandi; dummodò hoc ultimum non donetur potentiori, ut scilicet Pars habeat duriorem adversarium, *ex l. uni, Cod. de alienat, mut. jud. caus. factâ.*

4 Notandum quartò, donationem, quæ dicitur antidoralis à Græcis, hoc est remuneratoria, videlicet ad remuneranda beneficia in nos collata, non esse propriè, & strictè donationem, ut apertè colligitur *ex l. Attilius Regulus, ff. de donat.* quia qui donat, gratis omninò, & liberaliter dat: Et est communis sententia, ut inquiunt Covar. *in cap. Cum in offic. num. 9. vers. Glossa Bernardi de testamen.* Tiraquel, *in l. si unquàm, Cod. de revocan. donat.* & alii. Quidquid dicat Glos. *in l. sed etsi. §. consulit,* in verb. *obligaverunt, ff. de petit hered.*

5 Notandum quintò, insinuationem esse manifestationem donationis coram Judice, comparente Donatore coram illo, & manifestante se fecisse donationem talem tali, redigente Tabellario id in actis, Ita Molin. *de contract. tract. 2. disp. 278. num. 3.* & quidem nunc usu receptum est, ut sufficiat, si donatio scripta notificetur Judici & denuncietur, Jul. Clar. *l. 4. sent, §. donatio, quæst. 15 n. 4.*

6 Notandum sextò, donationem, quæ extedens summam trecentorum solidorum erat invalida, *ex l. sancimus, Cod. de donat.* nisi fieret cum insinuatione; nunc usque ad quingentos solidos validam esse, etiam sine insinuatione; ultra verò quingentorum solidorum quantitatem minimè quoad excessum, absque illa: Et hoc *ex l. si quis pro redemptione*, quæ est penult. §. *ult. Cod. eod.* cujus ratio ea fuit, ne homines, vi, metu, fraude, vel inconsultâ temeritate, se donationibus exhaurirent. Et ita communiter Doctores, teste Molin loc. tit. Less. *cap. 18. dub. 13.*

7 Notandum septimò, nomine solidi aurei, qui tempore Justiniani Imperatoris, & aliorum Cæsarum, post Constantinum Magnum, æstimabatur decem & septem denariis argenteis, ut notat Azot. *Inst. Moral. p. 3. lib. 11. cap 6, vers. solidus aureus*; intelligi pondus, & valorem nummi aurei Castellani, vel Ungari, vel Zecchini Veneti, nimirum 17. regalium, sive juliorum, ut ponderat Filliut. *tom. 2. tract. 34. de contractib. cap. 4. quæst. 2. n. 84.*

8 His in gratiam Curiosorum adnotatis; ad difficultatem propositam, au Principe, post partam de Inimicis Victoriam, donante Civitatem, & alia bona mobilia, & immobilia Ecclesiæ, sit valida donatio, negativè videtur respondendum; nam bona Reipublicæ non possunt alienari, vendi, aut commutari. Bona autem Principatus sunt bona Reipub. Præterea, regimen temporale videtur se conformare regimini spirituali, seu Ecclesiastico; sed Clerici non possunt bona Ecclesiæ commutare, vendere, donare, ut *in cap. Diaconi, causa 12 quæst. 2.* Ergò neque Princeps potest bona Principatus Ecclesiæ concedere, vel donare; & successive eo donante, invalida erit donatio.

Veritas tamen est, donationem Civitatis aliorumque bonorum mobilium, & immobilium Ecclesiæ factam à Principe pro gratiarum actione ob victoriam de suis hostibus reportatam, esse validissimam. Bart, *in proœmio veterum ff §. omnem, à num. 3.* Panorm. *in cap. Venerabilem, de elect. num. 19.* Major, *in 4. dist 15. quæst 10. part. 2.* Molina, *tom. 1. de just. tract. 2. disp 25.* Filliuc. *tom. 2. tract. 24 cap 4. quæst. 7. num. 95.* Et omnes Doctores, tenentes donationem factam à Constantino Magno Ecclesiæ esse validam, qui sunt innumeri, & quos recenset, & sequitur Diana, *tom. 6. tract. 7. Ref 147. num. 4.* 9

Moveor primò juribus, *in l. sancimus*, §. *exceptis, Cod. de donat.* ubi habetur, donationem factam à Principe, non recognoscente superiorem, etiamsi non sit ad pias causas, validam esse, & *l. cui vis donandi, ff. de Reg. juris,* ubi dicitur, eum generatim posse validè donare, qui tel dominium, sive proprietatem habet, & nullo jure donare prohibetur: *Et cap. Constantinus, Dist. 96.* cujus antiquissima authoritas confirmatur per *cap. Futurum Ecclesiam, causa 12. quæst. 1. cap. Fundamenta, de elect, in 6. Clem, unic. de jur. jur.* 10

Moveor secundò rationibus; nam Principi supremo denegari non potest, quod aliis hominibus conceditur, aliàs esset inferioris conditionis. Alii verò homines, juxta illud Prov. 3. *num. 10.* „Honora Dominum de tua substan-„tia, & de primitiis omnium frugum tuarum da„ei, & implebuntur horrea tua saturitate, & vi-„no torcularia tua redundabunt, possunt de bonis suis donationem validam facere ad bonorum DEI cuicunque voluerint: Ergò & Princeps superiorem non recognoscens. Tum etiam, quia hæc donatio facta fuit à Principe DEO in ipsius Ecclesia, quasi in remunerationem pro victoria de hostibus comparata, & sic in commune totius Principatus, seu Reipublicæ bonum. Quis autem negabit, licitas, & validas esse donationes, commune Reipublicæ bonum respicientes? Prætterquam quod, ad Rempublicam civilem spectat Ecclesiam dotare, & ex altare à qua, tanquam à matre tot bona accipit: Et peculiariter id ad Principes nomine totius Reipublicæ spectat. 11

Moveor tertiò exemplo in Aristperto Longobatdorum Rege, qui donavit Ecclesiæ Romanæ Hexarchatom Ravennatem, plures Urbes continentem, & multa alia: In Pipino, & Carolo Magno ejus Filio, qui donationes factas Ecclesiæ auxerunt: in Mechtilde Comitissa, quæ Anno Dominicæ Incarnationis 1079 Henrici Imperatoris exercitum timens, Liguriæ & Tusciæ Provincias Gregorio Papæ, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ devotissimè obtulit. Baron. *tom 1. Annal, sub Anno Christi 1077. sub lit. D §. Anno Domini, pag. mihi 503.* Cujusque Comitatus jura ad Rom. Ecclesiam pertinentia, quæ improbi invaserant, Fridericus Imp. solennibus habitis Capuæ Comitiis, illa omnia in ejus ditionem revocanda decrevit: Qua de re extat Imperiale Diploma in Bibliothecæ Vaticanæ libro censuum, teste Odorico Raynaldo, *tom. 13. Annal. sub Anno Christi 1221. num. 29. pag. mihi 3 4.* Quæque Ecclesiæ Romanæ reliquit quidquid à Pisliante, & Sancto Quirico agri Senensis 12

usque ad Ceperanum Inter Apenninum, & Mare interjacet, Idque est, quod peculiariter dicitur D. Petri Patrimonium, ut notat post Albert. Pighium, & Genebrardum, Molin. *tom. 1. de just. tract. 2. disp. 25. §. ut vero.* Sed potissimum, inter cæteros, in Constantino Magno, qui partem Imperii ob victoriam, aliosque favores à Cœlo receptos Ecclesiæ donavit: & hanc donationem, sicùt & præfatas, & alias, esse validam, meritoriam, & successivè impensè laudabilem contrà Hæreticos, præcipuè nostri temporis, contrarium cum temerario Valla malitiosè tenentes, asserunt omnes Doctores citati: præsertim cùm fuerit à Sanctissimo Silvestro acceptata, in eaque Sanctissimi, & Doctissimi Summi Pontifices perseveraverint; atque in eam sequentes Imperatores, ac Respublicæ consenserint. Et ideò meritò fuit damnatus in Concilio Const. *Sess. 8* articulus 33. Wicleff, qui est: *Silvester Papa, & Constantinus Imperator erraverunt Ecclesiam dotando.* Et articulus 39 ejusdem, qui est; *Imperator, & Domini sæculares sunt seducti à diabolo, ut Ecclesiam dotarent bonis temporalibus.*

13 Concludimus igitur, donationem Civitatis, aliorumque bonorum, tùm mobilium, tùm immobilium, factam post partam victoriam de hostibus suis Ecclesiæ à nostro pissimo, & generosissimo Principe esse validam, nec posse à suis Successoribus revocari.

14 Ad rationes in contrarium respondemus; ad primam, quòd bona Reipublicæ non possunt alienari; sed benè possunt in meliorem usum commutari, & Deo dicari, à quo recipiuntur.

15 Ad secundam, negando consequentiam; cùm secus sit de bonis temporalibus Laicorum, & de bonis Clericorum; quia bona Laicorum ad usum Ecclesiæ venire fas est: at bona Ecclesiæ, postquàm Deo oblata sunt, & Reipublicæ deputata, ulterius ad alium usum converti prohibentur.

16 Infero primò ex dictis, in donationibus factis Ecclesiæ, non obstantibus legibus Imperatorum, requiri hodiè insinuationem, inspectâ Ecclesiarum libertate, quæ authoritati sæculari non subjacet, ut docent Hostiens. & Joan. And. *in cap. fin. de fide instrum.* Card. Alban. *in Lucubrat. in Bart. in Rubr. prima Const. ffrum, num.* 45. & Doctores communiter.

17 Infero secundò, omnes donationes ad pias causas non egere insinuatione, & ideò validas esse in foro conscientiæ, & etiam in foro contentioso, Jul. Clar. *quæst.* 17. Sylv. *v. donatio. 1. quæst 4.* Molin. loc. cit. *disp.* 279.

18 Infero tertiò, asserentes donationem factam à Constantino Ecclesiæ non esse validam, non esse procul ab hæresi. Ita Abb. *in cons. 48. num. 2. lib.* 1. Albertinus, *in cap 1. quæst. 27. de heret. in* 6. Menochius, *in cons.* 149. *num.* 39. & alii. Et ideò meritò damnata fuit in Concilio Constantiensi, *Sess.* 8. unà cum aliis doctrina Joannis Wicleff asserentis, errasse Constantinum Imperatorem Ecclesiam dotando; & est atticulus 33. in ordine; quæ damnatio confirmata fuit à Martino V. *inter cunctas.*

19 Infero quartò, donationem factam Ecclesiæ, vel pio Loco à non habente filios, ob adventum prolis non posse revocari in totum, sed quoad id, in quo inofficiosa est, filiis, seu quoad eorum legitimam; cùm hujusmodi donationes non sint subditæ juri civili, sed tantùm Canonico, quo non irritantur. Ita etiam Laym. *lib.* 3. *tract.* 4. *cap.* 12. *num.* 19. Hurtadus, *disp.* 11. *diffic.* 5. Less. *lib.* 2. *cap.* 18. *num.* 14. & alii.

20 Infero quintò, donationes remuneratorias, inter quas sunt donationes factæ Ecclesiæ, & Locis piis, non revocari nativitate filiorum, Diana, *tom.* 6. *tract.* 7. *res.* 55. *num* 7. ubi plures Doctores allegat, quamvis *num.* 2. asserat aliquando expedire ad populi ædificationem, ut id, quod Ecclesiæ, aut Monasterio datum est ante natas proles, postea totum restituatur, ut fecit Aurelius Episcopus Carthaginiensis, quem commendat eo nomine D. August. aut quisquis Autbor sit sermonum ad *Fratres in Eremo, serm.* 52. *cap.* 4.

21 Infero sextò, donationem omnium bonorum tam præsentium, quàm futurorum, quæ aliàs facta non subsisteret. Doctores, *in l. stipulatio, hoc modo concepta. ff. de verb. obligat.* factam Ecclesiæ esse validam, non obstantibus juribus civilibus, quæ nullatenus impedire possunt officia pietatis, & consilia Evangelica. Et ita tenent Hurtadus, Laym. Villalobus, Fernandez, & alii plures quos recenset, & sequitur Diana, *tom.* 6. *tract.* 7. *res.* 105. *num.* 3.

22 Infero septimò, promissionem, seu donationem factam Ecclesiæ, vel ad piam causam ante acceptationem, probabiliter valere; & sic non posse per pœnitentiam revocari, Molina, *tom.* 2. *de just. tract.* 2. *disp.* 262. *num.* 16. Felin. *in cap.* 1. *de pact. num.* 7. qui allegat Bart. Bald. Pan. & alios. Contrarium tenent Laym *in Theol. Moral. lib.* 3. *sent.* 5. *tr.* 4. *cap.* 1. *n.* 9. & alii penès ipsum.

23 Infero octavò, donationem factam Ecclesiæ, Locis piis, aut Pauperibus absentibus, posse à quolibet acceptari. Ita etiam Trullen. *in Decal. tom.* 2. *lib.* 7. *cap.* 17. *dub.* 6. *num.* 1. Villalobos. *in sum. tom.* 2. *tract.* 20. *diffic.* 3. *num.* 4. & 5. Contrarium tenet Hannius, *in Encycloped. jur. p.* 3. *tit.* 26. *cap.* 4. *num.* 7.

24 Infero nonò, Principem, qui fundum, Castrum, Civitatem Ecclesiæ donavit, non posse ampliùs illam auferre; sicut non potuit Constantinus donationem Romæ, & aliorum bonorum, quam Ecclesiæ fecit, revocare, aut circa bona illa quidquàm disponere, cùm jam Ecclesiastica facta fuerint. Sic Suarez contra Regem Angliæ, *lib.* 4. *cap.* 30. *n.* 11. Diana, *tom.* 6. *tract.* 7. *Res.* 122. & *Res.* 131. ubi dicit, donationem factam Ecclesiæ, ob ingratitudinem Prælati, & Clerici non posse revocari, quam opinionem testatur esse communem.

25 Infero decimò, donationem illam Constantini factam Beato Silvestro, & Successoribus, non solùm esse validam, ut probat, præter DD. suprà allegatos, Card. Albanus, *in Lucubrat. in Bart.* loc. cit. *n.* 35. & *in l.* 1. *de Offic. Præf. Urb. num.* 2. & *in l. legatus, ff. de Offic. Præsi num.* 2. sed etiam irrevocabilem; nam Imperator potuit illam facere, ut probant D.D. Catholici, inter quos Turrecrem. *in cap Constantinus*, §. *ad secundum.* 96. *Dist.* Et quod est Deo dicatum, non potest humano judicio revocari, ut ostendit Turrecrem ibidem.

Man-

Mantissa ad Librum III. Difficult. pertinen. ad Officiales exercitus.

I. DIFFICULTAS.

An discordia, quæ intèr exercitus Officiales non rarò contingit, sit graviter peccaminosa, & pœnis militaribus punienda,

1 Notandum primò, quòd discordia idem est, quòd cordium dissensio, ut docet *Cicer. 4. Tuscul.* unde discordia est, quâ quia suæ voluntati adhærens, alienæ voluntati minimè consentit, Azor. *p. 1. Inst. moral. lib. 4. c. 13. vers. discordia est:* & secundùm alios, discordia est quædam voluntatum disgregatio, quâ voluntas unius fertur in unum, & voluntas alterius fertur in aliud. Secundùm Isidorum, discordia est aliquorum diversio, quos priùs amoris vinculum colligavit: unde D. Tho. 2. 2. *quæst. 37. art. 2. in corp.* dicit, quòd discordia importat disgregationem quamdam voluntatum in diversa. Et Cicero 1. *de finib.* ait, eam esse iram acerbiorem, intimo odio, & corde conceptam.

2 Notandum secundò, concordiam, quæ est charitatis effectus, per discordiam dupliciter „ tolli: Uno quidem modo per se; alio verò „ modo per accidens: per se quidem in huma„ nis actibus, & motibus dicitur esse id, quod „ est secundùm intentionem; unde per se di„ scordat aliquis proximo, quando scienter, & „ ex intentione dissentit à bono divino, & à „ proximi bono, in quo debet consentire, &c. „ Per accidens autem in humanis actibus con„ sideratur ex hoc, quòd aliquid est præter in„ tentionem; unde cùm intentio aliquorum est „ ad aliquod bonum, quod pertinet ad hono„ rem Dei, vel utilitatem proximi; sed unus „ æstimat hoc esse bonum, alius autem habet „ contrariam opinionem, discordia tunc est per „ accidens contrà bonum divinum, vel proxi„ mi. Hæc D. Thom. 2. 2. *quæst. 37. art. 1. in corp.*

3 Notandum tertiò, dari discrimen inter discordiam, & rixam; nàm discordia consistit in disjunctione motuum voluntatis, rixa verò consistit in exteriori opere, unde procedit ab ira, quæ movet animum ad nocendum proximo, D. Thom. 2. 2. *quæst. 37. art. 2. ad primum.*

4 Notandum quartò, discordiam filiam esse inanis gloriæ, & superbiæ; quia omnis dissentiens ab altero sua præfert his, quæ sunt aliorum; atque ita omnes antecellere inordinate cupit, ut post D. Gregor. tradit D. Tho. loc. proximè cit. In corp. ad superbiam namque rediguntur depravati voluntatis affectus, quibus magnum quiddam, & excelsum immodicè concupiscimus, & hujusmodi animi affectio inanis gloris est, atque vana gloria nuncupatur.

Notandum quintò, inanem gloriam consistere in eo, quòd sit immoderata gloriæ laudis, famæ, vel sui ipsius æstimationis libido, D. Tho. 2. 2. *quæst. 132 art. 4.* Navar. *in Enchir. cap. 23. num. 10.* Azor. *p. 1. Institut. moral. cap. 13.* in princ. 5

Notandum sextò, contentionem, quæ secundùm Ambrosium est propriè impugnatio veritatis cum confidentia clamoris, esse, quâ quis cum alio pertinaciter decertat. Azor loc. cit. & sic contendere est contrà aliquem tendere; & sicùt discordia contrarietatem quandam importat in voluntate, ita contentio contrarietatem quandam importat in locutione; & sicut discordantes aliqui sunt ex hoc, quòd stant corde in propriis; ita contendentes sunt aliqui ex hoc, quòd unusquisque verbo id, quod sibi videtur, defendit: & ideò eâdem ratione ponitur contentio filia inanis gloriæ, sicut & discordia. Ita D. Th. 2. 2. *quæst. 38. art. 1. in corp. & art. 2.* pariter in corp. 6

Notandum septimò, contentionem non solùm proximo nocumentum inferre, sed etiam ipsimet contendenti; hinc Democritus omnem contentionem imprudentem esse dicebat; nam dùm hostem, quo pacto lædat, respicit, propriam negligit utilitatem Stob *ser. 20 num. 50.* 7

Notandum octavò, contentionem, & discordiam, quæ sunt quasi Sorores, habere affinitatem cum invidia, quantùm ad recessum ejus, à quo aliquis discordat, vel ex quo contendit. D. Th. 2. 2. *quæst. 38. art. 2. ad primum.* Primam enim discordiam, seu contentionem inter homines movit invidia inter Cain, & Abel; quoniam opera Cain maligna erant Fratris autem justa. *Gen. cap 13.* 8

His adnotatis; ad difficultatem propositam, an discordia, quæ inter exercitus Officiales non rarò contingit, sit graviter peccaminosa, & pœnis militaribus punienda, videtur negativè respondendum; siquidem discordia opponitur concordiæ: Scimus autem, concordiam non 9

semper esse bonam; quia enim dixerit concordiam impiorum in malo esse bonam? Et ideò discordia quandoque erit bona, & non mala. Præterea, in Sanctis viris invenitur discordia: Dicitur enim de Paulo, & Barnaba *Act. cap. 15. num. 39. Facta est autem dissensio, ita ut discederent abinvicem*; & peccatum saltem grave in eis minimè reperitur; atque adeò discordia, quæ inter Officiales exercitus contingit, non est peccaminosa, & maximè graviter. Præterea, discordia est, quâ voluntas unius fertur in unum & voluntas alterius fertur in aliud; atqui hoc non videtur esse peccatum; cùm voluntas proximi non sit directi voluntatis nostræ, sed sola voluntas divina: Quapropter contrarietas, quæ quandoque in Officialibus exercitûs reperitur, non videtur culpâ saltem gravi notanda, & pœnâ militari punienda.

10 Verius tamen est, discordiam, qua unus Officialis exercitûs discordat per se ab aliis Officialibus, scienter, & ex intentione dissentiens à Bono Reipublicæ, seu exercitûs, in quo tenetur consentire, esse graviter peccaminosam, & pœnis militaribus obnoxiam. S. Aug. *de verb. Domini, tract. 32, tom. 9.* D. Th. 2. 2. *quæst. 37. art. 1. in corp.* Turrecrem. *in cap. Litigiosus, n. 1. 90. dist.* Azor. *p.1. Inst. moral. lib.4. cap.13. §. Annotandum.* Tabien. *verb. discordia, num. 1.* Molfes. *p.1. summ. tract.8. cap.8. n. 119. & 120.* Ayal. *de jur. & off. bell. lib. 3. cap. 14.* Jul. Ferret. *de jure, & re navali lib.6. n. 27.*

11 Moveor primò juribus, *in d. cap. Litigiosus, cap. Discordantes, cap. Si quis Monachus, cap. Dissidentes, 90. dist.* ubi habetur, dissidentes, sive discordes plurimùm DEO, & hominibus displicere, & discordiam, sive contentionem Christianis moribus impensè repugnare, *& l. 1. ff. ad leg. jul. majest.* ubi videtur inter crimina læsæ majestatis seditio, seu dissensio militum in bono Reipub. enumerari.

12 Moveor secundò rationibus; nam Officialium discordia hostibus plurimùm favet; discors enim exercitus faciliùs ab unita virtute superatur. Tum quia à labe peccati mortalis excusari non potest id, quod plurima, & gravia mala in Republica parit: Talia est Officialium discordia juxta S. Hieronymum super illud Matth. 10. *Omne regnum in se divisum desolabitur*, dicentem, Quomodò concordiâ parvæ res crescunt, sic discordiâ maximæ dilabuntur. Quot enim Officialium discordiâ hominum strages sunt sequutæ, quod militum & interneciones, & fugæ, quot victoriæ deperditæ, quot exercitus destructi? Tum etiam, quia discordia separat à Christo Christianum, ita dicente S. Aug. loc. cit. ubi inquit „ Non poterit habere concordiam cum „ Christo, qui discors voluerit esse cum Christiano: Nec non S. Jo. Chrysostomo apud Turrecrem. loc. cit. sic loquente: „ Sicut in pace „ factus est locus Domini, sic in discordia locum „ diaboli fieri manifestum est: Sciunt verò omnes Theologi separationem Christiani à Christo sequi tantummodò per culpam mortaliter peccaminosam. Postremò, inter opera carnis, quæ spiritum à Regno DEI excludunt, etiam contentiones, dissensiones, id est discordiæ per Apostolum, ad Galat. *cap. 5. num. 20.* enumerantur: *Qui talia agunt Regnum DEI non consequentur:* Nihil autem potest nos excludere à Regno Cœlorum, nisi culpa mortalis: Et ideò cogitur quisque fateri, culpam mortalem esse præfatorum Officialium discordiam.

Moveor tertiò exemplo, primò in Scipione 13 qui in castris ad Sucronem in Hispania, dissensione ortâ inter suos milites, septem Tribunos ad eos misit, qui placidis verbis permulcentes militum animos lenirent, & edicto proposito, ut ad stipendium petendum convenirent, Carthaginem pertraxit; ubi circumfuso omni exercitu milites discordes, seu auctores dissensionis, & seditionis in medium protracto, nudos delegatos ad palum, virgisque cæsos securi percussit. Liv. *lib. 28.* sub Anno 544. in Eudimio, & Menandro Atticæ secundò classis Ducibus, quos acerbâ punitione dignos declarant Historiæ, uti adversantes sententiæ prudentis Niciæ Atheniensium Ducis, probè consulentis, non debere fieri belli navalis expeditionem in mari contra Gylippum, nisi expectato Demosthene, noviter misso ab Atheniensibus in eorum præsidium cum sua Classe navium sexaginta trium, deferentium millia quinque bellatorum militum expertorum, & tria millia Sagittariorum, & Funditorum, cùm triremibus optimè armatis, & annonia, ac rebus multis pro victu. At Menander, & Eudimius, gloriam immoderatè cupientes noluerunt Demosthenem expectare, ne foret speratæ victoriæ particeps, prælio commisso navali contrà Gylippum Lacedæmoniorum Ducem, in suffragium Missum Syracusarum obsessarum ab Atticis; ideoque victi permanserunt à virtute Gylippi. Hæc Jul. Ferret. loc. cit. *num.27.*

Concludimus igitur, discordiam, quæ inter Officiales exercitus non rarò contingit, quando scienter, & ex intentione dissentiunt à bono exercitûs, sive Reipublicæ, in quo debent consentire, esse graviter peccaminosam, & jure militari puniendam propter contrarietatem ad charitatem, nisi primi motus talis discordiæ excusarent propter imperfectionem actus. 14

Ad opposita respondemus; ad primum, nobis minimè obstare; non enim agimus hìc de discordia, quæ opponitur concordiæ impiorum in malo, sed de discordia, quæ opponitur concordiæ, quæ est charitatis effectus, & ista est Bonorum in bono, ut dicit Turrecrem. loc. cit. & bona est. 15

Ad secundum, discordiam, ortam inter Paulum, & Barnabam, fuisse per accidens, non verò per se; uterque enim intendebat bonum, sed uni videbatur hoc esse bonum, alii aliud, quod ad defectum humanum pertinebat. Non enim erat talis controversia in his, quæ sunt de necessitate salutis; quamvis hoc ipsum fuerit ex divina Providentia ordinatum propter utilitatem indè consequentem. Ita D. Thom. 2. 2. *quæst. 37. art. 1. ad tertium.* 16

Ad tertium, concedendo ant. & negando consequentiam: Fatemur enim voluntatem unius hominis secundùm se consideratam, non esse directivam alterius voluntatis, seu non esse regulam voluntatis alterius, ut loquitur Doctor Angeli- 17

Angelicus; sed subdimus, voluntatem hominis posse inhærere voluntati Dei, & tunc fieri per consequens directivam alterius voluntatis, seu regulam regulatam secundùm propriam regulam: atque adeò discordare ab hujusmodi voluntate est peccatum, quia per hoc discordatur à regula divina, ut docet D. Th. loc cit. *ad primum.*

18 Infero primò ex dictis, non esse peccatum saltem mortale, nec repugnare charitati discordiam, quæ per accidens est contrà bonorum divinum, & proximi; puta, ut notavimus, cùm intentio aliquorum est ad aliquod bonum, quod pertinet ad honorem Dei, & utilitatem proximi, sed dissentiunt propter rationes probabiles. D. Thom. Molfes. loc. cit. Secùs verò, si adesset pertinacia, vel contentio, vel error circa ea, quæ sunt de necessitatis salutis.

19 Infero secundò, seditionem, quæ à discordia solet oriri, esse graviter peccaminosam, & jure militari puniendam, *l. Desertorem*, cum sequenti lege, *ff. de re milit. & l. 1. & 2 Cod. de seditiosis:* & seditiosos esse puniendos, ut proditores, probat Text. *in l. proditores, Cod. de re milit. & l. pen. ff. ad leg. jul. majest* unde in seditiosos, & seditionum auctores acriter semper sævitum est, tanquam in criminis læsæ majestatis reos. Et Cæsar qui in cæteris criminibus conniuebat, in seditiosos suæ classis, & exercitus accerrimus vindex semper fuit: & ob seditionem in tumultu civilium armorum, ac tùm maximè tumentibus animis legionem totam exauctoravit, auctoribus seditionis securi percussis refert Ayal. *de jur. & off. bellic. lib. 3. cap. 14. sub. num. 2.*

20 Infero tertiò, contentione, quæ importat impugnationem falsitatis cum inordinato modo, si fortè tanta inordinatio fiat in contendendo, quòd ex hoc generetur scandalum aliorum, esse peccatum mortale: unde dixit Apostolus 2. ad Timot. *cap. 2. Noli verbis contendere: Ad nihil enim utile est, nisi ad subversionem audientium.* Si verò præfata contentio fiat cum debito modo actimoniæ est laudabiles. D. Tho. *2. 2. quæst. 38. art. 1.* in corp.

21 Infero quartò, malum esse laudem & gloriam humanam captare, si solam hominum laudem, vel gloriam aucupemur. Hinc dicebat Apostolus: *Si hominibus placerem, Christi servus non essem.* Gal. 1. Secùs verò, quando laus non sola, sed propter Dei honorem, & hominum salutem expetitur. Azot. *p. 1. Instit. moral. lib. 4. cap. 13. §. Tertiò quæritur*, allegans D. Thom. Alex. Navar.

22 Infero quintò, neque licere ob virtutum officia, & opera laudem humanam, & gloriam expectare; nam Christus, Matth. 6. monnit nos dicendo: *Attendite, ne justitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis;* ac postea subjungit de inanis gloriæ cupidis. *Amen dico vobis, receperunt mercedem suam.* Fas igitur cuique est virtutem colere, & amare propter se, cùm per se sit laudabilis, & honotabilis, non verò laudem, & honorem propter virtutum officia quætere; Ita etiam Azor, loc. cit. §. *Quarto quæritur.*

Infero sextò, peccare, & quidem lethaliter eum, qui cum gravi proximi detrimento se laudat ob rem male factam, falsam, vanam, vel inutilem, ut puta quando quis in aliqua arte, vel disciplina, de qua ignarus est, peritum, & expertum se prædicat. Azot. loc. cit. §. *Jactantia est.* 23

Infero septimò, teneri Episcopum sedulo invigilare super subditos, ne sint discordantes; eos, quantùm potest, ratione exhortari, & suadere & potestate coercere. Tutrecrem. *in de cap. Discordantes, dist. 90.* eosque graviter punire, si discordiæ sint disseminatores; nam inter cætera, quæ odit Deus, est, qui inter fratres seminat discordias, *Prov. cap 6.* 24

Infero octavò, teneri pariter Principes, & Gubernatores Civitatum discordias Civium & quidem primò pullulantes eradicare, id Bono publico exigente; nam pace, & concordiâ existente in Civitate, omnia bene fiunt, & non est opus justitiâ punitivâ; quia tunc nulli ab alio, si concors fuerit amicitia, nocumentum infertur: Ita docente Philos. 8. *Ethicor.* 25

Infero nonò, Episcopos, aliosque Prælatos discordantes ad concordiam redire esse cogendos, cum deformitas magna sit, ut Episcopi, qui alios discordantes ad pacem reducere habent, ipsi inter se discordent, ita præcipiente Concilio IV. Carthaginensi; relato *in Capit. Dissidentes Episcopus, 90. Dist.* 26

Infero decimo incidentet, in casu discordiæ inter plures Consanguineos, qui dissentiunt in puella nubenda, standum esse arbitrio Judicis, *l. fin,* versic. *Electione, Cod. de jud.* & ibi Jas. *col. 2. in tertio notabili.* & tradit Card. Albanus, *in Lucubrat. in Bart, in l, si res, ff. de appellat. recip. num. unic.* 27

Infero undecimò pariter incidenter, peccare graviter, & incidere in excommunicationem eum, qui ponit in electione Abbatissæ discordiam, ne eligatur; quando tamen Abbatissa eligenda est cæteris Monialibus dignior, nulloque Canonico impedimento detenta, *Capit, Indemnitatibus. de electione in 6.* 28

Infero duodecimò, seditiosum justè nuncupari, qui dissensionem Animarum facit, & discordias gignit, & facit quod Poeta, furiam alloquens, dixit, 29

Tu potes unanimes armare in prælia Fratres,
Atque odiis versare Domos; tu verbera tectis.
Funereasque inferre faces, tibi nomina mille,
Mille nocendi artes.
Æneid. l. 7.

Infero decimotertiò, seditiosos, ut vult Paulus *in l. si quis aliquid ex metallo*, §. *Auctores, ff. de pœnis, l. 1. & 2. Cod. de seditio.* pro qualitate dignitatis puniri; nempe vel in furcam tolli; vel bestiis subjici, quod lex Christi non patitur; vel in insulam deportari, quod adhuc non videtur in usu. Sin verò intra vociferationis, & levis querelæ terminos seditio per milites mota esset, dicit Text. *in l. 3. in fin, ff. de re milit.* eos gradu militiæ privati. 30

31. Infero

31 Infero decimoquartò, ad impediendam omnem discordiam, & seditionem inter milites, non debere Duces, & Officiales acceptarionem personarum ostendere, præsertim quando agitur de pugna suscipienda: siquidem inter viros Ephraim, & Jephte orta est seditio, eo quòd Jephte vadens ad pugnam contrà filios Ammon, illos accersere noluit. Jud. *cap.* 12 *num.* 1. & 2.

32 Infero decimoquintò, ambitionem pariter esse adimendam, ut aditus discordiæ præcludatur; scimus enim factam fuisse discordiam inter Absalon, & David Patrem suum, eo quòd Absalon Regnum ambierit: unde Absalon, qui eam movit, suspensus est. 2. *Reg. cap.* 15. & 18.

33 Infero decimotertiò, In compescendis, cohibendisque militum discordiis, & seditionibus, magnum requiri Ducis prudentiam, ne alioqui magis irritetur, & accendatur, quàm sedetur, aut extinguatur militaris furor: ad quod agendum, attendenda est temporis opportunitas; nam aliter in medio ardore belli, aliter in pace tranquilla arbitrandum, & agendum est, dicebat Fabius Max. *super temporis rationem habendam, lib.* 2.

34 Infero decimoseptimò, ad ex stirpandas discordiarum radices, quæ inter milites vigent, & quæ paci, atque mortalium tranquillitati potissimum reluctantur, virtutibus ornatos, & præsertim prudentiâ, esse Duces exercitus eligendos. Est memorabile, quod de Viriato refert Appian. *de bello Hisp.* quippe qui cum per octo annos bellum cum Romanis gereret, exercitum ex omni hominum genere conflatum, sine discordia, & seditione semper obsequentissimum habuit, quod dubio procul, non sine admiranda quadam Ducis virtute fieri potuit.

35 Infero decimooctavò, teneri Christi-fideles semper amare, & servare concordiam, tanquam opus Dei, & summo odio habere discordiam velut opus Diaboli. Sanctus Franciscus Assisias, cum appropinquasset Aretinæ Civitati, cui ob discordiam, seu seditionem inter cives exortam, propinquum imminebat excidium, & vidisset duos Dæmones exultantes, civesque illos contrà se invicem irritatos, illico per Socium ex parte Omnipotentis Dei omnibus dæmonibus præcepit recedere, & statim miro modo cives omnes unanimiter in pacem assenserunt. Jo: Trithe. *lib.* 1. *de tentation. Religiosorum, cap.* 5. Omnibus itaque sub Christi vexillo militantibus, ardentissimo zelo dicebat Apostolus: *Obsecro itaque vos ego vinctus in Domino, ut dignè ambuletis vocatione, qua vocati estis, cum omni humilitate, & mansuetudine, cum patientia, supportantes invicem in charitate; solicìti servare unitatem spiritus in vinculo pacis: Unum corpus, & unus spiritus, sicuti vocati estis in una spe vocationis vestra, unus Dominus, una Fides, unum Baptisma, unus Deus, & Pater omnium, qui est super omnes, & per omnia, & in omnibus nobis.* Ad Ephes. *cap.* 4.

36 Infero decimononò incidenter, non semper esse actum militaris prudentiæ, seditiosos hostes solâ discordiæ fiduciâ invadere; cum externus timor, qui potest ex pluribus causis statim exoriri, fit optimum concordiæ vinculum; id Prænestinis magnâ confusione testantibus, qui ex discordia Romanorum occasionem sibi dati Romam invadendi censentes, sumptis armis, ad muros pervenerunt; sed discordiâ Romanorum ex concepto terrore statim versâ in concordiam; Dictatore T. Quinctio Cincinnato unanimiter electo, ad arma conclamatum est, civili certamine in bellum mutato; quod ubi auditum est, hostes perterriti simul à mœnibus recesserunt. Livius, *lib.* 6. sub. an. 376. pag. mihi 75.

II. DIFFICULTAS.

Consiliarius Principis, justum bellum gerentis, revelat quædam secreta Amico suo, strictam amicitiam cum hostibus ejusdem Principis habenti Dubitatur, num peccet graviter, & capitali pœna sit obnoxius.

Notandum primò, secretum, si definitionem in genere spectemus, esse id, quod à nemine, vel à paucis scitur, quod neque sit famosum neque notorium, ex mente D. Tho. Scoti, Cajet. quos produtit, & sequitur doctus Navar. *in Man. cap.* 18. *num.* 52. ubi secretum dividit in illud, quod de se ab uno solo sciri potest, ut sunt omnes, & soli actus interiores Animæ nostræ; & in illud, quod de se à pluribus sciri potest, ut sunt omnes actus exteriores, qui non sunt famosi, neque notorii. 1

Notandum secundò, tres esse secreti species: quarum prima, quæ est in ordine superiori, dicitur obligatio à lege divina positiva per Redemptorem nostrum inducta ad occultandum, quod in Sacramentali confessione revelatur. Navar. *in Man. cap.* 8. *num.* 2. & de hac spetie hic minime agimus. Secunda est, cujus celatio à sciente expresse, vel tacite promissa est. Tertia denique, quæ de se, absque ulla promissione, scientem obligat ad se celandum regulariter; ut est omne occultum, cujus detectio, seu revelatio nocumentum inferret Animæ, corpori, honori, vel famæ, vel fortunis alicujus, per Tex. *in cap. Si peccaverit, causa* 2. *quæst.* 1. & notatur *in cap. Qualiter, & quando,* il secondo, *de accusa.* 2

Notandum tertiò, secretum dici quoque omne, quod Princeps non vult alicui pandi, vel quòd, si palàm factum foret, damnum inferret Principi, quodvè Princeps mandat secretò tenere quamvis coram pluribus jam id factum fuisset, ut per bonum. Tex. *in l. si quis in gravi*, §. *aperire, in vers. palam, vel publice, vel secretò, ff. ad syllan.* & tradunt Bal. *in cap.* 1. *de pace Constan. in* §. *fin autem*, Cæpol. *cons.* 39. *num.* 29. Afflict. *in cap. unic. quib. mod. feud. amit.* il secondo, *num.* 4. & alii. 3

Notandum quartò, illud pariter dici secretum, quod actui publico est subjectum, dummodo de eo impositum sit silentium, ut puta quando de aliqua republicum instrumentum 4

est

est confectum, si injunctum sit Notario, & Testibus silentium circa secretum observandum. Bart. *in l. in fraudem*, in princ. *ff. de iis, quibus ut indig.* Dec. *in l. quo tutela*, §. *clam, ff. de reg. jur.*

5 Notandum quintò, secretum pandi non modò voce, & verbis, sed etiam signis, scriptis, vel aliis modis, quibus possit ad notitiam pervenire, ut probat Tex. *in cap. Omnis utriusque*, §. *Caveant*, *de pœnit. & remiss.* ubi etiam Abb. *in 9. Nota.* Sæpè enim, ut notat Cassiod *in for. Notariorum*, relatus à Decian. *Tract. crimin. lib. 7. cap. 16. num. 10.* vultu proditur, quod tacetur.

6 Notandum sextò, nos teneri secretum nobis commissum detegere, quamvis juramentum, vel promissio præcesserit illud servandi, si sit in grave damnum, vel Reipub. vel innocentis, D. Thom. 2. 2. *quæst. 70 art. 1. ad 2.* communiter receptus. Angel. *v. Testis, num. 33.* Sylv. *eod. verb. quæst. 8.* §. *dico 2.* Navar. *in Man. cap. 18. num. 14.* cùm fides data etiam in juramento nunquam intelligitur esse contra charitatem alteri debitam, & ita nunquam intelligatur esse contra vel legem divinam, vel legem naturalem, vel legem humanam, vel præceptum alicujus Superioris, ut docet Azor. *par. 3. Inst. Moral. lib. 13. cap. 31.*

7 Notandum septimò, Consiliarios Principis, sive Civitatis censeri delectos ex prudentioribus viris Civitatis, vel Provinciæ; quæ quidem qualitas animi omninò necessaria est in Consiliariis, inquit Episcopus Verulanus, *ad Statuta Faventiæ*, *tom. 1. ad Rubr. t. lib. 1. num. 30.* „ Nam sicut radii solares maturitatem præstant „ fructibus ab arboribus fæcundè germinatis, sic „ prudentia maturare debet mentis, atque discur„ sus fructus uberrimos.

8 His adnotatis; ad difficultatem propositam, an Consiliarius Principis justum bellum gerentis, si revelet secreta, quæ in concilio, vel alio modo scivit, Amico suo, strictam amicitiam cum hostibus sui Principis habenti, peccet graviter, & capitali pœnæ sit obnoxius, negativè videtur respondendum; siquidem Amicus, veteri proverbio, dicitur alter ipse, quod ad Pythagoram Authorem plerique referunt, alii ad Zenonem Stoicorum Principem, qui interrogatus, quis esset amicus, Alter (inquit) Ego. Præterea amicus secundùm Tull. ut refert Iser. *in cap. unic. num. 4. quibus mod. feud. amit.* dicitur quasi animi custos, & successive amicis tantùm posse revelari secreta probat illud Prov. *cap. 25. num. 11. Causam tuam tracta cum amico tuo, & secretum extraneo ne reveles, ne forte insultet tibi, cùm audierit, & exprobrare non cesset*: Et ita videtur lex amicitiæ improbare: Hinc Christus Salvator Noster Joan. *cap. 15. num. 15.* loquens ad Discipulos, inquit: *Vos autem dixi amicos, quia omnia quæcunque audivi à Patre meo, nota feci vobis*: Et Alexander, cùm Epistolam, arcana quædam continentem, à Matre missam, legeret, eam etiam suo Ephestioni legere permisit, annulum tantummodò suum signatorium ori ejus admovit, ut taceret, quod fuit exemplum insignis de amico fiduciæ, nec non legis amicitiæ argumentum. Præterea, esto Consiliarius Principis, ejus secreta revelando amico suo, aliquam mereatur punitionem, non videtur tamen pœnâ capitis esse puniendus; nam apud Ægyptios Prodentes secreta, linguâ tantùm puniebantur, non capite, ut quo membro peccaverant, eodem privarentur, ut refert Diodor. Siculus, *lib. 2.*

Fateor, hanc opinionem non sine apparenti saltem fundamento procedere, propterea illi adhærere, statim conceptâ difficultate putabam, re tamen melius consideratâ, & sedulo discussâ cum Illustrissimo Domino Jacobo Sardinio, J. U. D. Patricio Lucensi, doctrinâ, prudentiâ, dexteritate, nec non nobilitate præclaro, & in tota Curia Romana celebri Advocato; ideoque à Sanctissimo, & Beatissimo Patre Domino Nostro CLEMENTE XI. omnium plausu adscito inter Advocatos Aulæ Consistorialia (qui locum habent in Capella Pontificia, equitationibus solemnibus, aliisque functionibus more Collegiorum Prælatitiorum, ut testatur Card. de Luc. *in Relat. Aulæ Romanæ*, *discurs. 46.* addens, *num. 6.* Prælatitiam figuram quodammodò facere videntur) contrarium visum est verius, & tutius, tamquam Reipublicæ, nec non privatorum bonum concernens; nempè Consiliarium Principis, bellum justum gerentis, secreta ejusdem amico suo, strictam amicitiam cum hostibus habenti, revelantem, graviter peccare, & pœnam capitalem mereri, si certò, vel probabiliter credat, voluisse Principem, qui sibi secreta commisit, ut celarentur; aut probabiliter noscat, Amicum, cui ea detegit, ea hostibus sui Principis patefacturum. Ita sentire videntur inter Jurisperitos. Isern. *in cap. unic. quib. mod. feud. amit.* ubi Afflict. verf. *ultimò quæro.* Mattiu. Lauden. *in tract. de princip q 190.* Paris de Puteo, *in tract. Syndic. sub tit. de excess. Consiliariorum*, in verb. *excedunt*, *num. 1.* inter Theologos, & Canonistas, Navarr. *in Enchir. cap. 18 num. 54.* Less. *lib. 2. cap. 11. numer. 70.* Azor. *p. 3. Instit. moral. lib. 13. cap. 31. verf. dubium secundum*, in fine, Sot. *lib. 5 de just. & jur. quæst. 10. art. 2. conclus. 4.* Aragon. Salon. Rebell. & Rodriq. quos sequitur Megal. *lib. 3. cap. 2. quæst. 1. num. 5.* §. *At contrariam sententiam.* 9

10 Moveot primò juribus, *in l. Omne delictum*, §. *Exploratores*, *ff. de re militar.* ubi habetur, quòd revelans secreta Principis sui hostibus proditor est, & capite punitur; & *in l. si aliquid*, la seconda, §. *1. ff. de pœnis*, dicitur „ Consiliorum nostrorum renunciatores aut exurun„ tur, aut furcâ suspenduntur: Et quamvis no„ ster Consiliarius non revelet hostibus secreta sui Principis: nihilominùs dum ea revelat Amico, qui strictam amicitiam habet cum hostibus, & hoc scit, potest rationabiliter præsumere, eum esse hostibus secreta sui Principis patefacturum; undè hujusmodi revelationi consentit, & successive incidit *in d l. omne delictum*, juxta regulam, qui per alium facit, per se ipsum facere videtur, *de reg. jur in 6. l. manumissiones, ff. de just. & jur. l. si Amicis, ff. de adult.* & nobis etiam favet *cap. Ego N. in* §. *Consilium*, *de jureiur.*

11 Moveor secundò rationibus, siquidem ex generali præcepto naturæ, omnes homines obligantur, ut quæ sibi secretò dicuntur, celent: Hinc apud Romanos Consul DEUS Consiliorum colebatur, cui Templum in Circo sub tecto posuerant, quòd consilia tecta, & secreta teneri debeant, ut Author est Servius *in 8. Æneid.* ubi aliud factum refert; nempè quod olim Fidei panno velatâ manu sacrificabatur, ad ostendendum Fidei convenire secreta nullatenùs pandere. Dum igitur Consiliarius alteri revelat secreta, quæ sibi suus Princeps communicavit, fidem frangit, legem naturæ conculcat, & quidem notabiliter, dum de re magni ponderis agitur. Tum quia, qui alicujus privati secreta fidei suæ commissa detegit, punitur de falso, *l. 1. §. Is, qui deposita, ff. de fals.* cum aliis concord. de quibus Hipp. *cons. 1. num. 8.* Dicitur enim *in cap. Qui ambulat, causa 5. quæst. 5.* quod est *proverb. 11. Qui ambulat fraudulenter, revelat arcana, qui autem fidelis est animi, celat amici commissum:* Et Ecclesiast. *cap. 27.* habetur, *Qui denudat arcana amici, fidem perdit*, & in pœnam temporalem criminosæ denudationis non inveniet amicum ad animum suum. Tum etiam, quia Proditores etiam dicuntur, qui secreta sibi communicata, seu credita revelant, & ideò committunt crimen læsæ majestatis, ut late ostendit Hipp. *cons. 1. n. 1. & seq.* Præterquam quod, si Amicus est alter ipse; & Amicus Consiliarii est hostium Principis amicus: Ergò Consiliarius communicando secreta sui Principis amico, ea communicat hostibus. En proditio, En crimen læsæ majestatis, En peccatum gravissimum dignâ pœnâ, præter æternam, in hac vita puniendum.

12 Moveor tertiò exemplo, primò in Joàb, qui morte fuit punitus, quòd litteras secretas contra Uriam revelavit, ut habetur 2. *Reg. cap. 11. num. 14* & tradit Gondissa, *in Tract. de lega. 3 p. quæst. 1. num. 36.* Decian. *Tract. crimin. lib. 7. cap. 16. n. 4.* Secundò, in Valerio Sorano, morte mulctato ob propalationem nominis Deæ Urbis Romæ, quod Angerona erat, evulgari prohibiti, authore Plinio, *Natur. hist. lib. 3. cap. 5.* Plutarch. *quæst problem. 60.* Tertiò, in M. Tullio Duumviro, quem Tarquinius Rex culeo insutum in mare projici jussit, quia librum secreta civilium sacrorum continentem Petronio amico etiam pecuniâ corrupto legendum, & describendum dedisset. Refert Val. *lib. 1. de servata Religio.* & Dionys. *lib. 3.*

13 Concludimus igitur, Consiliarium Principis, justum bellum gerentis, si revelat secreta sui Principis amico suo, strictam amicitiam cum hostibus præfati Principis habenti, graviter peccate, & pœnæ capitali esse obnoxium, si certo, vel probabiliter credat voluisse Principem, qui sibi secreta commisit, ut celarentur; aut probabiliter noscat, amicum, cui ea detegit, ea hostibus sui Principis patefacturum; & præsertim, si per eorum scientiam, seu notitiam id eveniret, ut hostes in potestatem sui Principis non venirent, vel deveniret Princeps in hostium potestatem; vel aliud notabile detrimentum incurreret.

Ad opposita respondemus: Ad primum, admittendo ant. quod facit contra Adversarios, ut patet in tertia ratione nostri secundi motus; & negando conseq quamvis enim Amicus sit alter ipse, semper tamen est alter; & Princeps nemini penitùs vult, secreta, quæ suo Consiliario communicat, revelari. 14

Ad secundum: Concedendo pariter ant. & distinguendo consequens: Possumus Amico revelare secreta nostra, concedimus; secreta aliena nobis commissa, negamus: Ut expressè patet ex illo Prov. 25. contra nos adducto. Ad illud Joan. dicimus, quòd Christus nota fecit suis Discipulis, quæ à Patre suo audivit; quia talis fuit sui Patris voluntas; & quia sic publicum Christianæ Reipublicæ, cujus Caput erat, Bonum exigebat. Ad illud Alexandri; constat ex historia, eum permisisse Ephæstioni Epistolam à Matre emissam legere, quia sciebat & voluntatem Matris ab eo non esse alienam; & Ephæstionem novit eam certo celaturum. 15

Ad tertium; quòd nihil probat: Vel si aliquam probationis vim habet, tantùm probat, pœnam delicto debitam posse moderari, non verò, non posse imponi. Præterquam quòd, non debent Gentilium exempla ullum præjudicium inferre dispositioni jurium, quæ inter Christianos solent, tanquam rectè vivendi regulæ, observari. 16

Infero primò ex dictis, Titium peccare mortaliter, si vi tormentorum, aut probabili metu mortis detegat secretum, quod vergit in grave detrimentum Principis, Exercitus, Civitatis, & Communitatis cujuscunque. Secùs verò, si vergat in leve detrimentum. Sic etiam Azor. *p. 3. Instit. Moral. lib. 13. cap. 31. §. Dubium nonum.* 17

Infero secundò, non esse secretum sacramentale, nec majori secreti vinculo obligare, quàm aliud extra confessionem derectum, id, quod quispiam, sine animo confitendi sacramentaliter peccata, & recipiendi sacramentalem absolutionem, dicit Presbytero etiam genibus flexis, & cum signo Crucis, quamvis addat, hoc tibi dico in confessione. Innoc. Pan. & DD. communiter *in cap. Omnis, de pænit. & remiss.* Azot. loc. cit. §. *Dubium decimum quintum.* Sot. *in lib de ratione teg. & deteg. secretum, membr 2. quæst. 7. art. 1.* & ante ipsum, clariùs, & validiùs Cajet. 2. 2. *quæst. 70. art. 1.* Navar. *in Enchirid. cap. 18. num. 55.* Ex quibus constat, plures etiam viros qualificatos errare dicendo: Hoc tibi dico in confessione, putantes hujusmodi secretum obligationi secreti naturalis excellere, & obligationem auferre testandi coram Judice, vel ad sanctum Tribunal Inquisitionis denunciandi, si agitur de rebus Christianæ Fidei contrariis. 18

Infero tertiò, magno esse Christianæ Reipublicæ nocumento, & successivè gravissimè peccare illos Perfidos, qui sub prætextu mercium, & cujusdam familiaritatis explorant secreta Christianorum, eaque nunciant Turcarum Tyranno, vel ejus Vices-agentibus: Undè merito præter excommunicationem Bullæ Cœnæ incidunt *in d. l. omne delictum, ff. de re milit.* quæ eis ultimi supplicii pœnam injungit, ut observat Card. 19

Alba-

Albanus, *in Lucubrat. in Bart. in Rubr. prima Const. fforum, n 8.*

20 Infero quartò, esse capitale delictum prodere nomen, quod secretò committitur militibus, excubias agentibus; Hinc milites nomen dare nescientes, hostes reputantur, & ut tales minimè admittuntur. Decian. *Tract. crimin. lib. 7. cap. 16. num. 35.* & militare experimentum ita tradit.

21 Infero quintò, Vassallum, qui revelat secreta sui Domini, feudo privari, & quidem meritò, juxta dispositionem *cap. unic.* ubi omnes, *quib. mod. feud. amit. & cap. unic. §. pen. de novo for. fideli.* Et tradit etiam Crav. *cons.* 224. *num. 6.* Hipp. *cons.* 1. *n. 4.*

22 Infero sextò, Vassallum, qui Domino juravit fidelitatem, si revelat secretum ei commissum à Domino post aliquod tempus, esse perjurum; cùm hujusmodi juramentum extendatur etiam ad futura, ut docent Joan. Andr. *in cap. pen. de jureiur.* Decian. *in Tract. crimin. d. lib. 7. cap. 17. n. 2.*

23 Infero septimò, non solùm Consiliarium, Secretariumvè esse capite puniendum, sed etiam subditum, si secreta sui Principis, quæ penetravit, revelat, juxta *l. si quis aliquid, § transfuga. ff. de pœnis.*

24 Infero octavò, revelantem Confœderatorum secreta, pacem concernentia, reum esse pacis violatæ, & mereri pœnis puniri, si est privatus, & bello impeti, si est Princeps, aut Respublica, Gondiss. *in Tract. de lega. 3. p. quæst. 1. num. 35.*

25 Infero nonò, eum, qui juravit amico secreta tenere, quæ sibi communicavit, si per Judicem producatur in testem, non posse ea revelare. Bal. *in l. nullum, num. 5. vers. sed hic incidenter, Cod. de test.* ubi allegat Joan. And. *in cap. Litteras, de præscript. col. 1.* dicentem, ei non esse credendum; si deponat: Nam aut falsum deponit, aut verum; si falsum, uti falsarius, & mendax est rejiciendus; si verum, est rejiciendus uti perjurus. Contrarium tenent Innoc. *in cap. Intimavit*, ubi alii, & in specie Sicul. *& in cap. Constitutus, de testi.* Jas. *in l. ult. n. 20. ff. qui satisd. cogun.*

26 Infero decimò, Præsidem alicujus Universitatis, si jurat aliquid, quod ad Universitatem spectat, secretum tenere, si posteà id revelet, esse statim officio privandum, ut inquit Bald. *in tit. de pace Constan. v. credentia*, quem sequitur Gondissa, loc. cit. *n 38.*

27 Infeto undecimò, Confessarium revelantem peccata etiam venialia sacramentaliter audita in confessione, esse à Sacerdotali officio deponendum, atque ad agendum perpetuam pœnitentiam in arctum Monasterium detrudendum, *cap. Omnis utriusque sexus, de pœnit. & remiss. vers. Careat*; & juxta aliorum Canonum dispositionem: Et latè per D. Thom. *in 4. sent. dist.* 21. *quæst. 3. art. 1.* & per Ang. *de malef.* in verb. *Che hai tradito la tua patria, n.* 18.

28 Infero duodecimò, Interpretem sacramentalis Confessionis non posse examinari, & cogi deponere in judicio contra ipsum confitentem, seu pœnitentem. Circa hoc potest cerni D. Th. loc. cit. *quæst. 3. ad 2.* Sot. *dist. 18. quæst. 3. art. 5. col. 10. vers. per hoc respondetur:* Posse tamen in causa matrimonii de voluntate, & licentia pœnitentis confessionem propalare, colligitur ex Glos. *in cap. Tua nos, de sponsa.* quam celebrat Rom. *in l. Si non specials, Cod. de testam.* cui consentit Jas. *in l. 1. §. Hujus studii, num. 6. ff. de just. & jur. & in l. patre furioso num. 7. ff. de his, qui sunt sui, vel al. jur. & in l. reprahendenda, Cod. de inst. & subst.*

Infero decimo tertiò, feudum amitti à Vas- 29
sallo, cui communicavit Dominus se velle occidere Titium, si hoc Titio pandat, animo damnum, & maximè grave Domino inferendi; cùm in delictis animus puniatur, *l. 1. §. Divus, & l. Divus*, & ibi Bart. *ff. ad leg. Cornel. de sicar.* Secùs verò, si revelet ex motivo charitatis proximi, ne scilicet Titius occidatur, quod potest probari ex conjecturis, ut ostendit Decian. *Tract. crimin lib. 7. cap. 17. num.* 11, *&* 16. nam charitas nemini debet esse damnosa: Quo in casu putamus fuisse loquutos Isern. *in cap. 1. de forma fidelit. num. 2. per cap. Si peccaverit, causa 2. quæst. 1.* Afflict. *in cap. 1. quibus mod. feud amit.* il secondo, *num.* 21. Gig. & alios.

Infero decimo quartò, à Testibus esse eo- 30
rum dicta secretò deponenda, ut per Tex *in l. nullum. Cod. de Testib.* eosque posse Judicis arbitrio puniri, si eorum attestationem ante publicationem propalaverint, *l. qui falso, ff. de Testi.* Isern. loc. cit. Paris de Puteo, *in Tract. de syndic. sub tit. de excessib. Consilear. vers. excedunt, num.* 2.

Infero decimo quintò, Notarium indican- 31
tem secreta Judicis Partibus, vel secreta unius Partis alteri adversariæ, incurrere pœnam falsi, *l. 1. §. is, qui deposita, ff. de fals.* Bart. *in l. 1. ff. de prævaric.* Glos. *in l. Senatus, ff. de accus.*

Infero decimo sextò, gravi punitioni esse 32
obnoxium eum, qui hostibus litteras abbreviatas, quas signa appellamus, & notas sive gyphras interpretatur, uti secreta revelantem; quia litteræ abbreviatæ, notæ, sive gyphræ sic scribuntur, ut si deprehendantur, occultæ remaneant.

Infeto decimo septimò, malè se gerere Judi- 33
cem, qui sententiam suam prodit antè publicationem, vel signo, vel aliter: Dedecet enim constantem, & rectum Judicem animum vultu detegere, *l. observandum, ff. de Offic. Præsid.* ubi Bart. & alii: Aut acta judicii ante publicationem revelat, ex *l. 3. Cod. de Offic. divers. iud.* aut in criminalibus ante sententiam suam animum propalat, & est Tex. *in l. ubi falsi, Cod. ad leg. Cornel. de fals.*

Infero decimo octavò, prudentis esse viri 34
nulli, aut paucis sua secreta communicare: Nam Chilo Lacedæmonius, unus de numero septem Græciæ Sapientum, Interrogatus quid esset difficile: Arcanum, inquit, reticere; tanta est linguæ omnium maximè volubilis incontinentia, cum alioqui nil videatur facilius, quàm silere.

Infeto decimo nonò, nullatenùs esse com- 35
mittenda secreta alicui inter convivia. Scriptum est enim Prov. 31. *Noli Regibus dare vinum: Quia nullum secretum est, ubi regnat ebrietas;*

& ideò putamus in culpa esse, qui ebrioso secreta committit. Angel. *in l. qua adulterium, Cod. de adult.*

36 Infero vigesimò, teneri Principes, Reges, ut Reipub. Bono consulant, illis tantùm secreta sua concredere, quorum fidem experimento aliquo notam habent: Et ideò cautum est *l. 1. Cod. de mand. Princ.* quòd nulli credendum est, asserenti se venire cum mandatis secretis Principis, nisi scriptum Principis manu subscriptum producat; cùm non sit verosimile, Principem secreta sua sic facilè communicare.

III. DIFFICULTAS.

Quidam Miles Officialis, ob extraordinaria servitia Principi præstita, aliquas res furtivè accepit pro suo compensando labore. Dubitatur num sit tutus in conscientia.

1 Notandum primò, compensationem esse speciem solutionis, ut tradit ex juribus Menochius, *in conf. 508. num. 23. & conf. 611. num. 9.*

2 Notandum secundò, juri, & æquitati consentaneum esse, ut pro laboribus merces, atque salarium detur ei, qui alteri inservit, juxta illud Apost. 1. *ad Cor. cap. 9.* relatum *in cap. Cum secundùm, de preb.* qui Altari servit, de altari vivere debet. Et dignus est operarius mercede sua. Matth. 9. relat. *in cap. Quicunque suffragio, causa 12. quæst. 2.* Et opera pretium requirit, *l. Cum duobus, § si coeunda, ff. pro socio.*

3 Notandum tertiò, pro modo aucti laboris esse etiam augendum salarium, ut probatur per exempla, relata à Felin. *in cap. Olim, num. 1. de re judic.* in illo, qui duo habens officia in Ecclesia, utriusque salarium consequi debet: Et à Roma, *Conf. 26.* in eo, qui unum habens salarium, unius negotii causâ, si alteri præponatur, duplom habere debet. Et docet Castr. *in l. 3. ff. de Off. Assessor.*

4 Notandum quartò, nostram difficultatem supponere extraordinaria servitia, quæ Miles Principi præstitit, non fuisse sub obligatione ejus muneris, sed omninò libera; Ita ut Miles illa omittendo non peccavisset, sicuti peccaret, si omitteret, datâ operâ, servitia ordinaria, quæ debet ob stipendium exhibere.

5 Notandum quintò, non ratò dari casum, in quo Milites, famuli, aut alii Officiales expressè, vel tacitè contenti sunt minimo stipendio, aut aliquo obsequio: Et tunc Conductor tenetur solùm ad id, in quo convenit, cùm Miles, aut famulus potuerit cedere juri suo, consentiendo liberè, ut supponimus, in minus stipendium, quàm alioquin mereatur, & non impositâ Conductori majori obligatione. Ita Carocius, *in tract. de locat. p. 1. quæst. 10. num 3.* Lessius, *lib. 2. cap 24. dub. 4. num. 27.* Filliuc. *tom. 2. tract. 36. cap. 6. quæst. 2. num. 104.* Vasq. Azor. Molin. & alii, quos recenset, & sequitur Bonac. *de contractibus, disp. 3. quæst. 7. punct. 4. num. 2.*

Notandum sextò, Milites, qui accipiunt stipendium, teneri vi sui muneris omnia præstare, quæ valent ad finem belli obtinendum; & etiam in prælio usque ad mortem persistere, ut rationibus, & exemplis optimè probat Molfesius *in sum. p. 1. Tract. 8. cap. 13. num. 99.* & nos supra demonstravimus. 6

His adnotatis; ad difficultatem propositam, an miles officialis ob extraordinaria servitia præstita Principi, & ei minimè vi muneris debita, si aliquid acceperit ob suum compensandum laborem, sit tutus in conscientia; affirmativè respondet Cespedes *in dub. militar. dub. 97.* citans quoddam manuscriptum D. Joan. Calepii viri doctissimi inter nostros Patres, cujus fundamentum est, quia hujusmodi servitia extraordinaria, cum sint supra obligationem militum, & prætio æstimabilia, & pluris valeant, quàm ordinarium, & pactum stipendium, licitum videtur pro illis aliquid accipere. Præterea, miles non gratis præstitit talia servitia, sed animo, & spe majora stipendia obtinendi, vel saltem majorem dignitatem. Præterea, ex conjecturis præsumpsit in Duce animum compensandi, ut habetur ex Menochio *in conf. 171. num. 22.* 7

Scio, hanc opinionem olim fuisse plausibilem, nunc verò absolutè dico esse explodendam. Ita sentire videntur Alex. *in conf. 7. num 16. lib. 6.* Jas. *in conf. 123. col. 3. vers. 2.* Menoch. *conf. 51. num. 22.* & alii asserentes, compensationem non induci, nisi expressim dicatur & de voluntate compensare volentis appareat; & Trullen. *tom. 2. in Decal. lib. 8. cap. 5. dub. 5. num. 11.* Joan. Valerus, Diana, Vasquez, quos recenset, & impugnat Cespedes loc. cit. 8

Moveor primò juribus, *in l. Creditorem. ff. de leg. 2.* ubi habetur, compensationem non posse fieri, nisi quando constat de alterius voluntate compensandi: & *l. ult. Cod. de compens.* ubi excluditur compensatio debiti liquidi cum non liquido. 9

Moveor secundò rationibus; quia noster miles gratis præstitit Principi servitia extraordinaria; atque adeò pro illis nihil ei ex justitia debetur. Tùm quia compensatio supponit debitum; debitum oritur ex pacto; nullum verò pactum inter Principem, & militem de his servitiis extraordinariis exhibendis supponitur fuisse, ut pro eis aliquid reciperet: unde ei nihil debet Princeps præterquamquòd, pro stipendio ordinario, quod potest esse justum, quamvis tenue, juxta notata, alii essent, qui servitia hæc extraordinaria Principi exhiberent: & ideò justum censendum est stipendium, etiam pro servitiis extraordinariis, & consequenter injustum quidquid acciperet miles in sui laboris compensationem. 10

Moveor tertiò exemplo, in Furnario qui promisit pro Summa quinque scutorum coquere panem pro tota familia, certum numerum personarum non habente; quia nunc pluribus, vel paucioribus constat; eâ auctâ, non augetur salarium, nec successivè potest sibi compensationem pro majori labore facere. Ita Abb. *in cap. Quanto, de censib.* Capoll, *in tract. servitu-* 11

vitutum urbanorum prædiorum, *cap. 50. de furno.* Menoch. *de arbitr. jud. caf. 223. num. 9.* Azor. *p. 3. Inst. Moral. lib. 8. cap. 14. quæst. 2.* Et omnes rationes militant in casu nostro.

12 Concludimus igitur, milites ob extraordinaria servitia, quæ Principi præstant nullam posse sibi compensationem facere, sed teneri esse contentos stipendiis, quæ eis constituuntur, ut per Tex *in cap. Militare, causa 23 quæst. 2.* & aliter faciendo lethaliter peccare, si compensatio fiat in rebus notabilis momenti, cum onere restitutionis.

13 Ad rationes in contrarium respondemus; ad primam, patet responsio ex quinto not. Quamvis enim servitia extraordinaria sint supra obligationem militum, noster miles tenue, & ordinarium stipendium accipiens, cedit juri suo.

14 Ad secundam, respondet Bonac. loc cit. quòd etiamsi forte qui servit, speret fore, ut Dominus sibi postea conferat majora beneficia, vel stipendia, non ideò sequitur licitam esse compensationem; quia spes non infert Domino obligationem ex justitia.

15 Ad tertiam, gratis dici extare conjecturas compensationem suadentes, vel permittentes.

16 Infero primò à fortiori ex dictis, milites non posse, ob servitia extraordinaria Principi præstita, sibi facere compensationem, quando eis ex sua liberalitate, & gratitudine honores conferret. Quod etiam fatentur Adversarii, cùm honores sint veluti stipendium. Less. *lib. 2. cap. 24. dub. 4.*

17 Infero secundò, milites, si non contenti de propriis stipendiis, plus exigant cum aliorum injuria, violentia, & detrimento; cùm non possint nec cœnam quidem ultra à populis petere, ut per Tex. *in l. 13. Cod. de erogat. milit. annon. lib.* 12. Rovit. *in pragm. Regni 3. num. 12.* & tradit Duard. *in cap Omnis utriusq diff. 17. sect. 4.*

18 Infero tertiò, compensationem ex conjecturata voluntate Conductoris, vel Disponentis esse admittendam, quia voluntas conjecturata dicitur voluntas expressa, ut probat Tex. *in l. Prætor ait*, §. *interdùm*, ubi Gloss. in verb. *expressum*. *ff de operis novi nuntiatione*, Angel *in conf.* 17. Dec. *in conf. 68. num. 3.*

19 Infero quartò, compensationem non esse admittendam, ubi damna, & interesse clara, & liquida non sunt: & probat *l. ult. Cod de compensat.* Tradit Menochius, *in conf 372. num. 28.*

20 Infero quintò, non licere militibus non solùm ob servitia extraordinaria non remunerata, sed nec ob stipendium ordinarium eis non solutum facere sibi compensationem in rebus Rusticorum, & Provincialium; cùm hæres non sint obligatæ pro Principe, Molina, Cajet. Molf. & alii fere communiter, qui excipiunt casum, in quo Princeps concederet militibus hujusmodi compensationem ob puniendum aliquod Incolarum delictum.

21 Infero sextò, nefas esse Ducibus, Capitaneis, aliisque Officialibus, ob stipendia ordinaria eis non soluta, facere sibi compensationem in stipendiis suorum militum; cùm compensatio, quando est justa, seu licita, fieri debeat de bonis non Innocentium, sed debitoris.

Infero septimò, Famulos, qui admittuntur à Domino ex conditione, ut solo victu, & vestitu sint contenti, nil ampliùs posse exigere, aut sua aurboritate ex bonis Dominorum usurpare; quia contractus ex conventione contrahentium legem accipiunt. Et inter alios docet Azor. *Inst. Moral. p. 3. lib. 8. cap. 13.* 22

Infero octavò, Prælatum, vel alium, qui pro compensando debito contracto ex justitia cum Titio, ei confert beneficium Ecclesiasticum, non satisfacere suæ obligationi; cum beneficium Ecclesiasticum debeat gratis conferri, & carere pretio; & quando pretio confertur, committitur simonia, Navar. *in Man. cap. 17. num. 81.* quem refert, & sequitur Trull. *in Decal. tom 2. lib. 7. cap. 5. dub. 5. num. 12.* ubi subdit, licere posteà Creditori, accepto gratis beneficio, ob gratitudinem remittere debitum. 23

Infero nonò, quando ab initio conventum est de salario, Advocato, & Procuratori minime licere amplius recipere sub prætextu majoris diligentiæ præstitæ in patrocinio, vel procuratione; cum quisque teneatur munus suum diligenter adimplere. Ita etiam Molfesius inter tot alios, *in sum. p. 2. tract. 12. cap. 12 num. 49* ubi subdit, aucto numero causarum, posse Advocatum, & Procuratorem plus percipere, prout est causarum augmentum. 24

Infero decimò, eum, qui gratis, animo liberali, aut ex pietate, & charitate aliquid expendit in alterius negotio gerendo; vel alit patentes, vel suum famulum ægrotum; vel præstat alia officia misericordiæ, pietatis, &c. non posse, mutatâ voluntate, aliquid exigere, vel occultè compensare, si ille, in cujus favorem fecit expensas, nulla tunc habebat, vel credebatur habere bona, ex quibus fieri posset compensatio, quia eo ipsò gratis donavit quod expendit, Azor. *Inst. Moral. p. 3 lib. 11. cap. 24 dub. 4.* ubi refert plures casus scitu dignos, Bonac. *de contract. disp. 3. quæst. 7. punct. 4. num. 5.* ubi citat Navar, Vasq. Sanchez, & alios. 25

Infero undecimò, in dubio quando scil, non constat animus alimenta obsequia, officia charitatis, pietatis, misericordiæ præstantis; nimirum quando quis dubius est, nùm gratis ille fecerit necne, tunc ex circumstantiis res esse judicandas. Ita sentit Azor. loc. proximè cit. 26

Infero duodecimò, famulum, aut alium conductum, invite detentum in pluribus laboribus, & ministeriis minime conventis, pro mercede assignatâ, posse licite pro his laboribus, & ministeriis compensationem de bonis Domini sibi facere; cùm famulus tunc non præsumatur gratis fecisse, & condonasse, quia condonatio est donatio seu remissio libera, & spontanea. Navar. Less. Vasq. quos recenset, & sequitur Bonac. loc. cit. *num 4.* 27

Infero decimotertiò, nequaquàm licere famulis aliquid occulte heris suis surripere ad compensandam operam suam, quam majorem judicant salario, quod recipiunt. Contraria doctrina fuit damnata per Sanctam Memor. Innoc. XI inter alias propositiones damnatas anno 1679. Indictione secunda, die 4. Martii, & est 37. in ordine. 28

IV. DIFFICULTAS.

Duo Milites, alter Signifer, & alter Ducis militum vices-gerens, capti in bello justo ab hostibus, eis promiserunt solvere extortam taleam, & redire si per aliquos dies liberentur. Dubitatur, num peccent promissa non servando.

1 NOtandum primò, promissionem habere vim pacti, In quod transit, si adsit etiam consensus ejus, cui promissum est, quo videlicet ratam, & acceptam habeat promissionem. Ita tradit Pan. *in cap. 1. de pactis*, Bart. doctrinæ adhærens. Molfes. *in summ. tract. 11, cap 4. num. 39.*

2 Notandum secundò, dari differentiam inter pactum, & pollicitationem: Nam in pacto est duorum vel plurium consensus in idem ad dandum, vel faciendum: Pollicitatio verò est solius offerentis promissio, *l. 3. ff. de pollicitationibus*, & propriè est, cùm quis non petenti promittit aliquid.

3 Notandum tertiò, promissionem, seu pollicitationem non esse verè, & propriè contractum; quia non parit ex utraque parte obligationem. Ita communiter DD. Quidquid dicant aliqui Recentiores.

4 Notandum quartò, magnam esse controversiam inter Doctores, an promissio obliget promittentem lege justitiæ, an verò solùm honestate, & virtute, quâ quis verax esse in dictis, & factis debet. Cajet. 2. 2. *quæst.* 113, *art.* 1. *dub.* 4. *& in summ.* in verb. *perfidia.* Armilla, eod. verb. & alii ex D. Thom. 2. 2. *quæst.* 80. *art.* 1. *& quæst.* 88. *art.* 3. *ad* 1. docent promissionem obligare solùm ex debito honestatis. Sotus *lib.* 7. *quæst.* 2. *art.* 1. *vers. Difficultas ergo.* Angel. *in florib. Theolog. tract. de voto, art.* 2. Salon, 2. 2. *quæst.* 61. *art.* 4. *quæst.* 5. *art.* 3. *quæst.* 2. Aragon 2.2. *quæst.* 88. *art.* & alii Recentiores tenent in promissione esse obligationem justitiæ.

5 Notandum quintò, fidem, sive fidelitatem esse justitiæ fundamentum, dictorum, conventorumque constantiam. Sic tradit Cicero *lib.* 1. *officiorum.*

6 Notandum sextò, captos in bello effici servos capientium, *l. Hostes*, & ibi Bart. *ff. de capt.* quod inter Christianos non est in usu, ut alibi à nobis probatum est.

7 Notandum septimò, milites captos ex consuetudine spoliari armis, equis, pecuniâ, dimissis vestibus, sine extorsione taleæ, nisi sint Duces militum, aut eorum vices-gerentes, vel Signiferi, à quibus pecunia extorquetur, quæ à Doctoribus talea nuncupatur, *l. nam & servus, ff. de negot. gest.* ubi Bal. & alii, & per Jas. *l. conventionum, ff. de pactis*, & per Anan. & Felin. *in cap. Excommunicamus*, §. *Catholici, de haret.*

8 His adnotatis; ad difficultatem propositam, an Milites, nempè Signifer & Ducis militum Vices-gerens capti in bello justo ab hostibus, si promiserunt, eis concessâ libertate aliquorum dierum solvere taleam, & redire, peccent hujusmodi promissa non servando, negativè videtur respondendum: Nam milites capti jus habent ad libertatem, & nihil eis hostes dant, quod suum non sit; & talea prætensa, cùm sit extorta, non est debita; undè promissio videtur gratuita, quæ promittentis conscientiam non obligat.

Veritas tamen est, promissionem horum militum parere obligationem in conscientia, & sic eos peccare promissa non servando. Cesped. *in dub. militar. dub.* 62. & omnes Doctores, qui tenent promissionem onerosam obligare in conscientia. 9

Moveor primò juribus, *in l. Labeo, ff. de verb. oblig.* ubi habetur, quòd in contractu est ultrò, citroque obligatio: Hic autem adest contractus innominatus. Do ut des, vel faciam ut facias, *in l. si ita quis, ff. de verb. oblig* ubi habetur, ex promissione conditionata nasci obligationem, quando alterutra conditio extiterit. 10

Moveor secundò rationibus; nam hi milites, ut liberentur, promittunt & taleam solvere, & redire; & de facto libertas eis datur, adeoque non gratuita est eorum promissio redeundi, & taleam solvendi; sed ut libertatem per aliquod tempus obtineant, & sic obligantur. Tum quia promissum non solvere est datam fidem frangere. Esse autem peccaminosam fidei datæ violationem fateri tenemur; nam si fides è medio consuetudinis humanæ tollatur, magno detrimento Respublica afficitur. 11

Moveor tertiò exemplo frequentissimo, in tot militibus, præcipuè Officialibus, in bello ab hostibus captis, qui promittendo, ut per aliquod tempus liberentur, & taleam solvere, & redire, promissum servant, existimantes aliter faciendo, non solum honorem suum labefactare, sed etiam peccati labe conscientiam afficere. 12

Concludimus igitur, prælatos Officiales milites, qui ut ab hostium manibus se se eripiant, eis promittunt redire, & taleam conventam solvere, teneri stare promissis, aliter culpam gravem committere. 13

Ad rationem In contrarium respondemus, si milites in bello capti inter Christianos habent jus ad libertatem, etiam hostibus capientibus competere jus eos detinendi, & taleam exigendi, quo jure cùm priventur ob promissionem, promissio est onerosa, non gratuita, & sic obligatoria. 14

Infero primò ex dictis, produci obligationem secundùm conscientiam in promittente, quando promissio est opus virtutis, nimirùm fidelitatis, pietatis, misericordiæ, charitatis, vel liberalitatis. Glos. *in cap. Quanto, de censib,* in verb. *Tenentis* Sylv. in verb. *Pactum, quæst.* 4. Navar. *in Manual. cap.* 18. *num.* 6. *vers. Ex quo infertur.* Contrarium tenent Pan. *in cap. Prudentes, de probat.* Angel. in verb. *Pactum, num.* 8. Armilla, & alii, quos recenset, & sequitur Azor. *Instit. Moral. p.* 3 *lib.* 13. *cap.* 24. 15

Infero secundò, probabilem esse opinionem asserentium, nudam, & simplicem promissionem ligare conscientiam promittentis, non solum per se leviter, & ex accidenti graviter, ut tenent Cajet. *in* 2.2. *quæst.* 88. *art.* 5. *& quæst.* 113. *art.* 1. 16

art. 1. dub 4. Armilla, & alii; sed etiam pet se graviter, & tantùm ex accidenti leviter, ut quando quis promittit rem modicam, & non solvit, Sot. *lib. 7. de just. quæst. 2. art. 1.* Medin. *de reb. restituendis, quæst. 3. ad fin.* Jas. 2. 2. *quæst. 61. art. 4.* Aragon. & alii, quos recenset Sayt. *in sua Clavi Regia, lib. 6. cap. 6. num. 16.*

17 Infero tertio, promissionem reciprocam justitiæ obligationem continere; ut cum duo sibi fidem dant, & accipiunt; tunc enim est contractus innominatus. Ita etiam Azor. loc. cit.

18 Infero quartò, quando adest promissio non simplex, sed ex causa, tunc causa consequutâ, lege justitiæ promissum exolvi; ut si Dux promittat militi. „Si super muros arcis obsessæ „ascenderis, dabo tibi viginti argentos, vel „dignitatem magnam in exercitu. Si miles super muros ascenderit, tenetur Dux ex justitia dare ei viginti argenteos, aut dignitatem.

19 Infero quinto, Juvenem, qui promittit puellæ, eam se ductutum in uxorem, si cognosci se ab eo sinat, debere ex justitia eam ducere in uxorem, si eam cognoscat. Ita DD.

20 Infero sexto incidenter, eamdem tem duobus successivè promissam, deberi primo, non secundo: quia secunda promissio est contra bonos mores, tanquàm primæ contraria; atque adeò nulla ab ea potest nasci obligatio.

21 Infero septimò, materiam sufficientem promissionis obligantis ad peccatum mortale, debere excedere materiam sufficientem pro furto mortali. Ita etiam tenet, probat, & explicat Sayt. loc. cit. *num. 19.*

22 Infero octavò, promissionem nudam, & simplicem, ut inducat obligationem, debere esse veram, idest cum animo se obligandi factam. Sic. D. Tho. 2. 2. *quæst. 110. art. 3. ad 5.* Facit *cap. Litterarum, de voto, & l. obligationum, 1. ff. de act. & obl.* Cùm potissima ratio obligandi ex intentione proveniat, & ideò ut promissio teneat, seu obliget, illi addi solet juramentum.

23 Infero nonò, non teneri tedite, nec taleam solvere eos, qui milites non sunt; ut sunt Rustici, si in villis propriis capiuntur ab hostibus, quia de jure loquendo, in his locis capi non possunt. Secùs verò, si capiuntur in terris hostium, vel in itinere, in ditione tamen hostium; cùm milites soleant ab omnibus in itinere captis pecuniam extorquere.

24 Infero decimò, milites privatos captos ab hostibus, & eis promittentes solvere taleam, si per aliquos dies liberentur, peccare quidem si non tedeunt, sed non peccare, si taleam non solvant; quia ab his militibus non potest de jure talea extorqueri, quamvis possint de jure, seu ex consuetudine, armis, equis, pecunia spoliari, ut notavimus

25 Infero undecimò, taleam, quando exigitur ab iis, à quibus potest exigi, debere esse moderatam, & debere exigi absque ulla crudelitate; undè esse puniendos de homicidio, si sequatur, & de crudelitate, seu cruciatu, etiam homicidio non sequuto, eos, qui crudeliter agunt, & cruciant captos, ut notat Ægydius Boss. *tit. de captura, num. 63.* in domibus propriis, & terris propriis, ubi non sunt licitæ capturæ; & solùm de excessu esse plectendos eos, qui cruciant captos in terris hostium, seu ubi captura est licita, ut ab eis taleam extorqueant. Et habetur ex Dec. *in cap. Naturam*, il primò, *de appell. in 1. col.* Alex. *cons. 75. volum. 5.* quos recenset, & sequitur Boss. loc. cit. *num. 65.*

Infero duodecimò, promissionem sivè tedendi, sivè solvendi taleam, factam Capientibus à Captis in bello injusto, nullam inducere obligationem; cùm tota justitia, vel injustitia taleæ, vel capturæ pendeat à justitia, vel injustitia belli; ut tradit Bald. *in l. Ab hostibus, Cod. de Capt.* Quando verò bellum dicatur justum, vel injustum, alibi à nobis demonstratum est: & possunt videri Doctores, *in l. Ex hoc jure, ff. de just. & jur.* DD. *in cap. Sicut, de jurejur* Aret. *in l. 1.* in princ. *col. 1. & 2. ff. de acquir possess. & in l. qui à latronibus, ff. de testament* Bald. *cons. 439. volun. 5.* 26

V. DIFFICULTAS.

Titius, antequam in militiam ingrederetur, grave commisit delictum. Dubitatur, num debeat ab Auditore generali Exercitus, vel à Judice loci, in quo deliquit, judicari.

Notandum primò, quòd delinquere is dicitur, qui facit, quod facere non debet, ut qui omittit, quod non debet omittere, *l. tutor, qui repertorium, ff. de adm. tut. l. dolo, ff. ad l. fal.* 1

Notandum secundò, officium Judicis non se extendere plusquam se extendat ejus jurisdictio, *l. ult.* in fin. *ff. de jurisd. omn. judic.* & tradit Menochius, *in cons. 911. num. 3.* 2

Notandum tertiò, pto uno delicto non debere quempiam duobus in locis inquiri, & puniri, ut per Tex. *in l. licet, §. ult. ff de naut. caupo, stabul. & Capit. De his, de accusat.* & ibi Doctores. 3

Notandum quattò, delinquentem posse puniri non solùm à Judice originis, & delicti, sed etiam à Judice domicilii, Clar. *in praxi, quæst.* 38. vers. *Est autem,* Ftain. *tom. 1. par. 1. de inquisit. q. 7.* 4

Notandum quintò, militem habere domicilium, ubi stipendia meretur, ut alibi probavimus, & habetur *in l. municeps, §. fin. ad municipal. l. magisteria,* in fin. *Cod. de jurisd. omn. judic.* & tradit Bald. *in l. 3. num 3. ff. de offic. Præsid.* Barbos. *ad l si quis postquàm, num. 7. ff. de judic.* 5

Notandum sextò, ingressum delinquentis in militiam, non priùs justificata innocentia, capitale crimen teputati, *l. unic Cod de reis postul. lib. 10.* 6

Notandum septimo, quòd sola electio non facit militem sed receptio ad numerum: & ideò, ut milites nostri temporis gaudeant privilegiis militum, descriptis in jure communi (quidquid dixerit Gloss. in contrarium) debet servari solemnitas hodierna, quæ est descriptio in matricula, quæ Album, vulgò *Rollo* nuncupatur, & qood vulgò dicitur: *passare alla banca:* & est etiam Tex. *in l fin. §. Jubemus itaque, Cod. loc.* ubi milites appellantur, qui sub excelsis Magistris militum tolerate noscuntur militiam; & ideò oportet, quòd noscantur tolerare militiam, qui verè sunt milites. 7

8. His

8 Hic adnotatis; ad difficultatem propositam, an Titius, qui antequam in militiam ingrederetor, seu nomen militiæ datet, grave commisit delictum, debeat ab Auditore generali exercitus, vel à Judice loci, in quo deliquit, judicari; videtur respondendum, à Judice loci, præsertim si fuit emanata citatio, juxta Text. *in l. si quis posteà 7. ff. de judic.* ubi Reus in jus vocatus, si miles esse cœperit, forum revocare non potest, eo quòd fuerit præventus, & in casu præventionis privilegium superveniens vim non habet eximendi. Præterea, ingressus in militiam post patratum delictum, & citationem emanatam, censetur fraudulenter, ad vitandam scilicet pœnam, *arg. l. fin. ff. de bon. eorum, qui sibi mort. consciver. l. si quis decurio.* ubi Bald. *num. Cod. de fals.* & ideò non debet Titius ex sua frande commodum recipere, ut per Bald. *in l. Officialis, num 2 Cod. de Episc. & Cleric.* Clar. *quæst. 36, num. 43.* & alios, adducentes regulam, quòd privilegium per fraudem, seu dolum acquisitum, nihil prodest acquirenti, *l. hos accusare, ff. de accusat.*

9 Scio, apud Jurisperitos opinionem hanc esse plausibilem, tanquàm veram, & probabilissimam, cui propterea adhæserem; re tamen ipsâ longe meliùs, & diligentius perpensâ, & accurato studio examinatâ, pluribusque Doctoribus Amicis à me consultis, præsertim D. Marcello Randatio, Advocato in Urbe, & in Archigymnasio Romanæ Sapientiæ juris Civilis Professore primario de manè contrarium videtur verius, & probabilius; nempe Titium qui post commissum delictum, militiæ nomen dedit, esse non à Judice delicti, sed ab Auditore exercitûs, aut ab alio Judice militari competenti judicandum, & puniendum. Gloss. 2. *in l. nemo potest, ff. de leg. 1.* Albert. *in cap. 1. quæst. 13. num. 21. de heret in 6.* Barbos. *ad d. l. si quis posteà, num. 174. vers illud. certum, ff. de iudic.* Clar. *in pract. crim. §. fin. quæst. 36, num. 43.* & alii plures, præcipuè Moderni asserentes, privilegium superveniens eximere à jurisdictione Judicis pagani, & mutationem status, & personæ operari etiam mutationem fori, æquiparanter ad hunc effectum militem cælestis, & terrestris militiæ. Et ita etiam sentire videtur Paris. *in conf. 169. num. 18. lib. 4.*

10 Moveor primò juribus, *in l. Officium Regentis, §. Officium Tribunorum, ff. de re milit.* ubi habetur, milites regulariter non nisi à proprio Judice esse judicandos, etiamsi, addit Farinac. *in conf. 4 num. 18.* tempore commissi delicti delinquentes non fuissent milites, *& arg. in cap. Ut Animarum, §. Statuto, de constit. in 6.* ubi Pontifex decidit, subditum, estò originarius sit, delinquentem extrà ipsum territorium, sicque locum originis, non posse puniri, cùm impune non pareatur Judici extrà suum territorium jus dicenti.

11 Moveor secundò rationibus; nam Titius, dùm militiæ nomen dat, mutat statum; & mutatio status causat etiam mutationem fori, ut supra diximus. Deinde contrà delinquentem non solùm potest procedere Judex originis, & delicti sed etiam Judex domicilii. Clar. *in praxi, quæst. 38. vers. est. autem.* Farin. *quæst. 7, vers. secùs si Judex.* Et miles, quamvis non mutaret statum, ibi tamen habet domicilium, ubi stipendium meretur, ut notavimus; ne igitur Titius pro uno delicto in duobus locis puniatur, quod fieri non potest, ut in tertio Not, dicendum est, non à Judice delicti commissi, sed à magistro militum debere puniri. Præterquàmquod, adest optimus Tex. *in l. qui cùm. 4. §. Reus, ff. de re milit.* ubi habetur, capite puniendum esse reum, nec remittendum esse eo, ubi postulatus est.

Moveor tertiò exemplo in illis, qui post 12 delictum, Religionem ingrediuntur, aut habitum Clericalem assumunt; quiquè puniri non debent à Judice laico, sed à Judice Ecclesiastico, ut tradunt Homobonus, Bartholomæus de Vecchis, quos refert, & sequitur Cespedes, *in dub. milit. dub. 27.* Nec obstat Bulla Sixti V, quia fuit moderata à Clemente VIII, ut notat Cesp. loc. proximè cit. quia, qui à Seculo transit ad Religionem, mutat statum, & sic etiam forum. Ita etiam servatis servandis, dicitur de ingrediente in militiam.

Concludimus igitur, Titium, qui post com- 13 missum delictum nomen militiæ dedit, sivè sponte, sivè jussus, aut requisitus, vel rogatus à Principe, debere inquiri, & puniri, non à Judice loci, ubi commisit delictum, sed ab Auditore generali exercitus, aut ab alio Judice militari competenti.

Ad rationes in contrarium respondemus: 14 ad primam, nempè ad Textum, quòd loquitur de judicio civili, in quo à fere omnibus conceditur præventionem operari, non obstante privilegio superveniente, sivè militiæ armatæ, sive cælestis, ut per Joan. Andr. *in cap. 1. de obligat. ad ratiocinia ordinandis, vel non,* Specul. *tit. de Reo, §. 1. vers sed quid si,* Anchar. *in cap. Ea, quæ, quæst. 14. de reg. jur. in 6.* Nos autem sumus in judicio criminali, & capitali, in quo, non obstante præventione, privilegium utriusque militiæ cælestis, & terrestris locum habet, ut tenent inumeri Doctores, & quos recenset Crispoltus, *in casib. milit. cas. 32.*

Ad secundam, concedendo, citra veri præ- 15 judicium, in fraudem fecisse, sed negamus ex frande non posse commodum percipi, universaliter loquendo; aliàs qui committit delictum, & in Ecclesiam se recipit, non posset gaudere privilegio, seu commodo immunitatis Ecclesiasticæ: atque adeò auctoritates, & jura circà hanc regulam non debent universaliter intelligi, sed in quibusdam dumtaxat casibus.

Infero primò ex dictis, teneri Principem 16 militum probare, & examinare per optimum Officialem petentes militiam, & Tyrones, hoc est novos milites, ut inquit Text. *in l. 1. Cod. qui milit. poss.* ut cognoscat non solum illorum capacitatem, sed etiam, an delicta commiserint, ad tollendas, seu impediendas dissensiones, quæ possent oriri inter jurisdictionem militarem, & Judicem commissi delicti.

Infero secundò, ad Ducem Exercitus, & ad 17 ejus Auditorem Generalem spectare delinquentes punire, vel absolvere, illorumque querelas audire, & decidere, ac eorum delicta, secundùm suæ auctoritatis modum, idest militaribus modis

modis castigare. Ita per optimum, & clarum Text. supra allegatum, *in d. l. Officium Regentis, §. Officium Tribunorum. ff. de re milit.*

18 Infero tertiò, militem delinquentem, in Provincia repertum, esse à Rectore Provinciæ ad Magistrum militum remittendum, *ut in l. 1. Cod. de exhib. reis, & in l. de militibus, ff. eod. tit. & in l. fin. Cod. de re milit. lib. 12. & l. Magisteria, Cod. de jurisd. omn. judic.*

19 Infero quartò, milites delinquentes in Patria, euntes per plateas, propria negotia gerentes, à proprio Duce, aut à Judice suo militari esse puniendos; quia milites ubicunque existant, suo Duci subsunt, & ad eum semper, præsertim in militari crimine debent remitti, ut constat ex juribus allegatis.

20 Infero quintò, delinquentem receptum in militem, esse à Judice militari judicandum; quamvis adfuerit præventio Judicis delicti commissi, tam in inquirendo, quàm in citando: Valet enim semper, quòd delinquens sit miles, suo Duci subjectus.

21 Infero sextò incidenter, dandum esse tutorem, vel curatorem Clerico minori, aut mente capto per Judicem Ecclesiasticum. Georgius de Gabedo, Anguianus, Bellettus, & alii, quos recenset, & sequitur Diana, *p. 1. tract. 2. de Immunit. Eccles. res. 95.* Contrarium tenet Anfrerius *in Clem. 1. de off. ord. reg. 4. fallen. 25.* qui attentè est considerandus, cùm non parva afferat contra Immunitatem Ecclesiasticam.

Infero septimò pariter incidenter, confugienti ad Ecclesiam, qui impunitus dimitti non debet, pœnam esse infligendam, non à Judice laico, sed Ecclesiastico, ut notat Fatin. *in tract. de immunit. Ecclesiast. cap. 21. num. 333.* Diana, *p. 1. tract. 1. eod. tit. res. 12.* 22

Infero octavò, excommunicatione Episcopi contrà omnes, qui furtum commiserint, non ligari subditos ejus, furtum extra ipsius Diœcesim committentes; cùm extra Territorium jusdicenti non pareatur impunè: *d. Cap. Ut Animarum, de constitut. in 6.* Id est, cùm minimè patens jubenti extrà Territorium non debeat puniri, & tradit Menochius, *in cons. 951. sub num. 6.* 23

Infero nonò, milites, qui non sunt desertores, sed extra Castra degunt cum debita Ducis licentia, si delinquant esse judicandos à Judice, non Provinciali, sed Militari: Ut per Tex. Ciatum, *in l. desertores, ff. de re milit.* & etiam ex *d. l. 1. Cod. de exhibendis reis*, & patet ex supra dictis. 24

Infero decimò, Judicem loci originis non posse inquirere, & punire originarium, qui in alieno territorio deliquit. Ita scripserunt innumeri Doctores, quos refert Menochius, *in cons. 951. num. 10.* 25





Mantissa ad Librum IV. Difficult. pertinen. ad Milites privatos.

I. DIFFICULTAS.

An Militia conferat nobilitatem illam exercenti.

1 Notandum primò, esse militiæ nomen generale, omni fermè generi vitæ commune, juxta illud Ovidianum,

Militat omnis amans.

Probaturque, *l. Advocat. Cod. de advo. diu. jud. & l. ult. Cod. de pig. & l. Creditor, §. Inter venditorem, ff. de act. empt. & l. quamvis, Cod. de decur.*

2 Notandum secundò, vocem Militis hic non sumi juxta dispositionem juris Canonici, quod militem intelligit eum, qui equestri dignitate insignitus est, ut notat Tiraq. *de nobilit. cap. 37. num. 81.*

3 Notandum tertiò, dari juxta jura discrimen inter privatos, & milites, ut advertit Tiraq. *de nobilit. cap. 8. num. 25.* eosque, qui privati dicuntur, non propterea esse ignobiles, ut ostendit Text. *in cap. Qui contrà causa 24. quæst. 8.* cùm ex privatis, alii sint nobiles, alii ignobiles, & proindè liquido deprehenditur, milites, quamvis à privatis differant, non propterea esse nobiles.

Notandum quartò, nobilitatem, quam Host. *in cap. Tua nos, de Consangui. & affi.* Rotam appellat, nobis non inesse à natura, sed inter bona æterna, & fortunæ positam esse, ut ostendit Tiraq. *Eod. tract. de nobilit. cap. 6.* & S. Hieronymus ad Helbidiam dicit, quòd nobilitas mundi nil aliud est, quàm inveteratæ divitiæ; atqueadeò nobilitas non præsumitur nisi probetur, per Tex. *in l. non ignorat, Cod. qui accu. non poss.* 4

Notandum quintò, illum nobilem esse, qui à vulgò, & communi hominum æstimatione nobilis reputatur, ut scribit Alber. *in 1 p. statutorum, quæst. 137.* ex Statuto Civitatis Florentiæ, Lucas de Pen. *in l. mulieres, col. 3. vers. nonò ex communi opin. Cod. de dignit. lib. 12.* 5

6 Notandum sextò, non esse controvertendum, dari discrimen inter militiam simplicem, & militiam gradnatam, ut per se notum est.

7 Notandum septimò, hanc difficultatem moveri, non tanquam ad nostrum Institutum propriè pertinentem, sed ne quidquàm in hac materia de bello à nobis intactum remaneat.

8 His adnotatis; ad difficultatem propositam, an Militia conferat nobilitatem illam exercenti, videtur absolutè negativè respondendum cùm Gloss. *in l. unic.* in verb. *prohibemus*, *Cod. Nego. mil. lib.* 12. Alberi. *in l milites*, *Cod. loca*: Panor. & Jo: And. *in cap. Quanto, de magi.* & aliis innumeris, quos producit Tiraq. *eod. tract. de nobilit. cap. 8. num. 5.* ratio est, quia hæc tria, nempè dignitas, nobilitas, infamia non possunt stare simul; sunt enim opposita, ut probat Tex. *in l. infamia*, *Cod. de Decur. lib. 10. & in l. neq. Cod. eod. tit. lib. 12* Atqui miles, damnatus de crimine publico, fit infamis, *l. infamem, ff. de pub. jud.* cùm simil. & non desinit esse miles, ut per Text. *in l. si quis filio exharedato*, §. *Irritum, ff. de injust. testa.* Præterea, datur discrimen inter dignitatem, & militiam, ut *Cod. de Offic. Rect. Provin. & in l. pen.* ostendunt apertissimi Text. *in l. si quis, Cod. de pac. & l. ult. Cod. de Paganis*, atque adeò militia non potest esse dignitas, & successivè neque dignitatem, nobilitatem conferre.

9 Scimus, hanc sententiam olim priscis Romanis summoperè, ut refert L. Florus *lib. 74. Epitom. Livii*, placuisse, nostris verò temporibus minimè displicere. Scimus pariter, contrariam magnam habere probabilitatem, utpotè ratione, tam extrinseca, quàm intrinseca valdè fulcitam. Quapropter nos mediâ viâ intedentes, facientesque discrimen inter militiam simplicem, & militiam graduatam, & ut alii loquuntur, militiam spectabilium Tribunorum, asserimus dignitatem, & nobilitatem conferri à militia graduata, minimè verò à militia simplici. Plat. *in l. 1. Cod. de eque. dignit.* Tiraquell. *tract. de nobilit. cap. 8. num 15.* & alii plures.

10 Moveor primò juribus, *in l. milites, & l. divo, Cod. de quast.* ubi milites plebejorum pœnis non subjiciuntur, *& l. sed & milites*, in princ. *& iterum*, §. *Scribit*, *ff. de excus. tut. & l. ne quid* §. *ult. ff. incen. rui. nauf.* ubi miles, & privatus ponuntur, ut diversi, & separati: *Et l praclaram*, *Cod. de primic. lib. 12.* ubi Textus loquitur, non de simplici militia, sed de militia spectabilium Tribunorum, dum dicit *praclaram, nobilemque militiam spectabilium Tribunorum.* Si igitur miles, & plebejus, miles, & privatus sunt diversi, si militia nobilitat, intelligendum est de militia graduata, non de militia simplici.

11 Moveor secundò rationibus; nam qui in militia cæteris præsunt, habere censentur dignitatem. Ergò dicendum est à militia graduata nobilitatem conferri; cùm nobilis sit, ut supra notavimus, qui à vulgò, & communi hominum æstimatione nobilis reputatur. Deindè, si quis etiam plebejus, & privatus à Principe Dux exercitûs creetur is sanè nobilitari tacitè videtur, testibus antiquis Romanis, apud quos nobiles existimabantur, & in maximo dignitatis gradu collocati, qui ad ducendum exercitum destinabantur, ut videre est apud Tullium *in oratione pro Murena*, ibi scribentem, duas artes esse, quæ locare possunt hominem in amplissimo dignitatis gradu, quarum alteram Imperatoris esse dicit: Imperator enim dicebatur Ductor Exercitus, Præfectus copiarum, cujusmodi fuit, qui ab Hæbreis Princeps exercitûs dicebatur, de quo Gen. *cap. 21. & 2. Reg. cap. 24.*

Moveor tertiò exemplo, expresso Inscriptione, Romæ inventâ sub Templo Concordiæ; quamque nobis scriptam reliquit Bartholomæus Marlianus, *li. Topographia Urbis Roma 2. cap. 10.* apud Tiraq. *de nobilit. cap. 10.* pag. mihi 68. *& est.* 12

F. L. Stilichoni V. C.

Flavio Stilichoni Illustrissimo Viro.
Magistro Equitum, Peditumque.
Comiti Domesticorum, Tribuno Prætoriano,
Et ab ineunte atate per gradus clarissima militia
Ad columen gloria
Sempiterna, & Regia Adfinitatis evecto.
Progenero Divi Theodosii Comiti, Divi
Theodosii Augusti in omnibus bellis
Atque Victoriis, & ab eo in Adfinitatem
Regiam cooptato, itemque Socero D. N.
Honorii Augusti. Aphri a Consiliis ejus,
Ex provisione liberata ex S. C.

Ubi satis exprimitur militiam graduatam, seu munus Magistri Equitum, Pedium magnam nobilitatem, dignitatemque parere: Dicitur enim Vir Clarissimus, & Vir Illustrissimus, qui exercitui præfuit, nam illæ duæ literæ V.C. positæ in titulo Inscriptionis, significant *Viro Clarissimo.*

Concludimus igitur, militiam non simplicem, sed graduatam nobilitatem conferre illam exercenti; & nobilitatem in milite augeri ad mensuram graduum muneris, & successivè magis esse honorandos milites, maiorem dignitatis gradum habentes in militia. 13

Ad opposita respondemus, quòd tam jura, quàm rationes tantummodò probant, à simplici militia nobilitatem minimè conferri illam exercenti, quod libenter concedimus. 14

Infero primò ex dictis, eos, qui Francorum linguâ *Chevaliers* appellantur, quosque Franciscus Philelphus, *lib. Epistolar. 24. Epist. 1. ad Albertum Parrisium*, Equites auratos vocavit, quamprimùm eam dignitatem assecuti sunt, fieri nobiles, licet antea non fuissent. 15

Infero secundò, simplicem Clericatum, qui militia divina, & cœlestis ab omnibus Sacrorum Canonum Interpretibus nuncupatur, minimè nobilitare, nisi Clericus aliquâ Ecclesiasticâ dignitate sit exornatus: Quidquid dicant Host. & Jo. And. Ægydius Belleme: Et alii apud Tiraq *tract. de nobilit. cap. 9.* in princ. 16

17 Infero tertiò, nobilitatem procedere ex Comitatu, Baroniâ, vel dominio, quod homo in homines habet, etiamsi castrum unicum, & etiam partem Castri, vel unicam Tusmam habear. Ita docet Lucas de penna, *in cap. Mulieres, col. 2. vers. Quarto ex Comitatu, Cod. de dign. lib.* 12.

18 Infero quartò, magnam nobilitatem, & maximam gloriam in maximo Imperio esse. Sic etiam scribit Salustius, *in proœmio Catilinarii.*

19 Infero quintò, eum fieri nobiliorem, qui segimen, & administrationem plurimorum militum habet; de quo est etiam Rubrica, *Cod de officio Magistri militum.*

20 Infero sextò, majorem dignitatis gradum soli Duci, seu Imperatori belli, qui vulgò dicitur *Generale d' armata*, competere, & successivè majorem honorem ab omnibus militibus esse illi exhibendum.

21 Infero septimò, post Ducem, seu Imperatorem belli, præcedentiam deberi Locumtenenti Generali exercitûs; cùm cæteræ dignitates militares sint inferiores.

22 Infero octavò, post Locumtenentem Generalem, esse præferendos Admiralos, qui habent, & dicuntur habere maximam dignitatem in Gallia post Comestabilem, præcipuè in mari, cui præsunt: Ut notat Cotheraus, *in suo Schedulari Magistratuum Civilium, tit. de præsidibus Provinciarum*, ubi scribit, Admiralos Magistratus non fuisse antiquitùs apud Romanos creatos, sed tantummodò tempore Constantini erectos.

23 Infero nonò, Admiralo dandam esse præcedentiam ab aliis quatuor, qui olim dicebantur Magistri Militum, quorum loco hodie in Gallia sunt quatuor Marescalli, qui etiam sunt Tribuni, & Duces belli etiam dici possunt, ut scribit Lucas de Penna, *in l. Tribuni, Cod. de re milit. lib.* 12. Marescallus enim, ut notat Guaguinus *in suis Chronicis, lib.* 7. est nomen officii ejus, qui in parte aliqua bellicis rebus præest.

24 Infero decimò, in magna consideratione habendam esse dignitatem Castrorum Præfecti, qui vulgò dicitur *Maestro di Campo generale*; atque adeò post præfatos Officiales, Castrorum Præfectum esse præferendum.

25 Infero undecimò, post Castrorum Præfectum, sequi in dignitate, & successivè in præcedentia Pugnæ Instructorem, quem nos Itali appellamus *Surgente generale di battaglia.*

26 Infero duodecimò, post pugnæ instructorem, præcedere Magistrum Equitum, qui dicitur *Colonello di Cavalleria*, & Magistrum Peditum, qui dicitur *Colonello d' Infanteria*, & ii dicuntur quandoque Tribuni, quando scilicet præsunt mille hominibus.

27 Infero decimo tertiò, post supradictos Capitaneos, alios esse milites dignitatem habentes, esseque propterea ab aliis militibus honorandos, qui dicuntur in vulgari nostro, *Luogotenente Colonello*, Locumtenens; Magistri equitum, vel peditum, *Surgente Maggiore*; Centuriæ, aut Legionis Instructor, *Capitano di Cavalleria*; Equestris Turmæ Doctor, *Capitano d' Infanteria*; Centurio eò quòd præsit centum Militibus de quo mentio fit in Evangelio Matth. *cap.* 8. Luc. *cap* 7. *Luogotenente*, Locumtenens Centurionis; *Cornetta nella Cavalleria*, Eques vexillarius; *Alfiere nell' Infanteria*, Signifer. De aliis militibus officium in exercitu habentibus, fusè, & erudiè tractat Bartholomæus Cassanæus in Catalogo *Gloriæ Mundi*, *p.* 9. *à* §. *Vigesima consideratio usque ad* §. *vigesima quinta consideratio*: Et de eorum præcedentiis egit, *p.* 7. *à* § *Octava consideratio* usque ad finem.

Infero decimo quartò, quòd quamvis simplex militia non conferat nobilitatem; nihilominùs si quis in arte militari excellat, ejusque clarum specimen, & evidentem probationem non semel præbuerit, sibi viam ad nobilitatem aperit; uti qui in scientiâ, aut virtute excellunt, sibi gradum ad nobilitatem parant. 28

Infero decimo quintò, nobilitatem, humanæ superbiæ fomitem, nihil reipsâ præter sonum esse; atque adeò S. Chrysostomus, *hom.* 59. *in Matth.* rectè dicit „ Dic quæso, quid genus„ est? Nihil aliud certò, quàm verbi sonitus„ ab omni re destitutus; quod in extremo illo,„ die probè scietis, &c. „ 29

II. DIFFICULTAS.

An Virum nobilem Christianum dedeceat speculatorem, seu exploratorem in bello justo esse, & hostium consilia, vires, & facta explorare.

Notandum primò, explorare, quo vocabulo Veteres utebantur pro exclamare, sive ejulare, secundùm Festum prospicere, & sagaciter inquirere significare. 1

Notandum secundò, Exploratores eos dici, qui astutè, & sagaciter aliquid investigant: Quidquid dicant alii, asserentes, Exploratores in numero plurali esse, qui secreta nuntiant hostibus, & proditorum loco habesi, capitisque pœna puniri. 2

Notandum tertiò, Exploratorum usum esse necessarium præsertim in bello, sic Leo Imp. *de bellico app. cap.* 18. *num.* 140. maximeque in Republica valere ad detegendas, tum hostium, tum sceleratorum insidias: Unde olim Cives è portis in agros non dimittebantur, nisi exploratum fuisset, eos intrepidè prodire posse. 3

Notandum quartò, Exploratores etiam dici, qui loca miouroria in urbe, aut provincia aliqua scrutantur, ut mox ea Hostis occupet, & invadat: Quo in sensu intelligendus est Joseph, dicens Fratribus in Ægyptum venientibus, eumque minimè agnoscentibus, illos tentando: *Exploratores estis, ut videatis infirmiora terræ, venistis*, Gen *cap.* 42. *n.* 10. 4

Notandum quintò, Nobilitatem ab aliquibus dici simpliciter virtutem, ab aliis scientiam, ab aliis divitias, ab aliis propriam Majorum dignitatem, ab aliis aliud pro ingeniorum amicorumque, nec non judiciorum varietate, ut latissimè tradit Bart. *in l.* 1. *Cod. de digni. lib.* 12. Lucas Pen, *in l, Mulieres, eod. tit. & lib.* 5

6 Notandum sextò, nobilitatem non esse ex jure naturali, ut per Tex. *in l. quod attinet, ff. de reg. jur.* & ideò Marius apud Salust. in *Jugurtha* clamat, naturam unam, & communem omnium esse; & alibi scribitur, naturam inter homines cognationem quamdam constituisse, *l. ut vim, ff. de just. & jur. & §. Jus autem gentium, Inst. de jur. natu. gen. & civil.* hinc Ægyptii, qui se omnium vetustissimos esse credunt omnes æqualiter nobiles existimabant; propterea, aliquo decedente in oratione funebri, aut Hieroglyphicis nihil ab his referebatur, quod Majores, aut Consanguineos ejus respiceret, ut mos est Græcorum, teste Diodoro *Bibliothec. lib. 1. cap. 5.*

7 Notandum septimò, non esse explodendum sensum aliquorum, nobilitatem inter bona fortunæ collocantium, ut Aristotel. apud Laertium in vitâ illius, & videre licet apud ipsum Aristotel. *lib. 2. Rhetor. cap. 15.* eamdemque fortunam appellantem, *in eod. lib. cap. 12.* quamvis ipse sibi contrarius *in eod. lib. cap. 9.* eam ponat inter bona naturæ.

8 Notandum octavò, à nobis approbari, tanquàm valido fundamento fulcitam, opinionem Innoc. *in cap. de multa*, ad fin. *de preben.* Pan. *in cap. 1. col. 2. de purg. can.* Guid. Pap. *decis. 196.* Jo. Rayn. & aliorum dicentium, nobilitatem esse qualitatem illatam per Principatum tenentem, qua quis ultra honestos plebejos acceptus ostenditur.

9 Notandum nonò, nobilitatem Christianam illam esse, quæ carminibus esto vulgaribus, relatis à Tiraq. *Tract. de nobilit. cap. 4.* explicatur, videlicet.

Nobilitas hominis mens est, Deitatis imago,
Nobilitas hominis virtutum clara propago;
Nobilitas hominis humilem relevare jacentem.
Nobilitas hominis, nisi turpia nulla putare
Nobilitas hominis natura jura tenere.
Nobilitas sola est, Animum, quæ moribus ornat.

Quibus concordant, quæ profert Euripides, *in Dicty. apud Stobeum, ser. 84.* græco idiomate, quæ juxta Latinam versionem sonant,

De nobilitate parum laudis prædicare possum,
Bonus enim vir mihi nobilis videtur;
Qui verò non justus est, licet à patre melior
Quam Jupiter sit, genus deducat, ignobilis mihi censetur.

Verba à calamo gentili prolata, sed Catholico penitus digna. Hæc est illa nobilitas, quæ in Sacris Litteris multùm commendatur, laudique, & honori adscribitur, ut advertit And. Tiraq. *in d. Tract. de nobilit. cap. 21. num. 1. & num. 5.* ubi unum addit, quod nobilitatem præ cæteris rebus laudandam ostendit, scilicet Nobilitatem DEO Nostro Optimo Maximo tribui *in cap. Adam, 40. Dist.*

10 His, cum aliqua prolixitate adnotatis, ita materiâ præsenti exigente, ad difficultatem propositam, an Virum nobilem Christianum dedeceat speculatorem in bello justo esse, & hostium consilia, vires, & facta explorare, videtur affirmative respondendum: Siquidem nobilitas per infamiam, & vitæ turpitudinem, atque scelera deperditur, ut per Tex. *in l. si qua*, la seconda, *Cod. de secun. nupt.* ubi dicitur, Honestioris nobilisque personæ decore, & jure privetur, & ibi Bald. addens ex ipso Textu rationem, quia nulla sine honestate potest esse nobilitas, & in *l. 2. & l. judices, & l. quoties*, in illis verbis, *Illustri dignitate per suum facinus privatos, Cod. de digni. lib. 12.* Præterea, *in cap. 1.* & ibi Glos. *extrà de purga. Cano. & in cap. Nobilis, causa 2. quæst. 5.* habetur, quod nobilis homo, vel ingenuus in delicto deprehensus ferventi aqua, vel candenti ferro se purgare debet, ut si non esset nobilis, aut ingenuus, quasi nempè suis delictis nobilitatis privilegium amiserit. Præterea, Exploratores dicuntur proditores, & capti graviter puniuntur. Textus est expressus, *in l. omne delictum, §. Exploratores, ff. de re militar.* & ideò Joseph exprobravit Fratribus suis, quos simulavit minimè nosse, quod essent exploratores, illosque in carcerem conjecit. Gen. *cap. 42.* & proditores esse infames communis est sensus. Hinc Germanicus Caligulæ Imperatoris pater amicitiam Pisonis proditoris renunclavit, ut scribit Sueton. *in Caligula, cap. 3.* in fin. Infames enim eos esse, quorum opinio apud bonos, & graves viros est gravata, & læsa, optime probat juribus, & Doctorum authoritatibus Card. Albanus, *in Lucubrat. in Bart. in l. Cassius, ff. de Senat. n. 4. & 5.* Infamiam verò nobilitati omnimodè repugnare clarè liquet.

Contrarium tamen, videlicet Virum nobilem Christianum minimè dedecere speculatorem in bello justo esse, & hostium consilia, vires, & facta explorare, constanter sustinemus, dummodò hoc faciat, non mercedis gratiâ, sed amore Reipublicæ, & pro salute communi, & publica, Navar. *in sum. de Precept. Decal. cap. 18. sub n. 54 & tom. 2 in cap. Sacerdos, de penit. dist. 6. sub. num. 14.* Ayl. *de iur. & offic. bellic. lib. 3. cap. 13.* & alii. 11

Moveor primò juribus, *in cap. Quanta, de sent. excomm.* ubi dicitur pœnâ esse plectendos eos, qui cùm possint, manifesto facinori desinunt obviare: Quis autem dixerit, jure Canonico nos cogi ad ea peragendum, quæ nobilitati repugnant? Finis sanè nostri speculatoris nil aliud videtur esse, nisi malis, quæ in bello possunt Reipublicæ contingere, obviate. Et *in cap. Ipsa pietas, causa 23. quæst. 4.* ubi pro salute etiam temporali præcipitur alterius improbi facti denunciatio. „ Nos, inquit Textus, subvenire, „ hominibus ratio vera, & benigna compellit. „ Profectò obedire Sacrorum Canonum statutis non videtur, posse præjudicium Christianæ nobilitati inferre: Et *in cap. In inferenda, causa 24. quæst. 3.* ubi habetur, quòd injuriam repellere à sociis virtus est; Quodque probatur exemplo Moysis. Sanè hostium facta explorare injuriam respicit, à sociis, seu à Republica expellendam; & successivè non potest Christianam nobilitatem obscurare; cùm virtus, quæ lux proclamatur, sit destructiva obscuritatum, non causativa. 12

Faver

Favet pariter Tex. *in cap. Praterea*, il secondo, *de sponsalibus*, quatenùs inquit Navar. loc. cit. habet, enim, qui scit, aliquem rem habuisse cum consanguinea ejus, quam vult ducere, teneri denunciare, quo injustum Matrimonium, & peccata, quæ ex eo oriantur; impediantur; & hujusmodi denunciator, si nobilis est, nullum, secundùm virorum proborum, & pudentum æstimationem, in sua nobilitate patitur detrimentum.

13 Moveor secundò rationibus præter eas, quæ in præfato motu primo juribus admixtæ adducuntur; siquidem hostes vincere, quoquomodo vincantur, gloriosum, atque laudabile est. Porrò hostium consilia, vires, facta explorare, victoriam de hostibus scimus concernere; atque adeò hujusmodi exploratio, seu ars explorandi non potest virum nobilem dedecere; cùm nobilitas etiam ex Sacris Litteris per gloriam intelligatur, *1. Reg. cap. 2. Quicunque honorificaverit me glorificabo eum, qui autem contemnunt me, erunt ignobiles;* illic enim ignobilitas gloriæ opponitur: *1. ad Cor. cap. 15. Seminator in ignobilitate, surget in gloria*, qui locus est apertissimus: *2. ad Cor. cap. 6. Per gloriam, & ignobilitatem.* Tùm quia is præsumitur, & nobilis est, quem vulgus, & communis hominum æstimatio nobilem facit; hinc nobilitatem per solam famam, idest communem hominum æstimationem probari voluerunt Bal *in l. providendum, Cod. de postulando.* Alex. *in addi Bar. in l. de minore*, §. *tormenta, col. pen. ff. de quæstio.* Guid. Pap. & alii, quos producit, & sequitur Tiraq. *tract. de nobilit. cap.* 11. *num* 8. Nihil autem Nobilem de sua nobilitate in communi hominum æstimatione deperdere, qui hostium facta explorat, sepositâ tamen mercede, ea propriæ Reipublicæ revelaturus, tot bellorum Consilia, quæ ex Equitibus, atque Principibus constant, testantur, aut possunt testari. Tùm etiam, quia nobilitatem ex his esse, quæ amorem, & favorem conciliare solent, testatur etiam Virgilius, cujus illud est statim in initio, *lib. 4. Æneidos*, describentis ea, quæ Didonem in amorem Æneæ incitarunt, pellexerunt, inflammarunt

Multa viri virtus animo, multusque recursat
Gentis honos.

Quid autem potentius, seu validius ad Principum amorem, atque favorem in bellis conciliandum, quàm hostium facta indagare, eaque eis patefacere? Denique, Vir nobilis sic agendo, seu hostium facta explorando, consulit Bono Reipublicæ, quæ sic agentibus dignitatem, & nobilitatem confert, & auget: addito Sancti Augustini sensu, *in serm. de temp. feria 5. in Cæna Domini, serm. 1.* hæc dicentis „ Erubescunt forsitan Nobiles delicatis manibus viri, „ & mulieres Christianæ in hoc mundo Sanctorum contrectare vestigia, quia hoc Natalium „ prærogativa non patitur. Mala nobilitas, quæ „ se per superbiam apud Deum reddit ignobilem; „ Ex ipsius enim Augustini sententia patet, nobilitatem non excusare ab his, quæ facere quisque jubetur, etiamsi ea aliàs sint sordida, & vilia & successivè eorum factionem nobilitati minimè repugnare.

Moveor tertiò exemplo, primò in illis Viris Principibus, à Moyse, Deo jubente, missis ad considerandam Terram Chanaam, qualis ea esset; ac populum illam inhabitantem; quales urbes; solum, fructus, palmitem cum botro, aliisque fructibus in fertilitatis signum referentibus, *Num. cap.* 13. & ita facientes nullum præjudicium suæ nobilitati intulerunt, ut clarè ex eodem Sacro Tex. colligitur; & Sacri Expositores præfatos viros exploratores nuncupantes testantur: Secundò, in Araspa nobilissimo Medo, ex Cyri Comitibus, qui jussu ejus ad Assyrium Regem transfugit; & exploratis hostium copiis, & consiliis, ad Cyrum reversus, in publica concione ab eo, & ab omnibus laudatus est, Teste Xenoph. *in pæd. Cyri, lib. 6.* Postremò, in Zopyro viro nobili, Darii Persarum Regis Amico, qui cùm videret Regem longâ obsidione Babylonis defessum, & difficilem admodùm expugnationem fore; truncatis sibi ipsi naso, & auribus, lacero corpore, ad Babylonios transfugit, simulans se à Dario tàm fœdè cæsum; quâ re creditâ, benignè ab hostibus exceptus, turmis equitum præfectus, uno, aut altero prælio re benè gestâ; tandem Dux totius Exercitûs constitutus, non solum hostium arcana Dario revelavit, sed etiam Urbem, atque Exercitum Dario tradidit, Justin. *lib.* 2. 14

Concludimus igitur, Virum nobilem Christianum minimè dedecere speculatorem in bello justo esse, & hostium consilia, vires, atque facta explorare; dummodò amore Reipublicæ, & pro salute communi, & publica hoc faciat: Secùs verò, si ex professo hanc artem mercedis gratiâ exerceret; tunc enim non putamus, hujusmodi artis exercitium citra ignominiæ notam licere, & in viri nobilis honorem redundare. 15

Ad opposita respondemus: ad primum, concedendo aut: & neg. conseq: cùm inservire Reipublicæ ex solo zelo publici boni sit meritum, non verò delictum, ut ex notatis constat, & clarius ex illationibus patebit. 16

Ad secundum, eodem modo respondemus. 17

Ad tertium, admittendo Textum, & concedendo exploratores dici proditores, & graviter puniri, quod nobis minimè obstat: nam Textus loquitur de exploratoribus, qui nunciant hostibus secreta suæ Reipublicæ, „ Exploratores, sunt verba Textus, qui secreta nunciant hostibus, proditores sunt, & capitis pœnas „ luunt, *l. omne delictum.* §. *Exploratores, ff. de re milit.* non verò de Exploratoribus, qui hostium secreta, seu facta suæ Reipublicæ nunciant; quod non solum non indignum viro nobili, sed etiam maximè gloriosum. Ayala, loc. cit. adjudicat, & nos supra, præsertim in motu tertio demonstravimus. 18

Infero primò ex dictis, minimè peccare, imò bono fungi officio, qui denunciat cui, quando, & quomodo oportet, delinquentes delicta, & stratagemata Reipublicæ nociva, aut damnosa proximo; cùm hoc jure possit, & debeat fieri, ut optimè probat juribus Navar. *in sum. de præcept. Decal. cap.* 18. *sub. num.* 54. 19

20 Infero secundò, licere Clerico proditiones, occisiones, & alias pravas actiones patratas denunciare absque periculo irregularitatis, ob id incurrendæ; modò protestetur, se id solùm facere ad cavenda mala, quæ imminent, ut sic sanguinis effusionis pœnâ impediantur, ut docte etiam tradit Cajet. 2. 2. *quæst. 33. art. 7.* & favet Tex. *in cap. Episcopus, ne Cler. vel Monach. lib. 6. & cap. Prælatis, de homicid. eod. lib.*

21 Infero tertiò, Judici interroganti Titium, & præsertim adjuranti super crimine cujus ipse solus est conscius, esse hujusmodi crimen revelandum, & hujusmodi revelationem nullum inferre præjudicium nobilitati Titii, *arg. cap 2. de Major. & cap. Debitores, de jureiur.* & tenet etiam Pan, *in cap. Dilectus, de excessib. Prælat.* in fin. *& cap. Omnis, de pœnis. & remis. col. pen.* Navarr. *in d. cap. Sacerdos, de pœnit. Dist. 6.*

22 Infero quartò, syndicos, & alios, qui in Synodis Episcopalibus deputari solent ad detegenda delicta secreta, teneri, si possunt probare plenè, vel semiplenè, ea detegere, seu denuntiare ei, qui potest prodesse, & non obesse. Secùs verò, si probare non possunt plenè, vel saltem semiplenè; sic etiam Angel. Sylv. Tab. quos producit, & sequitur Azor. *par. 3. Inst. Moral. lib. 13. cap. 31. §. Dubium octavum.*

23 Infero quintò, famulum, qui suo bæto juravit se denunciaturum ei, si quem sciverit ejus bona surripuisse, teneri furem detegere, si hærus probabiliter creditur prudenter, & rationabiliter processurus, & res sublata erat sub ejus custodia. Secùs verò, si Dominus est crudelis naturæ, & probabiliter creditur crudeliter in furem processurus, & res non fuit ejus curæ demandata; cùm tunc illicitum fuerit juramentum. Sic etiam sentit Azor. loc. cit.

24 Infero sextò, milites non peccare mortaliter, si vi tormentorum, aut probabili metu mortis detegant secretum, quod vergit in leve detrimentum exercitus, vel Ducis; cum majus vinculum sit, quo tenentur suam vitam conservare, quàm impedire leve detrimentum alterius. Secùs verò, si hujusmodi revelatio in gravem vergeret Exercitûs, aut Ducis perniciem. Sot. Navar, quos recenset, & approbat Azor. loc. cit.

25 Infero septimò, nobilitatem esse quidem admodùm commendabilem, laudi, atque honori esse assignandam, quando ea ad virtutes refertur; Secùs verò, quando quis ea abutens, vitiis sese dedit, veluti plus licentiæ ad scelera ex nobilitate tribuens. Ita quoque Bart. *in l. 1. col. 5. vers. Item reprobat. Cod. de digni. lib. 12.* cui consonat Juvenalis Musa in satyr.

Si te præcipitem rapit ambitus, atque libido.
Si frangis virgas sociorum in sanguine; si te
Delectant hebetes lasso lictore secures:
Incipit ipsorum contrà te stare Parentum
Nobilitas, claramque facem præferre pudendis.
Omne animi vitium tantò conspectius in se
Crimen habet, quantò qui peccat maior habetur.

Infero octavò, Incidenter, nobilitatem sanguinis Monachatu, sive statu Religioso minimè amitti. Sic etiam sentire videntur Jas. *in l. præscriptione, col. 2.* in fin. *vers. pro ista conclusione, Cod. si contrà ius, vel uti. pub.* Felin. *in cap. Super litteris, col. 6. vers. similiter, dicit, de rescriptis*, & alii, quorum fundamentum est, quia nobilitas est quoddam jus sanguinis, quod est incommutabile, *l. ius autem agnationis, ff. de pac.* & ideò inquit Suidas, apud Tiraq. mox. cit. quod est jus sanguinis non perditur per Monachatum, Ita pariter fuisse à Rots determinatum in contingentia quæstionis circa quandam beneficii impetrationem, refert Tiraq. *in tract. de nobil. cap. 26. n. 5.* 26

Infero nonò, Nobilem recuperare privilegia nobilitatis, quæ amisit, se in artibus, & officiis vilibus occupando, si ab illis desistat, & ad statum, vitamque Nobilium redeat: Guid. Pap. & alii, quos recenset Tiraq. *Tract. de Nobilit. cap. 27. num. 5.* addens ibid. *num 6.* in Gallia esse à Principe, post hujusmodi artium usum, obtinendam restitutionem. 27

Infero decimò, illum vere nobilem appellari, cui non aliena, sed sua virtus ad nobilitatem opitulatur: Hinc Lysimachum illustri quidem Macedoniæ loco natum, sed virtutis experimentis omni nobilitate clariorem proclamat Justin. *lib. 15.* Et nos nobilem verè proclamamus, qui Christum Dominum gloriæ, bonoris, nobilitatis Originem perfectiùs imitatur, divitias, & pompas sæculi contemnendo; juxta S. Hieronymi doctrinam dicentis ad Principiam, *de obitu Marcellæ Epist. 16.* „ Nihil in illa laudabo „ nisi quod proprium est, & eò nobilius, quòd „ opibus, & nobilitate contemptâ, facta est, „ paupertate & humilitate nobilior: Et infra. „ Qui virtutes non sexu, sed animo judicamus, „ contemptæque nobilitatis, ac divitiarum majorem gloriam ducimus. „ 28

Infero undecimò, Nobili nequaquam licere salarium, sive pretium suæ sollicitudinis, vel laboris ad aliquid agendum impensi petere; quia non consuevit hujusmodi operas locare, & ideò non referuntur ad æstimationem pecuniarum per *l. naturalis, §. 1. ff. de præscript. verb.* Ita etiam docet Bal. *in cap. Gravis, col. 2. vers. sed nunquid Nobilis*, juncto eo, quod prius dixerat in vers. *Sed an Rusticus, de restit. spoliat.* Secùs verò dicendum est de Rustico, cùm possit operæ pretium petere per *l. Cum duobus, §. si in coeunda, ff. pro socio.* 29

Infero duodecimò, in speculatores non esse eligendos, nisi viros dexteritate & fidelitate, constantiâ, celeritate, industriâ præditos; nec non existimationis suæ gloriam pecuniis anteponentes: Siquidem, qui tales sunt, non decipiunt, veritatem referunt; qui verò levi animo, desides, timidi, pecuniæ cupidi sunt, veritatem non dicunt. Leo Imp. *de bellico app. cap. 20. num. 82.* & non rarò fallunt, uti fecit quidam Carthaginensis, qui per biennium fefellerat, & tandem Romæ deprehensus, præcisis manibus, fuit dimissus. Ayl. *lib. 3. de iur. & off. bellic. cap. 13. num. 5.* 30

31. Infer

31 Infero decimotertiò, prudentis Ducis esse, antequàm Arcem, aut Civitatem aliquam obsideat, in eam exploratores mittere, ad vires illius explorandas; hinc Josuè duos Exploratores misit in Urbem Jericho, antequàm eam oppugnaret. Jos. *cap.* 2.

32 Infero decimoquartò, non esse tutum Perfugis credere, eosque in Civitatem, aut Exercitum introducere; cùm possint exploratores esse; & quamvis tales non sint, seu sinè dolo, & fraude ad locum hostilem profugiant, & suos prodant; nihilominus non semper eorum dictis fides est adhibenda Non enim possumus certò sperare in alienos fidum fore, qui in suos perfidus extitit. Et ideò Antigonus dicere solebat, se proditores amare, dum proderent; ubi verò prodidissent, eos omni odio persequi; cui consonat Augusti dictum. Proditionem „amo, Proditorem non laudo, Plut. *in* „*apophth.*

33 Infero decimoquartò, esse laudandam antiquam Gallorum consuetudinem, quam nostris quoque diebus plerique Principum usurpant, sagaces aliquos viros præficiendi, qui famam, ac rumorem hauriant, & viatores sistant, & ab eis sciscitentur, unde veniant, quid acturi, quo pergant: qua tamen in arte singularem puramus dexteritatem esse adhibendam; cùm sagaces Inquisitores possint facilè sagaciores invenire tesponsores, ut accidit Nuntiis Absalonis, qui explorantes de Achimaa, & Jonatha, missis ad Regem David, illusi sunt ab Ancilla, quæ eos velamine texerat in puteo latentes, dicens Exploratoribus. *Transierunt festinanter, gustatâ paululùm aquâ. At hi, qui quærebant, cum non reperissent, reversi sunt in Jerusalem*: 2. *Reg. cap.* 17, *num.* 20.

III. DIFFICULTAS.

An Doctores sint Militibus in sessionibus, salutationibus, aliisque actionibus præferendi.

1 NOtandum primò, enumerari inter bona externa præcedentiam, seu præferentiam, quam non raro homines vitæ præferunt, sese mortis periculo exponendo, ut illam illæsam serveut.

2 Notandum secundò, esse distinguendum inter Doctores egregios, & Doctorellos, ut notant Alex. *in l. Centurio. ff. de vulg & pup.* Cassan. *in Catalogo Gloria Mundi, p. 9.* in princ. §. *Post. prædictum.*

3 Notandum tertiò, cum plura sint militum genera, nostram difficultatem non extendi ad milites militiæ Cœlestis, seu Ecclesiasticæ, qui haud dubie præcedere debent Doctores Clericarum minimè insignitos.

4 Notandum quartò, duplicem esse militiam sæcularem; equestrem nempè, & pedestrem, Glos. *in l. A caligato, Cod de nupt.* in verb. *Tertio est*: & notatur etiam *in l. Non omnes*, §. *qui in pace, ff. de re militar.* Et pedestres milites dici, qui habent caligas de corio, notat Cassan. loc. cit. §. *Duodecima consideratio*, & Equites, qui in equis incedunt; undè equestres milites, ut inquit Titus Livius, *de bello Maced. lib.* 3. *dicuntur equi milites.*

Notandum quintò, Doctoratum esse dignitatem, ut tenet Bart. *in l.* 1. *Consti. C. volum.* 3. *col.* 4. *vers. Quaro circa hoc*, ubi allegat Tex. *in cap. Quanto, de Mag.* ibi Abb. hoc pariter tenet; & esse communem opinionem, docet Decius *in consilio* 161 *num.* 2. ubi citat pro se Joan. de Ana. 5

Notandum sextò, quòd licet Doctor, & Advocatus militare dicantur ad instar militiæ armatæ, & ideò sublata significatione hujus dictionis, Miles, comprehendantur Doctor, & Advocatus, juxta Tex. *in l. Advocati, Cod. de Advo. div. jud.* nihilominus lex alio modo appellat Doctorem, & Advocatum, alio militem, quod indicat diversitatem, *l. si idem, Cod. de Codicil.* & ita sentit Alex. *in l. Centurio, ff. de vulg. & pup.* 6

His adnotatis, ad difficultatem propositam, an Doctores sint militibus in sessionibus, salutationibus, aliisque actionibus præferendi; videtur negativè respondendum: nàm in omnibus ferè locis juris civilis, ubi fit mentio de armis, & legibus, semper præferuntur arma; ut videre est *in l.* 1. *Cod. de veter. jur. enuel. l. Tanta, eod. tit. l.* 1. in princ. *Cod. de justitia, & l. his honoribus, ff. de vacatio. munerum.* Tum quia inter omnia mortalium opera, nihil utilius, nihil excellentius, nihil præclarius invenitur armatâ militiâ: nàm per militiam, & armorum usum Reipublicæ quies, atque salus quæritur, & conservatur, & ab omni hostili violentia subtrahitur. Præterea, Plato *de Repub.* cum cæteros status in Civitate instituisset, milites, qui alios Cives ab hostibus defenderent, cæteris antepofuit. 7

Hanc opinionem Militibus placere non dubitamus. Contrariam tamen, tanquam veriorem, extrà actus militares sustinendam censemus cum Alex *in d. l. Centurio, ff. de vulg. & pup num.* 10. Petr. Anch *in l. Advocati. Cod. de Adv. diu. jud.* Tiraq. *Tract. de Nobilit. cap.* 5. *num.* 8. Cassan. *in Catalog. glor. Mundi, p.* 9. in princ. §. *Post. prædictum.* Menoch. in *cons.* 345. *num.* 27. & in omnibus *in d. l. Centurio, ff. de vulg. & pup.* 8

Moveor primò juribus, *in l. Nemo Clericus, vel militaris, Cod. de Sum. Tri.* ex qua lege habetur, ut advertit Glos. in verbo *Nota ex hac lege*, dignitatem militarem esse aliis dignitatibus inferiorem, *l. unica. eum. Glos. Cod. de equestri dign. lib.* 12. ubi exceptis Equitibus Romanis Clarissimatus Dignitas est aliis præferenda. Favet etiam Tex. *in l.* 1. *de Cod de off. Vic. in l. major dignitas* 3. *Cod. de dignitatibus, lib.* 12. *in l. ut gradatim, l. Honor, ff. de munerib. & honor. & in l. sed & reprobari* §. *fin. vers. Valde tamen, ff. de excus. Tut.* ubi dicitur, Doctores esse privilegiis extollendos, valdeque honorandos. 9

Moveor secundò, rationibus: nam Doctor, secundùm Bal. *in proœmio ffòrum*, dicitur esse persona illustris, & nobilis; Ergò militi præferen- 10

rendus; cum militia simpliciter considerata minimè conferat nobilitatem, ut alibi probatum est. Tum quia Doctor dicitur in dignitate constitutus, ut patet in Not. 5. & etiam probat *cap. Quanto, de Mag.* & docet Bar. *in proœm. Cod. & in l. fin. de Juda. & in l. omnes. Cod. de Decur. lib.* 10. Abb. *in cap. Propofuisti, ad fin. de proba.* Militia verò simplex non est dignitas: Glos. *in l. Equites Romani, Cod. de Equest. Dign.* in verb. *Non enim.* Ergò Doctor est militi præferendus.

11 Moveor tertio exemplo, in Bononiensibus, qui ut refert Alex. *in d. l. Centurio, ff. de vulg. & pup.* faciunt, quod egregii Doctores præcedant milites quoscumque propter eorum virtutem, quoniam sunt valde disciplinati. Ita Alex.

12 Concludimus igitur Doctores, qui sunt excellentiâ dotati, extra actus militares, & in actibus Doctoreis esse militibus in sessionibus, salutationibus, aliisque actionibus præferendos.

13 Ad opposita respondemus: ad primum, quòd in ordine litteræ præponuntur arma legibus, primò ut cognoscatur, ad conservandam Rempublicam magis juvare arma, quàm leges; Seneca enim *in Hercule furente* 1. *Tragædiâ* 1. inquit, *Omnis in Ferro est salus:* Et quantùm profuit suprà leges disciplina militaris Imperio Romano, scribit Valerius *in suo lib.* 2. intit. *de disciplina militari.* Secundò, ut denotetur, milites in actibus militaribus esse Doctoribus præferendos, quod utique libenter admittimus, juxta Tex. *in l. Civilibus, Cod. de off. Vic.*

14 Ad secundum: negando ant; nempè inter mortalium opera nihil excellentius, & præclarius inveniri armatâ militiâ; litteræ enim per nos sunt armis excellentiores, & præclariores. Ad rationem probativam respondetur, quòd nullam habet vim; quia tantum probat, arma requiri, seu esse necessaria ad quietem, & conservationem Reipub. quod utique nos admittimus.

15 Ad tertium, eodem modo respondemus, nempè Platonem nil aliud voluisse significare, nisi ad Civium defensionem præ cæteris requiri milites quod certum est; militia enim, ut voluit Antiquitas, rectè manibus comparatur, quæ naturæ imperio paratæ sunt ad totum corpus juvandum; unde Aristoteles 7. *Politic.* dicit, quòd bellici homines sunt vere partes Civitatis. Quis autem dixerit manus esse cæteris corporis partibus præferendas; cùm oculi, aliæque corporis partes digniorem locum habere dicantur?

16 Infero primò, ex dictis, Milites Hierosolymitanos esse cæteris militibus, etiam nobilibus præponendos: plus enim participant de dignitate Ecclesiastica, quàm de temporali, ut notat Cassanæus *in Catalogo gloriæ Mundi, p.* 9, in princ. §. *Post prædictum.*

17 Infero secundò, Militem, qui est Doctor, præferri militi tantùm, aut Doctori. Ita etiam Alex. *in l. Centurio, col.* 5. *vers. adde tamen, ff. de vulg. & pup.* Tiraq. *tract. de nobilit. cap.* 5. *num.* 8.

Infero tertiò, Doctorem Canonum, & Theologiæ simul, esse præferendum simplici Theologo. Dec. *in consil.* 161. *sub. num.* 2. 18

Infero quartò, Doctorem in utroque jure esse præferendum habenti unum gradum, scilicet Doctori in jure Canonico tantùm, aut civili. Ita etiam tradunt Jo. Ana, & DD, *in cap. Clerici, de Jud.* Dec. loc. cit. 19

Infero quintò, Doctores esse aliis præponendos in officiis, & rebus, non solum privatis, sed etiam publicis administrandis; cùm magna sit eorum dignitas, & præeminentia. Sic etiam Menoch. *in consil.* 365. *num.* 27. 20

Infero sextò obiter, quamvis Prælatus regularis in pluribus Decretalibus prius nominetur, quàm Prælatus sæcularis, ut *in cap. cum olim, de majo. & obed. cap. fin. de dilat. cap. Dilecto, de off. Archid. cap. pen. de off. Vic.* & aliis relatis à Dec. loc. cit. non ideò rectè deduci, Prælatum Regularem esse Prælato sæculari præferendum, Videmus enim, omnes Clericos sæculares in processionibus præferri Religiosis; & tradunt DD. *in cap. fin.* §. *Episcopos,* 17. *Dist.* 21

Infero septimò incidenter, Comitem simul & Baronem præferri tantum Comiti; aut Baroni. Sic quoque sentit Bald. *in l. sed & milites, ff. de excus. Tut.* Fel. & Dec. *in cap. Clerici,* primus, *col. ult.* secundus, *col.* 4. *de Jud.* 22

Infero octavò, Doctores ad latus Principis existentes, & in ejus diademate descriptos, esse præferendos militibus, qui ad latus Principis militant; quia Imperator eos Principes appellat, *l.* 1. in princ. & Glos. *Cod. de Cad. tollend,* Angel. *in l.* 1, *de testam mil.* 23

Infero nonò, in actibus promiscuis, seu neutralibus, post Doctores, ad latus Principis existentes, primum locum esse dandum militibus ad latus Principis militantibus, vel qui sunt Equites Romani; secundum Doctoribus excellentiâ dotatis, ad latus Principis minimè existentibus tertiû simplicibus militibus, sivè equestres sint, sivè pedestres: quartum denique & ultimum locum dandum esse Doctorellis, ùs scilicet, qui jura, doctrinasque non funditus sciunt, sed tantum superficialiter, vulgò propterea dictis, *Infarinati di legge, è di dottrine.* 24

IV. DIFFICULTAS.

An Milites nostri temporis gaudeant militum privilegiis, de quibus jura antiqua loquuntur.

Notandum primò, privilegium esse concessionem juris singularis factam alicui præter jus commune, vel sic, esse privatum jus contrà jus commune, indultum, seu aliquod speciale Beneficium concedens: & habetur *in cap. Privilegia, dist.* 3. *& in cap. Ideò permittere,* §. *Privilegia, causa* 25. *quæst.* 1. nam nisi aliquid indulgeat, non diceretur privilegium, *cap. in his, cap. Abbate, extra, de verb. signific.* 1

2. Notan-

2 Notandum secundò, Privilegium communiter dividi in reale, & personale, *ex l. privilegia, ff. de reg. jur. & cap. Mandata, de præsumptionib.* & reale privilegium esse, quod loco, vel rei conceditur, aut personæ ratione loci, vel rei, & hoc esse perpetuum, donec res duret. Personale verò privilegium, aliud esse singulariter personale, quòd certis personis, nominibus expressis tribuitur, & sequitur personam ipsam, & cùm ea extinguitur, probat Tex. *in cap. Privilegium, de regul juris in 6. l. unic. §. Ne autem. Cod. de caduc tollend. l. cùm quis 55. l. fin. ff. de verborum obligat. § Fruitur, Instit. de usufructu*, ut est uxor, quæ splendoribus mariti nobilis coruscat, *l. fœmina, ff de Senatorib.* Aliud dicitur communiter personale, quod ex certis causis conceditur communiter certis personis, illorum propriis nominibus non expressis, ut est privilegium, sive beneficium restitutionis in integrum, quod datur minoribus læsis, ut docet Molsesius, *in sum p. 1. tract 9. cap. 12. num. 28.*

3 Notandum tertiò, quòd Privilegium potest concedere quicunque potest facere legem, ut Summus Pontifex, Imperator, Reges, & omnis Princeps, & Respublica, superiorem minimè recognoscens; Et habetur *in cap. Cùm olim*, il secondo, *de privileg.* ubi omnes, Sylv. Azor. & alii, quos recensent Salas, *disp. 17. sect. 3.* Reginald. *lib. 13. num. 294.* & Turrecrem. *in cap. Quod autem, causa 15. quæst. 1. vers. ad secundum, num. 2.* nam cum isti sint supra jus commune, utique singuli in eorum ditionibus privilegia concedere possunt.

4 Notandum quartò, privilegium variis modis sumi, nempe pro auxilio extraordinario, prælatione, seu hypothecâ, beneficio, dispensatione; exemptione, indulgentiâ, & pro quocunque alio privato commodo, contra, vel præter jus commune: Quos modos optimè explicat Molsesius, loc. cit. à *n. 16. ad 24.*

5 Notandum quintò, per constitutionem Principis, quantumcunque publicè, & solemniter editam, etiamsi contineat omnes non obstantias, seu derogationes, non tolli specialia privilegia, statuta, vel consuetudines, nisi expressè talia tollantur per dictam constitutionem, ut docent plures, quos refert Henriq. *lib. 6. de Sacram. cap. 14 num. 7.* Suarez. *de censur. disp. 21. sect. 3.* Coninch. *eod. tit. disp. 14. num. 243. §. Nota, dubium esse.*

6 Notandum sextò, plura esse privilegia, militibus per jus antiquum concessa, quæ fideliter congessit Tullius Crispoltus *in suis casibus militar.* in Appendice ad privilegia militum Status Ecclesiastici; & aliqua esse concessa ratione exercitii, & aliqua non ratione exercitii, sed officii, secundum Salicet, *in l. 1. num. 19. Cod. de jur. & fact. ignor*, Bal & alios, relatos à Farin. *cons. 95. num. 2.*

7 His adnotatis; ad difficultatem propositam, quæ propriè spectat ad Juristas; an scilicet milites nostri temporis gaudeant militum privilegiis, per jus antiquum militibus concessis, videtur negativè respondendum, cum multis relatis per Thesaur. *decis. 11 1. sub num. 5.* loquentibus saltem de militibus limitaneis, aut stationariis, hoc est de illis, qui ad Provinciæ quietem, & ad reprimendos repentinos hostium incursus detenti sunt, ut notant Misinger Oddus, & alii apud Cesped. *in suis dubiis militar. dub. 26.* & Crispol. *in casib. militar. cas 44. num. 2.* Nam hujusmodi milites, seu milites limitanei, aut stationarii non se exercent continuò in militia: Nec se se exponunt mortis periculis: Gaudent enim ut plurimum quiete, & pace. Ergò gaudere non debent privilegiis, de quibus Romanæ leges loquuntur.

Veritas tamen arbitror, milites omnes nostri temporis frui privilegiis, pro ut jura antiqua de militibus loquuntur; Milites, inquam, qui dant operam armorum exercitio, & stant parati pro defensione sui Principis, vel Reipublicæ in Castris, sive in Civitatibus. Dec. *rubr. Cod. de testam. milit. num. 5. & in cons. 578. num. 2.* Paul. de Castr. *in l. scriniarios, Cod. eod. tit.* Rom. *in cons. 506.* Martin. Lauden. *tract. de milite, num. 5.* Soc. *cons. 33 in 3. vol*, quem producit Card. Albanus nobis contrarius, *in Lacubrat. in Bart. in l. 1. ff. de testam. milit. num. 2.* Menoch. *cons. 408. num. 56.* ubi dicit, hanc esse communem sententiam. Græveus, *conclus. 118. num. 1.* Cesped. loc. cit. *num. 10.* & alii plures, quos referunt Farin. Crispol. loc. cit. 8

Moveor primò juribus, atq. Text. *in l. fin. ff. de milit. testam.* ubi habetur, deprehensos in loco hostili non gaudere militum privilegiis, cùm non censeantur milites: Ergò, &c. *& in l. 1. Cod. de honor. possess. secundum tabulas.* 9

Moveor secundò rationibus; nam nostri milites, inspectâ consuetudine nostri temporis, sunt veri milites, licet non sit in eis servata forma antiqua militiæ secundùm Jac. de Rausen. Oldrad. Cyn. Bald. & alios; & ideò illis competere debent privilegia militibus antiquis concessa. Ea enim fuit ratio, quâ antiqua jura tantis privilegiis milites decoratos voluerunt, ut scilicet pro tutela, & defensione Romani Imperii, omnibus soluti curis expeditissimi operam armis darent, *l. Advocati, Cod. de Advocat. diver. judic.* quam ad omnes milites extensam esse putaverunt Cyn. Bald. Salicet, & alii *in l. 1. Cod. qui bon. ceder. poss.* Tùm etiam, quia privilegium, sive onerosum, sive remuneratorium, quod scilicet conceditur ratione operis, vel exhibendi, vel exhibiti, revocari non potest, nisi legitimâ causâ interveniente, quæ nulla alia est, nisi communis boni, & publicæ utilitatis, ut notat Castropal. *de privileg. tract. 3. disp. 4. punct. 21. §. 2. num. 1.* quæ causa videtur omninò excludi in casu nostro; cùm militia ex se semper commune bonum, & publicam utilitatem respiciat. Tum denique, quia Privilegium qualecunque sit, deperdi non potest, nisi aut per abusum, aut per non usum liberum, & voluntarium, aut propter delictum, aut propter negligentiam, aut propter enorme damnum superveniens, aut per privilegium posterius, si in posteriori fiat mentio de priori: Ut habetur in pluribus juribus civilibus, Canonicis, relatis à Turrecrem. *in cap. Privilegium, causa 11. quæst. 3.* 10

quæst 3. & ostenduntur Doctores relati à Castropalao, *toto tit. de privilegiis*, *tract. 3 disp. 4.* Atqui ex nullo istorum Capitum milites nostri temporis possunt amittere privilegia per antiqua jura concessa militibus, ut attente consideranti patet. Ergò illis fruuntur, dum illa ex nullo capite deperdunt.

11 Moveor tertiò exemplo, in Joanne milite stipendiario Regis & Barone, cujus substitutio ex privilegio militari fuit tanquam directa judicata in favorem Guilielmi Secundogeniti ipsius Joannis Testatoris, ut ostendit Philippus Decius, *tom. 2. consf. 578. sub num. 2.* In Alexandro Solimeo Bonon. cujus institutionem testamentariam ex privilegio pariter militari factam, dum in procinctu conscendendi classem, ut adversus Turcas pugnaret, subsistere censuere Jurisperiti, teste Menoch *cons. 48. num. 56.*

12 Concludimus igitur, milites nostri temporis gaudere privilegiis, quæ militibus per leges, seu jura antiqua conceduntur,

13 Ad oppositum respondet Crispoltus, loc. cit. *num. 11.* refellendam esse distinctionem inter milites limitaneos, aut stationarios, & milites in expeditione, seu in discrimine belli existentes, scilicet destinatos, sive ad defendendum, sive ad offendendum: Cùm enim omnes veri milites sint, & cùm omnes vacent armis sub signis sint, & absque Ducis consensu nequeant castra deserere sub pœna capitali, certaque propterea stipendia recipiant, parum, aut nihil refert, si ensem adhibeant ad offendendum; vel defendendum nam in utroque casu parati sunt pro defensione Principis, seu Reipublicæ vitam ponere; & ideò omnes digni videntur privilegio militari gaudere.

14 Infero primò ex dictis, eadem privilegia, quibus potiuntur militantes in castris, competere etiam navali militi, & pedestri, ut vult Mart. Lauden. *in tract. de milite*, *in v. quando*, & alleg. Tex. *in l. prima*, *ff. de bonorum possess. ex testam. milit.* & militibus inservientibus custodiæ Principis; Farin. *cons. 94. n. 11.*

15 Infero secundò, privilegia militaria competere etiam illustribus Dominis Terrarum, qui dant operam exercitio militari per ea, quæ nor. Bald. *in l. precibus*, *col. 7.* in vers. *quod dictum est in milite*, *Cod. de impube. & aliis substit.*

16 Infero tertiò, subsistere testamentum militis, sive testetur in conflictu, sive in castris, sive adhibitis testibus, sive non; cùm milites degentes, aut in castris, aut in conflictu, nullos teneantur, tanquàm privilegiati, rogare testes, Bocer. *tract. de bell. & duell. lib. 1. cap. 25.* Claudius Cotoreus, *de jur. milit. lib. 2. cap. 17.* Quod etiam patet ex illo rescripto Trajani Imp. de quo in *l. 2. ff. de militar. testam.* ubi habetur, milites posse ad eorum placitum testamentum facere, & nudam eorum voluntatem sufficere.

17 Infero quartò, privilegium, in dubio, si sapiat beneficium, & nulli juri communi repugnet, nec peccandi occasionem contineat, latissimè esse interpretandum; Et exemplum habetur *in cap. Quia circa*, *de privil.* ubi remissio facta Monasterio à Episcopo de solvendis decimis, intelligitur etiam de possessionibus postmodum acquirendis. Strictissimè verò, si deroget juri communi, & jus etiam proximi diminuat; Cùm omnis recessus à jure commune sit odiosus.

Infero quintò obiter, privilegium datum alicui Loco, ut puta Monasterio, deperdi, ipso destructo, sed si reædificetur, recuperari; Nisi fuisset auctoritate Superioris destructum. Tiraq. *reg. cessante causa, n. 12 a.* 18

Infero sextò, privilegia Regularium, quæ dicuntur communiter personalia, cùm sint concessa universo eorum Ordini, nominibus minimè expressis, de jure non tolli per non usum; & ideò neque posse Regulares eis renunciare, neque per contrarios actus illis præjudicare, ut notat Abb. *in cap. Cum accessissent*, *de const.* in fin. Quod ex Indulto Eugenii IV confirmatur, quo decernitur, nullum præjudicium Regularium privilegiis generari per actus aliquorum ex eis, sive ignoranter, sive scienter elicitos contra illa. 19


Infero septimò, privilegium, etiam omninò gratiosum, non posse absque causa regulariter revocari, si per illud acquisitum fuerit aliquid de jure gentium, puta dominium alicujus rei: Ut si Rex donaret Tirlo Fortalitium; Tunc enim, cùm jam sit jus acquisitum, non potest sine causa revocari donatio. 20

Infero octavò privilegium, quòd regulariter extenditur etiam ad futura, si incipiat enormiter alteri esse nocivum, revocari, *cap. Suggestum est*, *de decimis*. 21

Infero nonò, privilegium personæ extendi etiam ad ejus familiares, & officiales, ut notat pariter Naldus, *in summ. v. privilegium, num. 15. & v. officium*, *num. 7.* nisi obstet aliquid in contrarium. 22

Infero decimò, Privilegiatum non uti privilegio contra alium æquè privilegiatum, *Authen. Quas actiones*, *Cod. de Sacrosanct. Eccles.* & tenet Ant. Faber, *decis. 12. ad Macedon.* Riccius, *Collect. p. 2. collect.* & ideò privilegium non solet concedi contra æque privilegiatum, & habetur *l. non tantùm*, in fine principii, *& l sed & milites*, in princip. *ff. de acusat. tutor.* cum similibus. 23

Infero undecimò, privilegiis frui milites, vulgo nuncupatos *Venturieri*, gratis inservientes, dummodò castra sequantur; cùm gratuitum militare servitium, absque stipendio præstitum, non debeat eis præjudicare: Majori enim laude ac privilegio digni debent reputari gratis inservientes stipendiati Card. de Luca, *lib. 3. de jurisd. disc. 33. num. 9.* ubi citat. Crispolt. 24




V. DIF-

V. DIFFICULTAS.

An Milites Religiosi gaudeant Privilegio exemptionis quoad fructus suarum Commendarum.

1 NOtandum primò, quod Commenda dicitur custodia quædam, *cap. Nemo, de elect. in 6.* & docent Rebuffus, *in praxi Beneficiorum, tit. de Commenda, num. 1.* Franc. Marcus, *in quæst. 1247. p. 1.* Cæpbal. *in conf. 97. num. 15. & 16. lib. 1.* & alii.

2 Notandum secundò, Beneficium regulare illud dici in jure, quod fundatione, dotatione, institutione, jure, privilegio, vel consuetudine dari, aut conferri non potest, nisi Clericis certæ Religionis instituto, & regulæ adstrictis, ut colligitur ex *cap. 1. de Capell.* & aliis juribus, & ibi DD.

3 Notandum tertiò, Beneficia regularia primum ortum habuisse ex liberalitate, munificentiâ, ac pietate Regum, Principum, & aliorum Divitum, ac Potentum, qui fundaverunt plurima Monachorum Cænobia, quibus sunt præfecti Abbates, vel Priores, eis quoque assignatis redditibus annuis ad eorum sustentationem: Et hoc modo Beneficia præsertim regularia sunt instituta: Ut observat etiam Azor, *Institut. Moral. p. 2. lib. 3. cap. 26. quæst. 4.*

4 Notandum quartò, regularia Beneficia, quæ Abbatiæ, vel Prioratus, vel Commendæ nuncupantur, non desinere esse Beneficia regularia, quamvis multi Cardinales, & alii primarii Ecclesiastici Viri ea Summi Pontificis auctoritate possideant; quia eis non conferuntur, ut illa jure tituli habeant, sed jure administrationis, eisque potiùs commendantur, quàm conferuntur. Hæc Azor. loc. cit. *quæst. 3.*

5 Notandum quintò, in quibusdam Religiosorum Ordinibus, præsertim ad militandum, vel ad excipiendos hospitio Peregrinos, vel curandos Ægrotos, vel sustentandos egenos institutis, Administratores domorum, ut annuorum redituum, dici Præceptores, ut in Ordine militum S. Joannis Hierosolymitani, SS. Mauritii, & Lazari, S. Stephani, S. Spiritus in Saxia Romæ, qui tribus votis obstringuntur; Regulam ipsius Ordinis, & Religionis profitentur; ab ipso totius Ordinis Magistro, vel ab aliis ipsius nomine, & auctoritate in administrationibus domorum, prædiorum, aliorumque bonorum ad ipsum Ordinem pertinentium constituuntur; & certos habent annuos redditus, quibus commodè sustentantur.

6 Notandum sextò, Beneficia regularia, quæ hujusmodi Præceptores habent, juxta Regulas Ordinum, dici dari jure administrationis, & commendari, & committi; & dici pariter conferri, ut docet Azor. loc. cit. *q. 10.*

7 Notandum septimò, dari quædam Beneficia, quæ manualia nuncupantur, eaque esse, quæ ad nutum Conferentis revocari, aut auferri possunt.

8 Notandum octavò, Præceptorias, sivè Commendas respectu Militum Hierosolymitanorum, absque ulla controversia, esse verè Beneficia Ecclesiastica, licet sint manualia; quia ipsi milites emittunt tria vota solemnia Religionis, & sic veri sunt Religiosi; tradunt Barba, Rebuff, Flam. Paris, & alii, quos probat Garc. *p. 1. de benef. cap. 4.* Respectu verò aliorum militum, Ordinis S.S. Mauritii, & Lazari, Sancti Stephani, S. Jacobi Calatravæ, Alcantaræ, & similium Ordinum, in quibus milites profitentur castitatem dumtaxat conjugalem, hujusmodi Præceptorias, seu Commendas esse Beneficia Ecclesiastica, tenent Navarr. *de reddit. Eccles. quæst. 3. Mon. 27.* Azor. & alii penes Garc. loc. cit. & Molfel, *in summ. p. 1. tract. 6. cap. 2. num. 30.*

Notandum nonò, Bona Ecclesiastica immunia esse, & libera ab oneribus, & tributis impositis per Principes Laicos. Ita communiter Theologi Canonistæ, & Jurisconsulti. Et ita definitum est in Concilio Lateranensi sub Alex. III. *p. 1. cap. 19.* sub Innoc. III. *cap. 46.* & habetur *in cap. Non minùs, in cap. Adversùs, de immunit Eccles. & in cap. 1. & 3. eod. tit. in 6. & in cap. Quamquàm de censib. eod. lib. & in Clem unic. de Immunit. Eccles.* 9

His adnotatis; ad difficultatem propositam, an Milites Religiosi gaudeant privilegio exemptionis quoad fructus suarum Commendarum, negativè videtur respondendum, quia antiquitùs etiam Clericos aliquando solvisse tributa Principibus Laicis pro suis bonis, seu fructibus bonorum suorum, testantur Historiæ, quas brevitatis gratiâ libenter omittimus. Præterea, sicut bona patrimonialia Clericorum regulariter non gaudent Privilegio bonorum Ecclesiæ, nisi in casibus jure expressis, Glos. verb. *ipsarum*, in fin. *in d. cap. Quamquàm, de censib. lib. 6. Gloss. 1. in cap. similiter, caus. 16. quæst. 1.* Ita nec præceptoriæ, seu Commendæ, quæ sunt velut bona patrimonialia militum Religiosorum, cùm non exprimantur in jure, debent quoad fructus gaudere privilegio exemptionis. 10

Veritas tamen est, milites Religiosos, nempè S. Joannis Hierosolymitani, S. Jacobi Calatravæ, Alcantaræ, SS. Mauritii, & Lazari, S. Stephani, & similium Privilegio immunitatis gaudere quoad fructus suarum Commendarum: Quidquid sit de aliis rebus patrimonialibus, vel aliundè quæsitis. Motta, *in tract. de confirm. Ord Sancti Jacobi, lib. 2. cap. 2. num. 29.* Parlador. *lib 2. rerum quotid. cap 3. §. 1. num. 19.* Diana, *p. 1. tract 2 res. 49.* & alii, quos recenset, & sequitur Barbosa *de jure Ecclesiast. cap. 39. §. 5. num. 36.* 11

Moveor primò juribus, *in l. Sancimus 20. Cod. de Sacrosanct. Eccles. & in Authen. Item nulla Communitas, cod. de Sanctiss. Episcopis, & in d. cap. Adversùs, de immunit. Eccles. & in cap. Quamquàm, de censibus in 6.* & aliis juribus in ult. not. allegatis, vi quorum Bona Ecclesiastica immunia evadunt, & libera ab oneribus, & tributis impositis per Principes Laicos, à quorum privilegio non debent excludi Præceptoriæ, seu Commendæ quoad earum fructus, cùm sint Beneficia Ecclesiastica, ut à nobis notatum est. 12

13 Moveor secundò rationibus: nam nostri milites sunt verè Religiosi, ut demonstravimus, & secundùm plures sunt personæ Ecclesiasticæ, Cur ergò Religiosorum, & personarum Ecclesiasticarum privilegio exemptionis non gaudebunt? Tùm quia hujusmodi Præceptoriæ, seu Commendæ ex sua institutione, juxta notata, & ex fine, ob quem instituti sunt nostri milites Religiosi, qui est defendere Christi Religionem adversus Turcas, aliosque Infideles, possunt dici Patrimonium Christi, quemadmodùm cætera Ecclesiæ Bona; & ideò habere debent exemptionem præfatam; sufficit enim habitudo illa ad Deum, tanquàm ad peculiarem Dominum, ratione cujus conceditur hæc exemptio; nàm si Dominus ipsarum Commendarum, seu bonorum non potest subjici tributis, neque etiam ipsa bona poterunt illis gravari, cùm adhæreant personæ, & sequantur conditionem sui principalis, tanquam quid accessorium, ut per Text. *in Capit. Accessorium, de regulis juris in 6.*

14 Moveor tertiò exemplo (quòad exemptionem bonorum Ecclesiasticorum, inter quæ enumerantur Commendæ, quæ sunt Beneficia Ecclesiastica,) in Constantino Primo Imperat. palam Christiano, qui Immunitatem hanc Ecclesiasticam, sivè potius illius usum exhibuit, Teste Eusebio, *lib. 10. Histor. Ecclesiast. cap. 7. & in Oratione de laudibus Constantini*; & in aliis Orthodoxæ Religionis Imperatoribus, quorum nemo tributum de bonis Ecclesiasticis voluit exigere, ut refert Baron. *tom. 3. Annal. Eccles. sub. anno* 387.

15 Concludimus igitur, nostros Milites Religiosos, ad bellandum contrà Turcas aliosque Infideles præsertim institutos, quoàd fructus suarum Commendarum immunitatis privilegio gaudere; adeòque non posse oneribus, Laico quòad sua bona impositis, gravari.

16 Ad rationes in contrarium respondemus: ad primam, quòd præfata exactio cessavit, jisdem Principibus indulgentibus, cum id acciderit tempore, quo Principes Evangelii lucem adhuc non cognoverant, & ubi, seu cùm primum fuerint illuminati, divinaque veritate percepta, immunitatem à collectis, & tributis Bonis Ecclesiasticis concesserunt, ut observat Barbosa, loc. cit. *num. 7.*

17 Ad secundam, respondet idem Barbosa ibidem, *num. 29.* in fine, non solum Clerici patrimonium, ad cujus titulum fuit ordinatus, liberum esse à Laicorum exactionibus, ut censuit Sacra Card. Congregatio negotiis Episcoporum, & regular. Præpositorum, Cathacen. Episcopo rescribens, sub die 3 Augusti, anno 1592. & tradit Menoch. *remed. 15. recuper. num. 21.* Steph. Gratian. *discept. forens. cap. 159. num. 25.* sed etiam cætera patrimonialia, ut satis expressit, *d. cap. Quamquàm*, Molin. *tom. 3. de just. tract. 2. disp.* 671. Laymam. & alii, quos recenset, & sequitur Barb. loc. cit. *num. 29.* Et sic ruit objectio; cùm quidquid dicitur de bonis Clericorum, debeat, proportionaliter loquendo, dici de Commendis, quæ sunt Beneficia Ecclesiastica, & inter bona Ecclesiæ enumeratæ.

Infero primò ex dictis, non solum Clerici patrimonium, ad cujus titulum fuit ordinatus, sed cætera sua bona patrimonialia omninò libera esse à Laicorum exactionibus. 18

Infero secundò, imponentes gabellas, vel alia vectigalia, seu tributa Clericis, Prælatis, aliisque Personis Ecclesiasticis, ac eorum Ecclesiarum, Monasteriorum, & aliorum Beneficiorum Ecclesiasticorum bonis, illarum fructibus, redditibus, & proventibus, absque Summi Pontificis licentia, & quidem expressa, præter excommunicationem expressam *in d. cap. Quamquàm, de censib. in 6.* quæ nulli est reservata, incurrere excommunicationem reservatam in Bulla Cœnæ Domini, *Can.* 18. 19

Infero tertiò, privilegio immunitatis gaudere omnes Clericos, sivè in sacris, sive in minoribus etiam primæ tonsuræ constitutos: & præter jura allegata, tenent innumeri DD. quos recenset & sequitur Barbosa, loc. cit. *num.* 15. & 17. ubi dicit, apud Hispanos, attentâ *l. 2. tit. 4. lib. 5. nova Recopil.* hujusmodi Clericos non gaudere hoc privilegio, nisi actualiter habuerint Beneficium Ecclesiasticum. 20

Infero quartò, hoc privilegio gaudere non solùm omnes Professos, Conversos, & Novitios, Moniales, & Novitias, sed etiam Fratres, & Sorores Tertii Ordinis Sancti Francisci, S. Dominici; dummodò habitum Religiosum gestent, atquè collegialiter vivant, seu claustraliter habitent; aliàs nequaquàm. Ita docent Lazar *de decima. vendit. cap. 19. à num 90.* Stephan. Gratian. *discept. Forens. cap. 224. n. 34.* & alii. 21

Infero quintò, hoc privilegio exemptionis gaudere Milites Domini Nostri JEsu Christi in Regno Portugaliæ, si habuerint Præceptoriam militarem, seu Commendam, aut aliquam tenentiam. Et ita expressit Ordin. Regia, *lib. 2. tit. 11. §. ult.* 22

Infero sexto, gaudere exemptione Collectarum, tam ordinariarum, quàm extraordinariarum Colonos, aut partiarios bonorum Ecclesiasticorum. Sic censuit Sacra Congreg. Cardin. negotiis Episc. & Regular. Præpositorum, in una Oppideo, sub die 18. Sept. 1618. & idem posteà fuit anno 1620. disputatum, & decisum coràm Eminentiss. Card. Milino. Lancelloto, Camporeo, & S. Susannæ per Paulum V. specialiter deputatis inter Regium Fiscum, & Clerum, ac Ecclesiam Status Mediolaneo. ut refert Barb. *de jur. Ecclesiast. cap. 39. §. 5. num. 31.* 23

Infero septimo, teneri Episcopum inquirere contrà gravantes Clericos onere gabellarum, & collectarum, etiam ipsis Clericis tacentibus, & non se querelantibus. 24

Infero octavò, teneri inquirere contrà gravantes nostros milites Religiosos eorum Superiores, ut sunt Magistri militum, qui sunt etiam eorum Judices, *l. Magistra, Cod. de jurisdic. om. jud. & tot. tit. Cod. de off. Magist. milit.* 25

Infero nonò incidenter, Milites Regulares S. Jacobi de Spatha, aliosque hujusmodi, qui non emittunt tria vota substantialia, videlicet Castitatis, Paupertatis, & Obedientiæ, non esse 26

esse incapaces beneficiorum sæcularium, sivè simplicium, sivè curatorum, neque etiam pensionem, Nicol. Garc. *in addit. ad suum tract. de benefic. p. 1. cap. 4 num. 13.* ubi ait sic fuisse decisum sub die 10. Novembr. 1604. Barbos. in Concil Trid *Sess. 14. de reformat. cap. 9. num. 8.*

27 Infero decimò, Ecclesiasticos, sivè Sæculares, sivè Regulares exemptos, in ingressu, vel egressu, Civitatis, teneri tantummodò ostendere Gabellario, seu Officiali residenti res quas per se, vel per eorum famulos, ac Ministros inducere, aut extrahere volunt Rot. *in recent. decis. 412. num. 22. cùm seq. par. 9. tom. 2.* & posse eorum juramento, coràm Judice Ecclesiastico præstando, controversiam, seu contentionem ortam inter eos, & Officialem circà prætensam earumdem rerum negotiationem definire Gloss *in Clement. Præsenti, verb. non negotiandi, vers. si autem, de censibus*, & firmavit Rot. coram Coccin. *decis. 219. num.* 11. cum seq.

28 Infero duodecimò, exemptum à solutione Gabellæ pro usu suo, censeri etiam exemptum pro usu ejus familiæ. Sic pariter nobiscum sentit Barbosa, *in l. univers. num. 12. Cod. de vectigal. & commiss.* Ciatlin. *controv.* 146. *num 8. & controvers.* 187. *num. 24. & num. 26.* quam opinionem Episc. Verul. ad *stat. Faven. tom. 2. ad rubr. 7. lib. 6. num.* 33. vocat magis æquam, veram, communem & usu quotidiano receptam.

29 Infero duodecimò, Ecclesiasticos non exemptos ab onere gabellarum vi privilegii Pontificii, alicui Principi Laico ex justa causa concessi, transeuntes cum rebus gabellæ subjectis per Civitates, Oppida, Castra præfati Principis, teneri eam solvere, estò Gabellarius illam non petat; cùm Gabellarius non teneatur à Transeuntibus Gabellam petere juxtà dispositionem Text. *in l. fin. §. Divi, ff. de publican. & vectigal.* Vide circà hanc decisivam illationem Conciol. *resolut. crim. verb. Gabella, resolut. 7. num. 1. cùm sequ.*

VI. DIFFICULTAS.

Milites, qui vulgò Desertores nuncupantur, ad Locum hostilem transierunt, animo & quidem verbis expresso, sese hostibus dedendi. Dubitatur, nùm hostibus jus competat hos desertores internecione, aut aliâ pœnâ afficiendi.

1 NOtandum primò, deserere propriè militum esse, qui relinquunt locum in acie, aut finè commeatu ex Castris discedunt; undè desertor, & desertio est, de quibus sæpe *in lib. 49. ff orum, de re militar.*

2 Notandum secundò, dari discrimen inter Desertores, Emansores, Transfugas, & Errones; nàm desertor in jure is propriè dicitur, Authore Modestino, *in l. desertorem, §. desertor, ff. de re milit.* qui per ptolixum tempus evagatus capitur, & reducitur, *& l. qui cum uno, §. edictum, ff. eod.* Item qui excubias Palatil deserit: semèl autem militiæ adscriptus, nisi debitè missus, eam deserere non potetat, ut advertit Ayal. *de jur. & discip. milit lib. 3. cap. 22.* Emansor is nuncupatur, qui diù extrà Castra vagatus, tandem ad Castra regreditur, *d. l. desertorem, §. Emansor*: vel Emansor dicitur, qui, imminente lite, fugit extrà Castra, & pace reformata redit; porrò crimen Emansoris levius est, quàm crimen desertoris, Ayal. *de jur. & discip. milit. lib. 3. cap. 11.* Qui verò stationem in bello reliquerit, plusquam Emansor habetur, & pro modo delicti punitur, *d. l. desertorem.* Transfuga, dictus à transfugiendo, est, qui transfugit, & ad hostes deficit; dicitur enim Transfuga deficere, quia deficere dicuntur, qui ab iis, quorum sub imperio sunt, desciscunt, & in hostium numerum se conferunt eo animo, ut nolint redire, *l. amissione, §. 1. ff. de Capit. diminut. & l. postliminii, §. Captivus, & l. Si captivus. ff. de capti. & postli. re.* dicitur pariter Transfuga, qui per induciarum tempus ad eos, cùm quibus nulla est amicitia, fide suspectâ transfugit, Paul. *in l. Postliminum, §. Transfuge, ff. de captiv. & postl. re.* unde Transfuga differt à desertore; cum desertor vocetur qui belli tempore à signis abiit, ut alibi demonstravimus. Postremò Erro propriè dictus est non qui fugit, sed qui frequenter sine causa vagatur sen ex consuetudine quadam aberrare solet, temporibusque in rebus nugatoriis consumptis, tandem, licet serò, redit ad domum, ut *l. quis sit fugitivus, §. Erronem, ff. de adil. edicto*, Adrianus, *lib. 49. de re milit. l. qui eum*, dicit, quòd Erro in servis, est Emansor in militibus: & à Labeone Erro sic definitur. „ Est parvus fugitivus.

Notandum tertiò, in eum, qui commeatu 3 accepto, ad diem commeatus, idest die posito in commeatu, ut explicat Glos. in Tex. mox alleg. non rediit, perinde statuendum esse, ac si emansisset, vel desetuisset pro numero temporis, factâ priùs copiâ dicendi, nùm fortè casibus quibusdam detentus, sit, propter quos veniâ dignus esse videatur, *d. l. desertorem, ff. de re milit.*

Notandum quartò, postliminium esse jus 4 amissæ rei recuperandæ ab extraneo, & in statum pristinum restituendæ, *l. postliminium 19. ff. de capt. & postli. re.* Nàm quod bello amisimus, aut etiam circà bellum, hoc si rursus recipiamus, dicimut postliminio recipere.

Notandum quintò, Transfugam dici etiam 5 privatam, idest non militem, si ad hostes confugiat, & incurrere crimen læsæ majestatis, ut per Tex. *in l. 2. ad leg. Majest.* & hunc pariter dici apostatam, cum deficiat ab eo, quem tuendum suscepit. Sic etiam sentit Decian. *Tract. crimin. 7, cap. 14. num. 3.*

Notandum sextò, gravius esse delictum Ci- 6 vis transfugientis ad hostes, quàm externi, vel adventitii militis. Decian. loc. cit. *num. 4.* & ideò gravius quoque in eum statutum fuit, qui post defectionem in aliam militiam se dedit, ut advertit Ayal. *de offic bellicis, lib. 3. cap. 12.* Siquidem Scipio Africanus alioquin mitissimi ingenii, in Perfugas, & Fugitivos acerbus fuit; devictâ enim Carthagine, ad firmandam disciplinam militarem, gravius in Romanos, qui rupto imperio ad hostes transfugerant, quàm in Latinos transfugas animadvertit. Hos enim tamquam patriæ fugitivos crucibus affixit; illos verò tamquam perfidos socios, securi percussit, ut refert Valet. Max, *lib. 2. cap. 7.* & Liv. *lib. 10, decad. 3, 7.* No-

7 Notandum septimò, duplicem esse deditionem, alteram puram, seu absolutam, alteram conditionatam. Deditio pura est, cùm quis ipsi hosti de se arbitrium permittit, subditum se faciens et vetò, cui fit deditio, summam deserens potestatem. Deditio verò conditionata intelligitur, cùm quis se hostibus tradit hac conditione, ne sibi vitam, libertatem, aut aliqua bona eripiant: Et ideò deditiones conditionatæ aut singulis consulunt, aut etiam universitati; quarum nonnullæ etiam mixtum imperium possunt inducere.

8 His adnotatis; ad difficultatem propositam, an Hostibus, ad quos transfugiunt milites Desertores, seu transfugæ nuncupati, animo se illis dedendi, jus competat eos internecione, aut aliâ pœnâ afficiendi; affirmativè videtur respondendum: Nam hujusmodi Desertores possunt ab hostibus, quibus se dedunt, exploratores considerari, quod non tarò in bellis evenit. Præterea, Desertores aut Transfugæ incidunt in jus commune, quo disponitur, Militem ex sola fuga, & desertione Militiæ reum mortis effici, *l. 3 §. Non omnes, l. omne crimen, §. qui in acie, ff. de re milit. l. defunctorum, cod. eod. tit. lib. 12. cap. Infames, causa 6. quæst. 1.* Glos. *in v. deferatur, cap Jus naturale, 1. Dist* Paris de Puteo, *de re milit. lib. 8. tit. Quando procurator.* Capic. *decis. 130. num. 8.* Farin. *de crimen læsæ Majestat. quæst. 113. num. 7.* & alii: Et ideò nullam injuriam æquitas patitur, si Desertores morte, aut aliâ pœnâ afficiantur. Præterea, Interfectorum, qui se hostibus dederunt, passim occurrunt exempla, ut fuerunt Prometiæ Principes, Samnites, Numidæ, omnes post deditionem occisi, primi à Romanis, secundi à Sulla, ultimi à Cæsare. Imò hìc Romæ fuisse fermè perpetuum Romanorum morem hostes, sive captos, sive deditos in triumphi die interficiendi, Author est Cicero, *5. ver.* Liv. *lib. 28.* Tacitus, *Annal. 12.* & Galba, eodem Tacito memorante, decimari jussit, quos deprecantes in fidem acceperat.

9 Desertores tamen, aut alios hostibus deditos, nullo jure fas esse interficere, nonnullis exceptis casibus infra explicandis, sentire videntur Diodorus Siculus, *lib. 12.* dicens de Bizantiis, & Chalcedoniis plures captivos, & deditos interficientibus. „Perpetrarunt facinora eximiæ crudelitatis. Idem alibi Captivis, & deditis parcere „vocatius commune, qui aliter agunt, eos ait, extra „controversiam peccare. Thucydides *lib. 3.* „dicens: Volentes nos & manus tendentes accepistis in potestatem. Mos autem Græcorum est, tales non interficere. Cicero, *Off. 1.* non tam quid fiat, quàm quid natura æquum sit respiciens, sic ait. „Et cùm his, quos vi devicetis, consulendum est; tum ii, qui armis „positis ad Imperatorum fidem confugiunt, „quamvis mutum aries percusserit, recipiendi. Ita pariter sentire tenentur omnes Catholici, tanquàm clementiâ, & charitate ditati, quamvis apud eorum neminem, quæstionem hanc reperiam agitatam.

10 Moveor primò juribus, *in l. Postliminium, §. Transfuga, ff. de capti. & postli. re,* ubi dicitur Transfuga autem non is solus accipiendus est, „qui aut ad hostes, aut in bello transfugit, sed, „etiam qui per induciarum tempus ad eos, qui- „bus cùm nulla amicitia est, fide susceptâ trans- „fugit: fide, explicat Glos. ibi, id est fiduciâ, & securitate; siquidem fiducia, & securitas mortem, aliamque pœnam excludit. Et *l. 1. ff. de pactis,* ubi habetur, ut notat ibi Bart. pacta esse servanda: Dicit enim Textus. „Adeò autem conventionis nomen generale est, ut elegan-„ter dicat Prædius, nullum esse contractum, „nullam obligationem, quæ non habeat in se, „conventionem; sive re, sive verbis fiat. Et, „*l. & eleganter, §. Severus ff. de dol. mal.* ubi apparet, quòd qui non servat pactum, ad quod naturaliter, non civiliter est obligatus, tenetur læso actione de dolo, ut optimè advertit Card. Albanus, *in Lucubrat. in Bart. in d. & eleganter, num. 1.* Et quamvis inter Desertores, & hostes, ad quos transeunt, nullum pactum explicitum intervenerit, semper adest in hujusmodi deditionibus pactum tacitum de vita, aut libertate salvanda; & pacto tacito nos defendi, probat Textus, *in l. Post venditionem, cod. de pactis, v. Delicta* „Quia tacitè videntur pepi-„gisse tecum de te non conveniendo; & in ca-„su nostro, de vita, & libertate minimè auferenda.

Moveor secundò rationibus; nam in historiis præsertim Romanis, sæpè occurrit locutio, *Tradere se in fidem, Tradere fidem, & clementiam.* Sic apud Livium, *lib. 37.* „Legationes finitimas tradentes in fidem Civitates „suas benignè audivit: *lib. 44.* Paulo, ut se, „suaque in fidem, & clementiam Populi Romani permitteret, contendente, ubi de Rege Perseo sermo est. Scimus autem hisce verbis, nil aliud quàm deditionem meram intelligi, & fidei nomine his in locis hostium significari probitatem, quibus se desertores, sive victi committunt. Tum quia laudari in historiis eos videmus, qui, cum nimia deditorum multitudo oneri, aut periculo esse posset, dimittere omnes, quam occidere maluerunt. Æquitas enim jubet parci etiam his, qui sine conditionibus se hostibus permittunt, aut supplices fiunt, cùm trucidare deditos sævum sit, censente Tacito. Salustius pariter de Campsanis, qui se Mario dediderant, cùm puberes occisos narrasset, subdit, facinus fuisse contra jus belli, naturale scilicet. Hinc Nicolaus Syracusanus apud Diodorum, *lib. 13.* ait. „Tradiderunt secum armis confisi clementiæ victoris, quare indignum foret, „eos decipi spe nostræ humanitatis. Tum etiam, „quia finis belli victoria est, & ad victoriam de hostibus comparandam plurimum juvat hostium enervatio, quæ multoties sequitur per desertorum numerum, qui si putarent, se mortem, aut aliam pœnam traditione minimè evitaturos, à desertione penitùs abstinerent. Postremò, grave est fidem fallere, ut clarè ostendit Ayal. *de offic. bellic. lib. 3. cap 6.* hinc Bald. *in l. 1. ff. de pactis* refert, Aristotelem dixisse Alexandro Macedoni: Serva promissa, alioquì malus finis te sequetur; quodque demonstrat Card. Albanus, *in Lucubrat. in Bart. in l. digna vox, num. 2. Cod. de legib.* Et ideò etiam hostibus esse fidem servandam,

vandam, tradunt. S. Amb. *lib.* 1. *de offic. cap* 29. D. Th. 2. 2. *quæst.* 40. *art.* 3. Quis ergò dixerit, fidem non esse ab hostibus servandam, sub qua saltem tacite ad ipsos transeunt Desertores, nulla rationabili causa in contrarium existente?

12 Moveor tertiò exemplo, in mille illis hominibus, qui arcis in custodia positi, ad Consulem Romanum se receperunt; quique honore, ac præmio fuerunt affecti, non morte, aut aliâ pœnâ puniti; & dein opera eorum forti, & fideli persæpe Respublica usa est, ut refert Livius, *lib.* 5. *decad.* 3. & novissime, nempe diebus nostris, hoc anno 1702. in aliquibus Germanis, quibus ab Exercitu Cæsareo ad Hispana Castra perfugientibus vitam relinqui, libertatem concedi, pecuniam dari jussit Ludovicus Joseph Dux Vandomi, strenuissimus Gallicarum Copiarū in Lombardia Ductor. Item in aliquibus Gallis ad Castra Cæsarea proficiscentibus, quibus eundem favorem impertivit Princeps Eugenius à Sabaudia Dux Armorum Imperialium magnanimus.

13 Concludimus igitur, Hostibus, ad quos transeunt Milites desertores, sivè transfugæ nuncupati, animo se illis dedendi, vitam, & libertatem paciscentes, nequaquàm jus competere illos interficiendi; dummodò quoad ipsos post desertionem nullatenus sint nocentes.

14 Ad opposita respondemus: ad primum concedendo, posse ab hostibus, quibus se dedunt, interfici Desertores, si constat hos esse Exploratores.

15 Ad secundùm, pariter concedendo, Milites desertores ex dispositione juris communis reos effici mortis, & ubicunque inventos quasi hostes interfici posse, *l.* 3. §. *ult. ff. ad leg. Cornel. de sicar.* sed ab illis, à quibus defecere, non ab hostibus, quibus se dediderunt.

16 Ad tertium, sivè ad exempla, nobis minime obstare; siquidem Desertorum internecio secuta est, vel ex nimia crudelitate, quam Christianos dedecet imitari, vel ob periculum proditionis, vel causâ cognitæ explorationis, vel ob alias justas causas, infra in illationibus explicandas.

17 Infero primò ex dictis, desertores, sivè transfugas esse benignè ab illis, quibus se dedunt, recipiendos. Sic Massinissa Rex, à Pœnis, quibus militabat, profugus semper charus à Romanis habitus fuit. Decian. *Tract. crim. lib.* 7. *cap.* 14. *num.* 18.

18 Infero secundò, Desertores, & Transfugas Reipublicæ, cui se dedunt, utiles esse quod testantur illi ducenti Equites Numidæ transfugæ, qui hostes à muris Urbis ferè soli arcuerunt, ut refert Livius, *lib.* 6. *Decad.* 3. nec non Sosi Syracusanus, quo Duce nocturno Syracusas introiisse Romanum Exercitum, Author est idem Livius, *eod. lib.* 6.

19 Infero tertiò, causam perfugii ab his, qui in deditionem accipiunt, esse perpendendam; cùm nomen desertoris sit suspectum; unde Indibilis Hispanus Regulus ab Annibale transfugiens ad Romanos, scire se ait, Transfugæ nomen execrabile veteribus sociis, novis suspectum esse, sed causam addidit potius perfugii, quam simplex nomen, esse diligenter considerandam, concludens, justis causis à Livio *lib.* 10. *Decad.* 3. enumeratis, transfugisse.

20 Infero quartò, non sufficere ad justam deditorum cædem terrorem, estò eo opus siquidem ut justè occidantur, oportet crimen antecedat, & quidem tale, quod æquus Judex morte vindicandum censeret: est enim ultimæ immanitatis, absque justa causa, interficere, & perdere homines, quos Deus creavit, & pro quibus Christus Dominus noster mortuus est, Vict. *Relect.* 6. *de jur. belli, num.* 49. *& num.* 60. Hinc Arrianus in deditos editam à Thebanis stragem inquit, fuisse non Græci moris; Græcorum enim mos, ut notat Thucidides *lib.* 3. viram deditis salvabat.

21 Infero quintò incidenter, laudabilem esse morem, etiam ab Antiquis observatum, obsidentium Arcem aliquam aut Civitatem, antequam machinæ ignariæ explodantur; aut antequam in mænia impetus fiat, veniam, & vitam salvam se dedere volentibus, denunciandi; & ideò Cæsar Aduaticis denuntiat, se eorum Civitatem conservaturum, si priusquam aries murum attigisset, se dedissent, *lib.* 2. *de bello Gallico*.

22 Infero sextò, Transfugam omni jure postliminii privari: neque posse restitui, *l. item ci, ff. ex quib. caus. majorat. l. Postliminum*, §. *Transfuga*, *ff. de capt. & postli. rc.*

23 Infero septimò, Transfugas ad hostes, juxta dispositionem *l. Si quis aliquid*, la seconda, *ff. de pœnis*, vel furcâ suspendi, vel vivos exuri; dummodo non sint milites, qui pœna capitis puniuntur, ut tradit Card. Albanus, *in Lucubrat. in Bart. in leg. desertorem*, §. *pæna militum, ff. de re milit. num.* 1. ubi dicit „ Majorem, vel saltem inhonestiorem esse pœnam furcarum, quam sit pœna capitis. Et idem habetur apud Dec. *in cap. At si Clerici*, *in* 7. *notab. de judic. & in cons.* 65.

24 Infero octavò, omnia jura, pœnam desertoribus præscribentia se hostibus in bellis dedentibus esse intelligenda, quando bellum, à quo fugiunt milites hostibus se dedituri, est licitum, & justum; Turrecrem. *in cap. Infames*, *causa* 6. *quæst.* 1. *num.* 2.

25 Infero nonò, posse pariter excusari milites, se hostibus dedentes, quando deditionem faciunt justo metu coacti. Ita etiam consuluit Imola, *cons.* 34. *num.* 3. Panorm. *cons.* 3. *num.* 5. *in* 6. *quæst. vers. Videntur etiam prædicti*; secùs verò quando spontè, & dolosè id fecerint. Decian. *Tract. crim lib.* 7. *cap.* 12 *num.* 12.

26 Infero decimò, hostibus imminentibus, eum, qui in exploratione emanet, aut à fossato recedit, capite justè puniri, & probat Tex. *in l.* 3 §. *is, qui, ff. de re milit.* & tradit Ayal. *lib.* 3. *de jur. & off. bell. cap.* 11.

27 Infero undecimò, *l. ult. Cod. quando lic. un sinè jud. se vindicare*, permittentem cuilibet desertorem opprimere, esse restringendam, videlicet si inventus restiterit; & ita Leo Imperator restrinxit *l.* 2. *Cod. de desertor. lib.* 12.

28 Infero nodecimò, aliquando expedire ratione publici boni, desertorem morte non afficere, sed aliâ pœnâ, præsertim si desertio secuta est extra tempus excubiarum, vel prælii; non tamen

tamen censemus Aufidii Cassii exemplum esse imitandum, qui multis Desertoribus manus, pedesque obtruncavit, asserens majoris disciplinæ fore miserabiliter criminosum vivere, quam occidere, ut refert Ayal. *de jur. & offic. bell. lib. 3. cap. 12.*

29 Infero duodecimò, eum, qui malo consilio & proditoris animo Patriam relinquit, in hostium numero habendum esse, atque pœnæ capitali esse obnoxium, sivè fœmina, sivè masculus sit, sivè filiusfamilias, sivè paterfamilias: elarus est Tex *in l. Postliminum, §. Transfuga, ff. de captiv. & postli. re.* & tradit Ayal. *de jur. & offic bellic. lib 1. cap. 5. num. 22.*

30 Infero decimotertiò, Dominum habere postliminium in servo, seu in servo pristinum jus recipere; si servus transfugerit ad hostes, & causâ servitutis captus sit, *d. l. postliminium, §. Si verò*, & ibi Glos. *v. causa.*

31 Infero decimoquartò, transfugere volentem, si deprehendatur, posse quidem capite puniri, juxta *d. l. desertorem. §. is, qui ad hostes, ff. de re militar.* sed esse prius in hujusmodi facti contingentia omnes circumstantias diligenter examinandas, præsertim temporis, periculi, loci, vitium; quibus propterea consideratis, Fulvium Senatoris filium, ad Catilinam proficiscentem, retractum ex itinere, jussit Parens interfici. Salust *in conjurat. Catil.*

32 Infero decimoquintò, teneri Præsidem mittere desertorem auditum, idest accusatum, ut explicat Glos. in Tex. mox alleg. ad suum Ducem, seu ad suum Judicem, & quidem cum elogio, ut loquitur Textus idest litteris designantibus qualiter Castra reliquit, *d. l. desertorem*, & ibi Glos. *ff. de re. milit.* ubi excipitur casus gravioris criminis, quod ille Desertor commisisset in ea provincia, in qua repertus est. Ibi enim esse pœnâ plectendum, ubi facinus admissum est, Verus, & Antoninus rescripserunt.

33 Infero decimosextò, non solum Desertores esse puniendos, sed etiam eos, qui illos occultant, nec non Judicem, qui aut pecunia corruptus desertorem impunitum reliquit; vel gratia, aut dissimulatione pœnam Desertori irrogare neglexit, *l. 1. Cod. de Desert. lib. 2.*

34 Infero decimoseptimò, Desertoribus, quando in magno numero sunt, esse vel diversa loca assignanda, vel libertatem concedendam; non enim patitur, omnes simul in eadem Arce, vel Acie permanere, prudentia militaris.

35 Infero decimooctavò, non esse ab hostibus remittendos ad suum Principem, sivè Ducem Desertores; cùm hujusmodi remissio sit pœnalis: si verò Desertoribus indulgetur, hostium vires quæ fuerant per desertionem dimunitæ, iterùm per eorum recuperationem augentur.

36 Infero decimonono, Desertoribus, qui se offerunt, posse quidem indulgeri, nisi forte quis post quinquennium se obtulerit, qui deportari jubetur, *l. Milites agrum*, in fin. *ff. de re militar.* non tamen ad stipendia eorum temporis, quo in desertione fuerint, actionem concedi, ex indulgentia restitutis, *l. Cùm allegatis, Cod. de re milit. lib. 12.*

Infero vigesimò, non omnes desertores similiter esse tractandos ab iis, qui eos recipiunt; neque similiter puniendos ab iis, à quibus descerunt; propterea Tex. *in l. non omnes, ff. de re milit.* dicit. „Sed habetur & ordinis, & stipendiorum ratio, & gradus militiæ, vel loci, ac „ muneris deserti, & ante actæ vitæ. Sed & nu- „ meri, si solus, vel cum altero, vel cum plu- „ ribus deseruit, aliudvè quod crimen desertio- „ ni adjunxerit. Item temporis, quo in desertio- „ ne fuerit, & eorum, quæ postea gesta fuerint. „ Sed si fuerit ultro reversus, non cum necessi- „ tudine, non erit ejusdem sortis. „ 37

Infero vigesimoprimò, nullatenus esse credendum aliquibus Transfugis, qui promittunt, vel tempus incursionis, vel viam se monstraturos, & duces futuros, & modis quibusdam incognitis ad Exercitum, sivè Castra hostium ducturos. Sic Leo Imp. *de bellico app. cap. 17. num. 114.* ubi subdit, ligatos eos esse cum Exercitu ducendos, illisque esse multa dona promittenda, si verum dixerint, & ad salutem, victoriamquè armorum omnia fecerint: Si verò mentiantur, & deceperint, & in periculum conjicere exercitum voluerint, illo ipso tempore, ibi in vinculis ab iis, qui in periculum venerint, trucidandos esse: hæc ille. 38

VII. DIFFICULTAS.

An Miles, qui seipsum obligavit fidejubendo, teneatur in conscientia, si deficit Principalis fidejussionem solvere.

Notandum primò, Fidejussionem, si ethymologiam nominis spectemus, dici ex eo, quòd Fidejussor suâ fide suscipit adimplendam alienam obligationem, eo quod Creditor non dedisset Debitori res, nisi sub fide ipsius Fidejussoris, Glos. *in §. Exceptiones, Instit. de replicationibus*, Cujac. *in not. ad 3. lib. instit. tit. de Fidejussor.* 1

Notandum secundò, Fidejussorem dupliciter accipi, propriè scilicet, & impropriè: propriè pro eo, qui alienam obligationem accipit, *l. 1. & l fidejussor obligari, ff. de fidejussor.* Bart. *in l. reos, ff. de duobus reis*, Dec. & alii. Impropriè verò, pro omni persona, quæ pro alio principaliter obligatur: & ita accipitur fidejussio seu intercessio *tot. tit ff & Cod ad Vellejan.* quoties scilicet mulier pro alio intercedat. 2

Notandum tertiò, paria esse fidem suam pro alio obligare, ac in fidem suam recipere, ut per Tex. *in l. bona fide 27. §. fin. ff. ad Velleian.* 3

Notandum quartò, Fidejussorem illum dici, qui solemni stipulatione pro alio intercessit alienam fidem in se recipiens, principali debitore obligato remanente, ut per Tex. *in l. 1. & 2. ff. de fidejussor. l. 1. §. Verbis, ff. de act. & oblig.* Less. *lib. 2. de iust. & iur. cap. 28. num. 1.* Sylv. Jodoc. & alii. 4

5. No-

5 Notandum quintò, ad fidejussionem quatuor requiri conditiones. 1. ut præcedat obligatio Principalis, vel saltem supponatur. 2. ut Fidejussor non obligetur in plùs, quàm Principalis. 3. ut nulla sit fidejussio, si nulla sit Principalis obligatio. 4. ut Fidejussor non possit conveniri, nisi ordine servato; nempè ut priùs conveniatur Principalis, & post Principalis discussionem, eo deficiente, conveniatur Fidejussor. Ita communiter Jurisperiti.

6 Notandum sextò, Fidejussionem esse stricti juris, & non extendi de casu ad casum, nec de persona ad personam. Ita plures docent, inter quos Arret. *p.1. de fidejuss. cap 6. n. 11.*

7 Notandum septimò, obligationem fidejussionis non deficere morte Fidejussoris, sed transire ad hæredem, quem cùm tali onere relinquit, ut per Text. *in l hactenus*, ubi Batt. *ff. de const. pec.* Arret. *de Fidejuss. p.2. sect.4. cap.15. num. 1.*

8 Notandum octavò, nos aliquando teneri ex charitate nostro proximo subvenire. *cap. Non satis, 82. Dist. cap. 2. & cap. Constitutus, de Fidejuss.*

9 Notandum nonò, quemlibet posse favori suo renunciare, *l. penult. Cod. de pact.* cùm concordant. Secùs verò, quando hujusmodi renunciatio esset in præjudicium publicæ utilitatis; *l. 2. §. Sed quia, Cod. de jur. jur. propter calum, dando, l. quos prohibet Prætor. ff. de postulat.*

10 Notandum decimò, milites in duas dividi classes; nempè in milites militiarum, vulgò *Battaglione*, ad nullum certum bellum, seu exercitium adscriptos, & stipendia non recipientes; & in milites verè tales nuncupatos, stipendia recipientes, & à signis inscio Duce, seu absque Ducis licentia, abesse nequientes.

11 His adnotatis; ad difficultatem propositam, an miles, qui seipsum obligavit fidejubendo, teneatur in conscientia, deficiente Principali, fidejussionem solvere, affirmativè respondent Gomez. *lib. 2. cap. 13. num. 19.* Ang. Caroc. & alii, quos producit Arret. *de Fidejuss. sect. 8. cap. 3. numer. 3.* quorum fundamentum est, quia dispositio *l. milites, Cod. de re milit.* qua militibus interdicebatur fidejubere, per usum hodierni temporis contrarium, vim suam amisit. Deindè milites fideiubendo renunciant privilegio non se obligandi fideiubendo; Atque adeò milites fideiubentes obligantur, ut cæteri ad fideiussionem.

12 Fateor, hanc opinionem non carere probabilitate; nihilominùs contrariam puto esse sustinendam, tanquàm probabiliorem, & veriorem, nempè milites, verè, & propriè dictos, fideiubere non posse, & sic nullam obligationem in conscientia ex fideiussione contrahere, & contractam nullius roboris esse judicandam, Bart. *in l. Marcell. & clariùs in l. cum lex, num. 1, 4. & 10. ff. de Fidejuss.* Rimin. sen. *cons. 61. n.29. vol. 1.* Alex. *cons. 66.* circa fin. *vol. 4.* Bertazzol. *de claus. claus. 7. gloss. 19. num. 2,* Cespedes, *in dub. milit. dub.25.* & alii.

13 Moveor primò juribus, *in l. Milites, Cod. de re militar. l. milites*, ibi Gloss. *Cod. locat. l. unica, Cod. Negotiator. ne milit. lib. 12.* & aliis, ubi apparet fideiussio militibus interdicta.

Moveor secundò rationibus; nam quod prohibetur à jure, cùm nullius roboris sit, nullam obligationem inducit. Militibus fideiubere esse prohibitum, iura allegata demonstrant. Tum etiam, quia nemo potest favori suo renunciare, quando agitur de publica utilitate, ut notavimus cum sua probatione initis: Hìc verò agitur de publica utilitate; Etenim si permissa esset militibus huiusmodi renunciatio, milites fideiussores, sua fide suscipientes adimplendam alienam obligationem, ab usu armorum, Principisque servitio arcerentur, ut possent onera adimplere, quibus Debitores, seu Principales obnoxii sunt. 14

Moveor tertiò exemplo, in quodam milite à Crispolto, *in casib. militar. cas 36.* relato, qui fideiusserat, pro commilitone, qui debebat scuta sex Hebræo Mercatori, causâ unius vestimenti ab eo empti; & Mercatori executionem chirographi petenti contra militem fideiussorem, iuiractio iustè denegata, declarante Judice, consultis Juristis, militem fideiussorem nullam obligationem ex fideiussione contraxisse. 15

Concludimus igitur, milites, qui stipendia recipiunt, & à signis non Ducis placito abesse non possunt, fideiubere non posse, eorumque obligationem penitus esse inefficacem, & nullius roboris iudicandam, & sic in conscientia ad fideiussionem minimè obligari. 16

Ad rationes in contrarium respondemus: Ad primam, negando dispositionem legum interdicentium fideiussionem militibus non esse ampliùs in usu, si sermo sit de militibus propriè dictis, iuxta notatam distinctionem: Concedendo verò, si loquimur de militibus militiarum, vulgò *Battaglione*. 17

Ad secundam, patet responsio ex dictis, præsertim ex motu secundo. Prætetquam quòd, fideiussio interdicitur militibus in favorem, non militum, sed militiæ, ne scilicet relinquant servitium Principis; atque adeò cùm non sit militum privilegium, ei milites renunciare non possunt iuxta Gloss. *l. si quis in conscribendo, Cod. de pactis.* 18

Infero primò ex dictis, Fideiussorem pro certa causa, aut pro certa re, si non est miles, teneri solùm pro ea; quia cùm fideiussio sit stricti juris, est potiùs restringenda, quàm amplianda. 19

Infero secundò, obligationem fideiussoris decedentis extendi ad hæredem, non solùm in obligationibus civilibus, sed etiam in obligationibus descendentibus à causa criminali, si ad certam pœnam se fideiussor obligasset, dummodò purè, vel in diem contracta fuerit obligatio, ut per Text. *in l. ad diem, ff. de verb. oblig.* Secùs verò, si fuerit conditionata, & conditione pendente decedat fideiussor. 20

Infero tertiò, Mulierem non posse pro alio fideiubere; quia cùm ex fragilitate sexus nimis facilè pro aliis se se obliget, nulla est obligatio, ut habetur *tot. tit. ff. & Cod. ad Vellejan. & in pragmat. 1, de Senatus consult. Vellejan* & communiter 21

moniter ibi Doctores, qui excipiunt causas pias, in quibus mulieris fideiussio tenet, ut puta, si uxor fideiussisset pro liberatione Mariti à carceribus, aut mater pro liberatione filii, aut filia pro liberatione Patris; quia hæ sunt causæ piæ.

22 Infero quartò, minorem, qui de jure communi intelligitur non completo 25. anno, ut *tot. tit. ff. de minor.* non posse pro alio fidejubere, exceptâ causâ piâ Patrem respiciente, aut matrem, & quando adest authoritas Tutoris, vel decretum Judicis, juxta Text. *in l. Marcellus, ff. de fidejussor.* & si fidejussisset, obligari naturaliter, non civiliter; cùm per Beneficium restitutionis in integrum, possit retractare fidejussionem: Quæ restitutio in integrum, secundùm multos, ei non conceditur, si juramentum intervenerit.

23 Infero quintò, Irritam esse Religiosi fidejussionem; quia interdicitur Religiosis fidejubere, nisi de licentia Prælati, & majoris partis Capituli, ut expressè habetur, *in cap. penult. de fidejuss. & l. regia 2. tit. 12. p. 5.* Exigitur quoque utilitas Monasterii, juxta *cap. 2. de postuland.* ut docet Host, *eod cap. penult n. 2.*

24 Infero sextò, Irritam quoque esse fidejussionem Religiosi Religionem profitentis, in qua Capitulum minimè congregatur, ut est Societas JESU; undè ad validitatem fidejussionis requiritur licentia Superioris, qui juxta statuta, & ejus privilegia, potest eam concedere, teste Molina, *tom. 2. de just. disp. 540. col. 14. vers. Religiosus verò*, Sanchez. *in præcepta Decal. lib. 6. cap. 14. num. 38.*

25 Infero septimò, non valere fideiussionem Prælati Monasterii, nisi consensu majoris partis Capituli fideiubeat; cùm nec ipse absque eo consensu facultatem fideiubendi concedere possit. Ita etiam tradunt Sylvest. verb. *fidejussor. quæst. 4.* Tabien. *verb. eod. quæst. 3. n. 4.* Leonard. *lib. 2. de just. cap. 28. dub. 2. n* 20.

26 Infero octavò, valdè periculosum esse fidejubere; quia fideiubens ut plurimùm solvit; quod satis experimentum docet; vulgò enim dicitur, *Chi fà sicurtà paga*; undè Chilo Lacedæmonius, teste Mant. *lib 16. de tac. & amb. tit. 12. num. 1.* dicebat: *Fidejussoribus non deest jactura*, & proindè post titulum *de fideiussoribus*, sequitur titulus de solutionibus; & ideò Angel. *in l si constante*, in princ. *num. 1. ff. sol. matrim.* ubi Alex. *num. 14.* tradit, eum, qui pluribus fideiubet, evidentius suâ aburi substantiâ.

27 Infero nonò, fideiussionem debere quidem esse gratuitam ad omnem fœnerandi occasionem tollendam; nihilominùs posse fidejussorem aliquid pro fideiussione accipere ratione periculi, cui exponitur, solvendi quantitatem, vel rem, pro qua fideiussit, ut per Tex *in l. remunerandi, § Maurus, ff. mandati, l. hoc iure, § Labeo, ff. de donat.* ubi Bart. Castr. Bal. Dec. Boer. apud Mant. *lib. 16. de tacit. & ambig. convent. tit. 2. n. 3.* ubi sic decisum refert coram Clemente VIII. felicis mem. in sacro Auditorio.

Infero decimò, actione mandati, quæ regulariter non conceditur fideiussori contra Principalem, donec solvat cum effectu, teneri Principalem extrahere fideiussorem indemnem & illæsum, non solùm à debito principali, & accessionibus, sive usuris, sed etiam ab expensis, & interesse, & habetur, *in §. Si quid autem, ubi notes, Instit. de fideiussor. & in l. mandati, Cod. eod tit.* Cùm officium suum nemini debeat esse damnosum, *cap. 2. & 3 de fideiussor.* ut notat Molfes. *in summ. p. 2. tract. 12. cap 19. n. 33. & num 100.* ubi subdit, Fideiussorem condemnatum ad solvendum posse agere contra Principalem, ut seipsum conservet indemnem, & illæsum, ut *in l. si pro ea. Cod. mandati*, quanvis effectualiter non solverit. 28

Infero duodecimo incidentes juramentum de non fidejubendo, secundùm aliquos, non tenere, seu non obligare, cùm sit contra charitatem proximi, cui tenemur in necessitate auxilium præstare; & etiam pro illis fidejubere. Abb. *in cap. Si verò, num 5. de iureiur.* Rodriq. *lib. 2. de annuis reddit. quæst. 12. num. 6.* & fin. & alii. 29

Infero duodecimò ex not. nono, Clericum non posse renunciare privilegio Clericorum dignitati Clericali concesso: Atque adeò, si Clericus permitteret se percuti, percussor, si malo animo percuteret, incideret in Can. *Si quis, &c.* 30

Infero decimo tertiò, Idoneum fideiussorem illum non esse, qui non possidet. Ita etiam sentire videtur Card. Albanus, *in Lucubrat. in Bart. in l. sciendum, ff. qui satisd. cog. num. 4.* ubi lectorem remittit ad Alex. *in cons. 160. in 5. col.* qui tamen *in Rubr. ff. de fideiussor. num. 4.* intelligit de eo, qui promissa non observat, dicens Scias tamen fideiussorem idoneum dici eum, „ qui etiam si sit inops, tamen solitus est servare „ promissa, & allegat Jas. *in Authen. Jubemus, Cod. de iudic. & in l. si ita stipulatus fuero, §. Chrysogonus, de verb. oblig.* 31

Infero decimo quartò, Fideiussorem non teneri ad pœnam, quæ augetur debitori non solventi, cùm hoc non sit debitum obligationis, pro qua intercedit, sed contumaciæ. Sic etiam Cæpol. *in caut. 126.* 32

Infero decimo quintò, promittentem dare fideiussorem, si dat pignus, ab huiusmodi obligatione liberari. Ita etiam Bal. *novel. in tract. de dote, in septimò privilegio*, in fin. ubi dicit, quòd datio fidejussoris, & pignoris à pari procedunt. De hac re agit pariter Antonius de Fano, *in tract. de pignorib. & hypothec. in primo membro quinta part n. 1.* cum seq. 33

Infero decimo sextò, Fideiussorem, qui se pro certa, & expressa quantitate respectu sortis obligavit, non teneri pro usuris: Alioqui verò, si pro obligatione, & actione promitteret, addito præsertim juramento. Sic Anton. de Fano, loc. cit, *in 4. memb. 2. par. num. 49.* 34

VIII. DIF-

VIII. DIFFICULTAS.

An possint Milites licitè, & validè pro victoria de hostibus in bello justo obtinenda aliquid vovere DEO.

1 NOtandum primò, adesse inter Principem, & Milites contractum, ut fuit à nobis alibi demonstratum, vi cujus Princeps se obligat militibus stipendium dare, & milites onus suscipiunt Principi in bello justo inserviendi.

2 Notandum secundò, hanc vocem, *Votum*, non solùm apud sacros Scriptores in usu esse, sed etiam apud profanos, ut videre quisque potest apud Cicer. *lib. 2. de legib. & lib. 3. de natura deorum, & lib. 1. de divinat.*

3 Notandum tertiò, votum, si nominis ethymologiam spectamus, quamvis importet promissionem, quæ actum rationis denotat, dici tamen à voluntate, tanquàm à primò movente, cùm ratio in tali actu à voluntate dirigatur: Dici propterea votum à voluntate, quasi voluntariè factum, tradunt D. Thom. 2. 2. *quæst. 88. art. 1. ad Secundum*, Richar. *in 4. dist. 38. art. 2. quæst. 2.* Palud. *4. dist. 38. quæst. 1. § Prima*, & alii.

4 Notandum quartò, votum significare aliquam promissionem, non cuicunque factam, sed DEO, & Sanctis cùm quadam firmitate, & obligatione, juxta illud Deuteron. " Cùm vo-" tum voveris Domino DEO tuo, non tarda-" bis reddere; quia requiret illud Dominus " DEUS tuus: Et si moratus fueris, reputabitur " tibi in peccatum. Si nolueris polliceri, absque " peccato eris. Quod autem semel egressum est " de labiis tuis observabis, & facies sicut pro-" misisti Domino DEO tuo, & propriâ volun-" tate, & ore tuo locutus es. Et ideò omne votum ad DEUM principaliter reducitur, sicut & oratio; & ad Sanctos, quatenùs sunt mediatores inter hominem, & DEUM, ut notat Turrecrem. *in cap. Quod autem, caus. 17. quæst. 1, num. 3.*

5 Notandum quintò, votum, secundùm Juristas, esse alicujus boni cum deliberatione factam promissionem; & secundùm Hugonem de S. Victor. *lib. 2. de sacram. p. 12. cap. 3.* esse sponsionem animi voluntariam, & DEO factam pollicitationem: Et secundùm Magist. 4. *Dist 38.* esse testificationem quamdam promissionis spontaneæ, quæ DEO, & de his, quæ DEI sunt propriè, fieri debet.

6 Notandum sextò, votum dividi in personale, reale, & mistum. Personale illud nuncupatur, quòd à persona solùm voventis impleri potest, seu in quo vovetur actio personæ, puta, quando quis vovet jejunium, castitatem, orationes, & alia hujusmodi. Reale est, quando sola res externa DEO promittitur, ut qui vovet eleemosynam, & ea, quæ absque rei dispendio non fiunt. Mistum demùm dicitur, quod ex utroque constat, seu in quo intervenit & actio personæ, & res, ut quando quis peregrinationem vovet ad Terram Sanctam: Peregrinatio enim importat non solùm actionem, sive opus voventis, sed etiam sumptus ad hujusmodi iter necessarios. Sayr. *in Clav. Reg. lib 6. cap. 2. num 1. & 2,* Thom. Tambur. *in Decal. lib. 3. cap. 8 de voto, sub num. 1.*

Notandum septimò, ad votum verè obligatorium tria requiri, videlicet deliberationem, propositum voluntatis, & promissionem, in qua perficitur ratio voti. 7

Notandum octavò, votum dividi in quoddam commune, & quoddam singulare. Vocatur votum commune, quod est de his, ad quæ non omnes tenemur. Vocatur verò votum singulare, quod est de his, ad quæ non omnes tenemur, ut sunt opera supererogationis, quam divisionem Albertus, & S. Thom. *in 4.* relati à Turrecrem, loc. cit. *num. 5.* appellant divisionem analogi, quod prædicatur per prius, & posterius de suis dividentibus; sicut ens de substantia, & accidente. 8

His adnotatis; ad difficultatem propositam, an possint milites licitè, & validè pro victoria de hostibus in bello justo obtinenda, aliquid vovere DEO, videtur negativè respondendum; nam Christus, qui venit in Mundum adversùs tartareas Potestates pugnaturus, & quo vix orto, *Facta est cum Angelo multitudo militiæ cœlestis*, S. Luc. *cap. 2. num 13.* & Apostoli, quibus dictum est *Estote fortes in bello, & pugnate cum antiquo Serpente, & accipietis Regnum æternum*, non leguntur aliquid vovisse: Signum est igitur, nequaquam licere militibus pro victoria de hostibus reportanda vovere; siquidem illi, aut verbo, aut exemplo omnes nos docuissent, cum dicat Apostolus *1. Corinth. cap. 4. Imitatores mei estote, sicut & ego Christi.* Præterea, scimus à voto necessitatem imponi, & libertatem inter maxima dona, quæ homini DEUS dedit, enumerari; & dona DEI minimè ab hominibus esse spernenda, & ideò non videtur licere militibus aliquid vovere. Præterea milites sunt alterius potestatis ratione contractus cum Principe initi; unde ad aliquid se obligare non possunt, alias ab obsequio Principis subtraherentur cum præjudicio illius, quod juri gentium, & etiam naturali repugnare videtur. 9

Fateor, hanc sententiam, quoad omnia vota, tum realia, tum personalia, tum mista, esse veram, in his tamen, in quibus milites Principi subjiciuntur; & successivè illos minimè posse licitè, & validè, etiam pro victoria obtinenda, aliquid vovere absque Principis consensu arbitramur & nos; cùm miles quoad personam suam, & operationes personales, suo Principi sit subjectus. Secùs verò in his, infra in conclusione explicandis, in quibus Miles Principi non est subjectus, neque ullum Principi præjudicium infert. D. Thom. 2. 2. *quæst. 88. art. 8.* in corp. Innoc. & Pan. *in cap. Scriptura, extra de voto, & voti redempt.* Rich. *in 4. dist. 38. art. 4. quæst. 2.* Durand. *ibid. q. 1. n. 7.* Sylv. *in summ.* verb. *votum 3. qu 7.* Joann Bachon. *4. dist. 2. qu. 3. art. 2.* S. Anton. *p. 2. tit. 11. cap. 2. § 7.* Angel. *v. votum 3. quæst 7.* Tabien. *v. votum 5. qu. 6.* Valent. *tom. 3. disp 6. punct. 6. quæst. 6* & alii quos producit, & sequitur Sayr. *in Clav. Regia, lib. 6. cap. 5. de vinculo voti*, quibus additur Leo Imp. *de bellico app. cap. 16. num. 2.* 10

11 Moveor primò juribus, *arg. cap. Relatum, de sent. excomm cap. Si servus sciente, 54. dist. cap. Si quis servum*, il secondo, *caus. 17. quæst. 4. & in l. si quis rem, ff. de pollicitat.* ubi dicitur, quòd si quis rem aliquam voverit, voto obligatur; & ex re illicita nulla oritur obligatio: Et quamvis contextus hujus legis dicat, illos, qui sunt alterius potestati subjecti, sine ejus authoritate voto non obligari; nihilominùs est intelligendus in his, in quibus ei sunt subjecti, non verò in his, in quibus subjecti, non sunt, ut ratio naturalis dictat.

12 Moveor secundò rationibus; siquidem Seneca in 3. *de beneficiis*, dicit " Errat, si quis existimat servitutem in totum hominem descendere: ex quo clarè deducitur, eos, qui alterius potestati subjecti sunt, posse de aliqua re disponere voto, & contractu obligationem inducente. Tum quia, ex doctrina D. Thom. 2. 2. *quæst.* 104. *art. 5.* in corp. habemus, quòd „Corpora obnoxia sunt, & adscripta Dominis, mens quidem est sui juris: Et ideò milites, quamvis circa operationes corporales servitium Principis respicientes, & in quibus Principi subjiciuntur, nihil possint licitè, & validè vovere; nihilominùs in his, quæ pertinent ad interiorem motum voluntatis, vel in rebus exterioribus, in quibus nullatenus sunt Principi subjecti, eique nullo modo præjudicant, si aliquam rem DEO voveant, ita licitum, & validum erit votum, ut à Principe irritari nequeat. Tum etiam, quia, & quidem clariùs, Quisque potest per promissionem se firmiter obligare ad id, quod est omninò in sua potestate, D. Thom. 2. 2. *quæst. 88. art. 8.* in corp. De his igitur, quæ milites habent in sua potestate, possunt licitè, & validè aliquid vovere pro victoria obtinenda, vel pro alio bono fine.

13 Moveor tertiò exemplo, seu potiùs praxi servorum, qui quamvis non possint se obligare ad personales operationes; puta, ad peregrinationem, ad frequentem Ecclesiarum visitationem, & ad alia hujusmodi, quæ subjectioni repugnant; nihilominùs si voveant ea, quæ Domino non præjudicant, & in quibus Domino non sunt subjecti; ut sunt orationes aliquæ, aliqua jejunia, castitas, & hujusmodi, licitum, & validum esse votum, censent DD. allegati, & inter eos D. Thom. communiter receptus. Et idem esse dicendum ob paritatem rationis de Militum votis clarissimè constat.

14 Concludimus igitur, votum, quod milites in bello justo emittunt in his, quæ subjectioni, seu militari disciplinæ minimè repugnant, nevè Principi præjudicant; ut sunt orationes, castitas, jejunia, & hujusmodi, pro victoria de hostibus obtinenda, esse licitum, & validum, neque posse à Principe irritari. Cuilibet igitur militi, qui hujusmodi votum, ob finem præfatum fecit, dicam cum Ecclesiast. *cap. 5. num. 3. Si quid vovisti DEO, ne moreris reddere; displicet enim ei Infidelis, & stulta promissio: Sed quodcumque voveris, redde: multoque melius est non vovere, quàm post votum, promissa non reddere.* David quoque, qui à DEO scientiam, & auxilium ad bellandum accepit: *Benedictus Dominus DEUS meus, qui docet manus meas ad prælium, & digitos meos ad bellum. Psal. 143. num. 1.* omnibus, & præsertim Militibus contra hostes bellaturis, ardenter consulit, dicendo; *Vovete, & reddite Domino DEO vestro*, ubi Gloss. & D. Thom. 2. 2. *quæst. 189. art. 3.* " Vovere voluntati consulitur, sed post voti promissionem," redditio necessariò exigitur. "

15 Ad opposita respondemus: Ad primum quod Christo secundùm se non competebat vovere; tum quia DEUS erat, tùm etiam, quia " inquantùm homo habebat voluntatem firmatam in bono, quasi comprehensor existens; " quamvis per quamdam similitudinem ex persona ejus dicatur in Psal. 65. secundùm Glossam, vota mea reddam in conspectu timentium eum: Loquitur autem de corpore suo, " quod est Ecclesia. Apostoli autem intelliguntur vovisse pertinentia ad perfectionis statum," quando Christum, relictis omnibus sunt secuti. Hæc D. Thom. 2. 2. *quæst. 88. art. 4. ad tertium.*

16 Ad secundum, concedendo ant. negamus quod consequitur; nam sicut non posse peccare non diminuit libertatem, ita etiam libertatem non diminuit necessitas firmatæ voluntatis in bono, ut patet in DEO, & in Beatis. Non dissimilis sanè censetur necessitas voti, quæ similitudinem quamdam habet cum confirmatione Beatorum: undè S. Aug. *in Epist. 45. ad Armentarium, & Paulinum*, ait; " Felix necessitas, quæ in meliora " compellit.

17 Ad tertium, concedimus, quod milites in his, in quibus sunt principi subjecti, non possunt ad aliquid se obligare. At nostra decisio procedit, ut diximus, circa ea, quæ subjectioni Principi debitæ non sunt obnoxia.

18 Infero primò ex dictis, Religiosum, qui vovit quotidiè dicere Septem Psalmos Pœnitentiales, si id non fuit inhibitum in communi, vel in particulari, teneri hujusmodi voto satisfacere, donec Prælatus aliter disponat: Et ita etiam sentire videntur Palud. *in 4. dist. 32. quæst. 4 art. 2, concl. 1.* Gabr. *ead. dist. q 1. art. 5. concl. 1.* Cajet. in 2. 2. *q. 88. art. 8.* ubi addit teneri subditum consensum Superioris requirere, antequam sit in mora persolvendi votum.

19 Infero secundò, non peccare Religiosum, qui in omnibus suo Prælato ratione Professionis subjicitur, si aliquid voveat; cum in voto Religiosorum semper intelligatur debita conditio scilicet, si suis Superioribus placuerit.

20 Infero tertiò, Religiosum subditum aliquid voventem, si Superior nesciens contradicat, non teneri votum exequi, nec Superiori voti facti vinculum manifestare; cùm sufficiat superioris dissensus respectu operis. Ita etiam Cajet. loc. cit.

21 Infero quartò, licere Episcopo emittere votum abstinentiæ, & eleemosynæ, vel aliud, *arg. in cap. Clement. causa 8. qu. 1. & cap. Relatum*, il secondo, *extrà de test. §. Licet autem.* Secùs verò, sepositâ licentiâ Summi Pontificis, si per votum dissolveretur vinculum matrimonii, quod inter Episcopum, & Ecclesiam suam reperitur, vel grave præjudicium Ecclesiæ suæ sponsæ inferretur; ut esset votum in longinquam Regionem peregrinandi, & hujusmodi; Quod etiam

constat

constat ex *cap. Magna, de voto, & voti redempt.* Sic pariter tradit Turrecrem. *in cap. Sunt quædam, causa 17. quæst. 1. num. 2.*

22 Infero quintò incidenter, voventem ingredi Religionem, si ante ingressum in Episcopum eligatur, teneri suo voto satisfacere. Ita Text. *in cap. Per tuas, extrà de voto*, & tenet Graff. *p. 1. decis. lib. 2. cap. 24. num. 12.* ubi dicit, quòd potest Summus Pontifex dispensare nè ad Religionis ingressum teneatur.

23 Infero sextò, desiderium etiam deliberatum faciendi aliquam rem bonam, non sufficere ad validitatem voti, absque promissione, & animo se obligandi. Sic etiam D. Thom. 2. 2. *quæst. 88. art. 1.* & ibi Cajet. Gabr. Sylv. & alii innumeri, quos producit, & sequitur Sayr. *in Clav. Regia, lib. 6. cap. 1. num. 6* Quidquid dicant Alex. de Imol. & alii Jurisconsulti, *in l. Bonorum, Cod. qui admit. ad bonor. possess. poss.* & Glos. celebris *in cap. Qui bona, causa 17. quæst. 1.* & aliqui Canonistæ, quos refert Sylv. *v. religio 5. quæst. 8. & v. votum, quæst. 2.* asserentes, solum propositum voluntaris, absque promissione, sufficere ad votum maxime quando jam opus est inchoatum.

24 Infero septimo, non licere aliquid licitum vovere Deo pro re illicita, aut obtenta, aut obtinenda in recompensationem, & gratiarum actionem, puta, vovere Calicem, pro victoria in bello injusto obtinenda, aut pro obtenta aliena uxore: ita etiam Cajet. *in 2. 2. quæst. 88. art. 2.* Sotus, *lib. 7. de just. quæst. 1. art 3.* Valenc. *tom. 3. disp. 6. quæst. 6. punct. 2.* & alii asserentes, hujusmodi votum non esse validum, sed sacrilegum, & meritò, Est enim facere Deum authorem mali, quod est gravissimum peccatum.

25 Infero octavò, voventem ingredi Religionem, si commiserit adulterium, aut aliud crimen hac intentione, ut caveat ab adulterio, aut alio crimine, vel ut Pœnitentiam faciat de criminibus patratis; vel absolutè se obligantem ad ingressum Religionis, si hoc, vel illud sibi acciderit, teneri sub mortali hisce votis satisfacere, conditione adveniente; nam hujusmodi vota sunt conditionata; & quemadmodum conditio illa dicitur, quæ antequam actus perfectus efficiatur, implenda est, *l. filius fa. ff. de condit. & demonst.* Menoch. *cons. 78. num. 15.* ita conditione adimpleta, obligant *arg. l. cedere diem, ff. de verb. signif. cap. Si pro te, de rescript. in 6.* & tradunt Sylv. *v. votum 2. quæst. 2. vers. tertium,* Valent. loc. cit Navar. *in Enchir. cap. 12. num. 43.* & alii.

26 Infero nonò, non esse valida vota de re absolutè necessaria, vel impossibili; puta, si quis voveret se esse mortiturum, vel se esse volaturum. D. Th. 2. 2. *quæst. 88. art. 2.* in corp. Petr. de Arragon. ibid. & alii; cum votum importet promissionem voluntariam, & necessitas, vel impossibilitas voluntarium impediat.

27 Infero decimò obiter emittentem votum solemne continentiæ in duabus Religionibus, quamvis gravius peccet incontinenter vivendo, unum tamen solum peccatum committere. Petr. de Arag. loc. cit. Joseph. Angel. *in Floribus 4. sent. quæst. de voto, art. 1.* & alii, asserentes, unum tantummodo, peccatum perpetrare, & committere. qui violat votum millies confirmatum. Et idem puto esse dicendum de Religioso habente votum castitatis, si Deo, & Beatæ Virgini, & Sanctis promitteret animo se obligandi castitatem observare, ex eo quia votum factum Sanctis semper intelligitur factum Deo in honorem Sanctorum; cum votum sit actus latriæ, qui Deo debetur.

Infero undecimo, voventem dare Pauperibus eleemosynam non satisfacere voto, si eam det Titio in extrema necessitate constituto, si, cum voverit, nil aliud expressit; siquidem intentio voventis est interpretanda fuisse eleemosynam erogare minime præceptam. Contrarium sentit Azor. *p. 1. Institut. Moral. lib. 11. cap. 14. quæst. 1.* in fin. cui me subscriberem, si diceret, voventem &c. satisfecisse suo voto, si quando vovit, intentio ejus fuit eleemosynam elargiri egeno, sivè ad eam elargiendam præcepto astringeretur, sivè ex consilio, ac pietate induceretur. Sic etiam Say. *in Clav. Reg. li. 6. c. 3. num. 22.* 28

Infero duodecimò, Uxori, quæ ex consensu Mariti votum continentiæ emisit, non licere debitum petere, unde si petit, peccat, estò Maritus teneatur ei debitum reddere. Palud. *in 4. dist. 32. quæst. unic. in argum.* contrà secundam opinionem Adrian. Sot. D. Th. & alii plures. 29

Infero decimotertiò, voventem jejunare, ob aliquod bonum licitum obtinendum, omni feria sexta in memoriam Sanctissimæ Passionis Domini Nostri JEsu Christi, teneri se abstinere à carnibus, & jejunare etiam in Natali Domini, tali die occurrente. Favet *cap. fin. de observ. jejun.* & tradit Navar. *de quinque Præc. Eccles. cap. 21. sub. num* 11. Contrarium tenet Diana, *in sum.* verb. *voti obligatio. num* 24. Et hujusmodi votum plurimum Deo placere, pari ratione, sequens factum manifeste demonstrat. Rudolphus Imperator Rex non nisi sexta feria, quæ dies est Veneris Passioni Christi dicata, cum hoste bellum agebat, ob summam venerationem, quam Sanctæ Cruci profitebatur. Itaque votum fecit, si victoria potiretur, se se in honorem S. Crucis novum fundaturum, atque extructurum Cænobium; & ideò ordinatis Copiis cùm Suevis, Stiriis, Carinthiis, Hungaris, Cumanis, hostes aggreditur, in fugam eos vertit, gloriosè vincit. Rex victoriâ potitus votum solvit, ac in Tulna Austriæ Oppido Cœnobium Monialium, quod hodiè extat, extrui in honorem S. Crucis fecit; donatitsque, ac censibus illud dotavit, anno 1280. Cusp. de *Cæsarib. Rom. in Rudolph.* 30

Infero decimoquartò, ad obtinendam in bello justo de hostibus Victoriam, multum valere vota, quæ ob talem finem fiunt Deo, qui Dominus est Exercituum. *Isa. cap. 6.* Ideoque Israel victus ab Arad contrà se pugnante, cum voto se postea Domino obligaverit, cum vicit, ac triumphavit, *Num. cap. 21.* 31

Infero decimoquintò, etiam ad sanitatem adipiscendam, impensè juvare vota ad Deum, qui Medicus noster, & nostra Medicina est; quod probat factum Heliodori, qui volens ærarium spoliare, & deposita de Templo auferre, fuit 32

fuit virtute divinâ graviter percussus: Dein per orationem Uniæ sanitati restitutus, hostiâ DEO oblatâ, & votis magnis promissis, repedavit ad Regem 2. *Machab cap. 3.*

33 Infero decimo sextò, multùm valere ad deprimendos rebelles vota, quæ ob hunc finem DEO fiunt. " Hoc lacrymis testantur Bulgari "rebellantes, qui Græciam nimis exasperaverunt: Nam Basilius Imperator, (qui ob pietatem, & ob res bellicas præclarè gestas, esset inter summos Christianos Principes numerandus, nisi seductus à Photio, pro eodem in Romanam Ecclesiam insurrexisset) " Super eos nimis irritatus, voto se obligavit Domino, Monachum fieri, si Græcis eos subderet, & per "annos quindecim cum hoste super eos laborans, ad ultimum Regibus eorum prostratis, "Samuele, & Aaron, omnem terram eorum "obtinuit, & fortissimas Civitates confregit, &c. "Populumque Bulgarorum maxima ex parte in "Græciam captivavit, & sicut voto promiserat, "habitum Monasticum græcâ figurâ indutus, in "reliquum est omni vitæ suæ tempore à concubitu, & carnibus abstinens, & imperiali schemate extrinsecùs circumdabatur. Hæc Baron. ex *Curopalate, in Annal. tom. 10 sub Anno Christi 886. §. de eodem Basilio*, pag. mihi 609.

34 Infero decimo septimò, multùm valere apud DEUM vota, quæ pro adipiscenda de hostibus victoria emittuntur; potissimum verò ea, quæ hæreseos eradicationem, Christianæque Fidei augmentum respiciunt. Hoc habemus ex facto Henrici Romanorum Regis, qui Militibus Franciam, Alsatiam, Alemanniam, Saxoniamque depopulantibus, vovens DEO pro adipiscenda victoria, se hæresim simoniacam de Regno suo eradicaturum, eos usque ad internecionem penè delevit. Sigibert *in Chron.*

IX. DIFFICULTAS.

Miles Alchymicus detulit ad Turcas, pacem cum Christianis habentes, secretum conficiendi ex argento vivo aurum, & argentum. Dubitatur, num inciderit in Canonem septimum Bulla Cœna.

1 Notandum primò, hanc vocem, *Alchimia*, diversimodè à scriptoribus considerari; Arabicam esse volunt Viri eruditi; græcam censent alii: Nos vero ex Arabico *Al*, & Græco χυμὸς, quod idem est ac *fundo*, compositam putamus.

2 Notandum secundò, Alchymiam esse artem conficiendi aurum, vel argentum ex alio metallo; seu esse pirotechniam, sive igniariam artem resolutoriam, & purificatoriam metallorum, quæ ut Chymiæ species quædam est, sic etiam aurifactoria, sive chrysopeja species quædam est alchymiæ, quæ in extrahendo, sive separando, & in congregando, sive coagulando ex aliis metallis auro tota occupatur.

Notandum tertiò, non esse certum, à quo 3 suam traxerit originem Alchymia. Ægyptios fuisse hujus artis inventores, eamque accepisse à Mizraimo Chami filio, & ab illis Arabes & alios, volunt plurimi. Hoc nomen fuisse Romanis notum, antequàm ulli noti Philosophi, vel Docti inter Arabes fuissent, habetur ex Julio Firmico latino Scriptore, *lib. 3. in Luna decretis*, qui tempore vixit Constantini Magni

Notandum quartò, nostram difficultatem 4 supponere saltem probabiliter posse ab alchymica Arte suum finem obtineri, & alia in aurum verum igne transmutari, ut optimè probant Timon, *lib. 3. meteor. quæst ult.* Anton. Mirandulanus, *de singula. certam. lib* 10. Marcell. Palingen. Cardan. Lacin. & alii, quos producit, & sequitur And. Libavius, *syntaxi 2. lib. 1. singular.* Martin. Delrio, *Disquisit. Mag. lib. 1. cap. 5. quæst. 1. sect. 3.* Quod negant Tosta, *in Exod. cap. 7. quæst* 10. Ægyd. Roman *Quodlib. 4. quæst. 8.* Averr. *lib. 1. de generat.* & alii, sententiam pariter explodentes asserentium, posse per Artem alchymicam aurum produci, non quidem verum, sed quasi verum.

Notandum quintò, communem esse sententiam juris Interpretum, Artem alchymicam per se licitam esse, nec ullo jure prohiberi, imò & inter artes metallarias à jure civili recipi, Oldrad, Joan. And. Abb. & aliorum, quos recensel, & sequitur Delrio, loc. cit. *quæst. 4.* ubi explicat duos Canones, nempè *C. Episcopi, causa 26. quæst. 5. C. spondent, in Extravag. commun. lib. 5. de crim. falsi*, qui videntur obstare. 5

Notandum sextò, in gratiam Curiosorum 6 argentum vivum, quod Aristoteles relatus à Cabejo, *tom. 3. in lib. meteorolog. lib 4. Tex. 26. quæst. 2.* dicit esse corpus, quod non concrescit, & esse ex prædominio aqueum, à Chymicis inter metalla numerari, asserentibus esse metallum apertum, & dissolutum ex natura sua, imò esse matrem, & materiam omnium metallorum, vocarique à Philosophis mercurium; quemadmodùm cætera metalla jam communi, & recepto modo loquendi, nominibus planetarum appellantur: Sic aurum vocatur Sol, argentum Luna, stannum Jupiter, plumbum Saturnus, æs Venus, ferrum Mars.

His adnotatis; ad difficultatem propositam, 7 an Miles Alchymicus, qui detulit ad Turcas, pacem cum Christianis habentes, secretum conficiendi ex argento vivo aurum, & argentum, inciderit in Canonem septimum Bullæ Cœnæ, negativè videtur respondendum; Nam si Ars alchymica in isto Canone prohiberetur, sub illis verbis *Omnique alia metallorum genera* comprehenderetur; Certum est autem sub illis verbis minimè specialiter comprehendi: Ars enim conficiendi metallum, non est formaliter metallum; atque adeò vi hujus Canonis specialiter deferri non prohibetur. Deindè sumus in pœnalibus, in quibus stricta sumenda est interpretatio, juxta Text. *in l. quædam, ff. de Liber. & posthum. & cap. Odya, de reg. jur. in 6.* undè non est facienda extensio de casu ad casum, etiam ex identitate, vel majoritate rationis, præsertim existente tempore pacis.

8. Ve-

8 Veſtras tamen eſt, Alchymiſtam, qui de-[illegible]t tempore pacis ad Turcas ſecretum conficiendi ex argento vivo, aut ex alio met[illegible]llo au-r[illegible]m, vel argentum, in ſeptimum Canonem Bu[illegible]l. Cœnæ incidiſſe, Nobis favent Abb. *in cap. Quod olim, de Judæ num. 1.* Sylv. *v. Excommunicatio 7, num. 62. & 64.* Alter. *in Bull Cœn. lib. 5. cap. 3. diſp. 8.* Filiuc. Suar. & alii, quos producit, & ſequitur Leand, *de Bull. Cœn. Tract. 3. diſp. 7. quæſt.* 10.

9 Moveor primò juribus, *in l Cum quid, ff. ſi cert. pet.* ubi habetur, taciti, & expreſſi eamdem eſſe virtutem, ſaltem in multis eventibus, ut explicant Juris Interpretes: Et *l. 1. Cod quæ ſit long. conſuet.* ubi dicitur, quòd ratio legis plus debet attendi, quàm lex ipſa, ſeu legis verba: unde lex nuncupatur quidquid in ratione conſiſtit, ut *in cap. Conſuetudo, 1. diſt.* Idem enim eſt ratio, & mens legis, ut docet Bar. *in l. mulier, ff. ſolu. matrim* cauſativè nempe, cum cauſa finalis ſit anima legis, ita aſſerente Bal. *l. ſi quis ſervo, Cod. de furt* adeoque verba legis quantumcumque generalia ſint, intelligenda ſunt juxta limites ſuæ rationis. Et *l. Non aliter, ff. de lega. 3.* ubi habetur. quòd à verbis recedimus, quando apparet de mente diſponentis.

10 Moveor ſecundò rationibus: nam vi Canonis deferre metallum ad Turcas eſt formaliter, & indiſtinctè prohibitum: ita etiam deferre ad illos ſecretum alchymiæ, propter quod ſit metallum. Vallet enim maxima Ariſt. 1. *Poſter. cap 2.* communiter accepta *Propter quod eſt unumquodque illud magis eſt.* Tum quia per hoc ſecretum auxilium Turcis præſtatur, quod eſt contrà Canonem, expreſſe prohibentem, quodcumque auxilium Turcis indiſtinctè præſtari. Poſtremò Turcæ, eſto actu non ſint illo uſuri in Chriſtianorum damnum, poſſunt tamen poſteà illo uti.

11 Moveor tertio exemplo à pari: primò in Deferentibus ad Chriſtianorum hoſtes venam ferri, qui ſecundùm ſenſum communem Theologorum, & Canoniſtarum, & ut fuit à nobis ſupra probatum, in hujus Canonis excommunicationem incidunt, licet appellatione ferri non veniat vena ferri: vena enim ferri eſt tantùm in potentia, & virtualiter ferrum. Secundò in Anglis, qui, teſte Delrio, loc. cit. *quæſt. 4.* circa finem, per legem ſpecialem, & quidem optimam, pœnâ capitis mulctantur, ſi absque Principis permiſſu alchymicam exerceant, & ſucceſſivè illam Nationis hoſtes doceant exercere. Quomodò ergò punitioni Eccleſiaſticæ non erunt obnoxii deferentes ad Turcas alchymyam; in illorum favorem eam exercentes; cùm Eccleſia per ſuam legem ſpecialem id prohibeat ad Turcas indiſtinctè deferri, per quod Chriſtiani poſſunt impugnari? Tale quippe eſt ſecretum alchymiæ, quod quamvis non ſit formaliter aurum, argentum, aut aliud metallum, ex eo nihilominus, ut notavimus, aurum, vel argentum conficitur, per quod Turcæ ad bellandum contrà Chriſtianam Rempublicam poſſunt potentiores evadere.

12 Concludimus igitur, Militem Alchymicum deferentem tempore pacis ad Turcas ſecretum conficiendi ex argento vivo, aut ex alio metallo aurum, vel argentum, excommunicatione Canonis ſeptimi Bull Cœn. ligari; præſertim ſi prævidet ex traditione talis ſecreti damnum Chriſtianis aliquo tempore ſecuturum.

Ad rationes in contrarium reſpondemus: 13
ad primam, patet reſponſio ex primo, & ſecundo motu: ratio enim legis, ſeu mens Legislatoris fuit prohibere totum id, per quod Chriſtiani poſſunt impugnari, ad hoſtes eorum deferri. Præterquamquod Vival. hic, *num* 10. non indoctè probat ſecretum comprehendi ſub illis verbis: *Omniaque alia metallorum genera;* cum ſecretum ſit eminenter metallum; unde prohibito vi Canonis metallo, prohiberi inquit eminenter ſecretum.

Ad ſecundam, reſpondet Dec. *in l. Factum* 14
cuiq. ſuum, §. in pœnalibus, de reg. jur. Menoch. *de arbitr. jud. lib. 2. cent. 4 caſ. 301. n.* 18. ubi allegat Cravet. & alios, regulam illam procedere, quando non redderetur eluſoria legis diſpoſitio; at ſecùs, ſi è contrà: in caſu autem noſtro, ſi ſtrictè ſumeretur interpretatio, eluſoria ſine dubio diſpoſitio legis evaderet, additâ præcipue habituali Turcarum cum Chriſtianis inimicitia, ut conſideranti patet.

Infero primò à fortiori ex dictis, incurrere 15
excommunicationem Bullæ Cœnæ tranſmittentem ad Turcas tempore belli ſecretum alchymiæ; tunc enim Turcæ ſunt Chriſtianorum actualiter hoſtes, & per tale ſecretum evadunt potentiores ad illos impugnandum, eosque impugnant.

Infero ſecundò, non evadere dictam ex- 16
communicationem, qui edocet Turcas eam Chymiæ ſpeciem, quæ Chryſopæja, ſive aurifactoria nuncupatur, qua ex aſperſis aurei pulveris ramentis aurum multiplicatur, vel ex non auro aurum producitur; quamvis non per omnia propter varias fraudes, etiam dæmonis, quæ intercurrunt, probetur ab omnibus.

Infero tertiò, incidere in hunc Canonem, 17
qui ad Turcas, aliosque Chriſtianorum hoſtes mitteret, vel epiſtolas, quibus admonerentur in tali loco abſconditum eſſe theſaurum; vel ſcriptum, quo demonſtraretur ex tali materia fieri, aut ignes incendiarios, aut æs, aliaque metalla; his enim Turcæ, aliique Infideles fieri potentiores, audacioreſque ad bellandum contrà Fideles evadunt. Diocletianus Imperator in Ægypto ad cædes maximas illuſtres viros damnavit, proptereaquòd res novas moliti eſſent; eodemque tempore Veterum ſcripta de fuſione argenti, atque auri conquiſita combuſſit, ne ex illa arte ditati Ægyptii, & pecuniæ freti copiis, in poſterum rebellarent. Teſte Suida *in Diocletiano.*

Infero quartò, artem alchymiæ ex ſui na- 18
tura non ſpectare ad magiam diabolicam, ut aliqui opinati ſunt; quia multarum rerum cauſæ naturales nos latent, ut alibi oſtenſum eſt: & hæc poteſt eſſe de illarum numero, ut probat Delrio loc. cit.

Infero quintò, Alchymiſtas, quamvis In- 19
genio in ſua arte utantur, non eſſe propriè dicendos Philoſuphos, ſed merè mechanicos; quia metalla, ignem, aquam, terram, aliasque

quę res manu pertractant, tempus, & carbones absumunt, unde fuliginosi apparent.

20 Infero sextò, artem alchymicam, quatenus ars est, & scientias imitatur, secundùm se esse bonam; & aliquando, imo sæpè esse malam ratione circumstantiarum, quæ ut plurimùm in hujus artis exercitio reperiuntur; & præcipuè quatuor sunt, videlicet Finis, si est lucrum indebitum, & avaritia: Modus, si vanus, sordidus, & inquinatus: Tempus, si nimium consumatur contrà exigentiam, aut charitatis, aut justitiæ, &c. Personarum conditio, si hæ sint pauperes, infirmæ, &c.

21 Infero septimò, immunes non esse à culpa gravi exercentes hanc artem, si propter hujusmodi exercitium depauperantur, familiæ necessaria non præbent; sunt enim causa in tali casu, ut uxores, & filiæ maledictiones proferant, & cogantur indigno se quæstu sustinere.

22 Infero octavò, non esse tutos in conscientia, qui in hujus artis exercitatione, sulâ vanâ ducuntur curiositate Animus enim deditus vanitatibus, atque inaniis falsis, exponit se decipiendum diabolo; & hoc esse omnis superstitionis initium, docet D. August. *lib. 2. de doctr. Christ. cap. 22. & 23.*

23 Infero nonò, ob hanc artem exercendam minime licere Magistratum gerenti detrahere horis, quæ ad rectè munus exercendum sunt necessariæ: nec Ecclesiastico eas præponere fornaculis, quas ratio Ordinis postulat postponi.

24 Infero decimo, licitum esse vendere argentum, vel aurum alchymicum, seu ab Alchymicis factum, si sit verum aurum & approbatum à Peritis, ut tale. D. Th. 2. 2. *quæst. 77. art. 2. ad 1.* ibi Cajet. Secùs verò, si non habeat veram speciem auri, vel argenti: posse tamen in tali casu vendi pro auro alchymico, & juxta æstimationem peritorum Aurifabrorum, tenent communiter Doctores; cùm hac tamen limitatione, dummodò non vendatur, ut in medicamentis quis eo utatur; nam in tali casu dicunt esse illicitam hujusmodi auri venditionem, ita & nos sentimus.

X. DIFFICULTAS.

Milites Gregarii injustè invadunt, & deprædantur Hostium Urbem: Dubitatur, num teneantur in solidum ad restitutionem omnium nocumentorum.

1 NOtandum primò, hoc nomen *gregarius*, esse adjectivum, & derivare vulgariter à grege: unde Gregarios milites dici, non electos, sed tumultuariè undecumque collectos, tradunt Salust. Cicer. *pro Plan.*

2 Notandum secundò, Milites Gregarios sæpè ad facinora magna esse paratos cum periculo vitæ; & ideò ad magnos honores non tarò pervenire: unde multi, memores syllanæ victoriæ, quòd ex gregariis militibus alios Senatores videbant, alios ita divites, ut regio victu, atque cultu vitam agerent, Colum. *lib. 6. in præfat. 1.* Gregarii milites facti sunt.

Notandum tertiò, hunc terminum, in solidum, secundùm Juristas, & Canonistas, significare totum; & ideò restitutionem in solidum esse restitutionem totius, seu obligationem ad totum, & non ad partem tantum, etiamsi plures sint, qui teneantur. Ita etiam notat, quamvis non ita distinctè Fill. *tom. 2. Tract. 32. de injust. & rest. cap. 3. num. 45.* 3

Notandum quartò, hanc esse regulam ad causam efficacem nocumentorum agnoscendam nempe; quando posito aliquo, sequitur talis effectus, & ablato, vel non sequitur, vel, si sequitur, alio modo sequitur; illud dicitur causa illius effectus: Ex quo enim deficit ille solitus modus ex defectu illius, signum est habuisse influxum in eam rem: si verò eodem prorsus modo sequitur effectus, eo non posito; tunc signum est, non esse causam, quia nihil influit in effectum. Sic Cajet. *in 2. 2. quæst. 62. art. 7.* Sic Navar. *lib. 3. de restit. cap. 4. num 15.* 4

Notandum quintò, omnes cooperationes ad damnificandum fieri novem modis, qui bis versibus continentur. 5

Jussio, consilium, consensus, palpo recursus. Participans, mutus, non obstans, non manifestans.

Et quinque harum esse, quæ semper obligant ad restitutionem, ut admonent communiter DD. & præsertim Doctor Angelicus *2. 2. quæst. 62. art. 7.* in corp. ubi hanc doctrinam clarissimè explicat.

His adnotatis: ad difficultatem propositam, an milites gregarii, qui injustè invadunt, & deprædantur aliquam hostium Urbem, teneantur singuli in solidum ad omnium nocumentorum restitutionem, negativè respondent Navarr. *in manual. cap. 17. num. 21.* Palud. *in 4. dist. 15. quæst. 2. art. 5.* Petrus Lorca, *in 2. 2. D. Tho. sect. 3. disp. 35. num. 5.* Intrigliol. *in tract. de casib. conscientiæ, cas. 49. num. 2.* Diana, *p. 6. tract. 4. Res.* 31. Sylv. Gabriel, & alii; quorum fundamentum est; quia quando plures milites concurrunt ad damnificandam Urbem, vel ad aliquod aliud damnum dandum, ille concursus sufficiens non est, ut singuli censeantur causa omnium nocumentorum, quæ in bello fiunt; & ideò quilibet non tenetur in solidum. Præterea, si singuli milites tenerentur ad totum, hujusmodi restitutio esset ferè impossibilis; cùm damnum in deprædatione Urbium sit grave; & milites sint pauperes, aut saltem insufficientes. Facilis igitur esset reparatio damnorum, si quilibet pro rata restituere teneretur. 6

Verùm sententiæ oppositæ, quæ mibi videtur probabilior, libenter adhæreo, & dico teneri in solidum singulos, qui ad actum causam dederunt, si totus actus ab ipsis, quamquàm non solis, processit; nisi quilibet eorum, qui damno illato cooperati sunt, vellet pro rata sua facere restitutionem. Less. *lib. 2. cap. 13. dub. 5.* Cajet. *in 2. 2 quæst. 62. art. 7.* Turrect. *in cap. Sir es, causa 14. quæst. 6. num. 33.* Filliuc. 7

tom.

tom. 1. cap. 32. cap. 3. num. 43. & cap. 4. num. 8. & alii plures.

8 Moveor primò juribus, *in l. vulgaris*, §. *Si duo, ff. de furtis*, *l. si plures*, *ff. de vi, & vi armat.* ubi habetur, quòd si plures rem furari fuerint, quorum aliquibus non furaturis, cæteri nihilominùs furtum commisissent, quemlibet eorum in solidum teneri ad restitutionem. Quid autem est hostium Urbem injustè invadere, & deprædari, nisi furtum committere?

9 Moveor secundò rationibus: Nam qui est causa totius damni, tenetur damnum totum restituere: Atqui milites Gregarii injustè invadentes, & deprædantes Urbem, sunt causa totius damni; quia probabiliter præsumitur, quod absque tali cooperatione damnum illud non eveniret: Siquidem ex dictis militibus unus sine alio illam invadere non auderet. Tum quia, tota Urbis damnificatio oritur à tota violentia, quæ singulis tribuitur, cùm quilibet illam efficiat; quilibet enim juvat alterum, & facit alterum audaciorem, & fortiorem, à quo tota oritur vis, seu violentia; ideoque singuli restituere tenentur in solidum, seu ad totum damnum.

10 Moveor tertiò exemplo, seu potiùs praxi Christianorum, piorumque Principum, qui, cognitâ injustitia belli, quod à Principio justum putabant, solent damnum, si quod milites sui exercitûs Adversariis dedere, restituere; nec non & illud, quod privati sui exercitûs milites dedere, his deficientibus, resarcire: Aut numeratâ pecuniâ, aut in dotem, si eorum filias in matrimonium duxerunt, nihil petendo, aut Arces, Provinciasque, quas jure belli, vel justo alio titulo possidebant, remittendo; hoc non paucis testantibus historiis, quas brevitatis gratiâ libenter omittimus.

11 Concludimus igitur, in prædatione injusta alicujus Urbis, & in quovis damno injustè illato, ad restitutionem teneri primo loco eos, qui imperio, aut alio modo aliquem impulerunt ad factum; his deficientibus, facinoris patratores, & post eos, cæteros; in solidum singulos, qui ad actum causam dederunt, si totus actus ab ipsis, quamvis non solis, processit; & eos, qui de actu tenentur, pariter teneri de his, quæ ex illo actu vi sunt consecuta.

12 Ad rationes in contrarium respondemus: ad primam, nempè concursum illorum militum non esse sufficientem, ut singuli censeantur causa omnium nocumentorum; hoc negando, ut patet ex nostro rationum motu.

13 Ad secundam, videlicet restitutionem fieri ferè impossibilem, cùm sint milites insufficientes, & damnum gravè, si tenerentur in solidum; respondetur, nostram conclusionem procedere, seu locum habere in casu possibilitatis, cùm ad impossibile nemo teneatur. Præterquam quòd, hujusmodi ratio nimis probaret; probaret enim, fures nullatenùs esse à Theologis ad restitutionem damnandos; cùm qui furatur, sæpè reddatur impotens, non solùm ad totum, sed etiam ad partem restituendum.

14 Infero primò ex dictis, Authores belli, nempè Reges, & Principes, nec non Consiliarios, teneri damnum injustè illatum integrè restituere, & quemlibet eorum, altero omittente.

Infero secundò, Duces, Tribunos, Capitaneos, cæterosque Officiales teneri ad restituendum ea damna, quæ eorum imperio sui milites injustè dederunt. 15

Infero tertiò, quando plures milites in transitu per Provincias amicas, vel inimicas, vel in alio exercitûs discursu se se uniunt, & se adjuvant ad aliquam prædam injustè capiendam, vel aliud damnum inferendum, quemlibet teneri in solidum; cùm quilibet sit quasi causa totalis; & quicunque cooperatur ad damnificandum tenetur restituere totum illud damnum, ad cujus totalitatem est cooperatus. 16

Infero quartò, cooperantes ad idem damnum individuum, puta ad idem palatium evertendum, ad eamdem Ecclesiam incendendam, & similia, teneri omnes in solidum; Si verò inferant damnum distinctum, ad partem tantùm illius, quod intulêre, teneri: Sylv. *v. restit. 3. quæst. 6.* Navar. *in manual. cap. 17. num. 22.* Less. *dub. 4.* & alii. 17

Infero quintò, Ducem supremum exercitûs teneri ad totum damnum, si quod dedit exercitus, cùm sit causa totius damni; quia vel direxit in illum locum milites, vel tenebatur eos ex suo munere impedire. D. Thom. *2. 2. quæst. 62. art. 7.* in corp. 18

Infero sextò, eos omnes teneri ad restitutionem totius, qui eodem tempore, & de communi consilio, & consensu devastant hortum, rapiendo fructus; aut vineam, racemos uvæ surripiendo, quamvis singuli modicum quid accipiant; quia singuli cooperantur ad totalitatem illius damni: Si verò quilibet per se damnum daret, quemlibet teneri pro rata sua. 19

Infero septimò, non esse improbabilem sententiam asserentem, quòd quando quinque occidunt aliquem, quem tamen quatuor ex iis æquè benè occidissent, omnes tenentur ad restituenda damna; undè dicunt, quintum non esse liberum à restitutione, quia non licet non fuerit causa sinè qua non, fuit tamen causa cum qua; quæ sufficit ad obligandum. 20

Infero octavò, quando plures in damno illato cooperati sunt, & quilibet vult pro rata sua restituere, quilibet liberatur solvendo partem suam, ab onere restituendi totum. 21

Infero nonò, quando tota restitutio fit ab uno illorum, qui cooperati sunt in damno illato, teneri quemlibet illi pro parte sua restitutionem facere. 22

Infero decimò, Principali restituente totum, alios restituere minimè teneri. Turrecrem. loc. cit. 23

Infero undecimò, passo damnum nihil esse à cooperantibus restituendum, quando ab uno eorum sufficienter est satisfactum. 24

Infero decimo tertiò, non licere in utroque foro solidum solventi, si fuerit causa efficiens, movensque efficientes, seu criminis princeps, partem à sociis participibus criminis repetere; quia, cùm sit tota causa damni, non est pars damni ab aliis restituenda. 25

26 Infero decimo quartò, teneri Confessarios, quando sunt ex officio, habentes curam Animarum, ut Episcopi, Parochi, ad restitutionem, quando ad restituendum non obligant pœnitentes, vel non monent, quando tenentur: Secùs verò, eos, qui non sunt ex officio, ut Regulares, licet peccent, ad restitutionem suos non obligantes citra fraudem, & malitiam, pœnitentes. Filliuc. *tract.* 32. *de just. cap.* 4. *num.* 79 ubi asserit esse probabile, neque teneri restituere Confessarios habentes curam Animarum, si non cogant, vel moneant pœnitentem ad restituendum; Quod etiam fatetur Lessius, *dub.* 10. Cùm eorum obligatio respiciat solùm spiritualia pœnitentium, non verò aliorum temporalia, quæ ratio nobis non placet.

27 Infero decimo quintò, ad restitutionem nos teneri, non solùm ratione rei alienæ, quam accipimus, sed etiam ratione injuriosæ acceptionis; & ideò quicunque est causa injustæ acceptionis, tenetur ad restitutionem: Quod quidem contingit dupliciter, directè scilicet, & indirectè. Directè quidem, quando inducimus aliquem ad accipiendum, præcipiendo, consulendo, consentiendo expressè, aut laudando, vel auxilium præbendo; aut ex parte rei acceptæ participando de furto, vel de rapina. Indirectè verò, quando non impedimus, dùm possumus, & debemus impedire; vel quia subtrahimus præceptum, sive consilium impediens furtum, vel rapinam; vel quia subtrahimus nostrum auxilium, quo possemus obsistere. Hæc D. Thom. 2. 2. *qu.* 62. *art.* 7. in corp.

XI. DIFFICULTAS.

An Milites stationarii, seu deputati pro excubiis, vulgò Sentinelle, *excusentur ab auditione Missæ die festo.*

1 NOtandum primò, omnes Christianos, cùm ad usum rationis pervenerint, quando Ecclesia jubet eos confiteri, teneri ex præcepto Ecclesiastico sub reatu peccati mortalis servare Festa, etiam seposito scandalo, & contemptu. Propositio contraria, quæ est 52. in ordine, fuit à Sancta Mem. Innoc. XI. damnata; & successivè teneri sub eodem reatu peccati mortalis, dummodò non sint excommunicati, vel legitimè impediti, die Dominico integram Missam audire, per Text. *in cap. Missas, de Consec. Dist.* 1. & notatur *in Cap. ut Dominicis, extrà, de parroch. & in Decr. Quanta cura, Sess.* 22. Concil. Trid. Et hoc præceptum extendi ad quemlibet diem festum ex præcepto, Text. est *in d. cap. Missas de consecr. Dist.* 1. Concil. Matisconen. 2. *C.* 4. Concil. Agatheu. *C.* 47. Concil. Cojacens. *C.* 6. Concil. Colon. II. *p.* 7. *C.* 24. Concil. Mediolan. I. *p.* 2. *tit. quæ pertinent ad celebr. Miss.*

2 Notandum secundò, præceptum audiendi Missam certis diebus festivis, ab Ecclesia determinatis, dari, & est certum de fide; & temporibus Apostolorum fuisse Fidelibus impositum, ut habetur *in cap. Omnes fideles, de consecr. Dist.* 1. *in cap. Conquestus, de feriis.* Et licet sit præceptum Ecclesiæ, fundari tamen in jure divino, & naturali, ut certis diebus publicè vacent Fideles, & gregatim divino cultui, *ex tot. tit. de feriis* notat Molfesius, *in summ. p.* 1. *tract.* 3. *cap* 17. *n.* 2 a.

Notandum tertiò, Fideles satisfacere huic 3
præcepto audiendi Missam die Festo, in quacumque Ecclesia illam audiant; & hoc de communi consuetudine, & est Tex. *in cap. ut Dominicis, de Paroch.* quamvis antiquo jure Missa esset audienda in propria Parochia; ut est Tex. *id d. cap. ut Dominicis.* Ad quod hortatur etiam Synodus Tridentina, *Sess.* 22. *in d Decr. Quanta cura.*

Notandum quartò, excusari à mortali illum, 4
qui omittit partem levem Missæ, quæ nunc judicatur omissio ejusdem, vel ab initio usque ad Epistolam exclusivè, secundùm nos; vel usque ad Evangelium exclusivè, secundùm Bonac. *tom.* 1. *d.* 4. *de Missæ sacrum. quæst. ult. p.* 1 1. *num.* 16. & secundùm alios, parum quidem probabiliter, etiam inclusivè: Fagund. *in Præcep. Eccles. lib.* 2. *cap* 6. *num.* 7. dummodò audiatur in eadem Missa ultimum Evangelium S Joannis, quorum opinio nobis minimè placet.

Notandum quintò, ad audiendam Missam re- 5
quiri præsentiam moralem, & humanam, quæ sufficienter exhibetur humano modo, vel audiendo, vel videndo Celebrantem, vel saltem ita sociando alios videntes, aut audientes, ut ex signis, & gestis Missæ aliqua colligi possint. Thom. Tamb. *in Decal. lib.* 3. *cap.* 2. §. 1. *num.* 1 a. Requiri pariter attentionem internam, hoc est internam applicationem mentis ad Missam, sive ad verba, sive ad verborum sensum, sive ad DEUM, tradunt Vasq. Sanchez, Suarez, & alii, quos citat Diana, *p.* 1. *de hor. Canon. Res.* 2. & alibi.

Notandum sextò, subjectionem, & obedien- 6
tiam rationabilem excusare ab audienda Missa: Quæ regula admittitur à Doctoribus, quos citat, & sequitur Pasqualigus, *tom.* 2. *de sacrif. novæ legis: quæst.* 1337. *n.* 1.

Notandum septimò, subire peccatum de- 7
sertoris illum, qui ab executione, sive veriùs excubatione Præsidis, vel cujusvis Præpositi desistit, ut habetur *in l.* 3. *Cod. ubi causa fisc.* nam & qui excubias palatii deseruerit, capite punitur, *l. qui excubias, ff. de re militar,* tradit Laudens. *in tract. de princip. q.* 182.

His adnotatis; ad difficultatem propositam, 8
an milites stationarii, seu deputati pro excubiis vulgò *Sentinelle*, excusentur ab auditione Missæ die Festo, respondemus absque hæsitatione, & controversia affirmativè, si ubi degunt, non celebretur, ita ut remanendo in statione, seu in excubiis, audire non possint. Sylv. *v. Missa* 2. *num.* 2. Graff. *p.* 1. *decis. lib* 2. *cap.* 36. *num.* 5. Villalob. *p* 1. *summ. tract.* 8. *Diffic.* 36. *num.* 7. Suarez, *disp.* 88. *de Euchar. sect.* 6. §. *Quintum caput*: Azor. *Instit. Moral p.* 1. *lib.* 7. *cap.* 7. *quæst.* 1. Præpos. 3. *p. quæst.* 83. *art.* 6. *dub.* 6. & alii innumeri, quos citat, & sequitur Pasqualigus, *tom.* 2. *de sacrif. novæ legis, quæst.* 1336. *num.* 4.

Moveor primò tot juribus, ubi habetur, 9
legem non obligare, quando absque notabili damno

damno observari non potest, cum non supponatur in tali casu adesse in Legislatore intentionem obligandi. Milites verò excubias deserendo, delictum committunt capite plectendum, ut notavimus; Et ideò excubias non tenentur deserere, ut legem Missæ audiendæ adimpleant, cum pati possint tam notabile damnum.

10 Moveor secundò rationibus: Nam Ecclesia præcipiens audire Missam, & Festa observare, non supponitur velle ita rigorosè nos obligare, ut ob eorum observationem debeamus mortem subire, ut omnes concedunt; & ideò milites excusantur, dum sunt in excubiis, ab audienda Missa, si ubi degunt non celebretur; cùm excubias deserendo possint incurrere pœnam à jure Desertoribus impositam, quæ est mors. Tum etiam, quia Milites stationarii, seu manentes in excubiis, non sunt sui juris; sed tenentur ratione officii excubias agere, aut in statione permanere; cùm ita exigat militaris disciplina; atque adeò censentur habere legitimum impedimentum non accedendi ad Missam audiendam.

11 Moveor tertiò exemplo, seu potiùs consuetudine, & praxi Ecclesiæ notâ, & toleratâ. Scimus enim, milites stationarios, & ad excubias deputatos Missam tali tempore non audire, & à peccato ab omnibus Theologis excusari; cùm revera Missam die Festo non audire, vel metu mortis, vel ob aliam rationabilem causam, nullum sit peccatum.

12 Concludimus igitur, dictos milites non peccare, ne quidem venialiter, die festo Missam non audiendo; sed & Duces debere, quando non adest suspicio hostium, dimittere successivè milites stationarios ad audiendam Missam, quando erunt in loco, ubi plures Missæ celebrentur. Ita Pasq. loc. cit.

13 Infero primò ex dictis, milites sive stationarios, sive non, si festum accidat in die Parasceves, non teneri audire Missam, quod dicitur de omnibus Fidelibus; Et est communis opinio, ut sentit Molsesius, *in summ. p. 1. tract. 3. cap. 17. num. 41.* quamvis aliqui teneant contrariam, asserentes nos teneri, si possumus, audire Missam illam in una specie, & quantum possumus satisfacere, & satis esse, ut nos conformemur usui, ac praxi Ecclesiæ: Quæ opinio videtur tutior.

14 Infero secundò, milites stationarios non teneri audire Missam diebus Jovis, & Sabbati Sancti, si in illos dies incidat dies festus, quibus alios Fideles non impeditos arbitror teneri audire Sacrum, ut satisfaciant præcepto. Sic etiam Molsesius, loc. cit. & alii communiter apud ipsum.

15 Infero tertiò, milites præsidiarios, existentes in loco, in quo non celebratur Missa; ut quando custodiunt fortalitium, in quo degunt soli milites, excusari ab audienda Missa, quamdiù ibi manent; cùm præceptum de auditione Missæ non obliget, nisi eos, qui habent commoditatem Missam audiendi.

16 Infero quartò, milites, qui custodiunt Castrum, portas Civitatis, Palatium Principis vel alium locum, ad illum deputatos à Duce, non teneri die festo audire Missam. Sic pariter sentit Castropalaus, *par. 4. oper. Moral. tract. 22. disput. unic. punct. ult. num 6.*

Infero quintò, milites, custodientes Fortalitium, vel ad aliud munus valdè necessarium deputatos, si diebus festivis non habeant commoditatem audiendi Missam, non teneri dimittere officium. Leander, *in Præcept. Eccles. tract. 2. disp. 1. quæst. 51.* quia præceptum obligat quidem ad audiendam Missam, non verò ad dimittendum proprium officium aliunde necessarium, ut possit audiri Missa; cùm sola dimissio officii necessarii de se absque alio annexo, incommodum grave sit. 17

Infero sextò obiter, excusari ab audienda Missa iter facientes, si audiendo Missam socios amitterent necessarios, aut propter pericula, aut ignorantiam viæ; Item longè distantes ab Ecclesia, pluviis diuturnis, & magnis, vel copiosis nivibus decidentibus, ita ut sine magno detrimento Ecclesiam adire non possint. Navar. Azor, Suarez, Scottia Reginald, quos citat, & sequitur Molf. loc. cit. *n. 61.* 18

Infero septimò, excusari ab audienda Missa die festo illum, qui propter metum probabilem inimicorum, non potest accedere ad Ecclesiam: Quia præcepta Ecclesiæ non obligant cum tanto detrimento. 19

Infero octavò, excusari ab audienda Missa Custodes Carcerum, & Vinearum; nisi habeant personam convenientem, cui hujusmodi cura committi possit. Item pastores ovium, aliorumque Custodes animalium; nec non aliorum bonorum Custodes, nisi tamen vicina esset Ecclesia, & inter se possent convenire, ut nunc unus, nunc alter audiret Sacrum. Cajet. 2. 2. *quæst. 122. art. 4.* Navar. Scottia, Leander, *p. 3. quæst. 52.* & alii. 20

Infero nonò, Agasones, cæterosque vectores excusari ab audienda Missa, quando ratione sui officii impediuntur; ita ut si Missam audirent, in proprio officio notabiliter deficerent; ut si non possent ea die pervenire ad locum destinatum, vel bestiæ onustæ graviter paterentur ex onere, si diu sisterent; vel nullus adesset, qui eas custodiret. Cajet, loc. cit. *& in sum. v. Festum.* Henriq. *lib. 9. summ. cap. 25. num. 10.* Layman, Ledesma, & alii innumeri. 21

Infero decimò, Cursores, vulgò *Postiglioni, ò quelli, che corrono alla posta*, excusari ab audienda Missa die festo, præcipuè si ex mora imminetet aliquod damnum; cùm enim officium cursoris requirat celeritatem in itinere, non videtur permittere cursorem morari pro audienda Missa. Bonac *disp. 4 de sacram. quæst. ult. punct. ult. n. 6.* Castropalaus loc cit. Trullench, *lib. 3. in decal. cap. 1. dub 7. n. 6* Suarez, Henriq. & alii. 22

Infero undecimò, excusari ab audienda Missa die festo liberos, si ita præcipiant parentes; uxorem, si ita præcipiat maritus; servos, si ita præcipiat herus: Et sic de aliis, qui Superioribus non possunt resistere; dummodò pateat id sibi ipsos præcipere ex aliqua justa, & rationabili causa, & non in contemptum Fidei, vel Ecclesiæ; quia in tali casu non tenerentur Superioribus obedire, ut habetur in Tex. *causa 11. quæst. 3. Cap. Si quis Episcopus*, & potiùs mortem sustinere deberent. *Cap Sacris, de his, quæ vi, metusvè causâ fiunt*, & notat Molsesius loc. cit. *num. 64.* 23

24 Infero duodecimò, Dominos non peccare, dùm ita occupant famulos in suis servitiis, ut non relinquatur eis commoditas audiendi Missam, si hujusmodi servitia sunt omnino necessaria, ita ut non possint in aliud tempus differri. Sotus, *in 4. dist. 13. quæst. 2. art. 1.* in fine, Graff loc. cit. Palaus, loc. cit. Suarez, Caspens. & alii. Secùs verò, si servitia non sunt necessaria, vel possunt in aliud tempus differri, vel sine causa rationabili id faciant. Sanchez, *lib. 1. sum. cap. 18.* & alii plures.

25 Infero decimotertiò, excusari ab auditione Missæ matrem, & quamvis aliam personam deputatam ad custodiendas puellas, si non possit eas secum ad audiendam Missam ex aliqua justa, & rationabili causa conducere, & quòd immineat aliquod periculum, si solas domi relinquat; nec adsit persona substituenda pro custodia, nec puellæ claudi possint: quia concurrit debitum officii custodiendi puellas cum præcepto Ecclesiæ audiendæ Missæ, cui illud debet prævalere, cum obliget de jure naturali. Sotus, Suarez, Sylv. Fagundez, Trullench, Henriq. & plures alii, quos citat, & sequitur Pasq. loc. cit. *quæst. 1338. num. 1.*

26 Infero decimoquartò, excusari ab audienda Missa molitores, quando necessarium est molere, & coguntur assistere; Consiliarios, qui gravia negotia tractant, quæ non permittunt dilationem in aliud tempus, nec similiter, quod interrumpatur tractatio. Sylv. *v. missa 2. num. 1.* Henriq. *lib. 9. summ. cap. 25. num. 10.* & alii citati Auctores.

27 Infero decimoquinto, non satisfacere Præcepto Ecclesiæ de audienda in die Festo Missa eum, qui duas ejus partes, imò plures simul à diversis Celebrantibus audit. Contraria doctrina, quæ est propositio 53. in ordine, fuit ab Innoc. XI. damnata.

XII. DIFFICULTAS.

An milites, qui nullibi certam habent habitationis sedem, legibus & consuetudinibus Locorum obligentur, in quibus reperiuntur.

1 Notandum primò, legem dici, vel à ligando, ut docet D. Th. 1. 2. *quæst.* 40. *art.* 1. cum leges idcircò fiant, ut serventur, & non servantes legem peccent, & puniantur: vel à legendo; nam scribi debet, ut legatur, uti vult Isidorus, & habetur, *in cap. jus generale, & in cap. Lex, dist.* 1. & traduut alii asserentes, hanc expositionem non convenire legi divinæ, ac naturali; cùm sit lex non scripta, scripta tantùm in cordibus nostris per lumen naturale, quo nobis innotescit.

2 Notandum secundò, legem sumi variis modis; primò pro regula præscribente artis præcepta, & modum operandi, *l. inter Artifices, ff. de solution.* Secundò, pro pacto, sivè conditione apposita in contractibus, *l. in conventionalibus, ff. de verb. oblig. l. legem, Cod. de pactis, l. veteribus, ff. eod. tit.* Tertiò, pro superioris præcepto: Quarto, pro lege morum qua actus humani regulantur, ut videre est apud Molf. *in summ. p. 1. tract. 9. de leg. cap. 1.* & apud alios Canonistas, & Juristas.

Notandum tertio, duplicem esse legem; divinam, scilicet, quæ à Deo emanat; & humanam, quæ ab humana potestate dependet, & quam homines sibi fecerunt; & est, vel jus gentium, quod gentes sibi fecerunt, vel jus civile, quod unaquæque Civitas sibi constituit, vel jus Canonicum à Summis Pontificibus mediate, vel immediatè derivatum. 3

Notandum quartò, consuetudinem, secundum Isidorum, esse jus quoddam moribus institutum; & secundùm Host. *in sum. in tit. de consue.* esse usum rationalem, tempore competenti firmatum, nullo actu contrario, vel contradictorio judicio interruptum: quod approbat Turrecrem. *in cap. Consuetudo, dist. 1. §. Ad primum, num.* 2. Quid sit consuetudo; quot actus sufficiant ad eam inducendam; quomodò consuetudo probetur, vide Card. Alban. *in Lucubrat. in Bart. in l. de quibus, ff. de legib. num. 5. 9. & 13.* 4

Notandum quintò, ad constituendam, firmandam, roborandam consuetudinem, sufficere tempus decem annorum, & est *Tex punctualis, in cap. Mos est, dist.* 1. ubi dicitur, „Mos est longa consuetudo de moribus tantum-„modo tracta. Longa autem consuetudo est, „quæ observantia decem annorum roboratur, ut patet, *Cod. quæ sit longa consue. l. 1. & ff. de leg. l. sed ea:* ex quo patet, non esse universaliter verum, ad firmandam consuetudinem, ita longum tempus requiri, ut de contrario non extet memoria, per illud, *ff. de aqua plu. arc. l. 1. § Si tamen, & ff. de aqua quoti, & asti. l. hoc, jure, §. Ductus aqua, & extra de verb. sig. cap. Superquibusdam, § Præterea.* 5

Notandum sextò, triplicem esse consuetudinem; primam dici contra legem, & consistit in actibus frequentatis contrà legem, & vim habet abrogandi legem, si concurrant debitæ conditiones; Secundam dici præter legem, & consistit in frequentatione actuum, qui nulla lege probibentur; Tertiam dici secundùm legem, & est illa, quæ declarat, seu interpretatur; legem, vel consistit in frequentatione actuum per legem præceptorum: per quam consuetudinem dicitur lex confirmari. Ita docent Panorm. *in cap. fin. de consue.* Azot. *Instit. Moral. p. 1. lib. 5. cap. 17. quæst.* 2. Molf. *in summ. p. 1. tract. 9. cap.* 11. *num.* 24. & alii plures. 6

Notandum septimò, milites, alicubi certum domicilium non habentes, enumerari inter vagabundos, seu vagos, qui nullibi, nec domicilium, nec habitationem habentes, per mundum vagantur, vel iter faciunt, quærentes ubi se collocent; ut est Tex. *in l. ejus*, la seconda, *§. Celsus, ff. ad municip. &* ibi Gloss. in verb. *domicilii*, Gloss. *in cap. 2. de sepul. in 6.* in verb. *domicilia*, & alii, quos refert, & sequitur doctissimus noster Duardus, *in Bullam Cœn. lib. 12. in Can. 10. quæst. 11. sub. num. 8. &* Intrigliol. *tract. de Casib. conf. cent. 1. cas 88. num.* 24. Et quis sit vagabundus, vide etiam Bart.

Bart. *in l. 4. §. Prætor. ff de dam. infect. & in l. 1. Cod. ubi de crim. agi oport. & in l. quisquis, Cod. de agricol. & censit. l. 11.* & novissimè eruditissimum Episc. Vetul. *ad Statuta Faventia, tom. 1. rubr. 56. lib. 4. num. 6.* ubi adducit Romaguer. & Ricciull.

8 His adnotatis ; ad difficultatem propositam, an milites, qui nullibi certam habent habitationis sedem, legibus, & consuetudinibus locorum obligentur, in quibus morantur, negativè respondet Pasqualigus, *tom. 2. de sac. doctrina, disp. 57. sect. 10. num. 62.* ibi asserens, commorantes majori anni parte in aliquo loco absque animo contrahendi domicilium, non teneri legibus loci ; & totum fundamentum ejus est, quia per quamcumque moram diuturnam in aliquo loco non contrahitur domicilium, *l. quæsitum, de leg. 3. & l. pen. ff. de senat. & l. nec. ipsi, C. de incol. lib. 10. & cap. Romana, de foro compet. & cap. His, qui de sepult. in 6.* & ideò neque contrahitur obligatio legis localis.

9 Contrariæ tamen sententiæ, quam arbitror veriorem, libenter adhæreo cum Innoc. Hostien & aliis *in cap. A nobis 1. de sent. excom* Felin. *in cap. Quod Clerici init. de foro compet* Sanchez, *lib. 3. de Matrim. disp. 18. num. 19. & in summ. lib. 1. cap. 12. num. 23.* Less. *lib. 4. de just. & jur. cap. 2. dub. 7. num. 27.* Suarez, *lib. 3. de leg. cap. 3. num. 3.* ubi alios refert. Salas, *de leg. disp. 14. sect. 4. num. 37.* & aliis, quos citat, & sequitur noster Molfesius, *in sua sum. p. 1. tract. 9. cap. 8. num. 34.* & mordicus tenet. *in Comment. ad consuet. Neapol. p. 2. de personis. quæst. 1. num. 11.*

10 Moveor primò juribus, ex Text. *in cap. Illud, in cap. Illa, 12. dist.* ubi apparet, consuetudinis loci esse servandas, præcipue ad evitandum scandalum, ut explicat Gloss. *in d. cap. Illa.*

11 Moveor secundò rationibus ; nam hujusmodi milites, cùm nullum peculiare domicilium habeant, sortiuntur illud quoad omnia in loco, in quo reperiuntur : ideò sicut habentes domicilium in aliquo loco, obligantur legibus, & consuetudinibus illius loci, ita & nostri milites. Tùm quia, si hujusmodi milites locorum, in quibus reperiuntur, legibus, & consuetudinibus non obligarentur, exempti essent ab omnibus statutis, & legibus municipalibus, aut etiam Decretis Episcoporum quod adversari ipsorum saluti, & rectæ gubernationi videtur, ut alibi fuit à nobis clarè demonstratum.

12 Moveor tertiò exemplo, in D. Ambrosio, qui scribens S. Augustino, quærenti ab illo, an ejus mater teneretur Mediolani jejunare die Sabbati, cùm ibi Ecclesia non jejunaret ; respondit, Cùm sum Romæ, Sabbatum jejuno, cùm sum Mediolani, non jejuno, & tu Augustine ad quamcumque Ecclesiam veneris, „ ejus morem serva, ne scandalum generetur „ alicui propter te. Ita refert Gloss. *in d. cap. Illa.*

13 Concludimus igitur, milites in aliquo loco nullum habentes domicilium, teneri servare leges, & consuetudines legitimè introductas locorum, ubi degunt, & per quæ transeunt ; & consequenter ibi jejunare, abstinere à carnibus, audire Missam ; & sic de aliis, quæ obligant Cives, & Incolas locorum.

Ad rationem oppositam respondemus negando, per quamcumque moram in aliquo loco non contrahi domicilium ; cum vagi ubicunque reperiuntur etiam obiter, domicilium acquirant, ut plures fatentur. Neque obstant jura ibi allegata, cum debeant intelligi de habentibus alibi domicilium. Præterquamquòd, nos dicimus, nostris inhærendo principiis, per longam moram saltem majoris anni partis acquiri, aut domicilium, aut quasi domicilium, quando abest animus perpetuò ibi habitandi, quod sufficiens est ad obligationem legis, & consuetudinis localis, ut alibi ostensum est. 14

Infero primo ex dictis, peccare mortaliter milites, vagos, advenas, peregrinos, alios: que non habentes domicilium, si occultè violent leges, aut consuetudines locorum, ubi obiter reperiuntur, puta, si vetitos ibi cibos manducent. Ita pariter ex recepta, & vera sententia docet, & probat Azot. *p. 1. instit moral. lib. 7. cap. 10. quæst. 4* 15

Infero secundò, obligari legibus, & consuetudinibus locorum, ubi reperiuntur, eos, qui pristinum domicilium deserentes, navigant, aut iter faciunt, quærentes ubi sedem collocent ; cùm dicantur vagi. 16

Infero tertiò, Advenas posse Mediolani vesci carnibus in primis quatuor diebus Quadragesimæ, ubi ex antiquo, & recepto usu eduntur, nec cœpit jejunium quadragesimale ; quamvis in suo territorio jus commune abstinendi ab iis, & jejunandi vigeat. Ita etiam Sanchez, loc. cit. *num. 30.* 17

Infero quartò, Civem Mediolanensem, qui Mediolani primis quatuor diebus proximè antecedentibus primam Quadragesimæ Dominicam non jejunat, teneri jejunare, à carnibus, & lacticiniis se abstinere, si tunc temporis se transferat Taurinum, aut ad alium locum, in quo juxta jus commune jejunatur ; cum leges à jure communi latæ obligent omnes, exceptis his locis, in quibus receptæ non sunt, aut in quibus sunt contrariâ consuetudine abrogatæ. Ita docent etiam Suarez, *tom. 1. de Relig. lib. 2. cap. 14. num. 27. & 28.* Henriq. Navar. & alii, quos citat, & sequitur Bonac. *tract. de legib. disp. 1. quæst. 1. p. 4. num. 55.* Contrarium tenent plures relati ab eod. Bonac. 18

Infero quintò, licere cuivis recedere à proprio domicilio, in quo ex voto, vel præcepto Episcopi Festum servatur, & ire ad locum, ubi dies festiva non est, ut servilia exerceat: dummodò votum, aut præceptum non prohibeat exitum à loco, in quo obligat ; nec extrà illum astringat etiam illius loci incolas. Sayr. *in sua Clavi Regia, lib. 7. cap. 3. num. 11.* ubi limitat, dummodo priùs missam audierit, citans pro se Navar. Lopez, & alios. 19

Infero sextò, habitantem ex æquo in duplici Parochia, & sic utriusque Parochianum, si in illis sunt diversæ consuetudines, teneri consuetudinibus, ac legibus patere Parochiæ, in qua præsens est pro eo præsentiæ tempore, quo ibi habitat, Leonardus, *lib. 4. de just. cap. 2. dub. 7. n. 48.* 20

Secùs verò, quando tempore, quo in illa habitat, venitet in alteram tanquàm hospes ad breve tempus.

21 Infero septimò, abeuntem manè à domicilio, in quo jejunatur, certumque illa die se perventurum ad locum, ubi non jejunatur, posse manè jentaculum sumere, at nequire carnibus vesci, donec sit in loco, ubi carnes manducantur. Leonardus, *lib. 4. de iust. cap. 2. dub. 8. n. 57.*

22 Infero octavò, Cives non teneri legibus, & consuetudinibus proprii domicilii, quando ab eo absunt, nec ubi reperiuntur illæ obligant; & desumitur ex *cap. Romana de sent. excomm & cap. ut Animarum, §. Statuto, de constit in 6.* Et ita tenent Gloss *in d. cap. Romana*, Abb. *in cap. A nobis, de sent. excomm.* Ancharan. *in l. fin. ff. de iurisdictio. omnium iudi.* Castren ibi, Bald. ibi Suarez, *disp. 5. de censur. sect. 4. & 5.* Sanchez, *lib. 3 de Matrim. disp. 28. num. 19.* & alii. Et sic Lusitani, qui jure communi se abstinent die Sabbati ab animalium intestinis, transeuntes per Castellam, in qua jus commune est abolitum, possunt tali die illis vesci. Contrarium tenent Sylv. *v. ieiunium, q. 2.* Palud. *in 4. dist. 15. art. 3.* & alii.

23 Infero nonò obiter, vagos, nullam habentes certam sedem, posse pro delicto ubique locorum conveniri, & puniri. Gloss. Bart. & omnes *in l. 1. Cod. ubi de crimin. agi opor. & omnes in l. hæres absens, §. 1. de iud.* post Gloss. & sequitur Alex. *cons. 166.* Cardinal Albanus, *in Lucubrat. in Bart. in d. l. 1. Cod. ubi de crimin. agi oport.* & alii plures, quos refert, & sequitur Tiber. Decian. *tract. crimin. lib. 4. cap. 13. n. 5.* & est communis conclusio.

24 Infero decimò incidenter, Vassallum, qui tenetur suo Domino inservire, ab hujusmodi onere liberari, quando Dominus incipit per Orbem terrarum vagari. Ita colligit Nicol. de Neap. *ex l, quod nisi, ff. de oper. libert.*

25 Infero undecimò, Creditore vagabundo, non teneri debitorem illum invenire, ut solvat, quamvis alioquin ad hujusmodi solutionem teneatur. Idem Nicol. de Neap. *in l. item illa, ff. de const. pecun.*

26 Infero duodecimò, vagabundos non habere jus eligendi, neque ad electionem esse vocandos. Petrus à Blasio, *in tract. nuncupato Directorium electionum, cap. 29. prima partis*, ubi dicit, vagabundum esse privandum beneficio simplici, quod non exigit residentiam; & tradit pariter, ubi, & quomodo vagabundus citari debeat.

27 Infero decimo tertiò, non recedere à probabilitate opinionem Specu. *in tit. de locato, §. Nunc aliqua, vers. 164.* asserentis, Emphyteutam, qui cœpit per mundum vagari, ipsa emphyteosi posse privari, præcipuè cùm eumdem sensum demonstret Bald. *in Authen. si quas ruinas, Cod. de Sacrosanct. Eccles.* & hisce Doctoribus favet Text. *in l. libera peculii administratio, ff. de pecul.* ubi libera peculii administratio servo concessa intelligitur revocata, si servus vagari cœperit.

28 Infero decimoquartò, esse bene fundatam Abb. & Innoc. doctrinam, *in cap. ex tua, de Clericis non resid.* quòd scilicet non valet consuetudo, ut quis possit vagari; neque Prælati licentia excusat, quin Clericus propter delictum vagationis privari debeat beneficio. Quod etiam approbat Card. Albanus, loc. cit. *num. 3 & 4.* ubi alia scitu digna circa vagabundos eruditè refert.

Infero decimo quintò, usum, mores, consuetudinem, stylum, & præscriptionem inter se se differre. Quæ verò sit differentia, seu in quibus differant, vide Molf *in summ. p. 1. tract. 9. cap. 11 num. 14. & seqq* Alex. *in cons 28. col. 3. & in cons. 26. in 2 vol. in cons 39.* in fin. *in 3. vol. in cons. 103. col. fin.* 29

XIII. DIFFICULTAS.

An liceat fidelibus Militibus invitare milites infideles, quibus in eodem hospitio conviuunt, ad actus eorum lege prohibitos, seu eorum secta repugnantes, tametsi paratos illis abuti.

NOtandum primò, appellatione Infidelium hic venire Gentiles, Judæos, Turcas, omnesque Hæreticos. 1

Notandum secundò, opus dici indifferens, quod benè, vel malè facere possumus, licet sciamus alterum malè facturum ut optimè probat Trullen. *in exposit. Decal. lib. 1. cap. 6. dub. 5. quæst. 3. & 4.* 2

Notandum tertiò, nos cooperari peccato alterius, & sic peccare, quando illum inducimus ad id, quod est ex se malum; vel quando aliquid, licet sit ex se indifferens, facimus eâ intentione, ut alter peccet, aut absque justa, & sufficienti causa, quam alios credimus abusuros ad peccatum. Trullen. loc. citat. 3

Notandum quartò, scandalum, secundùm aliquos, esse vocem græcam; & idem significare, quod offendiculum, seu impedimentum, & ruina, & sumitur, *in cap. Prudentiam, de off. delegat. & in cap. Accusatus, de hæret. in 6.* & secundùm alios, esse vocem hebraicam, & latinè idem esse quod cadere, aut ruere; estque duplex, activum scil. & passivum: Activum est, quando quis facit, aut dicit aliquid, volens alterum movere ad peccandum; aut, licet hoc non velit, actio tamen ex sui natura hoc facit. Passivum verò, quod dividitur in scandalum Pusillorum, vel infirmorum, & scandalum Pharisæorum, est, cùm quis ex alterius dictis, vel factis sumit occasionem peccandi, seu esse ipsum peccatum, in quod labitur proximus ex occasione alterius dicti, vel facti, D. Thom 2.2. *quæst. 43. art. 1.* Et ita communiter DD. 4

Notandum quintò, Infideles habere rectam rationem, secundùm quam possunt moraliter benè operari, quamvis non meritoriè; cùm non sint in statu gratiæ, utporè fide carentes. Molfes. *in summ. par. 1. tract. 11. cap. 2. num. 19.* 5

6. No-

6 Notandum sextò, Infidelem, puta Idololatram peccare, si aliquid agat contrà Idolum, quod credit Deum verè esse. Ita D. August. *tom. 10. serm. 28. cap. 12. de verbis B. Jacobi*, ubi de jurante per falsos Deos, inquit „Perjurum esse, si falsum jurat. Prorsus perjurus „es, quia per id, quod sanctum putas, falsum juras, *Epist. 154. tom. 2.* dicit bis peccare eum, qui per Deos falsos, falsum jurat, ut supra explicavimus.

7 Notandum septimò, quod licet Infideles dicantur in peccato manere, quousque manent in infidelitate; non tamen in omni actu Infideles peccare, quæ fuit Propositio 25 Michaëlis Bay inter cœteras à Summis Pontificibus, B. Pio V. Gregorio XIII. Urbano VIII. damnata. Non omnem actum Infidelium esse peccatum, determinatum est etiam in Trid. *Sess. 6 cap. 7.* & explicat Molfes. loc. cit. ubi asserit, omnes illos actus Infidelium esse peccaminosos, qui ad cultum Idololatriæ referuntur.

8 His adnotatis, ad difficultatem propositam, quam adhuc à nemine in terminis agitatam reperi, an liceat Fidelibus militibus invitare milites Infideles, quibus in eodem hospitio convivunt, ad actus eorum sectæ repugnantes, tametsi paratos illis abuti, affirmativè videtur respondendum ex pluribus Auctoribus, qui asserunt, nobis licere, justâ interveniente causa, petere ab usurario mutuum, quod scimus non concedendum absque usuris. Et ex Sanchez, *lib. 1. sum. cap 7. num. 9. 11. 34* Suarez, *de charit. disp. 10. sect. 4. num 4.* Less. Bonac. & aliis sustinentibus, ministrantem res indifferentes non peccare. Nam, stante justâ causâ, cuilibet fas est, invitare amicum ad actum ex sui natura indifferentem, quem amicus benè, ac malè exercere potest, quamvis sciat ab eo malè exercendum: Præbere enim alteri proximam peccandi materiam ex se indifferentem, si non intendatur ejus peccatum, sed aliud spectetur, non est directè ad malum cooperari: tunc enim adest cooperatio ad malum, quando quis ministrat res, aut intrinsecè malas, aut indifferentes, sed illis abusuro, eâ intentione, ut alter suam pravam voluntatem exequatur; quod non supponitur in casu nostro. Præterea, scimus plures Martyres incitasse Carnifices, ut sibi tormenta duriora inferrent, quod summoperè commendat Ecclesia universalis, quæ tamen licitè inferre non poterant; quia illis non licebat sententiæ à Judice prelatæ limites præterire. Præterea, validum est argumentum, sivè exemplum ab identitate rationis, juxta *l. illud*, in princ. *ff. ad leg. Aquil. & l. à Titio*, in princ. *ff. de verb. oblig.* Atqui Jacob accepit juramentum à Laban, qui tamen juravit ei per falsos Deos, Gen. *cap. 31.* & Judas petiit juramentum à Romanis, quia petiit ab eisdem fœdus; & nihilominùs sciebat, quòd juralsent per Deos falsos, *2. Machab. cap 8* & tamen Sacra Scriptura, nec Jacob, nec Judam de hoc reprehendit, ut observat Turrecrem. *cap. Movet, causa 22 quæst. 1. §. Ad tertium* Præterea, Infideles possunt cogi per Principem, cujus sunt subditi, ad audiendum Evangelium, ut de more coguntur Hebræi hic Romæ, & in Terris, & Locis ubi degunt, & hoc quidem, ex vi Bullæ 92. Gregorii XIII. Incip *Sancta Mater Ecclesia*; quod videtur eorum legi repugnare.

Hisce omnibus rationum, ac jurium fundamentis, quæ invalida minimè videbantur, perpensis, jam paratus eram huic opinioni adhærere, Re tamen sedulius considerata, lectaque nonnullorum Theologorum percepto, præsertim P. Annibalis Adami è Societate JEsu erudita Librorum utilium editione præclari; P. Joannis Baptistæ Gianinii ejusdem Societatis, Moralis Theologiæ in Collegio Romano Lectoris, Sac. Indicis Congreg. Consultoris, quos super hanc materiam consului, contrarium visum est probabilius, & totius & successivè sustinendum. 9

Moveor primò ex Sacra Scriptura, *in cap 1. ad Rom. num. 32.* „Non intellexerunt, quo„niam qui talia agunt, digni sunt morte, & non „solùm, qui ea faciunt, sed etiam qui consen„tiunt facientibus: *& in cap. 5. num. 21. Thess. 1.* „Ab omni specie mala abstinete vos. Inducere verò ad malum, seu ad id, quod alterius legi repugnat, species est mala: ergò &c. 10

Moveor secundò juribus, *in cap Diffinimus, causa 18. quæst. 2.* ubi reprobatur tanquàm malum id, quod scandalum, & offendiculum proximo efficitur: *& in cap. Aliquantos, 51. dist.* ubi dicitur, esse omittendum quidquid scandalum parit. Facit Text. *in cap. Cavendum. causa 10. quæst. 3.* ubi apertè dicitur quòd graviter peccat, qui proximum scandalizat Favet quoque Tex. clarus, *in l. quod ait lex, ff ad leg. jul. de adult.* ubi damnatur actio designans consensum in malum. 11

Moveor tertiò rationibus; nam ex motu primo, & secundo constat graviter, vel leviter, juxtà qualitatem materiæ, peccare consentientem peccanti atque adeò si milites Fideles, invitantes milites Infideles ad actum eorum lege prohibitum, illi transgressioni consentiunt, à culpa, aut gravi, aut levi excusari non possunt. Præterquamquòd, potest esse, quòd Infideles Christi Domini Legem probabiliter, seu invincibiliter ignorent, ut notant Cajet. *2. 2 quæst 1. art. 4.* Victor. *Relect. 5. de Indi. num. 14.* & tunc tenentur præcepta eorum Sectæ observare, & illa minimè observantes peccare, communis est Doctorum sensus; & successivè peccare illum, qui ad hujusmodi præceptorum transgressionem alios inducit, negare potest nemo. 12

Moveor quartò exemplo à pari, adducto à D. Thom. *2 2. quæst. 169. art. 2 ad quartum*, in Artifice qui faciendo opera suæ artis, quibus homines uti non possunt absque peccato, peccat, utpote præbens directè aliis occasionem peccandi; puta, si quis fabricaret Idola, vel aliqua ad cultum Idololatriæ pertinentia. Peccare autem Infideles, præsertim Sanctissimam JEsu Christi legem probabiliter ignorantes, faciendo actus eorum lege prohibitos, certum est apud omnes: & ideò pariter peccare ad hujusmodi factionem eos Inducentem, omnes dicere ob paritatem, imò identitatem rationis, tenentur. 13

Concludimus igitur, non licere Fidelibus militibus invitare milites Infideles, quibus in eodem hospitio convivunt, ad actus eorum lege prohibitos, seu eorum Sectæ repugnantes, tametsi paratos illis abuti. 14

15. Ad

15 Ad opposita respondemus: ad primum, distinguendo antecedens: si actus sit indifferens ex sui natura, nec aliundè prohibitus, concedimus, & est doctrina communiter recepta. Secùs verò, nempè si actus est indifferens, sed aliquâ lege prohibitus. Loqui enim cum Monialibus, aut aliis intra Clausuram degentibus, est actus indifferens: At quia accedere ad colloquendum etiam per quodcunque modicum tempus cum Monialibus interdicitur post multas Summorum Pontificum sanctiones, speciali Decreto, edito 11. Maij, anno 1669 à Clemente IX. approbato, Regularibus, sub pœna excommunicationis, & privationis vocis activæ, & passivæ: qui Regulares ad colloquendum cum Monialibus, absque legitima licentia, induceret, absque dubio peccaret; & ideò etiam peccat inducens Infideles ad actus eorum lege prohibitos, quamvis ex se indifferentes, cùm sit par, imò eadem ratio.

16 Ad secundum, concedendo ant. & neg. conseq. Siquidem Martyres invitando Carnifices, ut sibi duriora tormenta inferrent, suis verbis tantummodo significabant, velle potiùs tormenta pati, quàm Fidem JEsu Christi deserere; & propterea se esse paratos omnes cruciatus sustinere, quos vellent eis inferre.

17 Ad tertium, admittendo libenter argumentum ab identitate rationis, nempè exempla, seu juramentum Laban licitè acceptum à Jacob. juramentum pariter, quod absque culpa petiit Judas à Romanis per falsos Deos præstandum, & alia hujusmodi, quia nobis minimè obstant: nam Lex Laban, & Romanorum non prohibebat illis per eorum Deos, justâ existente causa, jurare; quemadmodùm nos Fideles non prohibemur per nostram Legem jurare per JEsum Christum, dummodò sit causa justa, & rationabilis, & consequenter actio, quâ inducuntur Infideles ad jurandum verum per Deos falsos, rationabili causa existente, non censetur illicita, cùm nullatenùs supponat in hujusmodi jurantibus conscientiam erroneam. Ex quo clarè constat, adducta juramenta non facere ad rem; cum nostra difficultas procedat circà inducentem Infideles ad actus eorum Lege prohibitos; & successivè operantes contrà conscientiam erroneam, hujusmodi operationes nolentem.

18 Ad quartum respondetur, posse Principem, imo aliquando teneri: suos subditos cogere ad id, quod in se bonum est, estò ipsis per accidens videtur malum; quodque bonum commune, non tam temporale, quàm spirituale respicit: & ideò rectè se gessisse Summum Pontificem in cogendis suâ speciali Sanctione Hebræis ad audiendum Evangelium. Summus enim Pontifex Vicarius est JEsu Christi, Filii Dei, volentis omnes homines salvos fieri; proptereà necessarium est eis ad salutem credere in Christum, & baptizari. Marc. *cap. ult. vers 16.* „Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus „erit: qui verò non crediderit, condemnabi„tur: sed non possunt credere nisi audiant, *Rom. cap.* 10. *num* 14. „Quomodo credent ei, „quem non audierunt? Quomodo audient „sine prædicante? Ergò Summus Pontifex rectè Hebræos cogit ad audiendum Evangelium,

Infero primò ex dictis, non excusari à culpa suppeditantem rem indifferentem, si sit ita proxime ad peccatum ordinata, ut per se mala sit meritò censenda; quamvis in aliquo casu possit esse licita; esto certò sciat, alium paratum ad peccandum, & inventurum alium, qui materiam suppeditet: puta admovendo scalam, vel humeris sustentando, quando quis vult furari, aut hominem interficere, aut cum fœmina rem habere. Tales enim actiones ita proximè peccato accedunt, & ad illud ordinantur, ut ex se malæ dici meritò queant. Sic etiam Sanchez, *in Decal. p.* 1. *lib* 1. *cap.* 7. *sub num.* 16. Contraria doctrina fuit damnata ab Innocentio XI. & est Propositio 51. in ordine. 19

Infero secundò, non licere Christianis, nullâ rationabili causa existente, invitare Judæos ad opera servilia præstanda in Sabbato, quod est Festum Judæorum. 20

Infero tertiò, nefas esse Fidelibus præcipere Turcis mancipiis carnem Suillam, Mahometi Lege prohibitam, manducare, vinum bibere, quod pariter à falso Propheta eis vetatur. 21

Infero quartò, peccare peccato scandali activi, qui offert occasionem delinquentibus delicti committendi, etiamsi intendat non delictum, sed correctionem delinquentium, puta, si pater, volens deprehendere filium furantem, relinquat clavem in arca. Item Mulier sollicitata, ut liberet se ab insidiis sollicitantis, quem aliter non potest expellere, utatur aliqua æquivocatione, quâ sollicitanti videatur annuere, quamvis in re non annuat. Contrarium tenent Petrus Navar. *lib.* 3. *de restitut. cap.* 4. *p.* 1. *dub. ult. num.* 104 *in* 2. *edit.* Castrapol. *tract.* 6. *de charit disp.* 6 *punct.* 5. *num.* 6. 22

Infero quintò, non posse licitè quæcunque indifferentia vendi, etiam seclusa intentione cooperandi ad malum, puta, agnum Judæo, fucum mulieri, cibos non jejunantibus die jejunii, si absit justa, & proportionata causa, & constet, alterum his rebus abusurum. Sanchez, loc. cit. *num.* 13. 23

Infero sextò, non esse omnimodè immunem à peccato famulum, filium, & alios, qui ratione subjectionis ministrant res indifferentes Dominis, Parentibus, hujusmodi rebus abusuris. Contrarium docent Castropalaus, loc. cit *punct.* 11. *num* 4. Molfes. *in summ. p.* 1. *tract.* 8. *cap.* 11. *numer.* 58. & 60. ubi alios pro se allegat; quorum fundamentum est, quia hujusmodi res reputantur remotæ actioni pravæ, possuntque honestari ex subjectione alteri debita. 24

Infero septimò, virum inducentem mulierem non paratam ad fornicandum, vel fœminam à viro petentem concubitum, teneri hanc circumstantiam inductionis, & petitionis fateri. Trullen. *in Decal. lib.* 1. *cap.* 6. *dub.* 5. *quæst.* 4. ubi citat Palaum. 25

Infero octavò, nullatenus esse peccaminosam inductionem, quando res, vel ministeria essent ex se æquè indifferentia bono, ac malo usui, nullo jure prohibita; atque illa ministrantes ignorarent pravam alterius voluntatem, nec justam mali præsumendi causam haberent. Sanchez, loc. cit. *num.* 3. 26

27. Infero

27 Infero nonò, suppeditantem quantumvis indifferentia eis abusuro, eâ intentione, ut alterius voluntas pravè operetur, ejusdem culpæ participem fore; cùm hoc sit directè ad malum cooperari, puta, si quis fabricaret idola, vel alia ad cultum Idololatriæ spectantia, D. Thom. *2.2. quæst. 169. art. 2. ad quartum*, Sylv. verb. *Infidelitas, quæst. 4.* in fin. Valent, *in 2. 2. disp. 1. quæst. 10. punct. 5.*

28 Infero decimò, graviter peccare parentem Domino præcipienti ea, quæ suaptè natura ad malum ordinantur, puta, in bello injusto pugnare, invitare concubinam, ut rem cum Domino habeat, & similia, quamvis parens non habeat intentionem, ut suus Dominus pravam voluntatem exequatur. Sic etiam Sanchez, loc. cit, *num. 2.*

29 Infero undecimò, peccare graviter Mercatorem vendendo meretrici ornatum aptum ad scandalizandum juvenem innocentem, si conscius sit ejus abusus, cùm hujusmodi abusus in spirituale proximi detrimentum redundet, Bannes, *in 2. 2. q. 77. art. 4. dub. 1.* Navar. *in Manual. ca. 23. num. 90.* Medin. *C. de rest. q. 31. §. Primo igitur*, & alii quorum opinio non placet Sanchez, *in Decal. lib. 1. cap. 7. n. 14.*

30 Infero duodecimò graviter peccare famulos, quos herus mittit ad fœminam insequendam, ut videant, ubi habitet; vel id inquirant; posteàque illum certiorem faciant, si adest ratio amoris turpis suspicandi.

31 Infero decimo tertiò, non posse excusari à culpa Tabernarios, aut Caupones, aliosque vendentes, aut ministrantes cibos in die jejunii illos petentibus ad refectionem, si credant, petentes à jejunio non excusari. *Gab. 4. dist. 16. q. 3. art. 3. dub. 6.* Navar. *in summ. cap. 21. Latin. n. 26. Hispan. n. 24.* Merina, *cap. de jejunio, quæst. de his, per qua Ecclesiasticum jejunium solvitur.* Contrarium tenent Ledesm. *2. p. 4. quæst. 17. art. 6. dub. 3.* Saion. *2. 2. quæst. 77. art. 4. controvers. 6. post. 3. conclus.* & alii.

32 Infero decimo quartò, scandalum activum ex genere suo semper esse peccatum mortale in re gravi, quia adversatur charitati, & reprehenditur in Sacra Scriptura, ut patet præsertim Matth, *cap. 18. vers. 6. & seq.* ubi dicitur, *Va mundo à scandalis*; nam dictio *va* indicat damnationem æternam, ut post S. Anton. & Navar. notat Reginal. *lib. 14. sua praxis, sub num. 25.* Imò Vasq. *in 1. 2. disp. 102. num. 17.* tenet, quòd etiamsi quis præbeat occasionem proximo peccandi venialiter, peccet mortaliter; quod nos, pace tanti Viri, minimè admittimus; cùm non possit esse majus peccatum in inducente, quàm in committente, ut etiam docet Molfes. *in sum. p. 1. tract. 8, cap. 10. num. 42.*

33 Infero decimo quintò incidenter, neminem teneri relinquere opera bona, quæ sunt ad salutem necessaria, ad evitandum aliorum scandalum; cùm hujusmodi omissio esset peccaminosa; & nemo debet peccare, ut alterius peccatum impediat; Sic D. Thom. *2. 2. quæst. 43. art. 7.* communiter receptus, & Tex. est etiam *in cap. 2. de novi oper.* & docet pariter Graff. *p. 1. decis. lib. 2. de scandalo, cap. 68. n. 8.* Secùs verò, si bona opera non essent necessaria ad salutem, neque ex voto, neque ex præcepto quis teneretur illa facere, & periculum scandali semper adesset; & hujusmodi opera possent, vel secretò fieri, vel in aliud tempus differri. Quod etiam docet Molfes, loc. cit. *n. 39.*

XIV. DIFFICULTAS.

Miles furtim subtraxit ab Ecclesiâ Pyxidem, seu Sacrum vas, in quo conservatur Augustissimum Eucharistia Sacramentum, quod tamen tunc in ea non reperiebatur. Dubitatur, quinam Judex possit, & debeat insurgere contrà scelus tàm horrendum, Ecclesiasticus nempè, an Militaris, seu Sæcularis.

Notandum primò, furtum, ut alibi tetigimus, esse contrectationem rei alienæ mobilis, & corporalis fraudulosam, invito Domino, causâ lucrandi rem ipsam, vel usum ejus, vel possessionem veram: Ut per Tex. *in l. 1. ff. de furt. §. ult. Inst. de oblig. quæ ex deli nasc. § furtum*, & tradit Turrecrem. *in cap. Qui saccum, 50. Dist.* 1

Notandum secundò, furtum dividi in occultum, & manifestum. Primum est, cum quo fur non deprehenditur; Secundum verò, quando cum eo deprehenditur fur, antequàm ad locum destinatum pervenerit. Ita explicat Graff. *p. 1. decis. lib. 2. cap. 93. n. 5.* 2

Notandum tertiò, duplex esse Forum, Ecclesiasticum nempè & Sæculare propter diversitatem rerum, de quibus in judicio agitur; & Ecclesiasticum dividi in tres species criminalem, spiritualem, civilem, sive pecuniariam, ut *causa 16. quæst. 1. cap. Frater*, & sæculare in duas species dividi, criminalem, & civilem, ut fuse explicat Turrecrem *in cap. Quod Clericus, caus. 11. quæst. 1.* 3

Notandum quartò, nomine sacrilegii venire, non tantùm indignam tractationem, seu violationem rei sacræ, sive personæ, per fornicationem, stuprum, verberationem; sive Loci Sacri per criminosi extractionem, vel per seminis, aut sanguinis effusionem, aut per Ecclesiasticæ immunitatis violationem. Laym. *Theol. Moral. lib. 4. tract. 4. cap. 2. num. 5.* sed etiam quodcunque furtum sacrilegum, Sic DD. communiter. 4

Notandum quintò, atrox esse crimen sacrilegii, ut explicat Follet. *in practic. crimin. cap. 17. num. 1.* qui *num. 11. & 12.* subdit, præsertim esse crimen exceptum, quando immediatè committitur in Ecclesia, aut Episcopatu; & ante ipsum ita docuit Pet. Greg. Tholos. *syntag. jur. lib. 33. cap. 15. de pœn. veri sacrileg. n. 1.* 5

Notandum sextò, sacrilegium, quod committitur adversùs Sanctissimum Sacramentum, inter omnia esse gravissimum, & probat Tex. *in cap. 1. de Custod. Eucharist. Chrism. & alio. Sacr, & in cap. Nibil, de consecrat. Dist. 2.* 6

Notandum septimò, pœnam sacrilegii esse arbitrariam, juxtà facti, & personarum qualitatem, *l. 4. §. mandatis autem, ff. ad leg. Jul. pecul.* Quidquid dicat Lucas de Penna, *in l. 1. ut dig. ord.* 7

ord. serv. lib. 12. *Cod. tit.* 8. ubi limitat, præterquam si Ecclesiæ fractæ sint manifestè violenter, aut nocte subtracta sint inde dona, aut Sacra vasa; quo in casu asserit ipse, esse pœnam capitalem in Regno Neapolitano.

8 Notandum octavò, quod publicè interest delicta puniri, *l. ita vulneratus, ff. ad l. Aquil. cap. Ut fama, de sent. excomm.* & lex naturalis ita dictat, ut scilicet Mali pœnis coerceantur, quemadmodùm Boni præmiis invitantur. Et Ita etiam humano bono convenit, ut nempe, qui sunt scandalizati de culpa, ædificentur de pœna, ut admonet D. Thom. *in 4. sent. dist. 29. art. 3. quæst. 2.*

9 His adnotatis; ad difficultatem propositam, an contra militem, qui furatus est Pyxidem, seu Sacrum vas, in quo conservatur Augustissimum Eucharistiæ Sacramentum, quod tamen tunc in eo non reperiebatur, possit, & debeat procedere Judex Ecclesiasticus, an verò Militaris, seu Sæcularis, videtur respondendum, ad Judicem Ecclesiasticum hoc privativè spectare; cùm indubitata sit juris conclusio, quod causæ spirituales, seu concernentes Animam, seu fidem, vel Religionem, ad solum Ecclesiasticum Judicem spectant. *cap. 2. de judic. cap. Tuam, de ord. cognit.* Et ita docent Jurisperiti, & Canonistæ, inter quos Barbos. *de offic. & pot. Episc. p. 3. alleg. 107.* Hanc verò esse causam spiritualem, denotat qualitas & furti sacrilegi, quod fuit commissum contrà Dominum Cœli, & Terræ; & furia, qui manu temerariâ contrectando rem Sacram, JESUM Christum continentem, & per accidens in ea non existentem, fundamentum præbet suspicionis de hæresi, seu fidei deficientis, aut saltem infirmæ.

10 Veritas tamen est, tam horrendum, & exercendum milites scelus, contrectationem nempè sacrilegam Sacri vasis Sanctissimum Sacramentum, tunc minimè continentis, posse per utrumque Judicem puniri, Ecclesiasticum scilicet, & militarem, & principaliter per militarem. Abb. & Butrius, *in cap. Cum sit generale, de for. compet. n.16.* Boss. *tit. de sacrilegiis, n. 7.* Soc. *cons.* 219. Pet. Greg. Tholos. *lib. 33. cap. 15. de pæn. veri sacrilegii,* Sperell. *dec. 3. n. 15.* Ricc. *in decis. aur. decis* 27. Dian. *p. 1. tract. 2. de immunit. Eccles. Ref.* 82. & Doctores communiter, *in d. cap. Cum sit generale, de for. compet.*

11 Moveor primò juribus, *in l. Pergit, Cod. de sepul. viola. l. sacrilegii, ff. ad l. Jul. pecu. l. sacrilegi eod. tit.* ubi per Judices graviter puniuntur accipientes Sacrum de Sacro: Et clariùs *in d. cap. Cùm sit generale, de for. compet.* ubi habetur, quòd malefactores Ecclesiarum in utroque Foro possunt conveniri; *Et in l. magisteria* (diximus enim principaliter per Judicem militarem) *Cod. de jurisdict.* ubi habetur, Magisteriæ Potestatis munus esse cognoscendi causam militum, sive civilem, sive criminalem.

12 Moveor secundò rationibus: Nam sacrilegium est mixti fori; prohibetur enim, & punitur lege civili, & Canonica, ut patet ex juribus allegatis: Et delicta, quæ utraque lege puniuntur, sunt mixti fori, ut tradunt omnes *in d. cap. Cum sit generale:* Atque adeò de sacrilegio commisso in furto Sacri vasis potest cognoscere Judex Ecclesiasticus, & magis principaliter Militaris; cùm sit militum proprius Judex, & possit citiùs, & rigorosius tam enormiter delinquentem punire. Tum quia, pœna sacrilegii est arbitraria, ut in septimo Not. demonstratum est; & crimen, quo magis est gravè, eò minorem meretur in Judice, illud puniente, humanitatem. Credibile autem est, cùm hìc minimè agatur de personis Ecclesiasticis, quibus Judices sæculares in exhibenda justitia sæpè in judicio sunt remissi, *d. cap. Cùm sit generale,* Judicem militarem minori humanitate fore puniturum sacrilegium adversùs Sacram Pyxidem commissum, quod est inter omnia gravissimum, ut in 6. Not. probavimus, quàm Judicem Ecclesiasticum, qui humaniùs ex quodam instinctu Ecclesiæ, quæ mater pia est omnium, solet in delicta procedere. Tum etiam, quia miles, furto subtrahens dictam Pyxidem, potest capitali pœnâ puniri, juxtà *l. sacrilegi, ff. ad l. Jul. pecul.* & hanc pœnam imponet solus Judex Laicus, seu Militaris, non Ecclesiasticus, qui directè, & indirectè, præcisâ speciali dispensatione, non est capax sanguinis pœnæ; quemadmodùm Laicus incapax est pœnæ excommunicationis: *Cap. 2. de Jud.*

Moveor tertiò exemplo, in quibusdam à Boerio *dec.* 254. *num. 4.* relatis, qui fuerunt per Judices Laicos ad mortem condemnati, eò quòd vas, seu Custodiam, in qua Corpus Christi Sanctissimum reponebatur custodiendum, acceperint: Quodque confirmat Ægidius Boss. loc. sup. cit. *n.* 6. 13

Concludimus igitur, causam militis, qui furatus est Vas, in quo Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum tunc minimè continebatur, esse mixti Fori, & sic spectare ad Judicem Ecclesiasticum, & Sæcularem, seu Militarem, sed principaliùs ad militarem. Secùs verò, si Hostia, sive una, vel plures Particulæ Consecratæ in Pyxide, furtim sublatâ, continebantur; eamdemque cum eisdem Fur apud se retinuit, vel alio transferre, seu asportare præsumpsit. Adest enim nunc Constitutio Alexandri VIII. Felic. Record. confirmans, & respectivè declarans Constitutionem Innocentii XI. sui Prædecess. aliasque Pontificias Constitutiones, quæ incipit: *Cum aliàs à felic. record.* edita Anno millesimo, sexcentesimo, octuagesimo, undecimo Kal. Januarii, relata in Mantissa ad librum, cui titulus: *Sacro Arsenale,* post Annotationes præclari Doctoris Joannis Pasqualoni, Sanctæ Romanæ, ac Universalis Inquisitionis Fiscalis, pag. mihi 407. quâ Summus Pontifex motu proprio declarat, & vult, ad reprimendam horrendam ejusmodi impietatem, omnimodam cognitionem causarum furti Hostiæ Consecratæ, sive unius, vel plurium Particularum Consecratarum hujusmodi cum Pyxide, vel sine illâ, tanquàm delicti hæresim, vel vehementem hæresis suspicionem continentis, ad Judices Ecclesiasticos, & ad Inquisitores contra hæreticam pravitatem privativè spectare; præcipitque condignis pœnis, & animadversionibus pro facinoris atrocitate delinquentes, seu furantes propriâ malitiâ, vel de alterius ordine, seu mandato, Hostiam, sive unam, vel plures Particulas consecratas, extrà vel intra Pyxidem existentes, puniri, nisi constiterit, non fuisse ad malum finem; 14

& etiam

& etiam pro prima vice Curiæ sæculari tradi, non obstante minori ætate, dummodò vigesimum attingant annum; quibus pœnis Mandantes tam exequtandum scelus committi vult pariter subjacere.

15 Ad rationem in contrarium respondemus, ad Judicem Ecclesiasticum spectare privativè causas, quæ sunt purè, & simpliciter spirituales; quo in sensu sunt jura allegata intelligenda, non verò eas, quæ sunt mixtæ, seu participantes de spirituali, & temporali, saltem criminales, sicut est nostra, ut consideranti patet.

16 Infero primò ex dictis, multùm decipi illos, qui existimant, se minùs delinquere furando res Sacras in Ecclesiis, quàm profanas in domibus privatis: Inter eos fuit quidam fur relatus ab Ægidio Boss. *tit. de sacrilegiis, num. 6.* qui in nostra Civitate Astensi multas Ecclesias spoliaverat furtim calicibus, & aliis ornamentis pretiosis: Captus denique, convictus, & confessus solùm de furtis in Ecclesiis commissis: Interrogatus, cur tot furta contrà Ecclesias commisisset, & non contra privatas personas, respondit: Quia DEUS non eget talibus rebus; ideò existimavi hoc modò minùs delinquere. Propterea ut falsitas ejus opinionis magis pateret, & inspiceretur, super furtis altissimis, cum tota caterva furum, quam habebat, laqueo fuit suspensus. Refert etiam Ric. *in decis. aur. decis. 27. n. 7.*

17 Infero secundò, severiùs esse puniendos sacrilegos, qui impiâ, & detestandâ manu Sacram Eucharistiam contrectaverunt, aut arculam, quâ continetur, tollerent, quàm alios: Anton. *tract. de regim. Eccles. lib. 6. cap 36. num. 4.* undè Pet. Greg. Tholos. *syntag. jur. lib. 33. cap. 15. num. 2.* dicit, se semper fuisse in opinione, tales sacrilegos esse igne vivos comburendos ob sacrilegium, & impietatem: Quæ pœna nimis dura videtur Riccio, asserenti loc cit. *n. 4.* furto subtraheotem dictam Pyxidem esse condemnandum ad triremes per decennium.

18 Infero tertiò, in crimine sacrilegi furti habendam esse rationem rei subtractæ; non scilicet sit Sacra Eucharistia vel Sacramenta alia, an res aliæ; circumstantiarum pariter, temporis, ætatis, sexus, & aliorum, quæ in criminibus puniendis discutiuntur, *l. aut facta, §. 1. ff. de pœn.* ut severiùs, aut clementiùs reus puniatur. Ulpianus, *in l. sacrilegii 6. ff. ad leg. Jul. pecu.*

19 Infero quartò, neque esse parcendum participi istius criminis, & administro; Undè Martianus, *l. hac lege 11. §. 1. ff. eod.* scil. *ad leg. Jul. pecu.* refert, à Severo, & Antonino in Insulam fuisse deportatum clarissimum juvenem, convictum, quòd inventus esset arculam deponere io Templo, ibique hominem includere, qui post clausum Templum de arca exiret, & de Templo multa subtraheret, & se iterum in arculam referret.

20 Infero quintò, meritò jure Pontificio sacrilegum proditori Judæ similem dici, ut intelligat Judex, eamdem pœnam mereri, *Cap. Quid ergo, causa 23. qu. 4.*

21 Infero sextò, sacrilegia non tantùm lege humanâ, Canonicâ nempè, & civili prohiberi, & puniri, sed etiam naturali: Undè scimus à Gentilibus, solo naturæ lumine ductis, sacrilegos, seu furum rerum sacratum invasores pœnâ severiori fuisse affectos. De Philippo Macedone scribit Diod. Sicul. *lib. 16. Biblio. in 6. anno Philippi*, in bello Sacro contrà Phocenses victore, quòd Ducem Phocensium Onomarchum suspendi jussit, alios, ut sacrilegos, demergi fecit: *Et lib 17. in 9. Anno Alexandri*, narrat, quòd Alexander Magnus fecit in Olympicis ludis per Præconem significare omnibus exulantibus reditum in patriam sibi concedi, exceptis sacrilegis, & homicidis; aliasque pœnas sacrilegis imposuisse Senatum Romanum, testatur Livius, *lib. 9. belli 2. punici*; & Domitianum, refert Sueton, *in Domitiano, cap. 8.*

Infero septimò, Judicem Ecclesiasticum posse procedere contra Laicos, quando delicta originariam habent prohibitionem à Canonibus, & non à Legibus. Abb. *in d. cap. Cum sit generale*, in fin. *vers. alia regula est, de for. compet.* puta in fornicatione simplici, quæ à jure civili non punitur, ut constat ex *l. 1. ff de concub.* & alii, quos recenset, & sequitur Antonel. *tract. de regim. Eccles. Episc. tit. de judiciis, cap. 1. lib. 4. num. 2.* 22

Infero octavò, posse Judicem Ecclesiasticum procedere contra Laicos in his, quæ concernunt Animarum salutem, & publicam modestiam, & honestatem; puta, expellere meretrices de Civitate, aut de vicinia. *cap. Novit, de Jud.* & tradunt DD. quos refert Barbos. *de offic. & pot. Episc. p. 3. all. 107.* Et etiam contra Officialem Laicum, seu administratorem alicujus Ecclesiæ, aut Loci pii delinquentem in re Ecclesiæ, quam administrat. Ferr. *qq. moral. p. 1. quæst. 30. num. 21.* 23

Infero nonò, posse puniri à Judice, tum Ecclesiastico, tum sæculari exercentes Astrologiam judiciariam; quia hæc ars prohibetur jure Ecclesiastico, & Civili. *cap. 1. & seq. causa 26. quæst. 5. l. Nemo Aruspicem, Cod. de malef. & mathem.* Constit, Sixti V. incip. *Cæli, & Terra Creator.* 24

Infero decimò incidenter, Archiepiscopum, si delinquat in aliena Diœcesi, posse ab Episcopo illius puniri, dummodò non esset Superior, licet sit major; & tradunt Anchar. *in Clem. 1. de foro comp.* Bald. *in cap. 1. §. ad hæc, de pace jur. firm. & l. si quis servo, ad fin. Cod. de fur.* Archid. & alii Doctores *in cap. 1. causa 3. quæst. 6.* Nec illum liberat à punitione Episcopali Capitulum *cap. Sanè, de off. deleg.* cùm locum habeat in causa delegata tantùm, & non in aliis, ut tradunt Jurisperiti, *in Rubr. ff. de off. ejus*, & Canonistæ, *in Rubr. de off. deleg.* Secùs verò, si Archiepiscopus delinquat in Territorio Episcopi sui suffraganei, cujus statuto nec ligatur. Glos. *in cap. 1. de raptorib.* Feliu. *in cap. Cum inferior, de major. & obed.* 25

Infero undecimò pariter incidenter, Delegatum Apostolicum delinquentem per se agendo; puta si jurisdictione sua abutitur, vel non vult jus reddere, posse super hoc conveniri coram Ordinario Loci; quia non convenitur, ut Delegatus, sed ut criminosus. Et delictum facit eum sortiri forum omni cessante privilegio. *cap. Postulasti de for. compe. & cap. fin.* Ricc. *in sua praxi quotidiana, tom. 1. Res. 431.* Secùs verò, si de- 26

si delinquat non parendo Pontifici, seu non exequendo ipsius mandata; tunc enim cum excedat solum contra Pontificem, ab eo tantum potest puniri: sic tradit inter alios Jo. And. *in cap fin. de rescrip. num. 40.* aut pendente causa coram eo, saltem ut impediretur procedere in causa sibi delegata; cum respectu illius causæ dumtaxat sit major Ordinario, ut per Text. *in cap Studuisti, de off. Legati*, Zabarell *in Clem. 1, de Offic. Ord.* Ricc. loc. cit. *sub. num 1*, Et quod dicitur de Delegato Apostolico, dicendum videtur, servatis servandis, de Delegato Principis, quamvis Pe. de Bel, relat. à Jo. And loc. cit. indistinctè loquatur, asserens, Delegatum Principis, qualitercunque delinquat, esse per Ordinarium, ratione illius delicti, coercendum, & puniendum: alle. Tex. *in Auth. Ut Judices sine quoquo suf. §. damus, col. 2.*

27 Infero duodecimò, Ministros Cameræ Apostolicæ delinquentes, justè potuisse olim per Ordinarium Loci conveniri, & puniri: quod hodie non procedit per Constitut. Greg. XIII. incip. *Capientes 25.* in ordine, edit. 4. Januar. anno 1575. Et Constitut. Urbani VIII. incip. *Aliàs*, 147. in ordine, edit. die 2. Julii, anno 1636. id, ob justas causas, expressè prohibentea, etiam post finitum officium; dummodò inde major delinquendi libertas, & excessus committendi eisdem Cameræ Apostolicæ Ministris non nascatur.

XV. DIFFICULTAS.

Miles sciens Confessarium non Capellanum suæ Cohortis esse in peccato mortali, petit ab eo Sacramentum Pœnitentiæ. Dubitatur, num sit licita hujusmodi petitio.

1 Notandum primò, peccatum, sivè crimen tripliciter posse esse notorium; nempe, vel per sententiam, quæ fertur in convictum; vel per confessionem factam in jure, quod crimen vocatur notorium juris; vel quando non potest peccatum aliquâ tergiversatione celari, nempè quando crimen ita est publicum, ut toti populo pateat; quod vocant notorium facti. Ita communiter DD, & præsertim Turrecrem. *in Cap. Nullus, 32. Dist. num 2. & 7.*

2 Notandum secundò, plures adesse in Exercitu Capellanos, qui sunt Sacerdotes destinati ab Episcopo ad danda militibus Sacramenta. Quælibet enim Cohors habet suos Capellanos, qui cum militibus se gerunt, sicut Parochus cum suis Parochianis.

3 Notandum tertiò, duplicem esse Ministrum Sacramentorum improbum, & iniquum; toleratum unum, & non toleratum alium ab Ecclesia. Toleratus ille est qui licet peccator sit, attamen neque est ab Ecclesia præcisus, neque à Sacramentorum ministerio aliquâ censura suspensus. Non toleratus verò ille est, qui est ab Ecclesia prohibitus, seu suspensus, ac præcisus. Suarez, *in 3. p. D. Th. quæst. 65, vers. in hac re.*

Notandum quartò, Sacerdotem existentem in peccato mortali, peccare mortaliter, si Missam celebrat, si baptizat, si à peccatis absolvit, si ungit infirmum Oleo in articulo mortis; quia conficiendo Sacramenta, & aliis administrando indignè, & irreverenter, nullatenus cum Deo, qui est Dominus, & Author Sacramentorum, nec non cum ipsis Sacramentis, se conformat, sed gravem injuriam Deo, & Sacramentis facit. An verò Eucharistiæ ministratio in peccato mortali sit mortaliter peccaminosa, controvertitur, & probabilior videtur sententia affirmativa. 4

Notandum quintò, nemini licere Sacramenta petere ab eo, qui non potest rite, & valide dare, puta, petere absolvi à Sacerdote jurisdictionem minimè habente extrà casum necessitatis, quia esset inducere ad actum sacrilegii proximum. Præterquamquòd, ipsa susceptio ficti Sacramenti in se est mala, & contra rectam rationem. 5

Notandum sextò, inter tot conditiones quas perfecta confessio requirit, quatuor esse præcipuas; quarum prima est, ut voluntariè fiat cum debito dolore de peccatis commissis. Secunda, ut sit integra de omnibus peccatis, & eorum circumstantiis. Trid. *Sess. 14. cap. 5. Et Ex cap. Omnis utriusq. sexus, de pæn. & remis.* Tertia, ut fiat cum proposito parendi Confessario circa necessaria ad propriam salutem. Quarta, ut fiat cum legitimo Confessario. Circa has conditiones videndus est Doctor Angelicus, *in addit. ad 3. p quæst. 9. art. 4.* Navar. *in Manual. cap. 2.* Vasq. *tom. 4. quæst. 91. art. 1. dub. 1.* Molt. *in sum. p. 1 Tract. 7. cap. 11. num. 20. & seqq.* 6

Notandum septimò, nostram difficultatem procedere in casu, quo miles certò cognoscit, Confessarium esse in mortali, seu quando scit, peccatum Confessarii esse notorium aliquo modo ex primò notatis. Siquidem non existente certitudine morali, semper erit bonum præsumendus; & sic non peccat ab eo Sacramentum Pœnitentiæ petendo. 7

His adnotatis, ad difficultatem propositam; an quando miles, sciens Confessarium non Capellanum suæ Cohortis esse in peccato mortali, si ab eo petat Sacramentum Pœnitentiæ, licita sit hujusmodi petitio; affirmativè videtur respondum; juxtà *cap. Sciscitantibus, causa 15. quæst. 8.* ubi Nicolaus Summus Pontifex Bulgaris quærentibus, an debeant à Sacerdote in adulterio deprehenso, vel tantùm de hoc infamato, communionem recipere, respondit quòd sic. Dein S. Aug. *in lib. de Corpore Christi*, relatus à Turrectem *in d cap. Nullus*, dicit, quòd in ministerio Corporis, & Sanguinis Domini, nihil à bono majus, nihil à malo minus perficitur Sacerdote; Secundò dicit, „Nec in homine bono, nec in homine malo aliquis Sacramenta fugiat; & ratio videtur esse, quia Sacerdotes mali vera conficiunt Sacramenta; ergò videtur, quòd non sint vitandi in eorum officiis, & successivè, si licitum est à Sacerdote malo petere Eucharistiam, licebit ab eodem, si legitimus est Minister, Sacramentum petere Pœnitentiæ. Præterea, miles petendo pœnitentiam, vel aliud Sacramentum à Sacerdote, seu Confessario existente in peccato mortali, rem petit licitam, sibi utilem 8

lem, & fortasse necessariam, & quam Confessarius licitè præstare potest mediâ saltem contritione: & sic miles non debet suo commodo, & utilitate privare.

9 Fateor hanc opinionem, aliquam primo aspectu probabilitatem demonstrare, contrariam tamen, nempè minimè licere militi, extra casum necessitatis, petere Sacramentum pœnitentiæ à Confessario non Capellano suæ Cohortis, seu non obligato ad dandum Sacramenta, neque parato ad dandum, si sciat esse in peccato mortali notorio, aut jure, aut facto, firmiter censeo veriorem esse. Gloss. *in d. cap. Sciscitantibus, causa 15. quæst. 8. vers. Nisi sit præcisus.* Turrecrem. *in cap. Nullus, 31. Dist. num. 3.* Sylv. *v. Baptismus 3. num. 7.* Azor. *p. 2. Inst. Moral. lib. 12. cap 17. quæst. 7.* Andr. Vallen. *in parat. jur. Can. lib. 3. tit. 2. de cohab. Cler. & mul. num. 6.* Et ita sentire videtur D. Th. *in quodlibeto* 10. ut notant Turrecrem. loc cit. & alii putantes, hanc opinionem in hisce terminis esse cummunem.

10 Moveor primò juribus, *in d. cap. Nullus, & cap. Præter, 32. Dist. cap Vestra, cap. ult. de cohabit. Cleric. & mulier.* ubi prohibentur Fideles à Sacerdote publicè, seu notorie concubinario Sacramenta accipere, aut Missam audire. Et *cap. Si qui sunt, 81. Dist.* ubi sic, „ Si qui „ verò in suo peccato perseverare maluerint, nul„ lus vestrum officium eorum audire præsumat, „ quia benedictio eorum vertetur in maledicti„ onem, & oratio in peccatum, testante Do„ mino per Prophetam: Maledicam, inquit, „ benedictionibus vestris. Qui verò huic salu„ berrimo præcepto obedire noluerit, idolola„ triæ peccatum incurrit. Ob majoritatem igitur rationis, ab hujusmodi Tex. prohibetur accessus ad Sacerdotes, in peccato mortali notoriè existentes, pro absolutione à peccatis.

11 Moveor secundò rationibus; nam quilibet culpa mortali notorie contaminatus est veluti suspensus quoad se, & quoad alios: quoad se, quia non percipit fructum Divinorum Mysteriorum, ac Sacramentorum ad suam salutem, suum ordinem exequendo, in peccato mortali existens; & merito: agit enim contra expressum Dei mandatum, dicentis, *cap. 16. Deut. Iustè quod justum est exequere*, & colligitur *ex cap. Testamentum, 6. Dist. & cap. Sacerdotes, causa 1. quæst. 1.* in fin. *& cap. ult. de tempo. or.* Quoad alios verò patet *ex cap. Quæsitum, extrà, de cohab. Cleric. & mulier.* Quomodo ergò licebit petere à Confessario exercitium sui muneris, à quo, ratione peccati mortalis, in quo notoriè existit, manet quoad seipsum, & quoad alios suspensus? Tum etiam quia, dùm militi constat, Confessarium existere in peccato mortali, & petit absolvi, pariter constat, Confessarium sacrilegium commissurum absolutionem impertiendo, atque adeò causa est illius sacrilegii: siquidem, si non peteret, sacrilegus non fieret, & successivè nefas est illud petere. Dein Confessarius, qui non est Parochus, propter suam malitiam, non habet jus libere dandi Sacramentum: ergò neque miles habet jus illud petendi; aliàs faceret contra obligationem, qua Fideles tenentur non petere, aut accipere ab aliis id, quod dare non possunt. Postremò, petere ab aliquo, quod sine peccato dari non potest, est petere peccatum ipsum, quod est intrinsecè malum; atqui Confessarius, dum in peccato lethali notorie existit, dare non potest Sacramentum sine lethali peccato; igitur peccat miles Sacramentum Pœnitentiæ ab eo petendo, si sciat fore, ut in peccato mortali ministret.

12 Moveor tertio exemplo à simili, seu ab identitate rationis quod validum est, juxta *l. Illud,* in princ. *ff. ad leg. Aquil. & l. à Titio* in princ. *ff. de verb. oblig.* primò in his, qui ex mandato Nicolai Papæ, relat. *in d cap. Nullus Missam, 32. Dist.* non possunt audire Missam Sacerdotis, quem sciunt indubitanter habere Concubinam, aut subintroductam mulierem: quodque Synodus Romana exciti Episc. sub. excommunicatione præcepit, ut notat Gloss. *in d. cap. Nullus,* verb. *præcepit.* Secundo, in S. Hermenegildo, qui tempore Paschatis noluit Eucharistiam ab Ariano Episcopo recipere, ut refertur *in cap. Cœpit, causa 24. quæst. 1.* & hoc quidem, non solum ad evitandam communicationem in hæresi cum ipso Episcopo, ut tradit Pasqual. *in Theor. & Prax. quæst. 268. num. 2.* sed etiam ad omnem tollendam suspicionem, quod ab Episcopi manu sacrilegæ consecrationis communionem postulaverit. Si ergò nemini licet Missam audire Sacerdotis, aut ab eo communionem petere, cujus crimen notorium est, vel per sententiam, vel per propriam confessionem, vel per facti evidentiam; quomodo licebit militi à Confessario non Capellano suæ Cohortis, extra casum necessitatis, Sacramentum Pœnitentiæ petere sciens illum culpa lethali esse maculatum? Hoc enim non esset quærere remedium propriæ salutis, sed illius jacturam facere; nam sic peccata confitendo peccaret, & irritum faceret Sacramentū Pœnitentiæ; & ideò magis macularetur, dum Sacramentali Lavacro abluendas maculas exhiberet.

Concludimus igitur, nequaquam licere militi petere, extrà casum necessitatis, Sacramentum Pœnitentiæ à Confessario non Capellano suæ Cohortis, si sciat illum esse in peccato mortali; quæ tamen scientia, præcisâ notorietate per Confessionem ipsius, aut Judicis sententiam, aut evidentiam rei, factâ, difficillimè potest haberi; cum Spiritus Sanctus in uno instanti operetur hominis justificationem, ut inquit Sylv. *v. Baptismus, 3. num. 7.* 13

Ad opposita respondemus; ad primum: quòd Textus allegatus supponit, factum non esse notorium, ut colligitur ex contextu, in fine, ubi sic, „ Priusquam audias ne judicaveris quemquam, atque ante probationem accusationis illatæ, neminem à tua communione „ suspendas; quia non statim, qui accusatur, „ reus est, sed qui convincitur criminosus; atque „ adeò Bulgari possunt Communionem suscipere à Sacerdote in adulterio deprehenso, vel tantum de hoc infamato, cum falsus possit esse tumor de Sacerdote infamato, vel Sacerdos ad Dei amicitiam per contritionem possit esse redactus. Nos verò supponimus, quoad militem nostrum pœnitentem, peccatū Confessarii esse notorium saltem facto, si non jure Præterquamquod, aliud est quærere, an liceat accipere Sacramentū ab 14

 indigno

indigno Ministro; & aliud quærere, an nobis liceat inducere ad Sacramenti administrationem Ministrum indignum, ut notat Cajet. *in 3. p. D. Th. quæst. 64. art. 6.* Bulgarorum igitur postulatio fuit in primo casu, nempè circa acceptionem Sacramenti à Ministro indigno; & ideò Summus Pontifex affirmativè respondit; quod responsum minimè in secundo dedisset: Cùm nunquàm liceat inducere hominem ad peccandum; atqui nostra difficultas circa inductionem versatur, non verò circa acceptionem simpliciter; atque adeò sumus extra casum, & successivè Textus allegatus nobis non obstat.

15 Ad secundum, negando consequentiam: Verba enim S. Augustini nil aliud denotant, nisi Sacramentum Eucharistiæ esse perfectum in sua essentia, & in effectu, qualiscunque sit Sacerdos, sive bonus, sive malus sit, qui illud in forma Ecclesiæ conficit. Et doctrina contraria nempè, quòd *si Episcopus, vel Sacerdos existit in peccato mortali, non ordinat, non consecrat, non conficit, non baptizat*, quæ est Wicleffi propositio 4. in ordine, fuit damnata in Concil. Constantiens. *Sess. 8.* & in effectu etiam perfectum, si dignè accipiatur, à quocunque detur: Ex quo patet, Sanctum Doctorem non loqui de inducente Ministrum indignum ad Sacramenti administrationem; sed de accipiente Sacramentum à Ministro indigno.

16 Ad tertium patet responsio ex dictis, & ex dicendis infra in illationibus magis patebit.

17 Infero primò ex dictis, non esse sinistre judicandum de proximò, præsertim de Ministris Sacramentorum, quando eorum crimen non est notorium, vel per sententiam, quæ fertur in convictum, vel per confessionem factam in jure; vel quando non potest peccatum aliquâ tergiversatione celari; quod etiam tradit Turrecrem. *in d. Cap. Nullus, num. 7. 32. Dist.*

18 Infero secundò, malè se gerere nolentem accipere Sacramenta à Ministro indigno, cujus crimen non est notorium: Dicit enim S. Hieronymus relatus à Turrecrem. *in d. cap. Sciscitantibus, causa 15. quæst. 8.* „ Priusquam audias „ damnationem Presbyteri, ne judicaveris: Ille „ videtur Presbyterum judicare, qui non vult ab „ eo recipere Sacramenta, tanquàm jam esset „ condemnatus &c. quia non sufficit aliquem „ accusari de crimine, nisi convincatur; aliàs „ multi innocentes damnarentur, ut per Tex. *in causa 2. q. 1. cap. Multi.*

19 Infero tertiò, rationabiliter interdici Fidelibus audire Missam, aut officia Divina Clericorum Concubinariorum notoriorum. Ita etiam D. Bonavent. *in 4. Dist. 13.* non enim sunt digni audiri in pœnam eorum peccati: Tum etiam, quia, ut stimulati à confusione culpæ, currant contritione ad acquisitionem gratiæ; Dein, ut discant alii ad eorum exemplum, fornicationem, cæteraque delicta abhorrere. Nec obstat huic nostræ illationi Capitul. *Nonne, causa 8. quæst. 4.* ubi dicitur, quòd ante sententiam non debet Sacerdos vitari, cùm ibi tantùm sit sermo de suspectis, aut manifestis etiam; hic autem de notoriis; siquidem aliqua possunt esse manifesta, non tamen notoria, *ut cap. Consuluit, extrà, de appellat.*

20 Infero quartò, non posse à lethali culpâ excusari Fideles, audientes Missam, sive Divina Officia Concubinariorum notoriorum: Nam *in cap. Qui si Presbyteri, Dist. 81.* Ecclesia præcepit sub anathematizatione, quòd nullus audiat à Clericis fornicariis notoriis Missam, aut Divina Officia. „ Qui verò, subdit Textus, „ huic saluberrimo præcepto obedire noluerint, „ idololatriæ peccatum incurrent, Samuele te- „ stante, & Beato Gregorio instruente, &c. „ Peccatum igitur paganitatis incurrit quisquis, „ dum Christianum se asserit, Sedi Apostolicæ obedire contemnit. Secùs verò si jura ignorant. Turrecrem. *in d. Cap. Nullus, num. 5. 32. Dist.*

21 Infero quintò, Sacramenta non esse recipienda à simoniaco, sive notorio, sive occulto, præsertim si est simoniacus in ordine; cùm sit suspensus quoad se, & quoad alios. Ita etiam Glos. *in Cap. Præter, 32. Dist.* verb. *Officium.*

22 Infero sextò, Presbyteros non esse à Laicis judicandos; estò aliquando sint reprehensibiles: Ita enim pariter præcipit Nicolaus Summus Pontifex, *in Cap. Consulendum, 28. Dist.* ubi in responso ad Bulgaros sic inquit. „ Verùm de „ Presbyteris, vobis, qui Laici estis, nec judican- „ dum est, nec de vita eorum quicquam investi- „ gandum, sed Episcoporum judicio quidquid id „ sit, est reservandum. „

23 Infero septimò, Sacerdotem notorium fornicatorem, si celebrat incurrere irregularitatem; est enim à Canone suspensus ab officio, ut per Tex. *in d. cap. Præter, 32. Dist.* & extra, *cap. ult. de coha. Cler. & Mulier.* Et quicunque est à Sacris Canonibus suspensus à Divinis, si celebrat, irregularitatem incurrit, ut pater ex *cap. Cùm æterni, de sen. & re jud. & ex cap. Cùm medicinalis, de sent. excomm. in 6.*

24 Infero octavò, Clericum notorium fornicarium, non esse in Ecclesia admittendum ad simul cum aliis Divina celebranda; & adest Textus expressus *in d. cap. Præter*, ubi Alexander II. Summus Pontifex ita mandat.

25 Infero nonò, neque moribundum posse ab hæretico petere Sacramentum, tàm Pœnitentiæ, quàm Eucharistiæ, si adsit periculum subversionis; cùm nemini liceat intuitu salutis æternæ se exponere periculo peccandi, & à fide deficiendi. Sic etiam Pasqual. *Theor. & Prax. quæst. 168 n. 1.* Secùs verò, cessante tali periculo; & nullo alio Sacerdote occurrente, ut tradunt Palud. *in 4. Dist. 20. quæst. 1. art. 3.* Angel. *v. Confessio 3. num. 2.* Sylv. *v. Confessio 1. num. 20.* Suarez, *disp. 26. de pænit. sect. 4. num. 5.* Vasq. & alii, quos producit, & sequitur Pasq. loc. cit. *num. 3. & num. 6.* addens, moribundum in articulo mortis non posse petere Sacramentum Pœnitentiæ ab Hæretico, & Excommunicato, sed teneri; cùm in tali casu urgeat præceptum divinum de confessione facienda eo modo, quo potest fieri.

26 Infero decimò, suscipientem Sacramenta à Ministro Ecclesiæ, existente in peccato mortali, sed ab Ecclesia tolerato, minimè peccare; cùm ab eo suscipiat Sacramenta, non quatenus talia per-

persona est, sed quatenus est Ecclesiæ Minister: atque adeò, quamdiù ab „ Ecclesia toleratur in „ ministerio, ille, qui ab eo suscipit Sacramen„ tum, non communicat peccato ejus, sed com„ municat Ecclesiæ, quæ eum, tanquàm Mi„ nistrum, exhibet. Ita D. Th. *in 3. p. quæst. 64. art. 6. ad 2* Secùs verò, si ab Ecclesia non sit hujusmodi Minister toleratus; quia communicat peccato ipsius, ab eo Sacramentum accipiendo.

27 Infero undecimo, in casu necessitatis nobis licere petere Sacramentum Pœnitentiæ à quocunque Sacerdote. Azor. *p. 1. Instit Moral. lib. 12. cap. 17.* quia tunc jus habemus Sacramenta petendi; & dùm jure nostro utimur, nemini injuriam facimus, ut per Tex. *in l. Injuriarum* 13. §. 1. *ff de injuriis.*

28 Infero duodecimò, licere milliti petere Sacramentum Pœnitentiæ à Capellano suæ Cohortis, & cuivis à suo Parocho, aut à Sacerdote parato ad dandum, si alii non adsint; cùm tunc non sit inducere hos Ministros ad peccatum, & possint ipsi, si velint, actum contritionis elicere, & per eum in gratia se constituere, & successivè licitè ministrare, ut docent etiam D. Thom. loc. cit. *ad 3.* Azor pariter loc. cit.

29 Infero decimotertio, nemini licere extra casum necessitatis Sacramenta recipere à suo Parocho nominatim excommunicato, vel notorio Clericorum percussore. Secùs verò, si esset excommunicatus, sed non nominatim denunciatus, nec notorius Clerici percussor; quia hodiè ut notat Gajet. *in 3. p. D. Th. quæst. 64. art. 6.* verb. *In eadem responsione*, ex indolto Concilii Constantiensis, sub Martino V. licitum est ab excommunicatis Ministris recipere Sacramenta, exceptis dictis duobus casibus. Num verò peccet Parochus Sacramentum tunc conferendo, quia est excommunicatus, vide Azor. loc. cit.

30 Infero decimoquartò, nobis licere petere à Parato ministrare Sacramenta in mortali; puta, à Sacerdote pravo, qui in Ecclesiâ Confessiones excipit, ut ea nobis ministret, si commodè eadem ab alio habere non possumus, cùm ex suâ malitiâ peccet. Sic pariter sentit. Tho. Tamb, *in Decal. lib. 5. cap. 1. de charit. prox. debit* § 4. *num. 70.*

31 Infero decimoquintò incidenter, nobis licere petere juramentum ab eo, quem timemus falsum juraturum, dummodò non petatur, ut seus pejeret, & adsit justa causa petendi hujusmodi juramentum, ut esset necessitas aliqua, aut utilitas; nam quod petitur, potest fieri benè, & malè à Juraturo. Nobis favet Suarez, *tom. 2. de Relig. lib. 3. de juramento, cap. 15. num. 10.* Hurtad. de Mendoz. *in 2. 2. disp. 173. sect. 15.* § 197. Contrarium tenet Sylv. *in 2. 2. quæst. 98. art. 4. con. 2.*

Infero decimosextò, peccare mortaliter Episcopum, conferentem in peccato mortali Ordines, vel Confirmationis Sacramentum administrantem, Ecclesias, vel Altaria consecrantem: adsunt enim tres conditiones copulativè, quas Doctores requirunt, ut Sacramentorum administratio in culpa gravi sit mortaliter peccaminosa; quarum prima est, ut Minister sit ordinatus ad talem actum; Secunda, ut ex officio solemniter exerceat actum Ordinis; & tertia, ut talis actus, sivè administratio sit Sacramentalis. Ita etiam noster celeberrimus Molfesius, *in sua sum. p. 1. Tract. 2. cap. 19. num. 9.* 32

Infero decimoseptimò, nobis licere petere ab Episcopo, existente in peccato mortali, tam Ordines, quàm Confirmationem; aut Ecclesiæ, aut Altaris Consecrationem, modò aliqua adsit necessitas; quia Episcopus potest hæc omnia licitè facere; & si malè facit, suæ adscribendum est malitiæ, quam non tenemur cum nostro gravi incommodo evitare. 33

Infero decimooctavo, nobis licere suadere millitibus, aliisve, ut sua confiteantur peccata cum Sacerdote improbo, ad Confessiones exposito, si probus non possit haberi, illos tamen admonendo, ut in praxim deducant conditiones in Confessione necessarias, seu requisitas; videlicet, quòd sit simplex, humilis, pura, fidelis, nec non frequens, nuda, discreta, libens, verecunda. 34

Inferò decimononò, teneri omnes Christi fideles, potissimùm verò Ecclesiæ Ministros, qui debent aliis Sacramenta ministrare, summo odio peccata habere, omniumque peccatorum fugere occasionem, juxta paternam Gregorii admonitionem, *in Cap. Oportet. 81. Dist.* relati, ubi dicit, „ Oportet Sacerdotes, &c. Cavere enim nos oportet, Fratres, ab illicitis, ut mun- „ das valeamus ad Dominum levare manus: „ Scriptum est enim, Sancti estote, quoniam „ Sanctus ego sum Dominus Deus vester. Si „ quis verò præsumpserit aliter agere, Sacerdo- „ tii sui honore privetur. Unde omnimodo ca- „ vendum est, Fratres, nè fallamus populum; „ & illud Prophetæ dictum impleatur in nobis: „ Sacerdotes mei contaminant Sancta, & repro- „ bant legem. 35

FINIS MANTISSÆ.



FRAG



FRAGMENTA
OCTO LIBRORUM
THEOLOGIÆ BELLICÆ,
HOC EST

Constitutiones Apostol. Declarationes, & Decreta
Sacrar. Congr. Leges Canonicæ, & Civiles, Decisiones Sac. Romanæ Rotæ, Classicorum Doctorum Authoritates, Eruditiones, tùm vetustæ, tùm recentes; & alia plura scitu digna.

FRAGMENTA,
Quæ superfuerunt Libro I. Difficultatum Pertinen. ad Principes, & Reges.

1 QUI suadet Principi, ut bellum injustum moveat, vel quovis modo ad illud opem fert, si in illo sequantur homicidia, vel mutilationes, est irregularis, juxta Text. *in Cap Si quis viduam, 50. Dist.* ut notat ibi Gloss. in verb. *Judex executor : & in Cap. Sicùt dignum*, il primo, *de hom. vol.* §. *Qui verò se asserunt.* Et tradit Sacr. Rom. Rota, *decis. 355. p. 4. recent. coràm Albergato* ; Ugolin. *tract. de irregul. cap. 13. num. 4. & 5.* ubi alios allegat.

2 Principes sunt Legati, & Proconsules Dei, Gloss. *in rubr. in Authen. de here. & Falc.* Idem tradit Bald. *in tract. de pac. Constan.* & ideò Principem supremum, seu nullum Superiorem recognoscentem, esse venerandum, quasi Deum, admonet Franciscus Lucanus, *in tract. de Fisco, & ejus privilegiis, 1. p. num.* 136. ubi ait, quod propterea Imperatores apud Romanos Divi nuncupabantur : quod pariter advertit Card. Albanus, *in Lucubrat. in Bart. tom. 1. in l. non solùm, ff. de rei vindic. num. 6.*

Teneri Principes consulere commodo subditorum, perinde ac si esset proprium ipsorum Principum, probat Tex. *in l. unic. circà fin. Cod. de cadu. toll.* & Thesaurum Principis non debere esse suum, sed subditorum benè agentium, habetur *in §. Cogitatio, in Authen. Ut judic. sinè quoquo suffra.* nam subditi divites, & boni sunt nervi ipsius Principis, *l. 2. Cod. de omn. agr. deser. lib.* 11. atque adeò à Principe debent tractari subditi sui, tanquàm Filii, & Nepotes, *l. si quis filium*, ubi Jas. *Cod. de inoff. testa* Bal. *in cons.* 460. 3

Tria in Principe, sivè bellum gerente, sivè in pace regnante, requiri, nempè potentiam, Voluntatem, & Modum, tradit Bal. *in cons. 236.* incip. *Rex Romanorum, in 1. vol.* quia sine potentia nihil ad actum deducitur : sine voluntate nihil consensu perficitur ; & sinè modo nihil ad suum finem dirigitur: Quapropter Principes debent suâ potentia, seu potestate cum maximo moderamine uti. 4

Princeps tenetur suos subditos sublevare, quando sunt nimis gravati, præsertim tempore belli, 5

belli, ita ut onus eis impositum sufferre ooo valeant per Tex. *in l. Qui gravatos, Cod. de censib. & Censitor. lib.* 11. Id etiam suâ utilitate exigente: Nam divitiæ, & thesauri Principum non sunt Camera, aut Fiscus, sed subditi minimè onetibus pressi, & bona possidentes; tùm Princeps possit, causâ rationabili occurrente, omnes eorum opes promptas, & cumulatas habere, per Tex. *in d. Authen. Ut Judices sinè quoquo suffr.* §. *Cogitatio igitur*, collat. 2. Bald. *cons. 409. sub n. 5. lib. 5.*

6 Bellum, quòd Principes non raro contra alios Principes gerunt, inter flagella, nempe pestem, & famem, quibus Divina Justitia solet Mortalium delicta punire, numeratur. Hæc enim tria DEUS in sacris Paginis minatur Peccatoribus, ut à peccatis se abstineant, & patrata defleant, præsertim in Jerem. *Cap. 24. num. 10.* ubi dicit *Et mittam in eis gladium, & famem, & pestem; donec consumantur de terra, quam dedi eis, & Patribus eorum.*

7 Fides vera, seu verè credere in Dominum JESUM Christum impensè juvat Principes, & Reges ad obtinendum de suis hostibus victoriam. Refert enim Baron. in suis eruditis *Annal tom. 6. sub Anno Christi 499. §. Regina verò Clotildis, & §. Cùm autem*, pag. mihi 531. quòd Clodovæus animadvertens sui exercitûs milites in quodam certamine valdè ræsos deficere, elevatis in Cœlum oculis, lachrymando oravit dicens: Domine JESU Christe, quem Clotildis Uxor mea prædicat esse Filium DEI, si dederis mihi Victoriam de hostibus meis, in Te credam, & Baptisma in Tuo Nomine suscipiam. Hac oratione vix prolatâ, Germani, qui jam triumphabant, in fugam labi cœperunt; quique ubi Regem suum viderunt à Francis occisum, Clodovæo se subjecêre omnes, dicentes: „Ne amplius, quæsumus, Populus pereat; Jam Tui sumus; & „ Tibi fideliter perpetuò serviemos: At Clodovæus, bello interdicto, Germanos in deditionem accepit, eisdemque tributum imposuit.

8 Rebus compositis inter Sextum Pompejum Magnum, & Cæsarem, & Marcum Anton. opulento convivio disposito, ubi aderat Anton. in mensa cum Pompejo; huic secretò submissâ voce dixit quidam Mennas Pyrata: „O sexte, si „ vis, te faciam Imperatorem, nedum Sardiniæ, „ & Siciliæ, sed Romani Imperii. Ad cujus verba cogitabundus aliquantulum permansit Sextus Pompejus: Dein hoc illi dedit responsum. „Si „ hoc facere volebas, oecesse erat per te illud fieri, „ me inscio, Jul. Ferret. *de. jur. & re nav. lib. 2. num. 35.*

9 Nemini tempore, tum belli, tum pacis creditur, dicenti se esse Oratorem, seu Legatum talis Principis, nisi habeat, & ostendat illius litteras; dummodò tamen non sit Cardinalis Summi Pontificis Legatus, cujus verbo simpliciter credendum est, ut tradit Bart. *in l. Pallatinos, Cod. de collatio. fun. Fiscal*, 11. & Bald. *in l. si qua, Cod. de Episc. & Cleric.* & probat Text. *in Cap. Nobilissimus. 97. Dist.* & Glos. *in Cap. Sicut, extrà de sent. excom.*

10 Debeos Principes omne studium adhibere, præsertim tempore belli, in suis occultandis secretis; memores Magni Pompeji, qui litteras dedit sub sigillo Publio Chiloni Liberto suo, ut illas præsentaret Gubernatori Prætoriæ navis, cùm fuerit in Naupacto à Gubernatore minimè legendas, nisi dum foret in Cylicia; in quibus ordinabatur futurum iter, quod fecit; & hoc quidem, ne suom hostes detegerent arcanum. Quod non rarò practicari à prodentissimo, & Magno Galliarum Rege Ludovico XIV. aliisque Supremis Potestatibus, publica Fama testatur.

Curent Principes semper, potissimùm verò tempore belli, inoffensam servari justitiam; illa quinque, quibus violatur, amovendo, videlicet, Respectum, Suspectum, Aurum, Amorem, Timorem. 11

Ad charitatem Principum spectat curare, ne suæ ditioni subjecti arma sumant ad vindictam privatam; ne suis deficiat victus, non solùm in Locis sibi subditis, sed etiam in exercitu, & classe; nevè permittant vivere impios super terram, exemplo Domini, cujus vices gerunt in terra, Qui jussit colligi zizania in fasciculos ad comburendum, S. Matth. *cap. 13. n. 30.* 12

Finis Regis, aut Principis, bellum gerentis, pax esse debet, ut albi demonstratum est, præsertim *tom. 1. lib. 1. diff. 42. num. 16.* Addimos nunc sensum Ciceronis, dicentis *lib. 1. de off. §. Sed cum* pag mihi 42. „ Bellum autem „ ita suscipiatur, ut nihil aliud, nisi pax quæsi- „ ta videatur; & paulò ante, *eod. lib. §. Prater- „ mittendæ*. pag. mihi 28. dixit, Mea quidem „ sententia, Paci, quæ nihil habitura sit iosidiarum, „ semper est consulendum. „ 13

Sensus pariter est Ciceronis loc. proximè cit. à Principibus, belli amatoribus, perpendendus; videlicet " Nullum bellum esse justum, " nisi quod, aut rebus repetitis geratur, aut de- " nunciatum ante sit, & indictum; Cui consonat Ayal. *de jur. & off. bellic. lib. 1. cap. 1. num. 1. 6, 7.* 14

Caveant Principes, ne fidem hosti datam falsant. Sic quoque sentit, & admonet Cicero, *lib. 1. de off. & §. Pratermittendæ*, circa finem, pag. mihi 29. 15

Bella, quæ à Principibus, sive pro se, sive pro sociis gerenda suscipiuntur, laudem nequeunt mereri, si æquitatem, & fidem secùm non ferant. Cicero, *lib. 2. de off. §. Quod igitur*, pag. mihi 89. *& lib. 2. de leg. §. Sequitur enim.* 16

Non debere Principes arma sumere cùm aliis bellaturos, inconsultis circa justitiam belli Viris probis, & doctis, non tam Religio, quàm Ratio naturalis suadet, ut alibi demonstravimus: Nunc addimus, quod etiam antiqui Romani nullatenùs bella movebant, nisi priùs audito Sapientum suorum consilio, nihilque in bello sine Extis agebant. Athenienses quoque omnibus semper publicis Consiliis, præsertim bella concernentibus, divinos quosdam Sacerdotes, quos Mantes vocabant, adhibebant. Et Lacedæmonii Regibus suis, neque solùm in pace, sed in bello, multò etiam magis, quò majus erat rerum indicendum, Augurem, sive vitom, quem divinum appellabant, Assessorem, id est Con- 17

Consiliarium dederunt: Teste Cicer. *lib. 1. de divinat.* §. *Ac mihi quidem*, pag. mihi 114.

18 Contra Principes, arma ob solam utilitatem sumentes, omnia jura videntur clamare. In bello enim justitia spectanda est, non utilitas; Undè minimè approbamus, quod in laudem Romanorum proferre videtur Cicero, *Orat. pro leg. Manilia*, §. *Reliquum est*, circa init. pag. mihi 16. dicens: „Eos semper in pace con-„suetudini, in bello utilitati paruisse.

19 Docet Principes prudentia militaris in alienis Regionibus bellum gerere, quando justas habent causas bellandi; exemplo Populi Romani, cujus proprium fuit, ut notat Cicero, loc. cit. §. *Satis mihi multa verba*, pag. mihi 10. longè à domo bellare, & propugnaculis Imperii Sociorum fortunas, non sua tecta defendere.

20 Possunt quandoque Principes eum in Ducem exercitus eligere, quem vident excellenti ingenio, singularique doctrina, præditum, quamvis antè virilem ætatem, aut nunquam, aut perquam rarò bellis gerendis interfuerit. Non enim omnes, qui bellicâ laude excelluerunt, ab ineunte ætate, aut à juventute fuerunt in castris educati: Siquidem in historiis legimus, plures, qui cum ignari bellorum essent, præclaros Duces evasisse, à Peritis artem bellandi ediscendo, nec non res militares à summis Ducibus gestas in libris perpendendo.

21 Debent Principes, non tantùm pecuniam in classem erogare, sed etiam prædones pecuniarum cupidos de mari, quod infestant, expellere, exemplo Magni Pompeji, qui cum illi bellum maritimum gerendum datum fuisset, omnes prædones, qui toto mari dispersi vagabantur, in suam potestatem redegit, teste Cicer. *in Orat. pro L. Flacco*, §. *Classis nomine*, pag. mihi 170.

22 Studeant Principes à bello, quod movent in alios, omninò odium removere, ne improperiis sint obnoxii Ciceronis, cuidam dicentis, *Orat. pro domo sua ad pont.* § *Verum hac*, pag. mihi 255. Horrificum quoddam, & nefarium, omni imbutum odio bellum intulisti?

23 Debent Principes, si volunt belli utilitatem, & pacis dignitatem sustinere, eam non modò à calamitate, sed etiam à metu calamitatis defendere; cùm metus ipse calamitatis calamitatem inducat, ut notat Cicero, *in Orat. pro leg. Manil.* §. *Sed pro vestri imperii*; pag. mihi 6.

24 Principes, si volunt bella evitare, studeant omni, qua possunt vigilantia, civium tumultus impedire; nam quemadmodum bellum sine tumultu esse potest, ita tumultus esse non potest sine bello. Cicer. *Orat. 50. in M. Antonium*, §. *Confusius hesterno die est*, pag. mihi 333.

25 Caveant Principes, ne quidquam faciant, præsertim circa res bellicas cum aliqua perturbatione; illud enim neque constanter fieri potest, neque ab iis, qui audiunt, approbari. Ita etiam admonet Cicero, *lib. 1. de off.* §. *Habentur autem*, pag. mihi 63.

Quamvis induciæ belli fiant, ut à bell cipes abstineant, ut notat Crav. *in con num. 46* in fin. nihilominùs per induci generales non intelligi ademptam Prin potestatem civiliter utendi jure suo, & definiendi, subdit idem Crav. *num.* 47 & fuit apertus sensus Bal *in cons.* 195. *lib.* 2.

Non debere inducias extendi præter p pum voluntatem, tradit idem Crav. *d. con num. 48. vers. Tertio*, & rectè; cùm i fiant causâ conservandi, vel restituendi subditorum, non etiam ampliandi.

Princeps potest suis subditis discor bus pacem præcipere: Sunt enim Principes vicem-Gerentes Regis Regum, pacem præcipientis observari. Luc. *cap. ult.* & alibi sæpè, quod pariter in Proœm. Decretal. expressum est, & pax vinculum est charitatis. *Cap. Novit. de Jud.* & respicit bonum publicum, cui Principes tenentur consulere. *Cap. Ad Apostolica, de re jud. in 6. & l. Conventionum, ff. de pac. l. si quis ingenuam*, §. *In civilibus*, *ff. de capti. & postlim. rev. cap.* 1. in princ. *de prohib. feud. alien* & ideò pactum de pace non faciendа, etiam jurejurando firmatum, non tenet, cùm sit contra legem Evangelicam; & hujusmodi juramentum, cùm rendat in perniciem salutis æternæ, non esse servandum, habetur ex *Cap. Cùm contingat, de jureiur. & cap. 1. eod. tit. lib. 6. & Cap. Quamvis, de pac. eod. lib. & Cap. Non est obligatorium, de regul. jur. eod. lib. 6.* 28

Princeps potest pacem cum suis hostibus facere, quamvis bellum sit injustum. Scimus enim transactionem valere, estò lis injustè mota fuerit, & probabilem timorem litis sufficere, *l. 1. ff. de transact. l. 2. Cod. eod. tit.* atque adeò etiam armorum timor debet sufficere, ut in bello injusto possit Princeps facere pacem. Sic etiam sentit Crav. *in cons. 717. num. 27. & n. 37.* in fin. 29

Si Principes, bellum gerentes cum aliis Principibus, promiserint facere pacem, continuò pax facta non intelligitur; neque hujusmodi Principes dicuntur plenè reconciliati; cùm tractatus minimè inspiciatur, sed consummatio tractatûs, seu conclusio, *l. si voluntas*, & ibi notat Bal. *Cod. de rescind. vend.* & in propriis terminis notat Jas. *in l. in bona fidei, num. 6. ff. de eo, quod cert. lo* & antè ipsum Ang. per illum Text. *in l. Lucius, num. 2. ff. solut. matr.* 30

Contractum Principis initum pro bono pacis intelligi esse bonæ fidei, adeò ut multa verbis non expressa comprehendantur, probat Text. *in l. consensu, ff. de actio. & obli.* & successivè etiam ejus subditos, & successores debere intelligi obstrictos, firmiter censemus; cùm quisque plerumque, tàm hæredibus suis, quàm sibimet caveat, *l. si pactum*, in fin. *ff. de prob.* 31

32. Prin-

32 Pnnceps non dicitur rumpere pacem, si non facit contra capitula pacis, quæ ob id stricti juris intelliguntur, ut tradit Bal. *in conf. 195. num. 1. vers. Praterea dato, quòd damnum, & num. 7. lib. 2.* & ideò non incurrit pœnam in illis adjectam

33 Principes, qui pacem faciunt, in capitulis eos minimè includendo, qui sibi adhærerunt, seu sibi auxilium præstiterunt, non rectè agere censet, Abb. *in cap. 1. num. 29. de postul. Pralat.* ubi dicit; Adhærentes non intelligi in Capitulis pacis comprehensos, si specialiter non exprimuntur: Ibique ex verbis Innoc. Fidelitatem Ecclesiæ Romanæ impensè commendat, eò quòd nunquàm voluerit pacem habere cum Adversariis, ne quidem pacis tractatum, nisi promitteretur de Adhærentibus, & eorum impunitate, sciens, in Capitulis pacis Adhærentes tacitè non comprehendi: Quidquid dicant Mart. Laud. *in Tract. de confæderat. Princip. quæst. 95.* Imol. & Jaf. *in l. si stipulatus fuero per te. num. 3.* in fin. *ff. de verb. oblig.* & alii, putantes, Adhærentes tunc tacitè in Capitulis pacis comprehendi, quando pax absque eis non potest Paciscentibus suffragari.

34 In Capitulis pacis, quam faciunt Principes, & Reges pro se, filiis, nepotibus, ascendentibus, descendentibus, agnatis, cognatis, consanguineis, affinibus, & attinentibus usque ad quartum gradum inclusivè, & promittunt, se invicem quomodocunque non offendere per se, vel per alios, adjectâ pœnâ, intelliguntur utique comprehensi filii, nepotes, agnati, cognati nascituri; nec non affines, & attinentes futuri; siquidem cùm mutua sit contracta obligatio, non potest alicui ex Paciscentibus videri magis onerosa, *arg. l. 1. Cod. de pac.* & ideò ad tempus futurum etiam extenditur, *l. 1. in fin. & l. si quis societatem, ff. pro soc.* & ita clarissimè tradit Ang. *in conf 261. num. 4. vers. Et prædicta intelligo*, Jal. *in l. Si stipulatus fuerim, §. Cùm stipulamur, n. 5. ff. de verb. oblig.*

35 Fœdus inter Principes initum, quamvis principaliter sit ad defensionem; nihilominùs per quandam necessariam consequentiam continet pariter offensionem; siquidem cùm hæc duo sint inseparabilia, totum intelligitur esse permissum, Batt *in l. 1. num. 37.* in fin. *de summ. Trinit.* Bal. *in conf. 343.* post princ. *lib 1.* Card. Mantica, *de tac. & ambig. lib. 27. tit. 7. n 9.*

36 Conversionem Infidelium, qui non subsunt Ecclesiæ, uti sunt Gentiles, non posse inter legitimas belli causas, nec inter utilitates, numerare Christianos Principes, admonet etiam Christianus Lupus, *in suis Opusc. de Christiana milit. cap. 1.*

37 Regibus, & Principibus Christianis licere ex causa bellum offensivum gerere, non solùm in Paganos, aut Hæreticos, sed etiam adversùm quoscumque Catholicos, prætes S. Augustinum, *Epist. 50.* ad Comitem Bonifacium, Magnum Romanorum Ducem, & in libris contra Faustum Manichæum; nec non alios plures à nobis suo loco allegatos, novissimè tradit Christianus Lupus *in Opusc. de christ. milit. cap. 4.* ibi formam adducens gladium militarem benedicendi, in hodierno Romanæ Ecclesiæ Pontificali libro contentam nempè. *Exaudi quæsumus Domine preces nostras, & hunc ensem, quo hic famulus tuus circumcingi desiderat, Majestatis tua dextera dignare benedicere, quatenus esse possit defensor Ecclesiarum, Viduarum, Orphanorum, omniumque DEO servientium contra sævitiam Paganorum, atque Hæreticorum, aliisque sibi insidiantibus sit terror, & formido,* Ibidem subdens, Christianos Principes non solùm licitè posse, sed aliquando debere arma sumere, bellum indicere aliis Principibus Catholicis, ad patriam Regionem defendendam, præmissa *cap. 3.* fortissimâ Adversariorum impugnatione, sub hoc titulo: *An bellum in Novo Testamento sit licitum.*

Romanorum Rex sine Senatûs, ac Populi consensu nequibat bellum indicere, quod refert Titus Livius *lib. 1. & 28.* & ratio videtur fuisse, quia bellum in gravissima totius populi damna redundat; estque periculosissima ejusdem concussio, atque adeo absque Primatum assensu non debebat indici. 38

Debere Reges, & Principes, antequam bellum indicant, suos audire Episcopos, Christiana Pietas dictat. Huncque esse antiquum Gallorum Regum impensè laudandum morem, scribit Sanctus Gregorius Episcopus Turonensis, *lib. 4. cap. 42.* sic dicens *§. Cùm contentio.* 39

Rex Christianus, injusto bello vexatus à Christiano potest invocare Sanctum Petrum Apostolum, ac injustum invasorem ad ejus Cathedram proclamare. Siquidem Apostolica Cura primo loco respicit Christianos Reges; cùm hi sint, non solummodò Oves Christi, sed etiam istarum Ovium Principes. Et Petro inter cætera dixit Christus. Luc. *Cap. 22. num. 32. Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos*; & successivè Summus Pontifex, ejus Successor, tenetur Fidelem populum à facinorosis, ac flagitiosis bellorum injuriis custodire: Quæ omnia clarescunt in Epistola, quam scripsit Adrianus II. Pontifex ad Hincmarum Archiepiscopum Rhemensem, circa quæstionem *de successione*, ob obitum Lotharii Lotharingiæ Regis improlis, ortamque inter Fratrem ejus Ludovicum II. Imperatorem, & patruum Carolum Calvum Francorum Regem; nec non in aliis litteris ab eodem Adriano Papa circa eamdem materiam conscriptis, & per extensum ab eruditissimo Christiano Lupo, *in opusc. de Christ. milit. cap. 5.* relatis, ibidem concludente, Apostolicam Sedem habere, non solùm universalis honoris, sed etiam oneris Primatum; sicque obligari bella, & inchoanda impedire, & inchoata succidere. 40

Quamvis hodiè ad Principem tantùm spectet milites creare, olim tamen militum creatio etiam Episcopis quandoque adscribebatur: Siquidem Matthæus Parisius, sub Anno 1087. refert, Lanfrancum Cantuariensem Archiepiscopum ad Guilielmi Rufi evectionem fuisse strenuè cooperatum; subdensque causam, *Eò quòd illum nutriverat, ac militem fecerat, patre adhuc vivente,* Idemque asserit, sed clariùs quoad rem nostram, Henricus Cnyghtonus, *lib. 2. cap. 8.* dicens, *Guillielmus Rufus Coronatus est in Regem ab Archiepiscopo Lanfranco, qui eum nutriverat, ac militem* 41

militem fecerit. De hujus verò Regis stirpe esse Nobilissimam Familiam Rufam, inter primarias Regni Neapolitani enumeratam, firmiter arbitramur, vetustis, ac modernis historiis innixi, quæ celeberrimos Viros variis temporibus germinavit, præsertim Petrum, ad Cardinalatum à Gelasio II. solùm promotum, plures Romæ Præfectos; & diebus nostris Illustrissimum, ac Reverendissimum D. Thomam, Magni Fabricii Classis Melitensis Ducis à nobis supra memorati Nepotem ex Fratre, summa benignitate, & æquâ prudentiâ, aliisque præclarissimis dotibus exornatum; primitùs Prolegatum Ravennæ, nullo tunc Legato existente; dein Inquisitorem Meliten. postea verò Archiep. Nicænum, & Nuntium Apostolicum apud Magnum Etruriæ Ducem: Inde Innocentii XII. Sanctæ Record. & CLEMENTIS XI. feliciter Regnantis, Sacri Cubiculi Præfectum; nec non Capellæ Pontificiæ Episcopum assistentem. Idemque fecisse, nempè ad militum creationem fuisse, coopetatum Henricum Basileensem Episcopum, legitur in Annalib. Prædicatorum Colmariens. sub Anno 1298.

42 Posse per Regem, & Principem supremum ad arma tantummodò cogi suos Vassallos, & Armigeros, solidarios, seu stipendiarios, qui solidos accipiunt in stipendia, ratio dictat, & admonent Sigeberrus Gemblacensis sub Anno 635. & alii plures laude digni Scriptores. An verò Rex, aut Princeps supremus possit ad bellum obligare Episcoporum, Abbatum, ac Abbatissarum Feudales; nempè illos, quorum Episcopi, Abbates, aut Abbatissæ sunt Regii Vassalli, inspiciendus est Christianus Lupus, *in Opuscul. de Chrift. milit. cap. 8.* ubi hanc quæstionem movet, & resolvit.

43 Quamvis bellum inter duos Principes non possit per se, & directè esse ex utraque parte justum, ut *tom. 1. lib. 1. diss. 2. num. 3.* demonstravimus, quæ est recepta juris Interpretum sententia contra Alciatum, & Fulgorium, *in l. ex hoc jure, ff. de just. & jur.* nihilominùs posse bellum ex utraque parte esse injustum, ostendit clarissimè bellum ortum ex testamento paterno inter tres Ludovici Pii Imperatoris Filios, quod omnes Scriptores crudelissimum vocant; eosque omnes istiusmodi bellum gerentes gravissimè deliquisse, clarè liquet; cùm omnes tres ad bellandum induxerit, & inflammaverit avaritia, ut scribit Rabanus Maurus Archiepiscopus Moguntinus in scripto ad Heribaldum Episcopum Antissiodorensem: Et tradit Sigebertus Gemblacensis sub Anno 847. ubi eorum prælium commissum apud Fontiniacum describens, sic dicit. „Carolus, & Ludovicus, Filii Imperatoris Pii, „dolentes se à Fratre Lothario debitâ Regni „parte privari, contra eum insurgere parant, „Tribus Fratribus de regni partitione discordan„tibus, conferitur inter eos pugna in Pago An„tissiodorensi apud Villam Fontanetam; & tanta „cædes utrimque facta est, ut nulla ætas memi„nerit, tantam hominum stragem fuisse factam „in Gente Francorum. Et ita eorum vires ibi „attenuatæ sunt, ut jam nec suos terminos ab „externis tueri possent. Victoria tamen Ludo„vico, & Carolo provenit;

Per Ecclesiasticam Disciplinam fuit antiquitùs diebus Dominicis, ac festivis vetitum omne prælium; quod olim à Latinis inviolabiliter fuit observatum, & à Græcis. Hanc reverentiam Festis exhibitam, ortum habuisse à Magno Imperatore Constantino, indubitatum est; cum ipse ob Dominicæ Passionis reverentiam jusserit singulis feriis sextis à bello, & præliis vacare, ut videre est in Annalibus Euthychii Patriarchæ Alexandrini 1451. ubi tria piissima Edicta referuntur, quæ post expletam Nicænam Synodum ad illis 318. Patribus gratificandum edidit; quorum hoc fuit tertium: *Ut die Passionis Dominicæ, & sequenti die ab omni opere abstinerent homines, nevè in eisdem prælium ullum committeretur.* Hæc pietas estò deficere inciperet; adhuc tamen eam perseverasse tempore Eugenii III. Pontificis, refert generalis Historia Ortonis Episcopi Frisingensis, *lib. 6. cap. 34.* atque paulatim apud nos Latinos decrescere vidit temporum cursus: & tandem omnino evanuisse, experimentū docet: siquidem Theologi cœperunt præfatam Ecclesiæ disciplinam interpretari, & asserere, eam bellum solummodò offensivum comprehendere, minimè verò, ut inevitabilem necessitatem, defensivum. A bello defensivo, nescio quâ doctrinâ, quâ consuetudine, factus est transitus ad aggressivum; sicque paulatim duxerunt Principes, sibi licere Edictorum, & Canonum interpretationem transmutare in legem, atque ita quovis indiscriminatim die bellare, & pugnam exercere. 44

Magnum Constantinum Imperatorem voluisse in victos à suis militibus clementiam exerceri, scribit Eusebius Cæsariensis in libris de ejus vita, *lib. 2. cap. 13*, cujus exemplo nostris diebus motus Josephus Augustissimus, & strenuissimus Romanorum Rex; vera clementissimi Leopoldi Imperatoris Patris Imago (expugnata à suis potentissimis Armis Landaviâ, olim Urbe parvâ Germaniæ in Alsatia inferiori, & in Vasgovia regione ad montis Vageti radices, & juxta amnem Queicbeum inter fines Palatinatus Rheni positâ, & tribus milliaribus Germanicis distinctè à Spira, ut scribit Michaël Antonius Baudrand Parisiensis in sua Geografia, *tom. 1. sub. lit. L fol. mihi 553.* postea à Magno Ludovico XIV. Galliarum Rege in fortissimam, & celebrem arcem ingentibus sumptibus commutatâ) clementer excepit. N. - - - Melacum Gubernatorem, atque Gallicarum Copiarum Locumtenentem Generalem, qui eam obsessam admirabili valore, & industriâ per tres ferè menses defendit; ejusdemque fidelitatem, quam suo Regi in defensione demonstravit, summoperè commendans, eum dupliciter devictum; clementiâ scilicet, & munificentia dimisit hoc anno 1702. 45

Christianus Lupus in suis eruditis *Opusculis, de Christ. militia, cap. 18.* constanter asserit, omnia damna, quæ subditi ex bello sustinent, factâ pace, esse per suum Principem reparanda; loquitur tamen de bellis, quæ non ob populi delictum, sed ob Principum quæstiones geruntur; & adducit rationem, quia Princeps sua à populo stipendia habet; ex ipsis debet explere suum officium, suasque causas agere, & defende- 46

fendere; ac populum servare indemnem; ac proindè piorum, & justorum Regum, & Principum fuit consuetudo, istiusmodi populos ad annos aliquot liberare à vectigalibus, aliisque exactionibus.

47 Reges, & Principes seriò cavere debent, ut per eorum pacificationes non lædatur Christiana Religio; sciantque, pacis articulos Ecclesiasticæ Potestati aut Libertati repugnantes, esse nullius ponderis, ut ostendit Lupus, loc. cit. *cap. fin.*

48 Non debet Princeps, qui fidelis est, & Christianæ vivere cupit, militarem laborem, & arma bellica sumere, ut injustum bellum moveat, prædationes, ac iniquas incursiones faciat, uno verbo, ut injuriam alicui inferat, sed ut injuriosorum hominum vim depellat. Sic pariter admonet Leo Imp. *in bellic. apparatu, in Epilogo operis num.* 4. & sentit Ayal. *de jur. & off. bell. cap.* 1. in princ.

49 Iustissimam belli causam habet Rex, & Princeps, qui armis persequitur rebelles, & ab imperio deficientes; gravissimam etiam Deo, & Principi inferunt subditi injuriam, dum ejus imperio resistunt, ut per Tex. *in Cap. Auctoritatem, causa* 15. *quæst.* 6. *Cap. Scire, vos causa* 23. *quæst.* 8. & facit *l. Amissione*, §. *Qui deficiunt, ff. de capit. diminut.* & tradit cum communi DD. sensu, Ayal. *de jure, & offic. bellic. lib.* 1. *cap.* 2. putans inter justas, & præcipuas belli causas, defensionem proprii imperii reputari, hoc fretus fundamento; quia potestas non est nisi à Deo; *& qui resistit potestati*, ut inquit Apostolus, *ad Rom. cap* 13. *Dei ordinationi resistit.* & injuria facta Principi censetur facta Deo, Qui Samueli, à quo populus alium Regem petebat, dixit: *Non enim te abiecerunt, sed me, ne regnem super eos*, 1. *Reg. cap.* 8. David autem bellum gessit cum Seba filio Bochri, qui populum sollicitavit, ut à Davide ad ipsum deficeret, 2. *Reg. cap.* 20. Debet propterea Princeps præsertim tempore belli principiis rebellionis occurrere; unde sibi licere rebelles summo rigore punire, utilitas suæ Reipub. suadet; nec non factum Agesilai, quo nullum sapientiùs legitur; cùm enim adversus Rempub. conspirationem noctu ortam comperisset, leges Licurgi de indemnatis sumi supplicium vetantes, illicò abrogavit; easque comprehensis, & interfectis sontibus, è vestigio statim restituit. Valer. Max. *lib.* 7. *cap.* 2. Petr. Gregor. *lib.* 10. *de Repub. cap.* 5. *num.* 19. Constat enim authoritate Ecclesiastici *cap.* 11. à scintilla una augeri ignem; & ab uno doloso augeri sanguinem. Hinc Tit. Livius *lib.* 21. *histor. ab Urbe condita*, dicit. „ Nè quandoque „ parvus hic ignis incendium ingens exsuscitet.

50 Caveat Princeps, ne præcipiti festinatione aut moratoria cunctatione procedat, tam in bello, quam tempore pacis: sic monet Textus, *in l. Tutor, qui repertorium*, §. 1. *ff. de administrat. Tut.* & tradunt Paul. Manut. in adagio: *Festina lenta col.* 620. Valenzuela, *de statu, ac belli ratione, p.* 1. *Consil.* 1. *num.* 10.

51 Non posse Principes fœdera, & pacta inire in præjudicium vassallorum, tradunt DD. *in cap.* 1. §. *prætereà, de prohibit. feud. alien. per Frid.* Schrad. *de feud. p.* 10. *sect.* 7. *num.* 3. *pag. mihi* 233.

Reges, & Principes Christianos debere omni conatu curare, ut temporibus suis Ecclesia sit pacata, adverrit S. Aug *Tract.* 11. *in Joan.* & habetur *in Cap. Quando, causa* 23. *quæst.* 4. *Cap. Si Ecclesia, ead. causa, & quæst.* Sic pariter sentit Lipsius, *lib. adversus Dialogistam, cap.* 2. Et ad hunc finem fuisse institutam Imperialem, & Regiam potestatem, asserit Justinianus, *in Auth. Quomodo oporteat Episcopos*, in princ. *coll.* 1. 52

53 Reges, & Principes, imperio abutentes, posse per Summum Pontificem variis modis coerceri, & compelli, ut justitiam administrent, habetur *ex Cap. Administratores, causa* 23. *qu.* 5. siquidem Summus Pontifex vices Dei gerit in terris, à quo utrumque gladium accepit, spiritualem, scilicet, & temporalem, ad Reipublicæ Christianæ pacem, & tranquillitatem conservandam. *Cap. Novit, de judic. Cap. Unam Sanctam, extrà, de major. & obed.* Idque ut sciant Reges, & Principes, quòd Deus, cujus Vicarius est Summus Pontifex, Saulem Regno privavit, & Davidem in locum ejus surrogavit, 1. *Reg. cap.* 6. Hinc Innocentius Primus, ut refertur *in Cap. Duo sunt*, 96. *Dist.* Archadium Imperatorem, eo quòd Sanctum Joannem Chrysostomum à Sede sua pelli permiserat, rectè excommunicavit.

Caveant Principes, nè titulo belli gerendi, aut alterius negotii peragendi, nimio onere suos gravent subditos: non enim debent oblivisci laudatissimum illud responsum Tiberii Cæsaris, qui Thesaurariis onerandas tributo Provincias dicentibus, respondit; boni pastoris esse tondere pecus, & non deglubere: quod posteà in proverbialem sermonem transivit. 54

Ad quæstiunculam, utrum mortuo Principe, cum quo fœdus quoad bellum prosequendum nomine Reip. ictum est, maneat fœdus cum Principe, qui successit titulo hæreditario, vel jure electionis: respondent affirmativè Doctores, *in cap.* 1. *de probat.* Jas. & alii, *l.* 1. *col.* 3. *ff. de Constit. Princip.* quibus favet factum Eduardi IV. Regis Angliæ, cui Regno pulso, cum ex fœdere auxilium Regis Galliæ imploraret, responsum fuit, antiquo fœdere utrumque Regem & utrumq; populũ utrinque obstrictos esse; atque pulso Eduardo, fœdus manere cum populo, & Rege, qui regnabat. Sic refert Bodin. *de Rep. lib.* 1. *cap.* 7. Nos tamen præfatorum Doctorum sententiam, ut tutè possit procedere, esse limitandam putamus; videlicet, dummodò per istiusmodi fœdus, neque Respublica, neque Ecclesia sit læsa, seu præjudicium patiatur; nevè fœdus ictum sit inter Principem Catholicum, etiam justè bellantem, adversùs alium Principem Catholicum; & Principem à vera Religione alienum, ad bellum sivè offensivum, sive defensivum prosequendum: quæ fœdera, esse omninò illicita, & ne ab initio quidem ullo modo subsistere posse, clarè demonstravimus, *tom.* 1. *lib.* 1. *diffic.* 6. *num.* 10. Et huic nostræ limitationi favent Cyn. & alii DD. *in l. Digna vox, Cod. de legib. & Constit. Princip.* Bal. *in cap.* 1. *de nat. Feud.* unde concludimus, Fœderatos tantummodò licitè, & validè, seposito injusto, & directo alieno præjudicio, obstrictos fœdere manere. 55

Uu 3 Prolixè

56 Prolixè satis nonnulli hanc agitant difficultatem; num Princeps possit legitimè bellum indicere gravi injuriâ suum Legatum afficientibus; & antequam resolutionem prodant, in variis digressionibus, quibus Lector solet plerumque defatigari, detinentur: Nos prolixitatem penitùs abhorrentes, breviter respondemus affirmativè, scientes, non solùm Romanos bellum intulisse Fidenatibus, teste Livio, *lib. 4.* quòd Legatos eorum interfecissent, jussu Tolumnii Regis Vejentium, ad quem defecerant; sed etiam Davidem, qui vir fuit sanctissimus, bellum movisse adversùs Regem Ammonitarum, 2. *Reg. cap.* 10. propter derisos Legatos suos, & quidem meritò; cùm injuria, quâ Legati afficiuntur, censeatur facta Principi, vel Reipublicæ, cujus Legatione funguntur: Addito jure gentium, cujus favore Legati apud omnes Gentes semper tuti, & inviolabiles fuêre, *l. ult. ff. de Legat. & Cap. Jus gentium, Dist.* 1. ubi inter cætera Legatorum non violandorum religio enumeratur.

57 Non decet Principem, præsertim bellum gerentem, judicio esse cunctatorem: Tardæ enim, & lentæ deliberationes, perniciosæ satis esse solent, præcipuè in rebus bellicis, in quibus non rarò consilium, alioquin per se tutum, & salubre, cunctatione temerarium, & infelix factum fuisse legimus: Et ideò Fabius, quamvis naturâ cunctator, quia judicio alacer, temporis beneficio, magnam in rebus bellicis gloriam meruit; siquidem, ut inquit Ayala, *de jur. & off. bellic. lib. 2. cap. 5. num.* 11. impetum hostis Annibalis bellicosi, & aliquot victoriis ferocis, cùm prælio facilè vinci non posset, afflictis Romanorum viribus, sedendo fregit.

58 Principes, & Reges, qui bellum gerunt, si vincant, debent in victoria sedulò paci studere; nusquam enim minùs, quàm in bello eventus respondet: Et Cicero ad Marcellum scribens *Epist. fam. lib. 4 Epist.* 3. „ Licèt, inquit, omnia sint misera in bellis, miserius „tamen nihil, quàm ipsa victoria, quæ etiamsi „ad meliores venit, tamen eos ipsos ferociores, „ impotentioresque reddit; ut etiam si naturâ „ tales non sint, necessitate tamen tales esse co„ gantur. Præterquam quòd, Christianum Principem decet Christum audire, dicentem: Pacem relinquo vobis, Jo: *Cap 14. num* 27. Addimus, conditiones pacis ei, qui in bello superior est, magis favere.

59 Debent Principes, & Reges, quibus in victoriis fortuna arridet, eos libenter audire, qui monent, ut quantò superiores sumus, tantò nos submissiùs geramus: Siquidem, ut adversas res, sic secundas immoderatè ferre, maximæ levitatis est: Imò plerumque contingit, ut rebus prosperis insolescat animus humanus, ut jam nec alios ferre possit, nec se, ut benè advertit Ayal. *de iur. & off. bellic. lib.2. cap 2. n.* 1.

60 Sola dignitas, & jurisdictio Principis, seu Baronis, & reverentia subditi erga ipsum, non faciunt metum justum, & vim per se urgentem. Rom. Rot. *decis.* 26. *num.* 36. *p.* 6. *coram Merlino*.

61 Quando Princeps committit causam Judici Ordinario, qui Judex non est respectu illius causæ, quoad talem causam commissam, dicitur delegatus, non verò ordinarius. Sic etiam Bart. *in l. more, num. 8. ff. de jurisd. om. jud.* Anchatanus, & Francus, *in Cap Hi, qui authoritate, de prab. in* 6. Ille enim dicitur delegatus, cui ad causam cognoscendam, vel decidendam, vel exequendam, vel totum simul perficiendum, vel à Lege, vel à Principe, alioque potestatem habente, mandata est vel data jurisdictio. Menoch. *de arbit. jud quæst.* 12. *num. 6. & conf.* 340. *num.8*, & communiter DD. *in Rubr. ff. de off ejus, cui mandata est iurisdictio*, & in *Rubric. extrà, de off. deleg*.

Delegatus Principis dignior redditur ipso Ordinario, cùm possit Ordinarii jurisdictionem impedire, § *iudicare, in Authen de defens. civi.* & tradit Menoch *cons. 51. n 9*. 62

Inter præcipua munia, quæ Summus Pontifex confert, illud est, quod habet unus ex Clericis Cameræ super Arma; dictus propterea Armorum Romanorum Commissarius Generalis, & Provisor, de quo officio loquitur Card. de Luca, *lib 3. de iurisdict. disc 78. num. 6.* quodque nunc tam accuratè exercet Illustriss. ac Reverendiss. D. Joseph de Aste, Reverendæ Cameræ Apostolicæ Decanus, non tam nobilitate, quàm prudentiâ, æquitate, pietate, aliisque animi dotibus præclarus. 63

Artaxerses Persarum Rex, Arbaci cuidam Medo, qui in conflictu perfugerat ad Cyrum, mox perempto isto, se receperat ad ipsum, timiditatis, & ignaviæ notam sibi inurens, non proditionis, vel improbitatis; imperavit, ut nudum collo impositum, equitantis modo scortum per integrum diem circumferret in foro; Sic refert Plut. *in Artaxerse*. 64

Valens Imperator exercitum contra Procopium misit, quem parvâ felicitate lætatum, in Phrygia superavit; non paucis militibus ad eum ex Procopii castris transeuntibus, scuta inversa gestantibus, quod defensionis est argumentum: Sic refert Cuspin. 65

Princeps ille creditur feliciter bellaturus, qui cœpit à primis suæ ætatis annis exercitibus imperare, ut fecit nostris temporibus Philippus V. Hispaniarum Rex, in quo adhuc adolescente magnâ omnium admiratione elucent Religio, Justitia, Prudentia, Pietas, Munificentia, omnes denique perfecti Principis Virtutes. 66

Suo loco fuit à nobis demonstratum, violatores immunitatis Ecclesiasticæ censuras incurrere: Hic addimus, quòd absolutio ab hujusmodi censuris est Summo Pontifici reservata: Die 3. Julii 1638. *Liciensis, lib. 3. decret. Paulutii*, juxta Const. Gregor. XIV. quæ incip *Cùm alias nonnulli*. Sac. Congreg. Concil. sub Anno 1617. 67

Princeps Laicus, aut Dux exercitus non potest instituere, vel indicere dies festos, & ita per suas litteras in forma brevis declaravit Innocentius X. die 6. Octobris Anno 1653. ut notat Thomas del Bene, *in addit. ad opus de immun. Eccles. sub verbo, Festi Dies*. 68

Peccat Princeps, dispensando in jure humano sine causa, quamvis valida sit dispensatio, etiamsi conce- 69

concedatur sinè causâ Rub. *in Annot, ad dec. 217, num.* 149. *tom.* 1. *p. 9. recent.*

70 Potest Princeps tollere jus alteri quæsitum, etiam de jure gentium, & de plenitudine potestatis, & sinè causâ; nec contrarium dici potest absque mendacio, Angel. *in l. item si verberatum*, §. 1. *ff. de vindic.* Rub. *in Annot. ad decis.* 317. *num.* 10. 11. 13. *tom.* 1. *p. 9. recent.*

71 Nemini conceditur jus imponendi gabellas, & collectas Populo ad privatam utilitatem, & opulentiam, quod neque ipsimet Principi est concessum; cum istud jus Princeps exerceat, tanquàm Reipub. Maritus, ac subditorum Pater, & legitimus Administrator, ac pro eorumdem defensione, & conservatione, cum hujusmodi gabellis, & contributionibus onera Matrimonii politici supportet, quando exigit necessitas: Card. de Luca, *lib.* 14. *Miscell. Eccl. disc. 6. num. 16.*

72 Princeps in bello captus olim interfici non poterat. Rub *in Annot. ad decis.* 217. *num.* 210. *tom.* 1. *p. 9. recent* ubi alios citat.

73 Princeps nullo modo valet, nec de plenitudine potestatis, à suo contractu, vel suorum Antecessorum recedere. Castren. Less. Cravet. quos refert, & sequitur Rub. *Annot. ad dec.* 217. *num.* 479. *tom.* 1. *p 9. rec.*

74 Ecclesiastici non tenentur ad collectam, & contributionem, quam Princeps imponit ad subveniendum, tempore belli, aut penuriæ, suis subditis: Princeps enim est subditorum Pater, atque adeò illis de proprio tenetur subvenire. Card. de Luc. *tom.* 14. *Misc. Eccles. disc. 6. num.* 18.

75 Princeps, qui potestatem habet condendi leges, eisque dispensandi, atque tollendi jus tertii, potest in ejus ditione cum propriis subditis derogare fideicommissis, aliisque ultimis voluntatibus, seu aliàs eas commutare; quia testandi facultas provenit à lege, non divina, vel naturali, sed positiva, cui Princeps qui lex animata dicitur, potest derogare. Card. de Luca, *lib.*14. *in Annot. ad Sac. Conc. Trid. disc.* 21. *n.* 5.

76 Papa habet potestatem tollendi jus tertii, & derogandi pactis, & conventionibus (quidquid Antiquiores dixerint) Ita sentire videtur Gabr. *de jure quæsito non tollendo, quæst.* 1. Galeot. *responso fiscali* 23. *ex num.* 60. *& 256.* Cardin, de Luca, *lib.* 1. *de Feud. disc.* 99. *num.* 4.

77 Princeps ex causâ publicæ utilitatis potest jus tertio quæsitum auferre, Rub. *in Annot. ad decis. 666. num.* 61. *par.* 4.

78 Qui non est Princeps supremus, non potest tollere jus tertii; cùm neque ipsimet Principi concedatur hoc facere, nisi de absoluta potestate, & ex justa causa, concernente publicam utilitatem. Card. de Luca, *p.* 3, *lib.* 4. *de locat. & conduct. disc.* 44. *num.* 2. ubi plures allegat.

79 Ad Milites privatos inquirere non pertinet de injustitia, vel justitia belli, utpotè vulgò, & militibus ignota; nam ubi non agatur de plusquam certa, & notoria tyrannide, ad legitimè nanciscendum dominium prædæ, ac bonorum in bello occupatorum, eis sufficit agi de bello publico, indicto scilicet à Principe, habente jus illud indicendi; cùm justa causa ab eis regulariter sit præsupponenda, Menoch. *de præsumpt. lib. 6. præsumpt* 96. *num.* 3. *&.* 4. Card. de Luca, *lib.* 1. *de Feud. disc.* 58. *num.* 9.

Episcopos, aliosque Prælatos non implicat esse Feudatarios, & subditos Principis sæcularis ratione Feudi; in his tamen, quæ illud concernunt, juxta Tex. litteral. *in Cap. Ex transmissa, & cap. seq. de foro compet.* & tradit Card de Luca, *lib.* 1. *de Feud. disc.* 60 *num.* 13. 80

Potestas tollendi jus tertii, solùm posita voluntate, vel de jure, vel de facto, residet in supremo Principe, & non in Barone, in quo neque voluntate datur hæc potestas. Idem Cardin, de Luca, *lib. 4. de servitutib disc.* 28 *num.* 8. 81

Concessio facta Principi, intelligitur absque tertii præjudicio, nisi expressa, ac specialis mentio fiat. Idem Card. de Luca, *lib.* 4. *de servitut. disc.* 5. *num.* 6. 82

Tenetur Princeps servare contractum correspectivum, nec illum violare potest, nisi concurrente causa publicâ. Idem Cad. de Luca, *p.* 3. *lib.* 4. *de locat. & conduct. disc.* 3. *num.* 10. 83

Coram Regali Celsitudine Ducis Sabaudiæ fuit à doctis Jurisperitis eruditè agitata hæc quæstio; an Princeps sæcularis, inconsulto Romano Pontifice, possit Hebræis usuras permittere: quod notat Card. de Luca, *lib.* 5. *de usur. num.* 6, & fuit conclusum negativè. 84

In generali concessione, & facto Principis non præsumitur, eum tertio præjudicare voluisse. Rota. Rom. *decis.* 501. *num.* 25, *p.* 5, *recent, coram Merlino.* 85

Principes Christiani non verè, & propriè Ecclesiasticis bonis exemptionem concesserunt, sed potiùs detexerunt, & in eam à Deo concessam consenserunt, illiusque exercitium jussêre, Rota Romana, *decis.* 339. *num.* 31. *p 6. coram Merlino.* 86

Bellum, & pax inter se adversantur, & tamen finis belli est pax. Pugnatur enim, ut pax habeatur. *Cap. Noli,* §. *Pacem, causa* 23. *quæst.* 1. & tradit, Rub, *in Annot ad decis* 131. *num.* 184. *p.* 8. 87

Princeps verè fidelis reflectens, quòd nullum opus gratum est Deo, si careat pace, nec munus ad aram; cùm Regius Vates, Vir secundùm cor Dei, justo zelo accensus contrà persecutores pacis sic inclamaverit ad Dominum Deum nostrum, in Ps. 67. *num.* 32. *Dissipa Gentes, quæ bella volunt*, pacis tractatui libenter consentit, bellumque relinquit etiam experimento ductus, quòd bellum verè bellua est, omnia devorat; ut notat etiam Rub. *in Annot. ad decis.* 29. *num.* 9. 88

Romanus Pontifex est Monarcha, Imperator, Rex, & Antistes, & habet potestatem in toto Orbe ad consequendum aliquem finem supernaturalem, Rub. *in Annot. ad decis.* 217. *num* 166, *tom.* 1. *p.* 9. *rec.* 89

Papa est Vicarius Christi, habens spiritualem potestatem in toto Orbe, *Cap. Duo sunt quippè,* 96, *dist. Cap.* 2. *de translat. Prælat.* & sic est Ordinarius Ordinariorũ, & Episcopus totius Orbis. Rub, *Annot. ad decis.* 217 *n* 164, *tom.* 1. *p.* 9 *rec.* 90

Princeps, auferendo rem alicui ex causa, non procedendo per viam legis generalis, sed specialis, sine dubio teneretur refundere damna, Rub, *in Annot, ad decis* 217. *n.* 123. ubi alios. citat. 91

92. Prin-

92 Princeps pro obtiuenda pace, poteſt absque ulla compenſatione remittere damna ſubditorum eis illata tempore belli, cum gravior ſit cauſa, & utilitas publica. Rota Romana, *deciſ. 413. num. 33. part. 12. recentior. coràm Bonviſio.*

93 Princeps, qui aliàs non poteſt donare; neque alienare Terras ſuis Vaſſallis, poteſt cauſa remunerationis benemeritorum id præſtare, Rot. *deciſ.* 357. *num. 76. par. 12. recentior. coram Cocin.*

94 Inter bellum & pacem datur medium, nempè treuga, quæ eſt ſecuritas data rebus, & perſonis, diſcordiâ durante, Rot. *deciſ.* 100. *num 5. p. 15. rec. coram Ottalora.*

95 Bellum, ejusque timor dicitur ceſſaſſe, publicatis Capitulationibus pacis; dicuntur enim Capitulationes pacis finis belli, & timoris cujuscunque hoſtilis periculi. Rot. *deciſ.* 100. *num. 4. p. 15. recent. coram Ottalora*, ubi alios refert.

96 Princeps, ſi promittendo, vel contrahendo cum ſubdito efficaciter, ideſt naturaliter, & civiliter non obligaretur, nullus Vaſſallus vellet contrahere cum ipſo; & ſic hominum privaretur commercio, quod valdè grave eſſet, ut probat juribus, & DD. auctoritatibus, Rub. *in Annot. ad deciſ.* 217. *num.* 475. *tom. 1. p.* 9. *rec.*

97 Juri Civili; Princeps derogare poteſt. Rot. *deciſ. 11. num. 25. p. 16. rec. coram doctiſſimo Carpineo*, nunc Cardinali ampliſſimo, genere, doctrinâ, prudentiâ, aliisque virtutibus clariſſimo, ubi dicit, quod Princeps non poteſt tollere jus alicui quæſitum de jure gentium.

98 Bellum juſtum eſſe præſumitur, & qui allegat injuſtitiam, illam probare tenetur. Rot. *deciſ* 148. *num. 7. p. 18. coram Rondinino.*

99 Princeps in invaſione Civitatis adverſæ, aliquando prohibet militibus, ne ullum hoſtilitatis actum exerceant, omnibusque liberum commercium, tutumque tranſitum per omnes Civitates concedant, ut politicà ratione faciliùs populorum animos ſub ſuo dominio redigat. Rot. Rom. *dec.* 336. *num. 1. p. 17. coram Calataju.*

100 Alibi diximus, primam belli legem eſſe, ut inferatur à Principe, vel Republica non recognoſcente Superiorem, publicâ auctoritate, Doctoribus ibi pro nobis allegatis, addimus nunc Gonzalez, *in lib. 2. decretal. tit.* 24. *de jurejur. cap. 29. num. 7.*

101 Lege Julia majeſtatis ſancitum fuit, ne quis injuſſu Principis bellum gerat, delectum conſcribat, aut exercitum comparet, *l. 3 ff. ad leg. jul. majeſt. l. unic. Cod. ut uſus armor. inſcio Principe, lib.* 11. & docet Emmanuel Gonzalez, *in lib. 2. Decretal.* loc. ſupra cit. *num. 7.* ubi refert plures punitos contrafacientes, & inter eos ex Dio. *lib.* 57. Capitonem, Procuratorem Fiſci Aſiæ, miſſum à Tiberio in exilium, eo quòd milites armaſſet inſcio Principe.

102 Militare non eſſe delictum, ſed licitum, & honeſtum alibi fuit à nobis demonſtratum pluribus juribus, & rationibus; nunc ſubdimus, idem pariter probari à pluribus Sanctis Patribus, quos refert, & ſequitur Emmanuel Gonzalez, *in d. lib. 2. Decretal. tit. 24. de jurejur. cap. 29. ſub. num. 6.*

Licitum eſt Chriſtianis militare: unde *lib* 2. 103
Machab. legimus, *cap.* 15. Jeremiam Prophetam gladiū Judæ tradidiſſe, his verbis: *Accipe Sanctum Gladium munus à Deo, in quo deiicies Adverſarios Populi mei Iſrael.* Hanc veritatem defendunt contra Anabaptiſtas, aſſerentes Chriſtianis non licere bellum gerere, Bellarminus, *tom. 1. controverſ. tit. de laicis, lib. 3. cap. 15.* Victor. *in relect. de jure belli* Emmanuel Gonzalez, *in lib 2. Decretal.* loc. proximè cit. *ſub. numer.* 6. ubi plures allegat.

Tradunt legum Interpretes, bellum offen- 104
ſivum juris gentium eſſe, ab eoque jure ejus originem eſſe repetendam, ut per Tex *in l. ex hoc jure, ff. de juſt. & iur. §. Jus autem, Inſtit. de iur. natura*, & notat Emmanuel Gonzalez, loc. cit. ubi addit, bellum defenſivum illius juris eſſe, quod commune eſt hominibus cum animalibus, juxta, *l.* 1. *§. Arietes, ff ſi quadrup. pauperiem:* ibidem ſubdens „ Sicut enim injuſta bella juri naturæ contraria ſunt; ita juſta „ ejusdem juris rationi conſentanea ſunt, & ma- „ ximè conveniunt; ideoque omnibus, etiam „ Chriſtianis, honeſta, & licita ſunt. „

Clerici conjugati non tenentur ad Colle- 105
ctam, quæ imponitur pro donativo Regio, quatenus adſit conſuetudo: *die 12. Decemb. anno 1645. in Caputaquenſi, lib. 3. decr. Paul.*

Non ſolent Eccleſiaſtici ſolvere donativa 106
Regia, niſi pro Beneficiis, quæ ſunt Jurispatronatus Regii: & neque pro iſtis, ſi eorum Prælati, ſeu Rectores ea in parlamento ſponte non obtulerunt: & ideò ſi Oeconomus Regius eos moleſtat, qui ea non promiſerunt, incidit in cenſuras; Sac. Congreg. Epiſcopor. *in Panormitana, 2. Decembris* 1589. *& in Agrigentina, 22. Januarii* 1597. *Et in Meſſinenſi, 22. Januarii* 1601.

Non pertinet ad Principem, vel Judicem Lai- 107
cum facere edicta circa Feſtorum obſervationem. Sac. Congreg. Epiſcoporum *in Umbriaticenſi, 2. Martii* 1621.

Epiſcopi ſoli Pontifici Romano obedire de- 108
bent: *die 12. Martii* 1627. *in Umbriaticenſi, in Regeſt. lib 4. Paul.*

Epiſcopus vocatus à Regiis Neapolim non 109
debet accedere; *die 25. Maii* 1638. *in Lancianenſi, lib. 3. decr. Paul.*

Epiſcopus punitur pro paritione facta ad 110
audiendum verbum Reipublicæ Januenſis, *die 12. Novembris* 1647. *in Marianenſi, lib. 4. decr. Paul.*

Epiſcopus non debet parere litteris ad au- 111
diendum verbum regium: *die 27. Auguſti* 1641. *in Caputaquenſ. lib. 3. decr. Paul. Cuſentina, die 17. Januarii* 1634. *lib 2. decr.* Paul. *Nuſcana, die 15. Februarii* 1633. *ibid.*

Qui habet jurisdictionem in ſua perſona 112
reſidentem, poteſt delegare: aliàs ſecùs, & morte delegantis re integra extinguitur delegatio, *l. more maiorum, ff. de iurisdict. om. iudi.* & ibi Gloſs. *v. hac. lex.*

Differunt inter ſe hæc duo, nempè delin- 113
quere in perſonam Principis, & delinquere contrà Statutum Principis; eſtò forſan quoad pœnam non ſint diverſa. Mar. Ital. *in tract. de immunit. Eccleſ. l. 1, Cap. 5. §. 7, num.* 45.

114. Offen-

114 Offensio in personam Principis non semper est propriè crimen læsæ Majestatis in personam Principis; ut si offensor non esset subditus Principis offensi ratione originis, vel domicilii: Tunc propriè non diceretur læsæ Majestatis crimen committere; quod etiam docet Farin. *tit. de crimine læsæ Majest quæst.* 112. *n.*240.

115 Nomine Principis, ob cujus offensionem privilegium immunitatis amittitur, ille intelligitur, qui supremam habet jurisdictionem, neminique est subjectus; Qualis est Pontifex, Imperator, Rex Hispaniæ, Rex Galliæ, aliique Reges superiorem non Recognoscentes, & secundùm probabiliorem sententiam, Regalis Celsitudo Ducis Sabaudiæ, Magnus Dux Etruriæ, Dux Bavariæ, Dux Mantuæ, Dux Mutinæ, & alii, quorum quilibet eminentiori nomine, seu per antonomasiam Princeps nuncupatur; ut notat Mar. Ital. *lib.*1. *de immunit. Eccles. cap.*6. §.7. *num.* 18. Ambros. *eod. tit. cap.* 9. *num.* 5. Farin. *in append. de immunit. cap* 14. *num.* 188. Castropalaus. *de rever. debit. loc. sac. disp. unic. punct.* 9. *num.*49.

116 Non parvum adesse discrimen inter Imperatorem, & Regem, omnes fatentur; Siquidem Imperator dicitur ab imperando, seu jubendo, Rex verò à regendo, 21. *Dist. Cap. Cleros: causa* 12. *quæst.* 1. *Cap. Duo.* Et hoc etiam dicit Bal. *in* 3. *vol. cons.* 278. incip. *Pridiè*, in fin. dicti Consilii. Et Alvar. *in Cap.* 1. in princ. *col.* 6. Hinc Sanctus Dionysius, relatus à Matth. de Afflict. *in Constit. Neapol. quæst.* 1. *num.* 6. inquit, quòd ideò Beatissima Virgo Maria dicitur Regina, & Mater Misericordiæ, & non Imperatrix Misericordiæ; quia hoc nomen Imperator est magis nomen terroris, & Rigoris: Regina autem est magis nomen providentiæ, & æquitatis. Aliud ab aliis assignatur inter Imperatorem, & Regem discrimen; nempè quòd Reges fuerunt omni tempore, videlicet ab initio; quod probat Tex. *in l.* 2. §. 1. *ff. de orig. jur. & in l. hoc jure, ff. de just. & jur.* nec non *in Cap. Nos si incompetenter,* §. *sed notandum, causa* 2. *quæst.* 7. ubi legitur, quòd duabus personis regitur Mundus, Regali scilicet, & Sacerdotali. At Imperatores fuerunt ex post facto; & tempore Christi primus Octavianus; Propterea in Veteri Testamento nulla fit mentio de hoc nomine, Imperator, ut advertit Matth. de Afflict. loc. cit. in fin. ubi allegat Andr.

117 Rex habet in suo Regno supremam potestatem, *l. Cæsar, ff. de public. l. benè à Zenone, Cod. de quadr. præscrip.* & tradit Bal. *in l.* 1. *ff. de orig. jur. & in Rubr. ff. veteris, in* 13. *colum.* dicit hoc verum esse, etiamsi Rex regnum suum ab alio recognoscat in feudum. Meritò igitur Andr. *Cap. unic.* in fin. *de investi. de re ali. facta*, dixit, liberos Reges habere potestatem Imperatorum, & populi Romani; Quod optimè firmat Felin. *in Cap. Cùm non liceat*, *in* 4. & 5. *colum. de præscript.* Imò Bald *in l. exemplo*, 2. *colum. Cod. de probatio*, ait, quòd Rex in regno suo est Imperator, saltem de facto; & tenet Jo: Andr. *in addit. specul. in titu. de instrumen. adi.* §. *porrò*, in additione magna. Hinc ipse Bal. *in l. jus pluribus, ff. de just. & iur.* dicit, fuisse à jure divino concessam Regibus supremam potestatem, cui favet Evang. Jo. *in Cap.* 19. *num.* 11. ubi dicitur: *Non haberes potestatem adversum me ullam, nisi tibi datum esset desuper*: Ideoque Rex rectè dicitur lex animata in suo secundùm Bal. *in Authen. hoc amplius*, 2. *Volum. Cod. de fideiusso.* 118

Posse Reges in eorum regnis leges condere, indubitatum est apud omnes: Et Leges firmas remanere etiam post depositionem Legislatoris, sicut accidit Federico; nisi per Successorem cassentur, tradit Baldus, *in l.* 1. *in* 1. *colum. ff. de orig. iur. & in l. Decernimus, Cod. de Sacrosanctis Ecclesiis*, dicit, quod leges, factæ à Tyranno, post privationem, non obtentu personæ Tyranni, sed ob aliam justam causam, ut putà ad maleficia punienda, aut ad civiles causas dirimendas, valent.

Omnibus est necessaria, potissimùm verò 119 supremo Principi, & quidem circa res bellicas, prudentia, quæ juxta D. Thom. 2 2. *quæst.* 47. *art.* 8. in corp. est recta ratio agibilium; cujus tres sunt actus; quorum primus est consiliari, quod pertinet ad inventionem mediorum. Secundus est judicare de inventis. Tertius est præcipere, consistens in applicatione consiliatorum. Scimus enim, in bello non pauca delicta committi, & Principem supremum, non solùm ex cura sibi debita ratione officii, teneri providere circa delicta commissa punienda, sed etiam ut delicta in futurum non committantur; Siquidem futura sunt præcavenda, *arg. in cap.* 2. *de servis non ordin.* & facit *Cap.* 1. *de reb. Eccles. non alien.* & præcavere actus est prudentiæ, quemadmodum & consiliari, & præcipere, ut clarè docet Arist. 6. *Ethic.* ubi dicit, prudentis est benè consiliari, & præcipere; quod firmat Doctor Angelicus loc. cit. & Arist. in eod. loco, dicit, quòd prudentia in Principe est ad modum artis architectonicæ; in subditis verò ad modum manu operantis. Hinc oritur illa communis regula, videlicet, quòd meliùs est antè tempus occurrere, quàm post vulneratam causam remedium adhibere, ut *in l. fin. Cod. in quibus caus. in integ. restitutio necessaria non est. l.* 1. *Cod. Quando modo liceat unicuique sinè iudice se vindicare.* Et S. Aug. 14. *de Trinit.* asserit, actum esse prudentiæ insidias præcavere, quæ in bellis sæpissimè adhibentur, ut suo loco ostensum est.

Curet Rex, & Princeps pacem in suo Regno, 120 seu inter suos semper servari, si cupit in bello de hostibus triumphare. Pax verò certò servatur: Primò si minor exhibet reverentiam Majori; Majores enim secundùm justitiæ exigentiam præponi debent Minoribus, ut probat Tex. *in Capit. Sic* (inquit) *causa* 2. *quæst.* 7. & facit bonus Tex. *in Cap. Ad hæc,* 89. *Dist.* cui concordat. Tex. *in Authen, de defens. civit.* § *qua igitur.* Secundò, si superior benignè, patienter, & diligenter inferiores audit quærelantes, nisi in casibus exceptis, *in Cap. In nomine Domini*, 23. *Dist.* & in Glos. *in v. audientiam: Et in l. sed si per Prætorem*, § *sed & fidum, ff. ex quibus caus. maio. &c. Cap. est iniusta, causa* 23. *quæst.* 4. Tertiò, si senis, ac Sapientis consilia practicè excipiuntur; nam plus juvant Rempublicam senum consilia, quàm bellantium arma, juxta illud Eccles *cap* 9. *num. fin. Melior est sapientia, quàm arma bellica*, & Tullius, *de Senec.* asserit, senes, qui dant consi-

consilium, in Republica plùs agere, quàm alii. Quartò, si patientia in omnibus ostenditur: Ita enim est mater discordiæ, & patientia opponitur iræ. Hinc Evangelista Lucas *cap.* 21. *n.19.* inquit, *In patientia vestra possidebitis Animas vestras.* Quintò, si apud habentes curam Reipublicæ non sit acceptio personarum, sed æqualiter, nemine neglecto, in homines intendant, æqualiterque eos regant, ut advertit Tullius, *de offic. lib.* 1. propterea dicit Tex. *in Cap. Maioribus, de preb.* „ Idcircò, ut sicut in magnis, " ita quoque in minimis membris suis firmatam " Ecclesia habeat unitatem. Ultimò, si in regno unus est Rex: Pluribus enim in regno existentibus Regibus, pax in eo regnare non potest, ut ostendit Lucas de Pen. *in l. fin. Cod. de delato, lib.* 10. & habetur *in Cap. Clericus, & seqq. causa* 21. *quæst.* 1. sed clariùs *in Cap. In apibus, causa* 7. *quæst.* 1. ubi dicitur " In apibus Princeps " unus est; & Grues unam sequuntur ordine li- " terato. Imperator unus: Judex unus Provin- " ciæ, Roma, ut condita est, duos fratres simul " reges habere non potuit, & parricidio dedica- " tur. In Rebeccæ verò utero Esau & Jacob bel- " la gesserunt,&c.

121 Suo loco ostendimus, posse Summum Pontificem, imò aliquando debere, Principes Christianos, aut Universitates, ad invicem belligerantes, ad pacem compellere: Nunc addimus à fortiori, eos posse, & aliquando debere ad treugam, & inducias cogere, quæ sunt dispositiones ad pacem; *arg. l. ad rem mobilem. ff. de proc. & l. ad. legatum, eod. tit. Cap. Soluta, extrà, de maio. & obed.* Summus enim Pontifex constitutus est à DEO super Reges, & regna, ut colligitur ex Jerem. *cap.* 1. *num.* 10. ubi dicitur. *Ecce dedi verba mea in ore tuo: Ecce constitui te hodiè super Gentes, & super regna, ut evellas, & destruas, & disperdas, & dissipes, & ædifices, & plantes.*

Agesilaus dicebat, Regem, præsertim bellatorem, non delitiis potiorem suis subditis esse debere, sed potiùs virtute. Plutarch. *in Apophe. Laconicis*, Schualenbergius, *p.* 1. *de animo regio*, pag. mihi 164. Jodoc. *lib. de regio off. cap.* 4. 122

Caveant Principes, dum agitur de pace constituenda, nè ejus dulcedinis prætextu crudelius bellum ab hostibus excitetur: Sciant propterea ubi latent insidiæ, pacem esse non posse. Bal. *in cap.* 1. *de pace iuramen. fir.* Paris, *consl.* 68. *num.* 210. *vol.* 4. Afflict. *decis.* 403. *num.* 8. Hinc Marc. Tull. *lib.* 1. *offic.* inquit, paci tunc consulendum esse, cùm nihil insidiarum habet & *Philip* 12. admonet, quòd pax est repudianda, si sub ejus nomine lateat bellum. 123

Plurimùm juvat ad firmandum, & conservandum Regnum, & Imperium etiam in medio belli hæresum destructio: Et successivè hæresibus minimè debellatis, Regna nunquàm esse tuta,testantur Historiæ. Scimus propterea Orientale Imperium paulatim cecidisse propter dissimulationem Imperatorum hæreses sufferentium, ut habetur *ex Cap. Adrianus, 63. Dist.* & observat Petr. Gregor. *de Repub. lib.* 22. *cap.* 14. *num.* 2. Ideòque Nestorius in prima inauguratione ad Archiepiscopatum Constantinopolitanum, Imperatori dicebat: " Da mihi, Imperator, terram ab hæreticis liberam; & ego tibi Cœlum " reddam: Tu mihi hæreticos extirpa, & ego Per- " sis delendis adero: Histor. Tripart. *lib.* 12. " *cap.* 4. Chericus, *in Coronide, centur. qq. Politic, quæst.* 8. apud Valenzu *p.* 2. *consid.* 9. *num.* 32. 124

FRAGMENTA.

Quæ superfuerunt Libro II. Difficultatum pertinen. ad Duces Exercituum.

1 Dolus haud dubiè, quo bellatores uti solent, magna in hostes operatur: Quod sanè testatur Varus Quintilius nobilis Romanus, qui, ab Augusto Germanico Exercitui præfectus, ab Arminio dolo circumventus est, & cum tribus Legionibus interfectus. Horat. Virgil. scribens, *lib.* 1. *Carm.*

2 Quamvis tempore belli liceat Exercituum Ducibus alienas litteras intercipere, easque legere, nihilominùs aliquando possunt ipsi laudem mereri, si eas intactas relinquant. Plurimùm enim laudantur Athenienses, qui cum Philippi hostis litteras ad Olympiadem uxorem scriptas intercepissent, eas inviolatas reddiderunt, ne thori affectiones, & conjugii secreta panderentur. Sic refert Alex. *Genial. lib.* 2. *cap.* 19. E contra verò, censurâ notatur Menelaus, quia, ut apud Homer. legitur, litteras Agamemnonis ad Clytemnestram uxorem missas, quibus mandabat, ne filiam Iphigeniam, Græcorum consilio mactandam, duceret, intercepit, & legit; Quo factum est, ut Iphigenia ducta immolaretur; quod etiam narrat Decian. *Tract. crimin. lib.* 7. *cap.* 17. *n.*47.

Non est Ducis prudentis milites, quamvis plurimos, in re navali inexpertos mittere ad pugnandum cum expertis in aqua; & Inexpertos in terra mittere ad præliandum cum terrestri exercitu. Nihil enim valet indocta bellantium multitudo, nesciens mare; siquidem à paucis expertis in aqua de facili superatur;Nesciens terram, nam pauci experti in terra possunt de ea facillimè triumphare. Adest exemplum Themistoclis, qui 3

qui apud Salaminam Palmam gloriosam reportavit operâ suorum paucorum, doctorum in aqua, adversùs indoctam multitudinem Xerxis, ut refert Jul. Ferret. *de jur. & re navali*, *lib. 3. num. 5.*

4 Duces Classis oportet pollere arte natandi, cùm possint hoc modo in periculis mortis seipsos, & suos salvare: Testatur hoc Julius Cæsar, qui captâ Insulâ magnâ extra circuitum terræ, & contrà Ægyptios bellando, ne caperetur ab hostibus, qui eum insequebantur, è scapha, in quam ascendit, ut suis occurreret, se projecit in mare, & natando tutò evasit; manu semper supra aquam elevatâ cum Commentariis suis, ne aquarum injuriam paterentur: Et indè ad suos tutò reductus, pugnâ navali Ptolomæum Regem Ægypti, non sine tamen sanguinis utriusque Classis effusione, devicit. Et idem Cæsar in expugnatione Alexandriæ scaphamconscendens, mox sequentium pondere pressam, & quasi mersam, per spatium ducentorum passuum ad navim suam, lævâ elevatâ, quâ litteras ferebat Romani Senatus, natando pervenit. Præter Cæsarem, Magnus Pompejus, Augustus; Horatius Cocl. Sertorius, Pœnus, Annibal, Massinissa, & alii plures Duces, suâ natandi disciplinâ, & scientiâ necem effugerunt. Sic historiæ omnes, inter cæteros doctus Magister in arte natandi fuit Octavianus Augustus, gloriosus Imperator, in omni eruditus militia, qui navali bello devicit Marcum Antonium,& Cleopatram Reginam Ægypti, quos ad mortem deduxit; siquidem Marcus Antonius se pugione transfixit, & Cleopatra, ne in triumpho à Victore Augusto duceretur, se morsui aspidis dedidit. Quique Campum Martium majorum sententiâ Tyberi finitimum delegit, quo à Bellatoribus in Tyberi sudores martii, tabesque, & squallor in militia contractus, armorum exercitatione diluerentur, & natandi labore deponerentur.

5 Ducis justi, & prudentis navalis expeditionis est, fidos habere Ministros, qui ministeria peragant necessaria degentibus in Classe, nec non Navigantes cum ipsa debito stipendio contentos, & totam turmam remigantium, & servientium benè tractent singulis mercedem præstent; Benemeritis præmium exhibeant: Siquidem vox oppressorum, merces retenta laborum, innocentumque clamor interfectorum continuò de mari, & de terrâ ad DEUM exclamat, vindictam, & justitiam ab eo petendo.

6 Ad exercitus Ductorem spectat suos milites in assiduo exercitio tenere, ne otio, & successivè libidini, quæ vires necessarias ad bellandum debilitant, se dedant, Ovidio scribente, *de remed. amoris*

Otia si tollas, periêre Cupidinis arcus,

Hinc Scipio Nasica ut à suis tolleret occasionem pigrescendi, estò navibus minimè indigeret, nihilominùs suis præcipiebat militibus ligna præparare pro Classe, quam asturè construebat, ne gens sua in stationibus suis otio debilitaretur.

Debent Duces omni studio curare, ut habeant in exercitu, & classe milites obedientes; 7 memores, quòd Crotonienses, qui erant centum vigiori mille, quia perfectè non obediebant, ad fugam fuerunt coacti à quindecim dumtaxat millibus Locrensium, Duci suo exactè parentium. Obedientia enim est laus militiæ, assecuratio victoriæ, Ducum gloria, Corona Regum. Hinc Reges sine suorum obedientia dicuntur esse sine Corona.

Non paveant prudentes Exercituum Duces, 8 adversâ fortunâ insurgente, cùm possint suis iterum ordinatis hostes victores invadere, eosque vincere: Exemplo Gilippi Lacedæmoniorum Ducis bis victi, & postea de hostibus triumphantis; nam victus, animo tamen minimè prosternatus, instructâ iterum acie navium suarum, tertio ingressu Lamacum interfecit, & in fugam vertit Lyciam Duces Atticorum, quibus pluries fortuna favit; & Syracusanos Amicos ab obsidione Carthaginensium liberavit: Et iterùm refectâ Amicorum ope per Athenienses classe, novo indicto certamine, Gilippus primo ingressu de Atticis victor remansit, eorum spoliis, pecuniâ publicâ, unâ cum classe potitus: Et sic Gilippus suâ prudentiâ, suoque valore pristinum Syracusanis statum restituit.

Ducibus Exercituum, sive terrestrium, sivè 9 aquaticorum licitum est, imò quandoque expedit, ob hostes vincendum, simulare victoriam, exemplo Publii Cluentii Romanorum Consulis, & Ducis, qui navali bello Pœnorum valore superatus, finxit se fuisse victorem, ornando viginti Naves, quæ ei remanserant, tamquàm victrices; atque variorum instrumentorum sonitu gaudium simulando, & in gaudio triumphum: Quod Pœni videntes, & audientes, fugam arripuêre, putantes se fore victos: Ideòque Romani, qui erant victi, hujusmodi simulatione victores evaserunt.

Caveant Exercituum Duces, ne quidquam 10 in victos agant, si suos minimè offe oderint. Partâ autem victoriâ, inquit Cicero, *lib. 1. de off.* §. *Prætermittenda*, pag. mihi 28. " conservandi sunt ii, qui non crudeles in bello, nec immanes fuerunt, ut majores nostri Tusculanos, " Æquos, Volscos, Sabinos, Hernicos in Civitatem etiam acceperunt: at Carthaginem, & Numantiam funditùs sustulerunt. "

Ab omnibus, potissimùm verò ab Exercitûs 11 Duce, luxuriem abesse necesse est, cùm etiam victores facilè vincat. Exemplum habemus in Annibale, quem libido, armis etiam tum invictum, voluptate vicit, ut refert Cicero, *Orat. 2. de Leg. Agrar. contrà Serv. Rull.* §. *pen.* pag. mihi 94.

Pecuniam despicere oportet exercitûs Ducem: 12 Et ita se gerere censetur, si magnifice rebus gerendis præsit, & honores bellicos, virtutis mercedem suis proponat; nec non curet à suis auri cupiditatem avertere: Siquidem non ratò accidit, eos, qui animo forti sunt, & corpore adversùs hostes robusto ab auro, quod intuentur, obcæcari, debilitari, devinci. Nobis consentit Leo Imp. *de bellico apparatu*, *cap. 2. num. 8.*

13 Regulam, quam Leo Imp. loeo proximè cit. *num. 9.* tradit circa ætatem Ducis exercitûs; videlicet, quòd ad istiusmodi munus Juvenis non eligatur, esse limitandam, seu restringendam ad viros privatos; & Principes supremos minimè comprehendere putamus, exemplo ducti non paucorum etiam nostri temporis Ducum ab omnibus laudatorum, præsertim Ludovici, Galliæ Delphini filii, Ducis Burgundiæ in primo suæ juventutis flore exercitum in Belgico solo summâ prudentiâ regentis, atque constanter in arduis sese gerentis.

14 " Ad officia bellica spectant duo illa præcepta "Platonis, alibi à nobis memorata, quæ iis, qui "Reip. præfuturi sunt, præteribuntur; Unum, "ut utilitatem Civium sic tueantur, ut, quid- "quid agant, ad eam referant, obliti commo- "dorum suorum: Alterum, ut totum corpus "Reip. curent, ne, dum partem aliquam tuen- "tur, reliquas deserant; ut enim tutela, sic "procuratio Reipublicæ ad utilitatem eorum, "qui commissi sunt, non ad eorum, quibus "commissa, gerenda est. Cicer. *de off. lib.* 1. apud Ayal. *de jur. & off. bellic. lib.* 2. *cap.* 1. *num. 7.*

15 Ad assequendam præstantissimorum Ducum bellicam gloriam, impensè juvat, non tam summorum Ducum res præclare gestas observare, quàm sub eorum disciplina militare: Hoc contigit Alexandro Magno, qui tot bella, Duce Philippo Patre, cognovit, tot victorias vidit, Hoc Annibali, cujus primam ætatem Pater Hamilcar Hispaniensibus bellis erudivit. Quorum memor Joannes Tertius Rex Poloniæ, nunquàm satis ob ejus valorem laudatus, voluit Jacobum suum Primogenitum sub sua disciplina militare, præsertim in bello contra Turcas, Anno 1683 Viennam obsidentes, eumque bellandi, & vincendi modum practicè edocendo, eùm hujusmodi bello, ab immanissimis Christianæ Reipublicæ hostibus partim interfectis, partim in fugam versis, obsessam Urbem liberaverit.

16 Quatuor in summis Eercituum Ducibus inesse oportere; nempè scientiam rei militaris, virtutem, autboritatem, felicitatem, alibi ostendimus plurimorum authoritate; quibus nunc addimus Cicer. *in orat. pro leg. Manilia,§. satis mihi,* pag. mibi 9.

17 Prudentis Ducis non est suos spernere hostes, eò quòd eos inspiciat vitibus inferiores; suisque armis certam promittere victoriam uti multitudine superioribus. Siquidem incertus exitus belli est, inquit Cicero, *Orat. 55. in M. Antonium*, §. *A principio hujus belli*, pag. mihi 365. cùm jam dixerit *Orat. 52.* §. *Sed jam video*, pag mihi 347. " Sed ut concedam, incer- "tos exitus esse belli, Martemque commu- "nem.

18 Peccant mortaliter, vel venialiter juxta qualitatem materiæ hi, qui bellicas laudes solent extenuare verbis, easque detrahere Ducibus, & communicare illas militibus, ne propriæ sint Ducum, intellige, si laudum fundamentum sint Ducum merita. Ita communiter Theologi, inter eos Molin. *tract. 4. disp. 27.* Val. *tract. 3. disp. 5. quæst. 17. punct. 1.* Filliuc, *tract. 40. cap. 4. quæst. 1. num* 88. qui sequentibus versibus modos, quibus proximi fama læditur, comprehendunt.

Imponens, Augens, Manifestans, in mala Vertens:
Qui negat, aut Minuit, Tacuit, laudatque remissè.

Quibus octo modis alterius famam lædendi, sex alii per Reginaldum, *lib. 24. num. 68* adduntur; quos tamen ad superiores reduci asserit Tho. Tamb. *in Decal. lib 9. cap. 3. §. 1. num. 4.*

Cædes in bello, seu in prælio haud necessarias, etiam Barbarorum, esse suis militibus interdicendas ab Exercitûs Duce exemplum demunstrat Magni Constantini Imperatoris, qui omni militi, qui hostem in prælio non interfecisset, sed vivum cœpisset, sanxit certum in pecuniâ præmium; atque pecuniâ potiùs, quam verbis ferociores militum animos mitigabat, ut refert Eusebius Cæsariensis, *in lib. 2. de ejus vita, cap.* 13. 19

Duces exercituum, pro victoria obtinenda aptiores, eos esse censet Leo Imp. *de bellico apparatu, cap. 2. num. 24.* qui nullâ majorum suorum laude commendantur, cùm sæpè contingat, eos, qui majorum gestis clari sunt, & illorum merito illustres evadunt, negligentiores fieri, & omissiores; & eos, qui nihil à Majoribus acceperunt, Majorum obscuritatem conari sua virtute illustrare: quam regulam non esse universaliter intelligendam; & sic acceptam plurimotum offensivam, arbitramur. 20

Ducis est exercitûs bellum prudenter gerere; & quæ facto opus sunt, providere, non manibus consertis cum hoste pugnare: monitum hoc fuit Leonis Imp. *de bellic. app. cap. 14. num. 3.* Differt enim bellum à pugnâ, quòd bellum ab initio usque ad finem, & omnium militum cessationem, multas dicitur in se pugnas continere: pugna autem pars quædam quasi belli dicitur, quæ in universo belli modò est, modò abest, finemque bello minimè offert, si universalis non est pugna. 21

Caveat exercitûs Dux, nè res graves, atque secretas multis aperiat; eum hæ paucis tantummodò, iisque fidelioribus sint communicandæ. Idem sentit Sanctus Augustinus, expresse dicens, Paucis teipsum revela. 22

Neque severitas, neque humanitas importuna, sed digna exercitûs Duce decet Ducem exercitûs. 23

Proditores, qui in exercitu sunt, & dignoscuntur, non esse statim ad mortem, vel ad aliud supplicium damnandos censemus; cum possint eidem exercitui utilitatem parere; si nempè Dux contraria eorum quæ facturus est, illis narret; & hoc modo deceptis hostibus facilius, & melius ejus consilia finem intentum obtineant. 24

Optimus Dux exercitûs nequaquàm ille censetur, qui aut prosperitate rerum extollitur, aut adversis rebus deprimitur; eum non debeat suo exercitui videri, aut mollis, aut fractus, sed constans, & gravis; & ad omnem fortunam accipiendam fortis, ut tradit Leo Imp. *in bellic. appart. cap. 20. n. 90.* 25

26. Sin-

26 Singulare certamen cum hoste publico, jussu, vel saltem consensu Ducis, aut Principis subire, non causa vindictæ, aut privati odii, sed pro bono publico, esse extrà culpam, videtur probare Tex. *in l. 1. §. qui operas, ff. de postul.* & nullatenùs repugnare legibus, & statutis Pontificum, tradit Ayal. *de jur. & off. bellic. lib. 1. cap. 3.* imò maximam laudem mereri, exemplo Torquati, Corvini, Scipionis, Marcelli, & aliorum tenet Cagnol. *in l. favorabiliores, ff. de reg. jur.* hoc fultus fundamento; quia cum hoste pugnare utcumque in bello, quando ita postulat belli justi finis, non est tentare Deum, quod lege divina prohibetur; nec hostem tollere est homicidium patrare quod lex naturæ vetat, sed officio fungi boni militis. Qualis sit circà hanc rem sensus noster, explicavimus *tom. 1. lib. 1. diffic. 21. & lib. 2. diff. 12.*

27 Licere optimo Duci exercitûs insidiis, & calliditate pugnare quatenùs fides non violetur, suo loco demonstravimus; nunc addimus, Agesilaum dixisse, teste Plut. *in Apophth* impium quidem esse fidem datam violare, hostes autem decipere, non justum modò esse, sed suave etiam, & lucrosum; Ulpianum quoque dixisse *in l. 1. §. Non fuit. ff. de dolo*, bonum dolum esse; cùm quis adversus hostem, latronemvè quid machinatur; quapropter non inconsultò Lisander optimus Dux dicebat; leonina pelle deficiente, vulpinam esse assuendam, ut scribit Plut. loc. cit. Maximam verò laudem & gloriam stratagemata Duci adferre, ostendit Princeps Eugenius à Sabaudia Imperialium Armorum in Italia hiscè nostris temporibus supremus, ac laudatissimus Dux, Philippum Macedonem, ut arbitror, imitatus, qui in arte cavendi, & fallendi, seu in usu stratagematum insignis habitus fuit; quique „ gaudebat; longè magis, „ ut dicit Ayal. *de jur. & off. bell. lib. 1. cap. 8. „ num. 3.* decepto per dolum hoste, quàm aper-„ to Marte superato: Quare consultius, tutius, utilius, atque gloriosius profectò erit Duci, ubicunque poterit, ingenio, & ratione hostem superare, ut vult Pericles, quàm gladio.

28 Non esse statim mortalis criminis damnandos Duces belli, vel milites censemus, qui, ut victores fiant, se maximo committunt prælii, & conflictus periculo, ex quo certior est mors, quàm evasio: dicit enim Sanctus Augustinus, *lib. 22 contrà Faustum Manichæum, cap 74* relatus *in Cap. Quid culpatur, causa 23. quæst. 1.* Quid culpatur in bello? an quia moriuntur in bello quandoque morituri, ut dominentur in pace victuri: Hoc reprehendisse timidorum est, non religiosorum. Hinc non peccasse Eleazarum, virum fortissimum, occidendo Elephantem cæteris supereminentem, lorica vestitum regia, arbitratum in eo adesse Regem, validè probat S. Amb. *de off. lib. 1. cap. 40.* immò eum summopere laudat, quamvis à cadente bestia oppressus fuerit.

29 Dux exercitus debet quidem sui vultus alacritate militum animos ad quodvis periculum subeundum paratos reddere, non tamen temerè periculo sese exponere, nisi maxima necessitas id ab eo postularet; cum ab eo summa rerum dependeat. Legimus enim temeratia Ducum morte multas fuisse Urbes eversas, non paucas Provincias devastatas, plures fusos, fugatosque exercitus, innumera Regnis, Rebuspublicis detrimenta accidisse, ut refert Ayal. *de jur. & off. bellic. lib 2. cap. 2. num. 19.* ubi varia circà banc materiam exempla adducit.

30 Circa diffi ultatem, utrùm Duces belli debeant regere Exercitum comitate, & benevolentiâ, an severitate, à nobis propositam, *tom 1. lib. 2. diff 6.* expositis, & explicatis duabus sententiis inter se oppositis; alterâ nempè comitati; alterâ severitati faventefuit à nobis *num. 11.* conclusum, medio itinere esse procedendum, idest severitatem miscendam esse comitati, seu benevolentiæ, & comitatem severitati. Nunc superest videre, utrum in Duce exercitus quoad hostes requiratur magis asperitas, & sævitia, an verò comitas, seu humanitas; & eodem modo ob easdem rationes ibi allatas, ducimus respondendum; scilicet utramque rem esse temperandam, & successivè nimiam severitatem excludendam, & nimiam comitatem; estò contrà nos plura possint adduci exempla: quorum primum quod favet asperitati, est Annibalis, qui magnâ violentiâ, & crudelitate Italiam devastando, omnes Italiæ populos, omnia ferè Oppida sibi subjecit. Secundum, humanitati assentatur, est Scipionis, qui in Hispaniam missus ingentiâ sibi comitate, non solùm militum animos devinxit, sed etiam conciliatâ clementiæ famâ, totam Hispaniam ad Romanam Ditionem reduxit; nec non Camilli, qui Faliscos obsidens, non nisi summâ difficultate expugnandos, actum suæ humanitatis demonstrans, scilicet tradens proditorem Filiorum Regis, ipsos ad deditionem pellexit, teste Livio, *lib. 5.* His similia, & pleraque exempla, brevitatis gratiâ libenter omittimus; tantummodò subdentes, singulari dexteritate, & calliditate, tàm milites, quàm hostes esse à Ducibus tractandos, cum nullum sit animal, ut sentit Seneca, apud Ayal. *de iur. & off. bellic. lib. 2. cap. 4.* in princ. majore arte tractandum, quàm homo.

31 Dux exercitus minimè prudenter se gerit; imò suæ Reipublicæ graviter nocet, si hostem bellicosum, & vincere solitum, bellum extra patriam inferentem, statim aggreditur; præsertim si facilè cum certamine vinci non posse videtur; debet enim tempori dare tempus; & sua cunctatione, seu suo otio, fortassis hostium vires faciliùs expugnabit, quàm armorum exercitio. Sic docuit Fabius suo exemplo, & præclaris verbis, quibus L. Æmilium Paulum contrà Annibalem euntem ita affatus est. „ Una ratio belli gerendi adversus Annibalem est, qua ego gessi, „ &c. In Italia bellum gerimus, in sede, ac solo, „ nostro. Omnia Civium, ac sociorum sunt; „ armis, viris, equis, commeatibus juvant, ju-„ vabuntque, id jam fidei documentum in ad-„ versis rebus nostris dederunt. Meliores, pru-„ dentiores, constantiores nos tempus, diesque „ facit. Annibal contra in aliena, in hostili ter-„ ra, inter omnia inimica, infestaque pro-„ cul à domo, procul à patria: neque illi ter-„ ra, neque mare est pax: Nullæ eum Urbes „ excipiunt, nulla mœnia, nihil usquam sui „ videt, in diem rapto vivit: partem vix tertiam „ exercitus habet, quem liberum amnem tra-„ jecit:

" jecit: Plures fames, quàm ferrum absumpsit. " His paucis jam victum suppeditat. Dubitas ergò, quin eum sedendo superaturi simus, qui " senescat in dies? Non commeatus, non supplementum, non pecuniam habeat? Hæc Livius, *lib.* 22.

32 Summos Duces multoties convenit milites ad certamen necessitate compellere, variis modis fugæ spem adimendo, exemplo Annibalis, qui superatis Alpibus cum P. Scipione dimicaturus, necessitatem pugnandi suis exposuit, dicens;" Dextra, lævaq; duo maria claudunt: Nullam ne ad " effugium quidem navem habemus, &c. à tergo alpes urgent, vix integris vobis, ac vigentibus transitæ. Hic vobis vincendum, aut moriendum, Milites, est, Ayal. *de jur. & off. bellic. lib.* 2. *cap.* 11. *num.* 2. Exemplum quoque adest Vectii Messii Volscorum Ducis, qui visis suis in medio circumventis à Romanis, eos increpans clarâ voce: Hic præbituri, inquit, "vos telis hostium estis, indefensi, inulti? " Quid igitur arma habetis? aut quid ultrò bellum intulistis? in otio tumultuosi, in bello " segnes? Ferro via facienda est: Hac, quâ me " progressum videritis, agite qui visuri domos, " parentes, conjuges, liberos estis: Ite mecùm, non murus, non vallum, sed armati armatis obstant: Virtute pares, necessitate, quæ " ultimum, ac maximum telum est, superiores " estis. Hæc Livius, *lib.* 4. *sub Anno* 323. *lit. A*, pag. mihi 49.

33 Caveat Dux exercitûs, ne quidquam suis præcipiat, à quo ipse alienus est; siquidem officium Regentis exercitum, non solùm in danda, ut Marcianus respondit, sed etiam in observanda disciplina consistit; obstricti, si Christianus est, exemplum Christi imitari, qui in mundum veniens adversùs tartareas Potestates pugnaturus, cœpit facere, & docere, *Act. cap.* 1. *num.* 1.

34 Non debet Dux exercitûs quosvis servos hostium, qui ab illis ad se confugerint, statim recipere: Sæpè enim contingit ab hostibus dolo mitti, quasi servos, & rerum indigentes, ut insidias exercitui, aut Arci moliantur. Ita etiam admonet Leo Imp. *de bellico app. cap.* 20. *num.* 43.

35 Alibi demonstravimus, tempore belli plenâ securitate gaudere Presbyteros, Monachos, Conversos, Peregrinos, Mercatores, & Rusticos, Doctoribus pro hac conclusione allegatis: Addimus nunc Emmanuelem Gonzalez, *in lib.* 1. *Decretal. Tit.* 34. *de treug. & pa. num.* 9. qui eamdem conclusionem probat authoritate Pontificum, & Conciliorum.

Diximus tempore belli licere Ducibus exercituum litteras intercipere; Addimus nunc bellum non impedire litterarum transmissionem, Rot. Rom. *Decis.* 117. *num.* 14. *Recent. coram Verospio.* 36

Demonstravimus, licere Eminentissimis Cardinalibus ex licentia Summi Pontificis ducere exercitum: Nunc subdimus, Cardinales dictos fuisse à cardine, quia sicut ostium regitur per cardines, ita Ecclesia per Collegium, & Senatum Cardinalium, ut vult Anacletus Papa relatus *in Cap. Sacrosancta*, 22. *Dist.* simul cum aliis, quos refert, & sequitur Emmanuel Gonzalez, *in lib.* 1. *Decretal. Tit.* 33. *de majoritate*, *cap.* 11. *num.* 6. & eorum dignitatem à Jure divino originem duxisse, innuit Innocentius, *in Cap. Per venerabilem, qui fil. sint legit.* nosque scimus in primis Ecclesiæ temporibus Cardinalium mentionem reperiri, ut in Concilio Rom. à S. Sylvestro celebrato, Anno 324. referente Baronio, *tom.* 3. *Annal. sub Anno eodem*, & in Concilio Nicæno, relato *in Cap. Præsul. causa* 2. *quæst.* 4. De Cardinalium antiquitate, numero, ordine, officio, aliisque prærogativis, vide Gonzalez loc. proximè cit. de hisce rebus eruditè scribentem. Nos interim subdimus, Cardinales in Ecclesiis, ubi Titulum habent, & in Capellis, illis subjectis, obtinere omnimodam jurisdictionem, *Cap. His, de majorit. & obed.* habereque pariter jus conferendi omnia beneficia vacantia in prædictis Ecclesiis, absque eò quòd talis collatio subjiciatur dispositioni Bonifacii VIII. de qua *in Cap. Qualiter*, in princ. *de elect. in* 6. aut Regulæ secundæ Cancellariæ, ut notant Ludovicus Gomez, Chœlius, & alii apud Emmanuelem Gonzalez, *in lib.* 1. *Decretal. Tit.* 6. *de elect. cap.* 24. *num.* 6. 37

Exercituum Ducibus sedulò inservire in rebus bellicis suis supremis Potestatibus exoptantibus suademus, Bellicum apparatum Leonis Imperatoris, tam doctè, & prudenter expositum, attente inspicere, ubi innumera monita, admodùm opportuna pro Ducum munere rectè, & laudabiliter in terrâ, & in mari exercendo continentur, à nobis omissa, utpote ad nostrum institutum minimè pertinentia. 38

Nil aliud magis proprium est bono Duci Exercitûs, ejusque officio consonum, quàm hostium, & Imperatoris adversarii naturam, & ingenium cognoscere, Polyb. *lib.* 3. Siquidem quorundam in impetu vis est, qui parvâ morâ languescunt, ut inquit Tit. Liv. *lib.* 7. quotundam impetus acres cunctatione cessant, ut ex Tacit. *lib.* 3. *Annal.* observat Lipsius, *lib.* 5. *doctr. civ. cap.* 16. 39



FRAG-

FRAGMENTA,

Quæ superfuerunt Libro III. Difficultatum Pertinen. ad Officiales.

1 TRibunus Militum non habet militum privilegium, nisi ipse sit miles: & tradit Batt. *in l. quod constitutum, ff. de testa. milit.* Circà hanc materiam recurrendum est ad Anan. *in conf.* 14. *in conf* 27. *in conf.* 70. *& conf.* 104. ad Dec. quoque *in conf.* 44.

2 Munus est Officialium exercitus præsertim generalium Provisorum, omnia militibus suppeditare, quæ pro bello necessaria censentur; exemplo M. Fonteii, qui Galliâ per triennium post Præturam administratâ, Romam reversus, magnos equitatus ad ea bella, quæ tùm in toto Orbe terrarum à Populo Romano gerebantur, magnas pecunias ad eorum stipendium, maximamque frumenti copiam ad Hispaniense bellum tollerandum subditis imperavit, ut refert Cicero, *Orat.* 11. *pro M. Fonteio, Circà med.* pag. mihi 293.

3 Qui bellorum munera consequi cupit, debet se in militia exercere, à peritis modum bellandi percunctari, res à Bellatoribus gestas legere. Hæc peragendo, si ei ingenium, aut memoria minimè deficiat, ad quodcunque militiæ munus, etiam Ducis, estò ab adolescentia se in castris non exercuerit, se idoneum constituet. Exemplum adest in L. Lucullo, qui adolescentiam in Forensi opera, Quæsturæ diuturnum tempus in Asiæ pace consumpserat: unde ab eo Laus imperatoria minimè expectabatur; nihilominus magno consumpto tempore, partim in percunctando à peritis, partim in rebus gestis legendis, ad Mithridaticum bellum missus à Senatu, non modò opinionem vicit omnium, quæ de virtute ejus erat, sed etiam gloriam Superiorum. *Hæc in explanat. Orat. Cicer. pro leg. Manil.* §. *Satis mihi*, pag. mihi. 10.

4 Ad quæstiunculam, quæ potest animum Auditoris generalis exercitus perturbare, utrum multis idem crimen in re militari patrantibus, debeant omnes pœnâ capitali puniri, respondet Cicero resolutivè, *Orat. pro A. Cluentio habit.* §. *Video igitur*, pag. mi. 46. ibi dicendo „ Statuerunt enim ita Majores nostri, ut si à multis esset flagitium rei militaris admissum, fortitione in quosdam animadverteretur: ut metus videlicet ad omnes, pœna ad paucos perveniret, &c. Nè autem nimiam multi pœnam Capitis subirent, idcircò illa fortitio comparata est; ubi subdit, hanc regulam extra judicia bellica non valere, sed esse omnes, qui delictum commiserint; puta, si ob innocentem condemnandum pecuniam acceperint, debitâ pœnâ mulctandos.

Deficiente in Officialibus bellorum, aut fidelitate, aut diligentiâ, potest toti exercitui accidere, quod flendo narrat Cicero de Reipublicæ Romanæ militibus, *in Orat. pro Provin. conf.* §. *Quatuor sunt Provinciæ*, pag. mihi 131. nempè „ Jam verò exercitus ille noster superbissimo delectu, & durissima conquisitione collectus, omnis interiit: magno hoc dico cum dolore: miserandum in modum milites Populi R. capti, necati, deserti, dissipati sunt; incuriâ, fame, morbo, vastitate consumpti. 5

Officialem ad tempus non posse in judicio conveniri durante officio, receptum est, ut notat Card. Mantica, *tractat. de Tac. & Ambig. lib.* 27. *tit.* 2. *num.* 6. quamvis Officialis perpetuus conveniri possit, ut not. *in l. Principalibus, ff. si cert. pet. & in l. pars literarum, ff. de judic.* Neque de hoc debemus mirari, nam lex quandoque aliquid concedit ad tempus, quod in perpetuum interdicit, *l. quoties de precibus Imp. offer. & in l. hoc. judicium.* §. *Si conveniat, ff. commu. divid.* 6

Judex, regulariter loquendo, potest pacem, & concordiam suadere, non imperare, Bal. *in l. stipulatione, num* 1 *de sent. & interlo. omn. jud.* qui ex Gloss. *in l. furti*, §. *Qui jussu. num.* 1. *de his, qui not. insa.* quandoque tamen potest ad pacem, & concordiam compellere; ut puta, quando adeò gravis esset inter primarios Cives dissensio, ut Reipublicæ quasi evidens immineret detrimentum, *l. si quis ingenuam*, §. *In civilibus, ff. de capti. & postli. rever.* 7

Potest quidem unusquisque jure naturali, civili, & Pontificio, vim vi repellere, & injuriam propulsare *l. ut vim de just. & jur. & l. scientiam*, §. *Qui cùm aliter, ff. ad leg. Aquil & l.* 1. §. *Eum, qui, vers. vim vi, ff. de vi, & vi arma, & Cap. Significasti*, il secondo, *de homic.* sed hoc debet intelligi, quando quis incontinenti id potest facere, non ex intervallo; cum nemini liceat, absque Judicis auctoritate, se vindicare, *d. l.* 1. §. *Eum, qui, vers. vim vi, & l.* 3. §. *Eum igitur ff. de vi, & vi arma.* Intelligitur pariter quando quis potest id facere cum moderamine inculpatæ tutelæ, non ad vindictam sumendam, sed ad injuriam propulsandam, ut *d. Cap. Significasti, ad fin. & l.* 1. & ibi Gloss. in verb. *moderatione, Cod. unde vi:* Abb. *in d. Cap Significasti, num.* 5. 8

Episcopus benedicens Vexillum in bello explicandum, sic orat ad Dominum Deum; *Hoc Vexillum Cælesti benedictione sanctifica, ut contrà adversarias, & rebelles nationes sit validum. Sitque inimicis Christiani Populi terribile, atque in te confitentibus solidamentum, & certa fiducia* 9

fiducia victoriæ. Et ipsum porrigens, dicit ad Signiferum; *Sit Inimicis Populi Christiani terribile.* Hinc Clodovæus, cui ampulla Chrismatis, columbæ ore cælitùs advenientis, allata fuit, quo lacraretur, Baron. *ex Hormisda, tom. 6. Annal. sub. an Christi 499. §. Quid rursum,* non militabat, nisi accepta ab Episcopo benedictione. Baron. *eod. tom. sub. anno 507. §. Ad periculosum conficiendum bellum.*

10 Militum arma, atque vestimenta esse per Officiales sæpè lustranda, ostendit exemplum Avidii Cassii Imperatoris, de quo Vulcatius Gallicanus scribit „ Avidius arma militum se„ primâ die semper respexit, vestimenta etiam, „ & calceamenta, & ocreas. Et de Imperato„ re Maximino adhuc Tribuno Julius Capitoli„ nus: Maximinus jubebat gladios, loricas, ga„ leas, scuta, tunicas, & omnia arma militum, „ quotidiè circumspicere. Calceamenta quin „ etiam ipse prospiciebat.

11 Caveant Officiales, nè quidquam de sufficientibus, & honestis militum stipendiis subtrahant: hujusmodi enim substractionem esse omnium rerum ruinam, experimentum semper docuit. Hac de causa legimus in historiis, Saracenos postmodùm defecisse ab Imperatore Heraclio; & tandem ad Mahometanam impietatem devolutos, omne Orientis imperium destruxisse.

12 Officiales exercitus, ad quos spectat, punire debent milites, qui in alienis Provinciis, per quas transeunt, aliquid, quamvis minimum, contrà promulgata edicta accipiunt, exemplo Clodovæi I. Francorum Regis de quo bellicosè se movente in Alaticum Arianum, Gothorum Regem, S. Gregorius Turonensis Episcopus, exponens Francorum Regum justitiam, ac modestiam, scribit, *lib. 2. cap. 37.* Quoniam pars „ hostium per Territorium Turonicum transibat, „ Rex pro reverentia Beati Martini, dedit edi„ ctum, ut nullus de regione aliud, quàm her„ barum alimenta, aquamque præsumeret. Qui„ dam autem de exercitu, invento cujusdam „ pauperis fœno, ait: nonnè Rex herbam tan„ tum præsumi mandavit, & nihil aliud? Et „ hoc herba est: non enim erimus transgresso„ res præcepti ejus, si eam præsumimus. Cum„ que vim faciens, pauperi fænum vi abstu„ lisset, factum pervenit ad Regem. Quo dicto, „ citiùs gladio perempto, ait: & ubi erat spes „ victoriæ, si Beatus Martinus offendatur? Sa„ tisque fuit exercitui, nihil ulterius ab hac re„ gione *præsumere*: Subdit Gregorius „ Ve„ niens autem Rex apud Pictavos, contestatus „ est omni exercitui, ut nec ibi quidem, aut „ in via aliquid spoliarent, aut res cujuspiam „ diriperent.

13 Militum furta nullatenus esse relinquenda ab Auditore generali exercitus, aut ab aliis Officialibus impunita, est alibi demonstratum: nunc addimus legem, contrà militum furta habetur in Francorum Regum Capitularibus, *lib. 5. cap. 189.* nempè „ Si quis in exercitu in„ fra Regnum, sinè jussione Dominica per vim „ hostilem aliquid prædari voluerit, aut fænum „ tollere, aut granum, sivè pecora majora, vel „ minora, domosquè infringere, vel incendere; hæc nè fiant omninò prohibemus. Quòd „ si ab aliquo præsumptuoso factum fuerit, se„ xaginta solidos, si liber est, sit culpabilis; & „ omnia similia restituat; aut cum duodecim „ testibus se purget. Si verò servus hoc fecerit, „ capitali crimini subjaceat; Et Dominus omnia „ similia restituat, quia servum non correxit, nec „ custodivit, ut non perpetraret, &c. Et jure, merito istiusmodi lex tantoperè à Scriptoribus laudatur, cum rapinæ per hostilem vim factæ in Regni cedant detrimentum; & ita tractare proprium Regnum sit, non defensoris militis munus exercere, sed hostem, ac latronem agere. Idem statuisse, tanquàm necessarium pro Regni, ac militaris disciplinæ conservatione Theodoricum Gothorum in Italia Regem, habetur ex Epistola, quam ad quendam Episcopum scripsit, quæ extat apud Aurelium Cassiodorum, *lib 2. Epist. 8.* Subdimus, non solùm furis Dominum, Ducem, aut Tribunum nec non Regem ipsum, si furta militi non impedit, aut ea non castigat; ad plenam restitutionem obstigi, sed etiam emptorem furti; esto ignoranter id fecerit. Nobis opitulatur insignis circa Bellatorum rapinas lex in Francorum Capitularibus, *lib. 8. cap. 192.* inserta, videlicet „ Si quis de fure nesciens aliquid comparaverit, „ quærat, accepto spatio, venditorem: quem si „ non potuerit invenire, probet si cum Sacramen- „ to, & testibus Innocentem: & quod apud „ eum cognoscitur, restituat, & furem quærere, „ non desistat. Quòd si furem celare voluerit, „ & perjurans posteà detectus fuerit, tanquam „ fur, ita iste in crimine damnetur.

Sicuti omnem actionem bellicam, consilium, quod est deliberatio quædam de re agenda, vel non agenda, anteire oportet, cùm inconsulta rerum tractatio haud satis tuta esse possit: ita Officiales, seu Consultores sunt adhibendi, prudentes, providi, sagaces, fideles, & ab omni adulatione, avaritiâ, ambitione alieni: nec non tria considerantes in suis sententiis, quæ deliberationem, seu Consilium concernunt; primum, posse illud fieri; secundum, licere illud fieri; tertium, utile illud esse. 14

Miles, qui injuriam à quoquam accepit, debet illam, aut offensori pro amore Dei dimittere, aut ad suæ cohortis Præfectum referre. 15

Non debent Officiales exercitus, in terra hostili commorantis, suis permittere militibus ad omnem prædam inordinatè excurrere, cum possint ab hostibus reperiri, & ab eis magnas, & graves clades accipere: esto exerciti per hostilem terram iter facienti, vel in ea commoranti, ex commissione Ducis, liceat incendere, vastare, populare terram illorum, ad hostes imbecilliores, bellumque infirmius reddendum, quando justum est bellum. 16

Nefas est Officialibus, omnibusque militibus, captis urbibus, alienas fœminas tangere. Nequaquam sanè victores se se ostendunt, si sensus eos vincit: nè igitur victores, & victi monstruosè appareant, eis objicimus laudatissimum per totam Hispaniam exemplum Scipionis, qui, captâ Carthagine, Allucio Celtiberorum Principi sponsam suam eximiâ formâ, quam captivam habebat, intactam gratis restituit, Livius *lib 28.* 17

18. Tem-

18 Tempore belli nonnunquàm officium legationis etiam mulieribus, cum maximo fructu, & Reipublicæ utilitate, fuisse commissum, testatur Mutia Mater Pompeji, quæ ut narrat Appian. *de bel. civil. lib. 5.* legationem ad eum, à Populo Romano coacta, suscepit, quà instigante unà cum Juliâ Uxore, fœdus inter Pompejum, Antonium, & Octavium Cæsarem percussum est. Testantur pariter mulieres Sabinæ, filios Romæ habentes, quibus belli Sabini tempore facultas data est, relictis apud viros filiis, obeundi apud Sabinos legationem, cujus Princeps fuit Hersilia, & per eas, pace compositâ inter Romulum, & Tatium Sabinorum Regem, magnos à Regibus honores illæ obtinuêre. Dion. *Hal. ant. Rom. lib. 2.*

19 Posse inter Officiales exercitûs computari Epidemeticos arbitramur. Epidemetici, ut notat Gloss. *in tit. Cod. de metat. & epid.* dicuntur, qui suprà milites sunt constituti, metientes; sive dimetientes Militibus hospitia: Siquidem Epidemeticus componitur ab *Epi*, quod est supra, & *metis*, seu metatis, id est de iis, qui supra milites dimetiuntur, nempè diversa diversis assignant hospitia. Scimus nonnullorum esse sensum, Epidemeticos olim habuisse sub se mensores, qui quidem mensurabant hospitia in urbibus, singulis militibus designanda, adjecto in loco eminenti nomine ejus, qui ibi hospitio accipiendus erat, seu debebat hospitari; & notas ab eis præfixas, in domibus pro hospitio designatis, nemini licebat delere, nec variare sub pœna falsi reo constituta, *l. 1. Cod. de met. & epid. lib. 12.*

20 Ad quæstiunculam, an si Præfecto arcis ab hostibus captæ, vel iis deditæ, nulla omninò culpa, aut negligentia imputari possit, debeat ille puniri; facilè respondetur negativè; Qui enim culpâ vacat, etiam à pœna liber esse debet, *l. Sancimus, Cod. de pœnis, & Cap. Sinè culpa, in 6.* & ita æquitatem suadere indubitatum est: *Facit l. milites, l. ult. ff. de cust. reor.* De hac re plura sunt exempla relata ab Ayal. *de jur. & off. bellic. lib. 3. cap. 18. num. 3.* à nobis brevitatis gratiâ, omissa.

21 In conflictu belli ille miles dicitur esse, qui suo parens Officiali, in puncto ipsius congressus reperitur, & propriè, concinentibus tubis. Franc. de Barii. *in tract. de testam. milit. num. 4. vers. Nam in acie,* apud Rot. Roman. *decis. 177. n. 23. tom. 1. p. 9. rec. coràm Carrillo.*

22 In bello injusto, si homicidia, vel mutilationes sequantur, non solùm milites, sed etiam Duces, Locatenentes, Capitanei, Vexilliferi, Consultores militiæ, Tibicines, Pulsantes tympana, cæterique Ministri, uno verbo, omnes etiam propriâ manu non occidentes, irregularitatem incurrunt. Rot. Rom. *dec. 355. n. 13. p. 14. recent coràm Albergato.*

23 Minari cædem stricto gladio Officiali, vel ferire aliquem Officialem, vel alium stricto gladio, paria esse, vel saltem valdè affinia, ut tradit. Rub. *ad dec. 254. num. 352. tom. 1, p. 9. rec.* ubi plures pro se Doctores allegat.

24 Milites delinquentes posse puniri à Judice ordinario ex negligentia Judicis militaris, tradit Card. de Luca, *tom. 3. de jurisd. disc. 78. n. 4. & 5.* dicens, hoc esse ex Privilegio per Sedem Apostolicam concesso militibus.

Posse milites renunciare Foro militari, atque ordinarii Judicis Jurisdictionem prorogare, probat Tex. *in l. si quis conscribendo, Cod. de pactis*, ubi Gloss. & DD. & novissimè Card. de Luca, loc. proximè cit. *num. 2.* Circa hanc materiam potest cerni Crispolt. *de casib. milit. cas. 31. num. 13.* 25

Alibi diximus communi DD. sensu, *in rubr. ff. de jurisdict. om. jud.* jurisdictionem nil aliud esse, quàm officium seu facultatem jus dicendi, sive sententiam proferendi: Hic addimus, duplicem esse jurisdictionem, seu potestatem, ordinariam unam, & delegatam alteram. Prima est, quæ jure proprio, & sic ratione officii, Prælaturæ, Parochiæ, &c. habetur; Secunda verò, quæ à jure alieno derivatur, ut per Text & Gloss. *in Cap. Adjicimus, causa 16. quæst. 1.* & tradit noster doctissimus Molfesius, *in summ. p. 1. tract. 7. cap. 14. n. 45.* 26

Delegatio est stricti juris, *Cap. Cùm dilecta, de rescript.* atque adeò Delegatum nihil plùs posse, quàm circa expressa in delegatione, habetur per Tex. *in Cap. Cùm olim, & Cap. De causis, de off. deleg.* 27

Quando ex verbis, vel alio modo colligi potest, Delegantem habuisse respectum ad personam, delegatio, & commissio censenda est personalis. Dec. *in Cap. Quoniam Abbas, col. 4. vers. successivè, de off. deleg.* Bellamera, *in concl. 39. n. 2.* 28

Cuilibet officio Fori judicialis est annexa jurisdictio, vel ordinaria, vel delegata: Et ita communiter DD. 29

Judex propriè ordinarius ille dicitur, qui versatur circa universitatem causarum, ut tradunt Soc. *in l. more, ff. de jurisd. om. jud. n. 17.* Purpur. *in eamd. L. num. 13.* & alii, asserentes pariter, competentem, & ordinarium Judicem illum esse, qui rei conventi Judex est. Sic etiam Menochius, *cons. 52. n. 41. & omnes in l. ult. ff. de jurisd om. jud.* 30

Jurisdictionem in milites residere penes Magistrum Militum, probat Tex. *in l. Magisteria, Cod. de iurisd. om. jud. & in l. fin. Cod. de erogat. militar. annon. lib. 12.* nec non *in l. Desertorem, ff. de re militar,* ubi cavetur, ut delinquens miles, accusatus coram Præside, mittatur judicandus ad suum Ducem. 31

Inter discrimina, quæ sunt inter Judicem ordinarium, & delegatum, hoc pariter enumeratur nempè; quòd Judex ordinarius potest, pro suo munere exequendo, alium subdelegare: Delegatus verò à Principe, ut ipse personaliter causas cognoscat, & judicet, non potest munus illud per alium explere, atque ita subdelegare, ut tradunt communiter DD. *in Cap. ult. de off. delegat. & in l. A judice, Cod. de judiciis.* 32

Antiquitùs proprius militum Judex erat Præfectus Legionis, qui habebat continuè primi Ordinis dignitatem; quique, absente Legato, tanquàm Vicarius potestatem maximam retinebat, causasque militares de jure cognoscebat: Sic scribit Vegetius relatus à Baronio, *tom. 1. Annal.* 33

Annal. sub Anno Christi 298. §. *Cur autem*, pag. mihi 664. & ideò plures Milites Martyrium passi sunt sub Præsidibus Provinciarum; quia in illis detegebantur Christiani, vel quia Judices ad mortem illos damnantes Pro-præfecti erant Prætoriani: Ita scribit Odoricus, *in Annal. p. 1. sub d. Anno 298. Marcellini Anno 2, Dioclet. Maximil. Anno 15.* in princ.

34 Quoad milites præsidiarios, vel alios Status Ecclesiastici, qui in Urbe, vel in aliis Civitatibus militiæ exercitio incumbunt, jurisdictio exercetur per Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Capitaneum Generalem, quando adest, ejusque Assessorem, seu Auditorem; & dum sunt in expeditione, specialiter deputatur Auditor exercitûs, ut fuit doctissimus Tullius Crispoltus Reatinus in Exercitu fel. record. Urbani Papæ VIII. quique præclarum scripsit Tractatum de casibus militaribus.

35 Judicem, qui nulliter judicavit, non dici judicasse, probat Text. *in l. 1.* §. *ult. ff. quod quisque juris.*

36 Nefas est Judici in Exteros, non delinquentes in sua Provincia, & intra fines suæ jurisdictionis, potestatem exercere, & favet Tex. *in l. ult. ff. de jurisd. om. jud.*

37 Illi, in quos Judex debet sententiam ferre, debent eidem Judici esse subjecti; eùm nulla sit sententia ex defectu jurisdictionis, *l. cùm quadam puella, & l. fin. de iurisdict. om. iud.* in quo omnes conveniunt, estque vulgatum axioma utriusque juris.

38 Causa, in materia non pertinente ad militiam, vel à re militari minimè dependente, ob supervenctum officium militare introducta coram Auditore generali exercitûs, vel alio Judice ordinario, potest ab eodem perfici ex vi sui muneris: Secùs verò, si non sit Judex ordinarius militum.

39 Commissio, & delegatio fit expressis propriis ipsis personis, non autem dignitati, cujus nulla fit mentio; & successivè commissio, & delegatio uni ex aliquo Collegio facta, in successorem minimè transit, & tradit Menochius, *cons. 340. n. 11.*

40 Orto dubio, an Judex, qui potest esse ordinarius, & delegatus, ordinarius, an delegatus sit dicendus, acta ipsa debent considerari, & talis est judicandus, qualem eum processus demonstrat. Ita etiam Abb. *in Cap. Cùm ex officii, num. 32. de præscript.* ibid Felin. *num 32. vers. limita. primò*, Alex. *cons. 55. n. 8. lib. 5.* & alii.

41 Quibus in Urbe competat jurisdictio ordinaria, colligitur ex Bulla Pauli V. incipi. *Universi Agri* 71. in ordine, *Rubr. de sportulis, ac propinis*, §. *Quæ decreta*, ubi declarantur Judices ordinarii Urbis tantummodò, Auditor Cameræ, Gubernator, Cardinalis Vicarius, & eorum Judices; nec non Locatenentes civiles, Senator Urbis, ac ejus Collateralis, qui habent facultatem decreta interponendi, ut advertit, & notat Constantinus, doctrinâ, & eruditione præclarus, in Urbe celebris Advocatus, *ad Statuta Urbis, Annot. 44. num. 286. tom. 2.*

42 Officium Marescalli Almæ Urbis est antiquissimum, ejusque Curæ Conclavis custodia demandata est; & est concessum Principibus de Sabellis, ut apparet expressè in Constit. 26. Gregor. XIII. *Dum rectè.* De ejus jurisdictione, & reformatione, in Const. 28. Julii II. *Decet.* & in Const. 58 Pii IV. *Cùm ab ipso*, in Const. 71. Pauli V. *Universi*, §. 8.

Marescallus Sedis Apostolicæ, aut Judex ab eo deputatus, non potest cognoscere causas criminum capitalium, aut illorum criminum, pro quibus pœna corporis afflictiva, vel jure, vel statutis, vel bannimentis à majoribus Magistratibus promulgatis est imposita, in d. Constit. Gregor. XIII. *Dum rectè*, § 7. 43

Munia Commentariensis, & Capitanei, nec non Executoris, quæ debent per idoneos, & fidos ministros geri, nullatenùs possunt vendi, aut locari; neque quidquam pro illis habendis, aut exercendis, quovis nomine, & prætextu solvi, sive responderi, sub pœna privationis officii, & publicæ fustigationis, ut habetur in præfata Constit. *Dum rectè*, §. 5. 44

Officiales tenentur in iis, quæ spectant ad annonam Urbis, & totius status Ecclesiastici, obedire Præfecto ejusdem Annonæ: Gregorius XIII. Const. 35. *Inter cæteras*, §. 8 pro cujus regimine Congregationem nonnullorum S. R. E. Cardinalium instituit Sixtus V. in Const. 74. *Immensa*, in 4. Congreg. Et subsidium ducentorum millium scutorum paravit pro ejus subventione, in alia Const. 78. *Abundantes*: Et per hunc Præfectum cognoscuntur etiam causæ Pistorum Urbis, ut in ejusdem Sixti Const. 36. *Cælestis*, §. 6. Idemque procedit pariter contra mercantes frumenta &c. Ut in Const. 49. Clem. V. *Frumenti*. Quam Præfecturam nostris temporibus laudabiliter gessit Illustriss. & Reverendiss. D. Nicolaus Grimaldus, modò Congregationis Episc. & Regular. Secretarius; Et nunc æquâ laude gerit Illustriss. & Reverendiss. D. Ferdinandus Nutius, antea Sac. Concil. Congreg. Secretarius, postmodùm Sancti Officii Assessor, uterque in doctrina, prudentia, morum integritate, aliisque virtutibus, quæ Prælatis Sanctæ Ecclesiæ decent, excellens. 45

Clerici non tenentur denunciare sua frumenta, vel fruges Judici Laico, sed Episcopo, qui notam dabit sæcularibus Magistratibus; absque eò tamen, quòd graventur Clerici: Sac. Cong. *in Ferrariensi 19. Junii 1592.* 45

Alibi demonstravimus, Officiales, exigentes gabellas indebitè impositas censuras incurrere; Nunc subdimus, absolutionem ab hujusmodi censuris esse gratis concedendam, etiam in foro exteriori, excepto eo, quod debetur Notario pro mercede, & Judici pro decreto. Sac. Congr. Episcopor. *in Neocustrensi*, 27. *Julii 1618.* 47

Judex sæcularis non potest se ingerere in causis Clericorum, die 24. Septemb. 1629. *in Papiensi, lib. 2. decr. Paul.* 48

In puniendis Festorum transgressoribus datur locus præventioni inter Judicem Ecclesiasticum, & Sæcularem. Pius V. Const. *Cùm primùm Apostolatus*, §. 7 & Cong. Episcopor. *in Theatina, 29. Maii 1581, & in Neapolitana, 22. Junii 1621.* 49

50 Judex loci delicti cognoscere debet de causa, non originis; vel domicilii, Cong. Episcoporum, 18. Decembris, 1618.

51 In causis mixti fori Judex, qui prævenit per citationem realiter, cognoscere debet de causa: In contumacia verò uterque Judex procedere potest. Sacr. Congreg. Immunitatis *in Cesenatensi* 1626.

52 Declarare reos assassinii criminis contra personas Ecclesiasticas, spectat ad Judicem Ecclesiasticum; & contra milites, aliasque personas Conventûs, & Hospitalis S. Joannis Hierosolymitani, pertinet ad eorum Superiores, adjuncto Episcopo Loci, antequàm Judices Sæculares aliquam declarationem desuper ferant, vel ad pœnarum executionem deveniant Clemens VIII. Const. 37. *Aequa, & circumspecta.*

53 Ad quem spectat militum causas cognoscere, suo loco satis claré demonstravimus: Hic subdimus, Magistrum Militum posse summatiè cognoscere inter milites suos, & etiam inter non militem, & militem ab alio conventum, juxta Tex. apertum, *in l. Magisteria, Cod. de jurisdict. om. jud.*

54 Graviter delinquere Officiales, qui permittunt indifferenter portare arma, habetur *in Authen. de armis*, in princ. & facit Text. *in l. 1. Cod. ut armorum usus lib. 11.* & ibi Lucas de Penna, ubi tangit quæstionem, an Præses Poviuciæ possit privato dare licentiam ferendi arma prohibita, & post argumenta pro, & contra, concludit negativè, alios allegans.

55 Licere famulis, & familiaribus Inquisitorum hæreticæ pravitatis arma portare, suo loco demonstravimus; nunc addimus, Officiales sæculares, qui illis armorum portationem prohibent, puniri, tanquàm turbatores Sanctæ Inquisitionis juxta Tex. & ibi DD. *in Clement. 3. §. fin. de hæreticis*, & tradit Matth. de Afflict. *in Const. Neap. lib. 1. Rubr. 9. num. 6.*

Ad quæstiunculam, num Capitaneo, qui stat in syndicatu, liceat arma portare, ac si esset in officio, videtur negativè respondendum juxta *l. Tribunus, ff. de testam milit.* sed in contrarium potest allegari illud, quod dicitur; nempè quòd Officialis, qui stat ad syndicatum, nuncupatur verus Officialis, & durant reliquiæ officii, & dignitatis, & successivè non privatur jure armorum. Circa hanc materiam vide Bal *in l. observare, in 7. quæst. ff. de Offic. Procon.* prærallegatum Matth. de Afflict. loc. cit. *num 18.* ubi hanc difficultatem movet, ingeniosè discutit, eruditè, & clarè resolvit. 56

Caveant Officiales exercitûs, ne aliquid alterius Officialis usurpent: Debent enim in omnibus concordare, & operari soli, sive vicissim; *arg. in Cap. Perlatum, 90. Dist.* cùm singula exercitûs, sivè Reipublicæ militaris officia singulis quibuscunque personis sigillatim fuerint commissa, quod etiam patet *in cap. Singula, Dist. 89.* Hinc magnam videmus exoriri in quavis Republica perturbationem, seu confusionem, quando aliquis suo officio minimè contentus, surripit alienum, ut advertit Isid. quem refert Lucas de Penna, *in l. Quicunque, v. usurpare, Cod. de Execut. & Exactoribus, lib. 11.* Idem fuit sensus Imperatoris, dicentis, " Absurdum est namque, si promiscuis actibus rerum turbentur offi- " cia, *l. Consulta, Cod de testam.* Exercitûs igitur nequaquàm bonum diligunt certi Officiales, qui putant, se obsequium præstare Principi, ne dicam DEO, quando possunt aliquid de alterius Officialis Jurisdictione usurpare. 57

Insidi, pravique Principum Consiliarii fontes sunt ferè malorum omnium, quibus non raró Respublica, vitaque Mortalium turbatur. Sic tradunt Simanc. *lib. 7. de Repub. cap. 4. num. 10. & 29.* Pett. Greg. *eod. tit. lib. 24. cap. 1. num. 3.* 58



FRAGMENTA.

Qui superfuerunt Libro IV. Difficultatum Pertinen. ad Milites privatos.

1 QUAMVIS dici soleat, in testamento militis attendendum esse jus gentium, non autem jus civile: Si tamen jus civile eum adjuvet, illo uti non prohibetur; ita explicat Jas. *in l. Captatorias, Cod. de Sacros. Eccles.* Item in testamento militis locum non habent solemnitates juris civilis, benè verò juris gentium; atque adeò Pupillus, cùm non habeat sufficientem intellectus cognitionem, estò sit miles, testari non potest, *l. fin. Cod eod. tit.* & tradit Card. Albanus, *in Lucubrat. in Bart. tom. 2. in l. 1. ff. de testam. milit, num. 2.*

2 Miles non potest, secundùm Bart. *in l. 2. col. 3. vers sed pone*, ubi Jas. *col. 2. vers. juxtà hoc, ff. de vulg. & pupil.* substituere pupillariter Recasuro in alterius potestarem. Cui adhæret Card. Albanus, *in Lucubrat. in Bart. tom. 2. in l. Cùm filius, ff. de testam. milit. num. 1.*

3 Dicit Bart. *in l ex eo tempore, ff. de testam. milit.* non gaudere privilegiis suis militem, qui est scriptus in matricula militum, sed tamen non est miles; & scholarem, qui est scriptus in matricula scholarium, si non est Scholaris. Circa hanc materiam lege diligenter Felin. *in Cap. Eam te, de Rescript. col. 5. & in Cap. Cùm adeò, col. 2. eod. tit. & in proœm. Decretal. col. 5.* nec non *in Cap. Cùm adeò de empt.* ubi pluta in favorem, & in oppugnationem hujus Regulæ producit.

4 Equites S. Joannis Hierosolymitani alios percutientes, occidentes, vel id mandantes, incurrunt excommunicationem Summo Pontifici reservatam. Concil Lateran. III. *in append. Tit. de illis, qui incidunt, C. 6.* Si verò sint excommunicati ob injectionem manus in Clericum, vel Confratrem, nisi percussio sit enormis, possunt à suo Priore absolvi. Textus est *in Cap. Canonica, de sent. excomm.* Honorius III. ex Citone, *eod. tit. cap. 1.*

5 Usus aleæ, qui generaliter apud omnes Nationes, non sine Animarum pernicie, & domorum præjudicio, est introductus, non obstantibus Principum prohibitionibus, antiquitùs dumtaxat militibus erat permissus, ut inquit Imperator Justinianus, *in l. Alearum 15. Cod. de Relig. & sumpt. funer.* Gonzal. *in Comment. ad Canon. 69. Concilii Illiberitani.* Farin. *quæst. 109. num. 8.*

6 Milites ratione militiæ fieri nobiles aliqui negant, & aliqui affirmant: Hac controversiâ aliis examinandâ relictâ, nos arbitramur, quòd quamvis simplex militia minimè nobilitaret; adbuc tamen, si quis in arte militari excellat, ejusque clarum specimen, & testimonium non semel præbuerit, sibi gradum ad nobilitatem parat, uti qui in scientiâ, aut virtute excellunt. Sic etiam sentit. Tiraquell, *Tract. de Nobilit cap. 8. num. 14.* De nobilitate, tum militum, tum aliorum plura habentur apud Philonem Judæum, qui, teste D. Hieronymo in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum, libellum unicum de nobilitate scripsit. Apud Plutarchum, qui duos libros composuit, alterum pro nobilitate, alterum contra nobilitatem. Apud Pogium Florentinum, Felicem Paleolum, Bonagardum Pistoriensem, qui de vera nobilitate, scripserunt, Apud Franciscum Patricium, *in lib. de institut. Reip. 6. cap. 1.* Apud Hieronymum Osorium Lusitanum, qui de nobilitate civili libros duos, & de nobilitate Christiana libros tres egregiè, & piè scripsit: Et ante omnes, apud Aristotelem, licet Plutarchus in Aristidis vita videatur subdubitare, an liber, qui de nobilitate inscribitur nomine Aristotelis sit ipsius. Apud Bart. *in l. Cod. de dignit. lib. 12.* ubi multa de hac re in unum veluti corpus congessit. Apud Cæpol. *in Tract. de Imperatore militum deligendo.* Et inter omnes cæteros, apud Tiraquell. in suo nobilissimo Libro *de nobilitate, & iure Primigeniorum*, ubi hanc materiam æquè fusè, & doctè discutit, *& cap. 2. num. 1.* ostendit, Nobiles, à noscendo dici, veluti noscibiles, & nobilitatem esse, tanquàm noscibilitatem præ cæteris notam, clatam, illustrem, apertam, spectabilem, conspicuam, vulgatam, atque hominum sermone celebratam.

7 A bello, quod est injustum, se se omninò abstineant milites. Secùs verò, quando à justitia minimè declinant. Idque intellexisse putamus Ciceronem, *lib. 1. de off. §. sed cum, plerique pag.* mibi 43. cùm dixerit, „ Temerè autem „ in acie versari, & manum cum hoste confligere, immane quiddam, & belluarum simile „ est; sed cùm tempus est, necessitasque postulat, decertandum manu est, & mors servituti, „ turpidinique anteponenda.

Militem oportet esse constantem, & fortem, 8 & nulla adversa formidare: si enim in adversis timet, aut tremiscit, constans non est, neque fortis; & ideò inquit Cicero, *lib. 1 de off. § sed cum pleriq. pag. mihi 42.* " Fortis verò animi, & constantis est non perturbari in rebus asperis, " nec tumultuantem de gradu dejici, ut dicitur, " sed præsentis animi uti consilio, nec à ratione " discedere. "

Quamvis miles, qui locum non tenuit, qui 9 hostium impetum, vimque pertimuit, possit à suo Officiali puniri, nihilominus potest etiam eidem quandoque indulgeri, cum possit idem postea & miles esse melior, & vir bonus, & civis utilis. Cicer. *in Orat pro A Cluentio habit. §. Video igitur, pag. mihi 46.*

His, qui militiæ adversùs Turcas, Hæreticos, aliosque Christiani nominis hostes exercendæ, adscribuntur, veriùs ac propriùs, illa 10 poterunt aptari elogia, quibus Cicero, *Orat. in Philipp. 14.* in M. Antonium, milites Romanos exaltat, nempè. " O fortunata mors, quæ naturæ debita pro patria est potissimum reddita: " vos verò patriæ natos judico, quorum etiam " nomen à Marte est, ut idem Deus Urbem hanc " gentibus, vos huic Urbi genuisse videatur. In " fuga fœda mors est, in victoriâ gloriosa: etenim Mars ipse ex acie fortissimum quemque " pignorari solet. Illi igitur impii, quos cæcidistis, etiam ad inferos pœnas parricidii luent: " vos verò, qui extremum spiritum in victoria " effudistis, piorum estis sedem, & locum consecuti. Brevis à natura vobis vita data est; at memoria benè redditæ vita sempiterna; quæ si " non esset longior, quàm hæc vita, quis esset " tam amens, qui maximis laboribus, & periculis ad summam laudem, gloriamque contenderet? "

Omnes dedecere se ipsos laudare, de se ipsis 11 prædicare, falsa præsertim: & cum irrisione audientium, imitari militem gloriosum, tradit Cicero, *lib. 1. de off. §. Habentur autem, pag. mibi 63.* eosque peccare, communis est Theologorum sensus.

Pulcherrimam quæstionem à juris civilis 12 Peritis perpendendam, & resolvendam proponit Cicero, *lib. 1. de Oratore, §. Hac cùm Crassus dixisset, pag. mibi 31.* Quidam ab exercitu veniens, militis Patri fallò nunciavit, eum in pugnâ decessisse; & Pater ejus, re creditâ, testamentum mutavit, & quem voluit instituit hæredem, & post testamenti factionem ipse mortuus est: postea miles domum reversus, paternam hæreditatem volens adire, fuit ab hærede, quem Pater instituit, expulsus: in hac causa quæsitum est de jure civili, posset nè paternorum bonorum exhæres esse filius, quem Pater testamento, neque hæredem, neque exhæredem scripsit nominatim? Facilis est responsio apud eundem Ciceronem inspicienda.

Miles præsumitur omni meliori modo voluisse facere testamentum, ut probat Tex *in l. 3. ff. de milit. testam.* & tradit Card. Mantica, *Tract. de Conject. ultim. volunt. lib. 5. tit. 14. num. 3.* ubi *num. 7.* subdit, in militum tastamentis pupillatem substitutionem largiùs recipi. 13

14. Militi

14 Militi conceditur privilegium, ut possit aliquem hæredem ad tempus instituere, & post illud tempus alium hæredem facere, & hoc argumento ducto ex jure speciali, *per l. ita*, in princ. *ff. de milit. testam.* & tenet idem Mantica, *de conject. ult. volunt. lib. 4. tit. 5. num. 10.* ubi subdit, de jure communi hoc fieri non posse, adducens *l. 1.* in fin. *ff. ad municip. l. Centurio, de vulg. substit. l. 1. Cod. de thesaur. lib. 10.*

15 Miles, qui potest duobus, & pluribus testamentis relictis, decedere, *l. quærebatur, ff. de milit. testam.* si secundum testamentum fecit, & in eo de omnibus bonis disposuit, intelligitur à priore recessisse, ut *in l. militis Codicillis*, §. *ult. eod tit. & d. l. quærebatur.* Si verò in secundo testamento, à se condito, de parte dumtaxàt suorum bonorum disposuit, tunc in dubio videtur velle utrumque testamentum suum firmum remanere, ut *in d. l. militis Codicillis*, in princ. Ita sentit Barr. apud. Mantic. *Tract. de conject. ult volunt. lib. 2. tit 1. num. 21.* & tradit Bald. *in d. l. quærebatur, num. 1.* Quidquid dicat Aret. *in l. si quis eum*, §. *1. circa fin de vulga. & pupil. substit.* simpliciter sentiens per secundum testamentum etiam factum ab eo, qui potest decedere cum duobus, & pluribus testamentis, tolli primum, seu primum testamentum revocari per secundum.

16 Quando Jurisperiti dicunt, posse militem, nudâ etiam voluntate, dare hæreditatem, debent intelligi, si duobus saltem testibus ejus voluntas probetur; quod juribus probat Card. Mant. loc. proximè cit. *num. 18.* nec non hac ratione, nempè, quia hoc militis interest, nè illius verum judicium subvertatur.

17 Quamvis militia sit professio mirè periculosa, ut scribit Sanctus Augustinus, *Epist. 70. ad Bonifacium Domesticorum. & Africæ Comitem*, periculisque omnes milites sint obnoxii, nec non omnes militum Duces, præsertim Reges; nibilominùs militaris Vita, si secundùm Christianas leges expleatur, potest esse sancta, ut clarè colligitur ex eudem sancto Doctore ibidem. Idemque novissimè tradit Christianus Lupus, *in Opusculis, de Christ. milit. cap. 4.* ubi notat, inter milites plures haberi, ac coli sanctissimos Martyres, castissimosque, ac justissimos Confessores.

18 Posse hominem fidelem, & justum militare, non tantùm sub justo Principe, sed insuper sub injusto; imò & sub sacrilego, tradit etiam Christianus Lupus, loc. cit. *cap. 6.* dummodò adsint duæ conditiones. Prima est, ut sit certus de justitia belli, vel saltem de injustitia non sit certus, nec practicè dubius. Altera verò, ut paci, & saluti communi serviat, servetque ordinem civicæ pacis.

19 Principi, in bello justo hostium internecionem præcipienti, tenentur sui milites promptè parere, Sancto Bernardo, *in lib. de præcepto, ac dispensatione, cap. 12.* egregiè dicente, „ Quidquid vice Dei præcipit homo, quod tamen non sit certum displicere Deo, haud secùs „ omninò accipiendum est, quàm si præcipiat Deus.

In creandis mundi militibus olim pluribus usum fuit Romanum Imperium ritibus; & inter hos fuit inflicta à lapa, non per vilem hominem, sed per ipsum Imperatorem, aut alium Regem, novi militis creatorem. Hinc in Romano Pontificali, Episcopo, post impressum Christianæ Confirmationis Sacramentum, hæc mandantur. *Deindè leviter eum in maxilla cædit*, dicens, *Pax tecum.* Quem ritum hodiernis Calvinistis deridentibus, Apostolico zelo accensus respondet Christianus Lupus, *in Opusculis de Christ. milit. cap.* ad eorum derisionem, sivè exibilationem reprobandam: Fideles per Sacrosanctum Christianæ Confirmationis Signaculum creari Christi milites; & ideò Latinam Ecclesiam ritibus uti, qui antiquitùs in militum creatione adhibebantur. 20

Olim tantummodò Christianis licitum fuisse militare, scribit Alexander Monachus, *in libro de Sacrosancta Crucis inventione*, dicens, Constantinum Magnum, postquàm Fidem Christianam suscepit, ita per suam legem præcipisse. En verba dicti Scriptoris: „ Constantinus legem scripsit, ut Christianis solis militare liceret, „ ipsique in Gentes, ac milites haberent imperium. Hanc legem fuisse per Magnum Theodosium, ac Valentinianum II. innovatam, & „ stabilitam, clarè ostendunt eorum verba in „ lege scripta ad Amatium Galliæ Prætor. Præfectum; nempè Judæis quoque, & Paganis, „ militandi licentiam denegamus. Quibus Christianæ Legis nolumus servire personas: nè oc- „ casione dominii Sectam venerandæ Religionis immutent. Ex quibus clarè liquet, omnes olim Hæreticos fuisse per leges Romanas præscriptos à militia; non à sola Præfectura, ut aliqui putaverunt, sed etiam ab ipso cingulo, & Sacramento: exceptâ dumtaxat cohortalinâ, militiâ seu Regiorum Præfectorum militiâ, quam nos Itali, præsertim hic Romæ, appellamus *la Corte*. 21

Milites, ad bellum protecturos, oportere se piissimè præparare, tanquàm morituros, suo loco demonstravimus: nunc tantummodò exemplum addimus antiquorum Anglorum, de quibus cum Rege suo Stephano ad Standardicum contrà Scotos bellum proficiscentibus, scribit Richardus Prior Monasterii Hagustaldensis, „ Omnes cum suis munitis & bellicis armis in- „ structi Eboracum conveniunt. Itaque post acceptam privatam pœnitentiam, illis pariter, „ & omni populo Archi-Præsul triduanum cum „ eleemosynis indixit jejunium, ac deindè absolutionem, ac benedictionem Dei, & suam, „ eis solemniter tribuit: & paulòpost, Tunc „ Crucem suam, & S. Petri vexillum, ac suos „ homines tradidit eis. 22

Hostes, in prælio captos, occidere suis militibus interdixit Magnus Constantinus; idque longè magis sanxit de fortuitò extrà prælium obviantibus, ut scribit Eusebius Cæsariensis, *in lib. de ejus vita, lib. 2. cap. 13.* 23

Interdicendum est militibus otium, quo nihil perniciosius censetur; eosque propterea esse in aliis rebus exercendos, tradunt rerum bellicarum Scriptores, quando eorum exercitium in armis Disciplina militaris non postulat. De 24

De Probo Imperatore scribit Flavius Vopiscus: „ Probus milites otiosos esse nunquam est passus, „ Extant apud Ægyptum ejus opera quæ per milites struxit in plurimis Civitatibus, Pontes, „ Templa, Porticus, Basilicas labore militum „ struxit. Et de Cæsare refert in Augustorum Epitome Aurelius Victor: „ Augustus fossas injuriâ vetustatis limo clausas, labore militum patefecit.

25 Esse quemvis delicatum victum, qui pessimum militiæ vitium censetur, à militibus removendum, alibi demonstravimus; Nunc addimus, ita pariter sanxisse Avidium Cassium Imperatorem, de quo sic scribit Vulcatius Gallicanus: „ Cassius delicias omnes de castris submovit, jussitque milites hyemem sub pellibus „ agere nisi corrigerent suos mores: Et infrà subdit de eodem Imperatore. Præter laridum, & „ buccellatum, atque acetum militem in expeditione quidquam portare prohibuit; & si „ aliud quidpiam reperit, luxuriem non levi „ supplicio adfecit.

26 Militibus nullatenùs sunt permittenda, quæ sapiunt superstitionem: Hinc Scipio olim Rom. communibus suffragiis, cùm 18 annorum esset, delectus exercitûs Dux, statim astrologiam, & prædictiones rerum, & portentorum præsentiones, & auguria, & insomniorum divinationes, reliquasque hujusmodi prænotiones, & judicationes, & alia similia, prohibuit, repudiavit, atque abdicavit, tanquàm militari disciplinæ, nec non providentiæ, atque solertiæ Ducis repugnantia, ut notat Leo Imp. *de bellic. app. cap. 20. num 78.*

27 Melior est miles extra Patriam, ubi nullum est refugium, & necessitas pugnandi imminet. Hinc de Annibale in Hispaniâ bellum gerente, refert Livius *lib.* 10. Africam Hispanorum præsidio firmavisse. Verùm igitur est, quod Agathocles dicebat, nempè aliter foris, aliter domi bella tractari; & à Bellatore fieri. Exempla nostri temporis, hanc veritatem comprobantia, habemus in Friderico Veterani Urbinate, Ænea Caprara Bononiensi, Antonio Carafa Neapolitano, N. . . . Montecucoli Mutinensi, aliisque pluribus, qui strenuè in Germania sub vexillis Leopoldi Primi Imperatoris electi, magno omnium plausu militares ad primas militiæ dignitates pervenerunt; in tot aliis è diversis Regionibus in Galliam profectis, ibique in militia Magno Regi Ludovico XIV. inservientibus, ob eorum strenuitatem in bellando honorum sublimitate donatis; & præsertim in Equite Josepho Philippo Francisco Taurinensi ex Comitibus S. Martini de Alladio, Rivaroli, & Sancti Germani Marchione, meo charissimo in Philosophia Condiscipulo, sub disciplina Joannis Petri Granerii Soc. JESU, subtilissimi ingenii viri, qui in arte, sive scientia militari adeò excellens evasit, ut non solùm plura ex primis officiis obtinuerit, & inter ea Marescallatum, magnam in Gallia Dignitatem; sed etiam proverbium, seu formam strenuos milites laudandi dederit: Propterea de quopiam in armis se egregiè gerente, adhuc vulgò dicitur *Il semble un Rivarole.*

28 Non debere passim fœminas cum viris bellatoribus in exercitu admisceri, alibi clarè demonstravimus: Nunc addimus, mulieres castra sequi apud Majores maximæ turpitudinis fuisse, & severissimæ animadversionis, teste Valerio Maximo, *lib. 2. cap. 6.* militique uxorem, vel familiam apud se habere, Principe inconsulto, nequaquàm concedi, ut probat Tex. *in l. quicunque, Cod. de re militar. lib. 12.* Imò, ne quidem in provincia licere militi uxorem ducere, vult Textus, *in l. Et si contrà, Cod. de nupt l. eos, ff de ritu nupt.* Et ratio videtur esse, quia Disciplina militaris omnia interdicit impedimenta, quibus maximè agmen gravari solet: Undè Philippus Macedo cùm primùm exercitum conscriberet, etiam vehiculorum usum prohibuit. Sic refert Ayal. *de iur. & off. bellic. lib 3. cap. 2. num 6.*

29 Non licere militibus in bello fines mandati excedere, alibi demonstravimus: Ad quæstionem etiam à Philosophis variè tractatam, Aul. Gell. *noct. At lib. 1. cap. 13.* num, si nova occasio rei benè gerendæ offeratur, possit à mandato recedi; puta, si repentinus aliquis casus felicem successum, & penè certam victoriam polliceatur, ne oblata rei benè gerendæ occasio amittatur, varia sunt responsa. Consideretur *l. si hominem, ff. mandati*: Videatur Felin. *in Cap. 1. col. 14. de Constit in Cap. Quod super, col. 3 de major. & obed.* Cremen *singul. 150.* Curt. *in Cap. ult. de Consuetud. col.* Nos interim censemus, fines mandati esse diligenter custodiendos, non solùm in bello, sed etiam in aliis rebus, præsertim si alicui Manlio, Papyrio, vel Postumio viris duris, & inexorabilibus ratio reddenda sit, qui duxerunt officium Ducis ab eo violari, & dissolvi, qui jussus aliquid facere, non obsequio debito paret, estò eo facto videri possit res eventura prosperiùs, & facit *l. diligenter, ff. mandati.*

30 Non debent milites favore promoveri, sed meritis; nam, ut inquit Imperator, *in l. contrà publicam, Cod, de re milit. lib. 12.* honoris augmentum non ambitione, sed labore ad unumquemquam convenit pervenire; & non debet quis ad dignitatem suffragio, sed laboribus, atque ordine numerorum provehi, *l. 1. & 2. Cod. de off. mag. off.* Ex quibus clarè liquet, non esse in potestate ejus, qui exercitui præest, milites à numeris ad alios numeros pro libito transferre, nisi aliàs publici bona causa, consentiente Principe, postulet.

31 Milites, alienam rem injustè eripientes, esse puniendos, alibi demonstratum est: Addimus, nunc à Tiberio militem prætorianum, ob surreptum è viridario pavonem, fuisse capite punitum, teste Suet. *in Tiber,* subdimus, quòd Paulus J. C. militem, in furto balneario deprehensum, ignominiâ mittendum respondit, *in l. ult. ff. de furt bal.*

32 *Tom. 1. lib. 4. diff. pertin. ad milites privatos, diff. 30. num 4.* fuit à nobis resolutum, quòd, si Summus Pontifex concederet Clerico licentiam eundi ad bellum justum, & propriâ manu pugnandi, censeretur sufficiens dispensatio, vel potiùs ablatio irregularitatis incurrendæ; & noster motus secundus, seu ratio fuit; Quia si Papa

Papa dispensat in jure, inducente irregularitatem, tacitè censetur hanc irregularitatem tollere, seu ejus incursum impedire: nunc Doctoribus, ibi pro nobis productis, addimus doctissimum Ferdinandum Castropalaum, *p. 6. de censuris, disp. 6. punct.* 14. *§. 5. num. 7.* post scripta repertum, cum eidem subdendo: secùs verò si solùm concederet facultatem bellis assistendi; quia ex ea non potest Clericus propriis manibus pugnare, ac proinde si mutilet, aut interficiat, irregularis erit.

33 Isocrates in oratione de pace declarat infames olim habitos, qui vel ordinem deseruissent, vel clypeum abiecissent. Idem edicit Æschines adversùs Timarchum, quòd qui non fuisset in bello, aut qui hastam abiecisset, ei non licebat in publico quidquam agere. Sic refert Erasm. *in adagiis.*

34 Apud Thurios lex erat militaris, ut contumax miles desertor, vel transfuga, muliebri veste amictus ob ignominiam vinctus teneretur: sic refert Alex. ab Alex. *lib. 2. cap.* 13.

35 Ad quæstiunculam, nùm miles, captus ab hostibus, dum iret ad villam suam, censendus sit fugæ reus, seu transfugâ; respondemus negativè, si anteà vir erat probitatis; cùm non sit verisimile, eum voluisse in hostium manus studiosè incidere: ideòque esse ei parcendum, tradunt Legum Interpretes: Si verò redeat ab hostibus expleto tempore, intra quod erat ad militiam assumptus, ut veteranum dici, & privilegiis Veteranorum gaudere, probat Textus apertus cum Glos. *in l. Desertorem, ff. de re militar.*

36 Eum, qui cœpit signa, aut castra deserere, seu fugere ad hostes; si apprehensus fuit in via, sufficienter fugâ inchoatâ probatâ, esse capite puniendum vult Textus, *in l. proximè alleg.* & Glos. ibi, *in verb. is, qui*; Hanc tamen pœnam esse moderandam, inspectâ Christiana pietate, censemus.

37 Captum ab hostibus, qui potuit redire, & non rediit, transfugam esse censendum, vult Tex. *in l non omnes, ff. de re militar.*

38 Desertorem, qui desertioni aliud crimen adjungit; puta, si alienam rem furetur, si aliquem occidat, &c. esse gravius puniendum, probat Tex. apertus, *in d. l. non omnes, ff. de re militar.*

39 Milites, ab hostibus remissos, esse suæ militiæ restituendos, Adrianus rescripsit, dummodò probent captos evasisse, non transfugisse: *d. l. non omnes, de re milit.* Et hanc probationem esse desumendam à qualitate personæ; cùm non possit facilè alio modo haberi, admonet ibi Textus allegatus.

40 Jure militari apud Romanos fuit militibus interdictum à signis discedere, locum relinquere, lignatum, aut populatum vadere, ut notat Ayal. *de jur. & off. bellic. lib. 3. cap.* 11. *num.* 1. Qui verò longiùs à tubæ auditu, nisi Ducis, aut Tribuni jussu extra munimenta abjisset, in eum militaris animadversio erat; nè scilicet, subdit Scriptor allegatus, vagi milites solutiore curâ abambulantes, ad hostilem locum temere accedentes, cædibus essent, & periculis obnoxii: tùm etiam, ut à rapina continerentur. Hinc Pompejus, missus in Siciliam Legatus cum audiret, milites itinerantes sæpè evagari, vi, & injuriâ homines afficere, eos, qui impostrum aberrarent, jussit supplicio mulctari, Plut. *in apophth.* Idemque fecisse Alexandrum Severum legimus, murato tantummodo punitionis modo; jubebat enim delinquentes, seu vim hominibus facientes, aut aliena rapientes, fustibus cædi; & dum castigarentur per præconem proclamari, & dici. *Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris*, quod est universale naturæ rationalis præceptum.

Miles, si redeundo ex prælio, restituat ejus armaturam, cessat obligatio solvendi pretium, ut per Tex. *in l. In commodato, §. fin. ff. commodat.* & tradit Rot. Roman. *decis.* 303. *num. 8. p. 7. Recent. coràm Merlino.* 41

Militiæ S. Jacobi de Alcantara habent indultum Apostolicum super exemptionem Fori, ut ostendit Crad. de Luca, *lib. 3. de Jurisdict. disc.* 92 *num.* 11. 42

Milites non lucrantur stipendia, nisi quatenus militent, adeò ut captus ab Hostibus, non recipiat jure postliminii stipendia, & donativa tempore, quo fuit apud Hostes, Rub. *in Annot, ad decis.* 576 *num.* 115. *p.* 4. 43

Milites S. Jacobi de Spatha non esse verè Religiosos, plures dixerunt, quorum opinionem Rota Rom. fuit sæpiùs sequuta, Rot. *decis.* 92. *num. 5. p. 5. coram Urgellen.* Esse verè Religiosos, tenent Novar. Bellug. Mott. & alii, quos citat, Garz. *de benef. p.* 1. *cap.* 40. *num.* 25. 44

Conclusio de bonæ, vel non malæ fidei possessore faciente fructus suos, procedit in jam consumptis, à quorum restitutione, detectâ malâ fide, excusatur, non autem in extantibus; aliàs daretur, ut licita, perceptio rei non suæ, postquàm detectus est non Dominus, Cardin. de Luca, *lib.* 1. *de Feud. disc* 58. *num.* 14. 45

Juxta magis communem opinionem Canonistarum, prima Tonsura quamvis non sit ordo in specie, saltem est ordo in genere. Cardin. de Luca, *lib. 4. de servit. disc.* 61. *sub num.* 17. 46

Privilegia Religionis Hierosolymitanæ eximunt milites ab omni superioritate; & jurisdictione Ordinarii, & aliorum Inferiorum, itaut in nullo casu remaneant illi subjecti, ut fuit resolutum in terminis *in causa Brundusina jurisdictionis, die 3. Februarii* 1579. *coràm Bubalo*, ut Refert Rot. Rom. *decis.* 72. *num.* 5. *p.* 1. *Recent.* quia non modò facultates, & fortunas, verùm etiam sanguinem, & vitam pro defensione Reipublicæ Christianæ prodigunt; & hæc est ratio privilegiorum. 47

Milites, & Equites Hierosolymitani non tenentur solvere collectas, impositas à Clero. Rota Rom. *decis.* 72. *p.* 1. *Recent. coram Bubalo.* 48

Milites Hierosolymitani sunt verè Religiosi, & ideò non habent testandi facultatem. *Cap. Cùm ad Monasterium, de statu Monachor.* Rot. Rom. *decis.* 87. *num.* 1. *p.* 3. *Recent.* 49

Milites Hierosolymitani non possunt disponere, non solùm de bonis, quæ ad ipsos pervenerunt intuitu suæ Religionis, sed nec de patrimonialibus, aut aliunde quæsitis; & hoc, non solùm ex dispositione Statutorum dictæ Religionis, sed etiam juxtà juris communis dispositionem, quia sunt 50

sunt verè, & propriè Religiosi. Abb. *in Cap. 2. num. 3.* in fin. *de Statu Monachor.* Rota Rom. *decis. 76. num. 1. p. 3. Recent.*

51 Metus justus ille dicitur, qui potest cadere in constantem virum, quando imminet timor mortis, vulnerationis, vel corporalis cruciatûs, *Cap. Cum dilectus, de his, qui vi met. caus. fin.* Rot Rom. *decis. 202. num. 3. p. 6. coràm Ubaldo*, ubi varios citat Autbores.

52 Militiæ causa est magis privilegiata, quàm causa dotis, & causa studii. Rot. Rom *decis. 79. num 91. & num. 96. par 7. Recent.*

53 Milites nostri temporis gaudent omnibus privilegiis militaribus, quæ concessa sunt in recompensationem laborum, si arti militari incumbant in expeditione. Dec. & alii, quos refert, & sequitur Rot. Rom. *decis. 69. num. 97. p. 7. Recent. coràm Merlino.*

54 Militia necessaria dicitur, si est pro suo, non pro alieno Principe, & Militia non præbet causam restitutionis in integrum, nisi quando est necessaria, juxtà Text. *in l. 3. Cod. restit. milit. l. si qua militi, ff. ex quibus causis major. 25. annis, integr. rest.* & tenet Rota, *decis. 238. num. 24. par. 8. Recent.*

55 Miles Hierosolymitanus, tanquàm persona Religiosa, prohibetur testari, & probat per varia jura Rota, *decis. 18. num. 6. tom. 1. p. 9. Recent. coram Cerro*, quod tamen cessat, stante licentia Magni Magistri. Ibidem.

56 Milites testando, gaudent privilegiis militaribus, si moriantur in bello, sivè terrestri, sivè navali: quod probatur variis juribus, & DD. authoritatibus per Rot. *decis. 177. num. 18. tom. 1. p. 9 Recent. coràm Carrillo.*

57 Scriniarii, qui non sunt in bello, testando, non gaudent privilegiis militaribus. Rota, *decis. 177. num. 18. tom. 1. p. 9. Recent. coram Carrillo*, ubi pro se allegat jura, & DD. authoritates.

58 Milites, existentes in loco, ubi frequenter adsunt Barbari, Piratæ, testando, gaudent privilegio militari, si probetur, eos adfuisse tempore conditi testamenti, ita ut necesse fuisset semper stare in procinctu, ut notat Conan. *Commentar. jur. civil. lib. 9. cap. 5.* in fin. Donell. *in l. Scriniarios, num. 4. Cod. de testam. milit.* Rota, *decis. 177. num. 2. tom. 1. p. 9. Recent. coràm Carrillo.*

59 Licentia obtenta à Milite Hierosolymitano testandi, intelligitur, & exponitur de bonis provenientibus ex successione Patris, Matris, aliorumque Conjunctorum, jure hæreditario successionis, & legati; & nunquàm extenditur ad bona, quæ acquisivit miles propriâ industriâ, aut aliàs quoquomodo comparavit. Rota, *decis. 118. num. 5. tom. 1. p. 9. Recent. coràm. Cerro.*

60 Militibus, sivè scripto, sivè sinè scripto testari velint sinè testibus, id facere licet, sed ad effectum probandi ipsorum voluntatem, in nuncupativo, & sinè scriptis, requiri duos testes; in scripto autem satis esse scripturam exhibere, sentit Rota, *decis. 150. num. 67. p. 12. coràm Cerro.*

61 Clericus in bello militans, contrà Hostes explodens bombardam, & sævam exercens, efficitur irregularis, & successivè sinè dispensatione Apostolica est inhabilis ad beneficium Ecclesiasticum obtinendum, Abb. Say. Rota, & alii, quos citat, & sequitur Rota, *decis. 459. num. 1. p. 14. Recent. coràm Albergato.*

Solus concursus ad bellum moraliter, & probabiliter justum, non inducit irregularitatem; modò milites propriâ manu non occiderint, vel mutilaverint, nec consilium, aut mandatum dederint ad occidendum aliquem in particulari. *Cap. Petitio tua, de homicid.* & hoc, ob innumera hominum multitudo irregularitatis vinculo illaqueetur. Rot *decis. 459. num 7. par. 14. Recent. coràm Albergato.* 62

Clericus in bello dimicans, abstinere se debet ab actibus sævæ occisionis, ne irregularitatem incurrat. Abb. Bellet. quos producit, & sequitur Rota, *decis. 459. num. 7. p. 14. Recent. coràm Albergato.* 63

Clericus in bello justo irregularitatem non incurrit, nisi specialis deducatur probatio, quòd ipse propriis manibus occiderit, vel mutilaverit, aut consilium dederit ad occidendum, vel mutilandum aliquem in particulari. Rot. *decis. 359. num. 4 p. 14. Recent. coràm Albergato.* 64

Irregularitas propriè non est censura. Rot. *decis. 459. num. 1. p. 14. Recent. coràm Albergato*, unde non tollitur per clausulam *Absolventes*, in Litteris Apostolicis apponi solitam, Rot. loc. proximè cit. 65

Ad bellum justum accedentes non ex eo solùm irregulares fiunt, nisi factum particulare occisionis, vel mutilationis propriâ manu, aut consilio interveniat, Rot. *decis. 147. num. 9. p. 18. coràm Rondinino.* 66

Miles S. Stephani, si contraxit matrimonium cum Vidua, non valet frui privilegio, Ecclesiasticis concesso, sed in omnibus habetur pro Laico: ex Tex. *in Cap. unic. de Bigamis in 6*, & tradit Rot. Rom. *decis. 88. num. 2. p. 19. Recen* ubi alios allegat. 67

Militantium in Castris stipendia nullâ pactione, vel obligatione affici possunt, quia liberè persolvuntur, *l. spem 5. Cod. qua res pign. oblig. poss.* & aliis jurib. allegat. per Rot. Rom. *decis. 165. num. 7. p. 17. coram Rondinino*: sed in subsidium, deficientibus aliis bonis, executioni subjiciuntur. Innoc. Panorm. quos refert, Rot. eod loc. 68

In bellis inter Christianos, quantumvis justissimis, non est locus servituti. Emmanuel Gonzalez. *in lib. 2. decretal. tit. 13. de restit. spoliat. cap. 19. num. 2.* 69

Romani à castimonia castrorum nomen auspicantes, teste D. Isidoro, *lib. 9. origin. cap. 3.* Militibus prohibuerunt uxores ducere, aut jam ductas in castra comportare. Tacit. *lib. 14. Annal.* Tertull. *in exhortat. ad castit.* Et ita cum uxoribus jam susceptis divortium bonâ gratiâ propter militiam fiebat. Emman. Gonzal. *in lib. 3. decretal. tit. 3. cap. 1. num. 8.* 70

Milites armatæ militiæ, qui in Castris degunt, stipendiaque merent, idonei fidejussores non sunt. Emmanuel Gonzal. *in lib. 3. decretal. tit. 21. de fidejuss. cap. 4. sub. num. 2.* 71

Esse factum hæreticale, per inquisitores privativè quoad alios Judices puniendum, Imagines 72

nes Sacras deturpate, spernete, fustigare, demonstratum fuit *tom. 1. lib. 4. Diff 25. num 23.* nunc Doctoribus ibi allegatis, addimus Dianam, *p. 4. tract. 7. ref. 9.* Nicolium, *p. 1. Lucubrat. utriusque juris, lib 4 tit. 18. de haeresi, §. 32.*

73 Multi concurrentes in uno crimine quomodo sint absolvendi: *Die 13. Aug. 1647. in Barensi, libr. 4 decr. Paul.* declaratur.

74 Excommunicatus mortuus, si signa poenitentiae dederit, potest absolvi: *Die 14. Septembris 1626. Januensis lib. 1. decr. Paul.*

75 Excommunicatus mortuus potest absolvi in forma judicii. *Die 25. Septembris 1653. Niernensis, lib. 5. decr. Paul.*

76 Absolutio ab excommunicatione dati debet, satisfactâ parte, vel quando delinquens fuit sufficienter punitus etiam à Judice saeculari. *Sacr. Congr. Episc. ac Regular. in Tridentina 17. Aprilis 1602. & in Beneventana 27. Martii 1653.*

77 Blasphemia, quae non est haereticalis, est mixti Fori. *Sac. Congr. Episc. 16. Octobris 1607.*

78 Clerici conjugati sunt exempti ab hospitatione militum, supposità legitimâ consuetudine. *Die 20 Aprilis 1639. in Theatina, lib. 4. decr. Paul. In Oppidensi, die 23. Aug. 1633. lib. 2 decr. Paul. Hydruntina, die 7. Aug. 1640. lib. 3. decr. Paul.*

79 Coloni Ecclesiasticorum eximuntur ab hospitatione militum. *Die 14. Decembris 1649. in Regiensi, lib. 4 decr. Paul.*

80 Bona Episcopi non possunt gravari hospitatione militum. *Die 12. Januarii 1649 in Fulginatensi, lib. 4. decr. Paul.*

81 Episcopus non potest facere magnum numerum Clericorum, sed observare debet decretum Sac. Concil. Trident praesertim *Cap. 16. Sess. 23. Sac. Congr. Immunit. in Melevitana, 2. Iulii 1630.*

82 Equites Hierosolymitani gaudent exemptione à collectis, & gabellis, exceptis iis, in quibus comprehenduntur à Sede Apostolica. *Die 13. Iulii 1637. in Anconitana, lib. 3. decr. Paul.*

83 Equites Hierosolymitani gaudent exemptione pro bonis patrimonialibus. *Die 19. Ianuarii 1638. in Tudertina, lib 3. decr. Paul.*

84 Equites S. Stephani gaudent Exemptione à quibuscunque impositionibus, *Die 24. Iulii 1646. in Urbevetana, lib. 3. decr. Paul.*

85 Equites S. Stephani gaudent exemptione à collectis, & aliis oneribus: *Die 27. Novembris 1626. in Mantuana lib. 1. decr. Paul. Mantuan die 19. Aprilis 1627.*

86 Equites S. Mauritii gaudent privilegio fori, *die 2. Septembris 1629. in Neapolitana, lib. 2. decr Paul.* Gaudent exemptione pro bonis patrimonialibus: *Die 23. Augusti 1629. in Assisiensi, lib. 2. decr. Paul* Gaudent exemptione ab oneribus, *die 7. Maji 165.. in Tudertina, lib 4. decr. Paul* Gaudent exemptione quoad bona Commendae: *Die 13. Augusti 1647. in Camerinensi, lib. 4. decr. Paul.*

87 Equites S. Jacobi de Alcantata connumerantur inter personas Ecclesiasticas. *Die 5. Martii 1652. in Reatina lib. 4. decr. Paul.*

Clerici gaudent exemptione ab hospitatione militum, etiam in bonis patrimonialibus: *Die 4. Decembris 1629. in Detornensi, lib. 2. decr. Paul. Capuana die 20. Aprilis 1629. lib. 4. decr. Paul* 88

Clerici, non deferentes habitum, & tonsuram, varias poenas incurrunt, Sixtus V. *Constit. 92. Cùm Sacrosanctam.* 89

Milites S. Jacobi de Alcantara perfruuntur omnibus gratiis, & privilegiis concessis, & concedendis Ordini Cisterciensi S. Benedicti: Leo X. *Constit. 44. In Apostolica, 10. Kalend. Julii 1521.* 90

Excommunicatus, qui in articulo mortis confessionem petiit, vel Beatissimam Virginem invocavit, sepulturae Ecclesiasticae tradi debet. *Sacr. Congr. Episc. in Nolana. 19. Iulii 1619.* 91

Posse tolerari mulieres haereticas, quae maritos habent Catholicos, cohabitare arbitrio Ordinariorum, quamdiù fuerit aliqua spes conversionis, & nullum subversionis periculum; & dummodò proles Catholicè educetur, decrevit Urbanus VIII. *in Cong. S. Officii, Feriâ quintâ coram Sanctitate Sua: Die 14. Martii 1630.* & refert Nicolius, *p. 1. Lucubrat. utriusque juris, lib. 1. tit. 10. de Infidelitate*, ubi asserit, hoc esse intelligendum quoad matrimonia jam inita. 92

Filiusfamilias qui accepit mutuum, dum militabat in Castris, tenetur, non solùm in foro conscientiae, sed etiam in foro civili testituere, *l. fin. Cod. S. C. Maced.* Farin. *in annot. ad decis. Rot. Rom. 527.* Nicolius, *p. 1. Lucubrat. lib. 4. tit. 6. de S. C. Macedoniano, §. pen. n. 2.* 93

Qui causa honoris insequitur inimicum, & occidit, incurrit irregularitatem, ita declaravit Sac. Cong. Concilii *die 10. Decembris Anno 1631.* & refert Nicolius, *p. 1. Lucubrat. utriusque iuris. lib. 1. tit. 2. §. jus autem gentium, sub num. 21.* 94

Militiae Hospitalis S. Lazari Hierosolymitani, quae Regulam S. Augustini profitebatur, ut habetur in Const. 1. Alex. IV. *Cùm à nobis*, multa privilegia largitus est Clem. IV. in Const. 2. *Cùm dilecti*, & Const. 5. *Venerabilibus*, & plerique alii Pontifices, nec non Pius IV alia plurima indulta concesserunt, ut videre est in ipsius Pii IV. Const. 95. *Inter assiduas*: Sed Pius V. Const. 28. *Sicuti bonus agricola*, plurimas gratias, immunitates, & privilegia multa huic militiae hactenùs à Summis Pontificibus concessa, reformavit, & revocavit. 95

Milites praefatae militiae, nempè Hospitalis S. Lazari, tenebantur ubi, & quoties vocati, aut requisiti erant à S. Sede Apostolica, ei armati inservire, atque opem, & auxilium suis impensis praestare contra quoscumque Romanae Ecclesiae hostes, vel Rebelles. Pius V. *d. Const. Sicuti bonus Agricola*, § 7. 96

Militiam S. Mauritii Martyris, institutam sub Regula Cisterciensi, ac sub regimine Emmanuelis Philiberti Sabaudiae ducis, suorumque Successorum, ut habetur in Const. 6. Gregorii XIII. *Christiani Populi*, idem Pontifex univit posteà Militiae S. Lazari Hierosolymitani sub deno- 97

denominatione SS. Mauritii, & Lazari, & regimine Sabaudiæ Ducis Magni Magistri perpetui, Const. 7. *Pro commissa*.

98 Equites Militiæ S. Jacobi de Spatha, quæ fuit approbata ab Alex. III. Const 5. *Benedictus DEUS*, possunt testari, sed obrentâ à determinatis Prioribus licentiâ, quæ durat per triennium, deindè renovanda est. Clem. VIII. Const. 31. *Ex Apostolica*; Et gaudent foro Clericorum, aliisque privilegiis. Dicta Constit. 5. Alex. III. *Benedictus DEUS*.

99 Licentiæ, & Facultates Fratrum, & Militum Hospitalium, & Militiarum, tam S. Jacobi de Spatha, quàm de Calatrava, & etiam de Alcantara, testandi, & disponendi de eorum bonis, quas Pius V. in ejus Const. 74. *Sacrosanctam*, revocavit, per Greg. XIII. Const. 30. *Romani Pontificis*, §. 2. 3. 4 ad supplicationem Philippi Hispaniarum Regis fuerunt reintegratæ.

100 Equites Militiæ S. Stephani, etiam bigami, & absque habitu Clericali incedentes, possunt habere, & transferre annuas pensiones Ecclesiasticas usque ad summam ducentorum ducatorum auri de Camera, ut habetur in Const. 104. Sixti V. *Circumspecta*, §. 2. Quam Constitutionem Paulus V. extendit, ut possint habere pensiones 400. scutorum auri, etiamsi sint bigami, illegitimi, vel Laici, Const. 46. *Dum generosa*.

101 Equites Militiæ S. Jacobi de Alcantara, quæ fuit confirmata à Julio II. Const. 16. *Romani*, gaudent omnibus gratiis, & indultis Ordinis Cisterciensis Sancti Benedicti. Leo X. Const 44. *In Apostolica*.

102 Magnus Magister Ordinis Militaris, quem sub denominatione, & Regula Beatæ Mariæ Virginis de Monte Carmelo, Henricus III. Francorum Rex, ad S. R. E. exaltationem, & hæresum extirpationem, ex bonis suis merè laicalibus instituit pro nobilibus, & ingenuis Gallicæ Nationis Viris postulavit, potest habere pro summa mille quingentorum scutorum, seu ducatorum pensiones super beneficiis Ecclesiasticis, in locis à Rege possessis, Authoritate Apostolicâ reservandas, unâ cum Prioratibus, & aliis beneficiis dictæ Militiæ. Cæteri verò Milites ejusdem Militiæ possunt habere pensiones super beneficiis Ecclesiasticis usque ad summam quingentorum ducatorum auri de Camera. Paulus V. Const. 41. *Romanus Pontifex*, §. 9.

103 Rex Galliæ, qui est perpetuus administrator Militaris Ordinis Sancti Spiritus, potest etiam externos qualificatos, dummodò sint Catholoci, ad hanc militiam admittere; & tam ipse, quàm alii ejusdem Militiæ Sacramentum Eucharistiæ, infra octavam ante generalem ejus Congregationem, & ad habitus admissionem, sumere debent. Paulus V. Const. 42. *Majestatis tuæ*, qui Const. 44. *Majestatis* eidem Christianissimo Regi Galliæ facultatem concessit edendi, corrigendi, & immutandi statuta hujus militaris Ordinis, licita tamen, & honesta Sac. Concilio Tridentino, & Apostolicis Constitutionibus minimè contraria.

Militiæ S. Jacobi de Spatha, & Militiæ de Avis Regni Portugalliæ, à Sede Apostolica institutæ, gaudent omnibus gratiis, & privilegiis Militiarum S. Jacobi, & de Calatrava, & de Alcantara in Regnis Castellæ, & Legionis existentium. Gregorius XIII. Const. 32. *Ex Apostolica*, §. 1. & 5. Quam privilegiorum concessorum, & concedendorum communicationem hic idem Pontifex ibi declarat, voluisse facere ob strenuitatem Militum harum Militiarum, exhibitam contra immanissimos Christiani nominis hostes, Mauros scilicet, & alias barbaras Nationes. 104

Milites etiam bigami Militiæ Christianæ, erectæ à Duce Mantuæ, & approbatæ à Sancta Sede sub Titulo Conceptionis Beatæ Mariæ Virginis Immaculatæ, & Regulâ S. Francisci, possunt habere super benef. Ecclesiast. pensiones usque ad trecenta scuta monetæ Romanæ, ad rationem decem juliorum pro quolibet scuto. Urbanus VIII. Const. 12. *Imperscrutabilis*, §. 13. 105

Magno Magistro præfatæ Militiæ Christianæ, sub titulo Conceptionis, &c. Urbanus VIII. motu proprio concessit plenam, & omnimodam facultatem in eamdem militiam accipiendi certos Prælatos Romanæ Curiæ; nempè, Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, causarum Palatii Apostolici Auditores, nec non Cameræ Apostolicæ Clericos, Protonotarios de numero participantium, nec non utriusque Signaturæ Referendarios, qui saltem per biennium actu officia sua exercuerint, Sedis Apostolicæ servitiis realiter insistendo, secundùm præfatæ militiæ statuta, & Constitutiones. Urbanus VIII. Const. incip. *Cum nos nuper, edita Anno Domini* 1624. §. 1. 106

Unio Militiarum SS. Mauritii & Lazari, unâ cum privilegiis per diversos Romanos Pontifices prædecessores suos, fuit confirmata à Clemente VIII. Const. 102. *Decet Romanum Pontificem*, ubi §. 9. declarat, ex hac unione magnum evenire incrementum, tam in spiritualibus, quàm in corporalibus; ibidem subdens, & majus adhuc in dies esse sperandum, scilicet "Ut Magnus Magister, Milites, & aliæ personæ, " & promptius, & ferventiùs ad egregiam, & fidelem operam pro Sedis Apostolicæ, & populorum illi subditorum defensione perpetuò navandum, accendantur, & animentur. 107

Equites Militiæ, & Ordinis S. Joannis Hierosolymitani, si ad Episcopatum promoveantur, non possunt retinere Præceptorias, sive beneficia, sive quævis alia, absque dispensatione Apostolica. Gregorius XIII. Const. 82. *Controversia inter Venerabilem*. 108

Equites Templarii fuerunt propter multa mala ab ipsis perpetrata abrogati; & eorum bona Militiæ Sancti Joannis Hierosolymitani applicata. Clemens V. Const. 3. *Ad providam*. 109

Equites Militiæ S. Joannis Hierosolymitani à decimis, & aliis oneribus sunt exempti per Pium V. Const. 77. *Et si cuncta*, Gregor. XIII. Const. 60. *Quo magis*, Gregor. XIV. Const. 5. *Quanta*. Sixt. V. Const. 43. *Æquum*, Clementem 110

mentem VIII. Const. 37. *Æqua*, Urbanum VIII. Const. 15. *Universalis*. Et promoveri debent ad Magnam Crucem intuitu potiùs meritorum, quàm antianitatis. Paulus V. Const. 30. *Accepimus*. Hosque Milites percutiens, occidens, vel id mandans, incurrit excommunicationem Summo Pontifici reservatam. Concil. Later. III. *in append. tit. De illis, qui incidunt, C. 6.*

111 *Tom. 1. lib. 4. Diff. 7. num. 17.* Demonstravimus, Milites, præsertim extraneos, seu non subditos Principis bellum indicentis, dubitantes de justitia belli, non posse licitè militare, nisi priùs deposito rationabiliter dubio. Nunc addimus, ad hujusmodi depositionem plurimùm valere Virorum doctorum, ac proborum consilium: Eoque uti, etiam semoto gravi dubio, præfatis Militibus, ad tutiùs bellandum, suademus. Sic fecit Marchio Cosmus Richardus Patritius Florentinus, Filius Senatoris Francisci, qui suo enpiens martiali genio assentari, consuluit priùs, circa militiam sub signis alterius Principis suscipiendam, & exercendam, P. D. Laurentium Cocchium, ex nostra Religione, Theologum, Virum doctrinâ ac probitate præclarum; & postea strenuè militavit in Gallia, ac Germania; Deindè in bello, suo Principi inserviens, officio pugnæ Instructoris, vulgò *Sergente Generale di battaglia*, decoratus, eo per aliquot annos magna cum laude, & gloria patriæ, omniumque exterorum plausu, perfunctus est. Demùm fuit, in testimonium suæ strenuitatis, ac fidelitatis, Gubernator Liburni factus: Quo in munere magnâ prudentiâ, ac æquabili justitiâ peracto, circà Annum 1649. ætatis suæ 49. obiit, relicto post se Marchione Francisco, Filio suo charissimo, nunc vivente; non tam facultatum, quæ amplæ sunt, quàm virtutum suatum hærede, Primario Magni Ducis Etruriæ Domus Præfecto; olim in suæ juventutis flore apud Clementem X. Summum Pontificem; & ob auspicatissimas Claudiæ Imperatricis Nuptias apud Sacram Cæsaream Majestatem Leopoldi Primi Imperatoris electi Extraordinario Oratore sui Principis laudatissimo.

FRAGMENTA.

Quæ superfuerunt Libro V. Difficultatum Pertinen. ad Arma.

1 CELEBREM quæstionem, an liceat Clerico pro defensione rerum suarum arma ministrare, movet & resolvit Innoc. *in Cap. Si verò, de sent. excommun.* Abb. *in Cap. Suscepimus, de homicid & in Cap. Clerici*, il primo, *de vit. & honest. Cleric. & in Cap Significasti*, il secondo, *de homic*, ubi agit *de tutel. rer. Ecclesiæ*, quibus uti egregiè loquentibus, nil addere audemus, nec scimus. Utrùm verò liceat Clerico pro alterius defensione arma sumere, vim inferre, & occidere, præsertim pro subditorum suorum tutelâ, quando jurisdictionem habet, fuit à nobis suo loco resolutum. Vide etiam Abb. *in Cap. Clerici arma portantes, de vit. & honest. Cleric.*

2 Arma deferentibus contra prohibitionem Tex. *in l. 1. ff. ad leg. jul. de vi publ. l. unica, Cod. ut usus armorum, lib. 11. §. Prohibemus, §. Hanc igitur, Authen. de armis Constantinopolis Urbis*, vel contra particularia Principum Edicta, pœna statuitur ex dispositione Statutorum, & Bannimentorum particularium Provinciarum, Civitatum, nec non Locorum. Scimus enim in magnis Civitatibus, ubi major adest occasio delinquendi ob majorem populi multitudinem, majorem exigi pœnarum rigorem, quàm in parvis, ut advertit Illustriss. & Reverendiss. de Zaulis, *ad Statuta Faventia, tom. 1. Rubr. 11. lib. 4. num. 5.* ubi concludit, pœnas regulariter esse graviores juxta locorum qualitatem, & differentiam, & citat prò se Amisden.

3 Tubam esse instrumentum antiquissimum, jamque in veteri Testamento usitatum, testatur Kircher. *in sua Phonurgia nova, lib. 1. sect. 3.* ubi de variis tubarum classibus erudite loquitur; & ejus originem traxisse à tubo, sivè canali, scribit Gaspar Bartholin. *de Tibiis vet. lib. 3. cap. 7. vers. Tuba*: Quamvis tubæ inventionem tribuat Pausanias *lib. 2.* Tyrrheno Herculis & Omphales filio, & nonnulli adscribant Tuscis.

4 Antiquitùs ad indicendum belli diem mittebatur ad hostes chyrotheca, vel ejusdem jactus, ut ex Matthæo Par. refert Ciron. *in particula ad tit. decret. de nov. oper.* pag. mihi 445. quodque ad praxim fuisse Anno 1512. deductum in Provincia Romandiolæ à Fois Gallicarum Copiarum Duce, occasione indicendi certamen Exercitui Pontificio, & Hispano, testatur Cæsar Manent, *Histor. lib. 6.* pag. mihi 184.

5 Tubarum usus hodiè versatur in subhastationibus, & deliberationibus in publicatione Edictorum, & Bannimentorum, in convocatione Populi, in torneamentis, in festivitatibus tam sacris, quàm profanis; potissimùm verò in bello, ubi tubarum sonitu milites admonentur, quid agere debeant, vel omittere; jussa Principis, ejusque Officialium dignoscunt; eorumque animi ad generosè hostes aggrediendum, fortiterque cùm eisdem pugnandum accenduntur, ut

dulphum Imperatorem, habetur in Historia Australi, ann. 1278. hujusmodi factum inter illicita, & flagitiosa gesta numerante, ex hic „ dicente, Rex Bohemiæ, collecto exercitu ma- „ gno cum machinis, & diversis instrumentis, „ & armis bellicis, manu validâ Austriam in- „ greditur, quamvis, quod dictu nefas est, nun- „ quàm litteras diffidentiæ Regi Romanorum præmisisset. Eumdemque videlicet Bohemorum Regem fuisse divinitus punitum, ac à parvo Rodulphi exercitu ignominiosè superatum, præfata refert historia.

14 Omnia Christianorum Principum bellantium Arma deberent Sacrosancto Crucis Signo ornari, ac muniri. Talia fuisse Arma Magni Constantini, ad Fidem conversi, in hostes bellaturi, narrat Eusebius Cæsariensis Episcopus in ejus vita, *lib. 4. cap. 21.* ibi dicens, „ Con- „ stantinus etiam in ipsis armis salutaris trophæi „ signum insculpi, armatoque Exercitui præferri „ fecit; & ut solùm hoc salutare Tropbæum, „ non ullam, ut ante consueverant, inauratam „ statuam sequerentur. De Imperatore Heraclio adversùs Persas pugnaturo, canit Georgius Pisides Constantinopolitanæ Ecclesiæ Diaconus, & „ Chartophylax: „ Corrobora ipsos mysticis „ hostilibus; compinge & ipsis Crucigeras imagines. O quot victorias Christianorum Arma de hostibus injustè bellantibus reportareot, si Christi signum, quo devictæ remanserunt Inferorum Potestates in se haberent! Plurima sanè sunt istiusmodi pietatis, ac variarum pet ipsam victoriarum exempla, quæ lubenter, brevitati studentes, omitrimus.

15 Campanæ Concionatorum species sunt, populum ad Fidem, & divina vocantium & invitantiū Lap. *alleg.* 12. *num.* 4. apud Catdin. De Luc. *lib. 3. de jurisdict. Disc.* 33. *num.* 10. ubi asserit, quòd Campanarum jura, administratio, & jurisdictio esse debent Episcopi, cujus est Ecclesia, & cui incumbit populi cura spiritualis, pro qua hujusmodi usus in Ecclesia est introductus, tanquàm de ipsius curæ appendiriis; estò per accidens Campanarum usus aliquandò bello inserviat, ut suo loco fuit explicatum.

16 Diximus, & probavimus alibi, arma ad Christiani nominis hostes deferentes ipso facto excommunicati, *Extrà de Jude. Cap. multa.* Bulla Cœnæ *Can. 7.* Paul. Const. 63. *Pastoralis.* Addimus nunc, Const. 62. Urbani VIII. *Pastoralis*, Const. Innocentii III. *Ad liberandam*, Const. 3. Nicol. I. *Olim.*

17 Arma deferre, quando Missa celebratur, expressè prohibuit Concil. Arelat III. *Cap. 28.* ubi dicitur, Transgressores esse per Judicem Ecclesiasticum, non Laicum puniendos.

18 Esse omnibus interdictum arma in Ecclesia deferre, habetur in Concilio Mediol. I. *p. 2 Tit. de Ecclesiis, & earum cultu*: & quâ pœnâ sint mulctandi aliter facientes, & non desistentes, ibidem declaratur: vide etiam verb. *Ecclesia.*

19 Pius IV. prohibuit delationem, retentionem, nec non venditionem archibusertorum breviotis mensuræ duorum palmorum in Statu Ecclesiastico, sub pœna criminis læsæ Majestatis, Const. 49. *Cum vices*, ubi pariter declaratur, Legatos, Gubernatores, vel alios quosvis Superiores in Statu Ecclesiæ non posse concedere licentiam hujusmodi arma ferendi sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, & aliis; & licentias concessas nullius esse valoris, & successivè præfata arma cum eorum licentia deferentes, vel vendentes, vel domi retinentes, staturis pœnis esse obnoxios: Et Pius V. Const. 145. *Cùm vices ejus*, extendit præfatam Pii IV. Constitutionem ad pugiones, cultellos (exceptis cultellis ad frangendum panem) brevioris mensuræ trium palmorum, easdemque pœnas aliter facientibus in Statu Ecclesiastico imponit; ibidem § 3. inhibendo: „ Omnibus, & singulis etiam de latere Legatis, & quibuscunque Vi- „ celegatis, Gubernatoribus, Rectoribus, Præ- „ sidentibus, ac aliis Ministris, & Officialibus, „ Sedis Apostolicæ, nè, sub suspensionis à divi- „ nis, ac excommunicationis latæ sententiæ, „ aliisque arbitrio Pontificis pœnis, cuiquam „ tale genus armorum sub quovis colore deferen- „ di licentiam, & facultatem ad quodcunque, „ etiam brevissimum tempus concedere audeant „ vel præsumant: & §. 4. declarando licentias ac „ facultates concedendas nullas penitùs, & in- „ validas existere eosque qui sub illorum clypeo „ dictum genus armorum detulerint, pœnam „ præfatam omninò incursuros; illosque irre- „ missibiliter puniendos fore.

Milites armis, Doctores verò legibus, vitas hominum defendere dicuntur, ut per Tex. *in l. Advocati, Cod. de Advoc. diversf. jud.* & notat Rot. Rom. *decis. 69. num. 95. p. 7. Recent. coràm Merlin.* ubi alios citat. 20

Deferentes arma Infidelibus puniendi sunt, tanquàm hæretici, & Inquisitionis Foro subjiciuntur, Catena, *de offic. S. Inq. p. 2. tit.* 17. §. 20. *num. 64. 65.* & alii plures, quos producit, & sequitur Rot Rom. *decis 536. num. 38. p. 14. Recent. coràm Gastaldo.* 21

Arma translativè, & minùs propriè accipi pro quolibet munimento, quo quis gaudet, censemus. Sic instrumenta rustica Agricolarum arma dixit Virg. *lib. 1. Georg. vers. 60.* 22

Dicendum & quæ sint duris agrantibus arma.

Et Nautarum, lib. 5. Æneid.

Colligere arma jubet, validisq. incumbere remis.

Sic studiorum arma libri dicuntur. Gedeus *in l. 41. num. 6. ff. de verb. signif.* Et Insignia gentilitia communiter arma dicuntur, ut notat Emmanuel Gonzal. *in lib. 3. Decretal. cap. 2. tit. 1. de vit. & honest. Clericor. num. 5.*

Arma propriè intelliguntur, quæ principaliter secundùm materialem usum ad defendendum, vel offendendum sunt ordinata, ut gladius, lancea, bombarda, ballista, de quibus Virg. *lib. 1. Æneid. vers. 54.* 23

Furor arma ministrat.

Et notat Emmanuel Gonzal. *in d. lib. 3. Decretal. tit. de vit. & honest. Clericor. cap. 2. num. 5.*

24 Arma, quæ Clericis prohibentur, accipiuntur pro omnibus illis instrumentis, quibus ad nocendum homines utuntur, & eo animo deferuntur. Emmanuel Gonzalez, loc. proximè cit.

25 Armorum prohibitionem cessare, ubi quis arma ad incidendum, vel ad aptandas pennas portaverit, vel etiam cultellos mitiores, probat Textus, *in Cap. Lator. de homicid.* & notat Emmanuel Gonzal. *in lib. 3. Decretal. tit. de vita, & honest. Clericor. cap. 2. n. 5.*

26 Armorum delatio, seu usus regulariter privatis prohibetur *in l. unic. Cod. ut armor. usus*: Adeò ut nec Fabris ipsorum usus permittatur, *Novella 85. c. 1.* ac nec militibus quidem extra usum belli, ut probat Arnifeus, quem refert, & sequitur Emmanuel Gonzal. loc. cit. *num. 6.* Non tamen usum armorum Privatis indistinctè prohibitum esse censemus, *ex l. 3. §. 1. ff. ad leg. Jul. de vi*; & advertit Gonzalez, loc. proximè cit.

27 Non enim Clericorum arma sunt gladii, sed dolor, fletus, orationes, & lacrymæ. *Cap. Non pila, cap. Convenior, causa 23 quæst. 8.* Debent enim Clerici exempla Christi Domini sequi, qui in Ægyptum ob Herodis sævitiam fugiens, & lapidibus Judæorum cedens, non arma armis, sed fugam persequentibus docuit opponi. Et notat Emmanuel Gonzal. *in d. lib. 3 Decretal. tit. 1. de vit. & honest. Cler. cap. 2. n. 7.*

28 Non licet Curiæ sæculari auferre Arma à Confugientibus ad Loca immunia *Die 11. Aug. 1632. in Motulana, lib. 2. decr. Paul.* In una *Tranensi, die 6. Novembris 1544. d. lib. 2. decr. Paul.* In una *Netiinensi, die 17. Januar. 1628. d. lib. 1. decr. Paul.*

29 Proceditur contra auferentes arma à Confugientibus ad Ecclesiam. *Die 3. Ianuarii 1632. in Castrensi, lib. 2. decr. Paul.* In una *Muturanensi, die 19. Ianuarii 1638. d. lib. decr. Paul.*

30 Arma ablata à Confugientibus ad Ecclesiam sunt restituenda. *Die 9. Iunii 1607. In Ianuensi, lib. decr. Paul.*

31 Arma etiam prohibita non possunt auferri à Confugientibus ad Ecclesiam per Curiam sæcularem: *Die 6. Ianuarii 1635. in Venusina, d. lib. 2. decr. Paul.*

32 Factâ restitutione Armorum ablatorum, possunt Delinquentes absolvi in forma consueta Ecclesiæ: *Die 10. Novembris 1683 In Ianuensi, lib. 3. decr. Paul.* In una *Muturanensi, die 19. Ianuarii 1638.*

33 Arma etiam prohibita non possunt per Curiam sæcularem à Clericis etiam conjugatis auferri: *Die 7. Decembris 1638. in Consentina, lib. 3. decr. Paul.*

34 Curia sæcularis non potest auferre arma prohibita intra Ecclesiam, nec à Clericis deferentibus, nec eos perducere ad Carceres, sine licentia Episcopi. *Die 18. Martii 1631. In Adiacensi, lib. 2. decr. Paul.*

35 Armorum prohibitorum gestatio, quamvis in Ecclesiis delictum sit, non est tamen de comprehensis in Constitutione Gregoriana. *Sacr. Congr. Episc. in Salernitana, 30. Septembris 1616.*

Arma per Reges, aut Principes sæculares prohibita, teneri non possunt, neque in Conventibus Ecclesiasticorum, tam sæcularium, quàm Regularium. *Sac. Congreg. Episc. 4 Martii 1603.* 36

Judex sæcularis non potest auferre arma prohibita Reo in Ecclesia, sine licentia Episcopi. *Sac. Congr. Episc. in Sipontina: 12. Maii 1604. Et in Salernitana 30. Septembris 1616.* 37

Qui cum armis prohibitis ad Ecclesiam se recipiunt, gaudent immunitate. *Die 30 Septembris 1616. in Salernitana in Regesto.* 38

Episcopus potest tenere familiam armatam. *Die 13. Iunii 1628. in Agrigentina, lib. 1. decr. Paul. Minervensi die 1. Septembr. 1637. lib. 3. decr. Paul.* 39

Familiares Episcopi gaudent privilegio fori, & possunt deferre arma *Die Iulii 1647.* In una *Montis Politiani, lib. 4. decr. Paul.* 40

Non solùm viri, sed etiam mulieres quandoque Marte excitato, arma sumunt, aut ad bellandum, aut ad bellum temperandum. Scimus enim, quòd Celtarum mulieres bello civili, gravi, & implacabili discordiâ exorto, inter media arma progressæ, controversias omnes composuerunt, & concordiam firmaverunt. *Plut. de virt. mulier.* 41

Qui portant arma ad malefaciendum, possunt puniri, per *l. fin. Cod. de prap. Sacri Cubic.* si hoc constat, etsi non fuerit secutum malum; Et tenet And. quem refert, & sequitur Matth. de Afflict. *in Constit. Neap. lib. 1. Rub. 9 num. 35.* ubi addit, tunc constare, aliquem portare arma ad malè faciendum, quando arma sumendo, & portando, dicit, volo offendere talem, ut Glos. *in l Fulcinius, §. quid si autem latitare, ff. quibus ex caus. in possess. eatur.* Nos tamen putamus, posse aliter ex conjecturis, & indiciis constare arma deferri ad proximi læsionem: Quæ omnia brevitatis gratiâ libenter omittimus; meliùs in facti contingentia à Jurisperitis perpendenda, & explicanda. 42

Lorica dicitur ferreum munimentum corporis, quod in vulgari nuncupatur Coraria, De Loricis fit mentio *in Auth. de armis, § Prohibemus:* Et antiquitus hoc munimentum fuisse de Corio crudo, tradit Matth. de Afflict. loc. proximè cit *n. 46.* 43

Animus præsumitur malus, vel bonus ab effectu, secundùm Bald. *in proœmio fforum*, in fin. ut puta, si quis in dubio extrabit arma contra aliquem, præsumitur habuisse animum offendendi, quam præsumptionem non cognoscimus in eo, qui solùm portat arma, & illa non extrahit. 44

Potest quisque de jure communi arma portare, dum timet insultum pro sui necessaria defensione, & sui salute, eique favet Tex. *in l. 1. ff. ad leg. Iul. de vi public.* Quidquid dicant alii, asserentes, hoc minimè licere, nisi de licentia superioris, si adsit in contrarium aliqua parti. 45

particularis constitutio: Juri enim positivò debet prævalere jus naturæ. Prætetquamquòd, particularis Regni Constitutio non videtur comprehendere casum justæ defensionis, quo in sensu esset intelligenda.

46 Nullus potest esse faber ad arma facienda, nisi deputatus à publico, ut dicit Tex. expressè, *in Auth. de armis*, in princ. qui Textus clarè ostendit, magnam Imperatoris provisionem ad bellorum, rixarum, & violentiarum occasionem vitandam.

47 De jure Authenticorum non solùm portatio armorum est prohibita ad tollendum violentias, & bella, sed etiam prohibentur Magistri armorum privatis personis arma vendere, quod notat Matth. de Afflict. *in Constit. Neapol. lib. 1. Rub. 9. num. 1. & 2.* ubi dicit, arma prohibita in domo retenta, debere Fisco publicari.

48 Licitum est de jure communi arma in navigatione portare, ut dicit Text. *in l. 1. ff. ad leg. Jul. de vi public.* ubi dicitur, quòd licet tenere arma causâ venationis in domo: unde mirot, cur Tex. *in l. 1. & 2. Cod. de venatione ferarum, lib. 12.* nihil dicat de armis.

Licitum est portare arma pro occidendis bannitis: Ludov. Rom. *in l. 2. § sed utrum, ff. ad Syllan* Alex. Nellus de S. Geminia, quos producit, & sequitur Matth. de Afflict. *in Constit. Neapol.* loc. cit. *num. 6.* 49

Titius armatus prohibens aliquem, nè utatur re suâ, & non sinat eum re suâ uti, tenetur lege Juliâ de vi publica. Sic Andr. & alii juris Interpretes, & facit *l. uni. Cod. uti possi. & l. vim facit, ff. de vi, & vi arma.* 50

Scimus, homines aciem mentis acuere ad varium formandum instrumentorum, armorumque genus; ut tradunt Lipsius, *de Romana militia*; Valtrinus, *de re militari*: destruentes homines, quantum est ipsis possibile; naturam ipsam, ut inquit M. Tull. *lib. 1. de legib. lib. 2. de off. & lib. 5. de finib.* Simanc. *lib. 3. de Repub. cap. 1. num. 9.* Sed scire quoque debemus, hominem solùm rationi esse subjectum, quam sibi pro armis Natura tradidit, ut ajunt Aristoteles, *lib. 1. de Repub.* Senec. *lib. 4. de benef. cap. 18* Plutar. *in lib. de auditione*, in princ. *& libel. de fort.* Acciajolus, *adlib. 7. Politicorum Arist.* pag. mihi 243. 51

FRAGMENTA,

Quæ superfuerunt Libro VI. Difficultatum Pertinen. ad Loca.

1 Obsides, dati ab una Civitate alteri Civitati, non amittunt testamenti factionem. Barr. *in l. Obsides, ff. de testam.* A quibus alimenta habere debeant Obsides, quando non habent unde vivant, inspiciendus est Felin. post Abb. *in Cap. Ex rescripto, de jurejur.* An una Ctvitas privata possit dare obsides alteri privatæ Civitati: vide Bar. *in l. Divus, ff. de iure Fisci, & in l. nam etsi servus*, in princ. *ff. de negot. gest.* ubi resolvit quæstionem, an si aliquid Obsides, dati ab una Civitate privata alteri privatæ Civitati, solvunt, illud repetere valeant. De materia obsidum tractat eruditè Jas. *in § Rursùs, col. 9. & seq. institu. de action.*

2 Bellum potest indici Civitati, & subditis Principis, justitiam, tanquam hostis, denegantis: nam Princeps, & subditi totum corpus constituunt, & universalis culpa derivatur in omnes, qui non possunt à corpore separari, sic respondit Atias de Mesa, *lib. 2. variar. resolut. cap. 23 num. 11. vers. qua sententia*: & tradit Episcopus Vetulanus, *ad Statuta Faventia, Rubr. 23. lib. 7. num. 43.* ideòque omnes pro hostibus habentur; & contrà hostes ad injuriam publicam, & universalem ulciscendam, justè bellatur.

3 Militia, seu Religio Sancti Stephani fuit instituta per Cosmum Medices, Francisci Patrem, sub Regula S. Benedicti, ut videre est in Constit. 60. Pii IV. incip. *His, quæ, §. 2.* ad Maris Mediterranei, incursibus Infidelium infestati, custodiam, & defensionem, ut habetur in Constit. 65. Sixti V, quæ incipit *Præclara.*

Franciscus Medices Magnus Dux Etruriæ, & Magnus Magister Militiæ S. Stephani, ex Indulto Pontificio, erigere valet in Commendas dictæ Militiæ Hospitalia, per Laicos regi solita, ad hospitalitatem instituta, in Etruria existentia, de quibus Sedes Apostolica disponere non consuevit, Sixtus V. in præfata Const. 65. *Præclara.* 4

Ad quæstiunculam, an justè bellantibus liceat expoliare omnes subditos, vel repertos in Locis, & Terris injustè bellantium aut in aliquo eos punire, respondet Tabien. *in sum. p. 1. v bellum, num. 11, quæst. 8.* negativè, dummodò non præstent Dominis auxilium, consilium, vel favorem; cùm peccata suos tantùm debeant tenere Authores: *Cap. Quæsivit, de his, quæ fi. à majo. par. Capituli.* 5

Concessis repressaliis contrà Cives alicujus Civitatis, non intelliguntur concessæ contrà Natos, & habitantes in Castris illius Civitatis; cùm hujusmodi Civitatis non sint Cives, nec ex tali Civitate orti, ut dixit Bald. *in l. si in aliquam, ff. de Proconsul. & Lega.* De hac materia Repressaliarum vide Barr. *in suo Tract. repressaliarum*, & habetur *in l. sed omnino, Cod. nè uxor pro marito.* 6

7. Nulli-

7 Nullibi possunt de jure Oratores, seu Legati Regum, & Principum, aut eorum famuli aut eorum bona, equi, vestes, aliæque res detineri; & capti pro repressaliis, neque offendi de jure possunt in aliquo loco, etiam hostium, *l.* 1. *Cod de legationib.* & tradunt Bart. *in l.* 1. *ff. ad leg. Jul. Majest. & in l. Conventionum, ff. de pactis*: & Bald *in l. Administrantes*, §. *eorum, ff. de excusationib. Tutor.*

8 Præfati Pricipum Oratores non possunt legitimè conveniri in Loco, ad quem accedunt pro debitis antè contractis, vel pro possessione anteà adepta; estò possint pro debitis posteà factis, & pro possessione posteà acceptâ: Est Tex. *in l.* 2. §. 1. & Bart. ibi, *Cod. de Legatio lib.* 10. & DD. cum Glos. *in l. Paulus, ff. de solutionib.* & Bald *in l.* 1. *Cod. de Nundinis*, & post alios Jul. Ferret. *de jur. & re nav. lib.* 5 *num.* 39 & 40. ubi subdit, Principum Oratores cogi de jure litigare, & posse conveniri coràm Judice Ordinario, & etiam Arbitro in aliquibus casibus, juxtà Textum, *in l. Non distinguemus*, §. *Item si quis*, & ibi Bart. *ff. de Arbitris.*

9 Posse à Principe, ob bonum pacis, Castrum sui subditi hostibus concedi tenet Bal. *in l. Benè à Zenone, num.* 2. in fin. *de quad præscrip.* & post Alex. tradit Jas. *in l. Gallus*, §. *& quid, si tantùm, num.* 82. *ff. de lib. & posthu.* & Alc. *in l. Debitorum, num.* 18. *Cod. de pac.* Teneri tamen Principem in tali casu providere de æquivalenti subditum gravatum, probavimus, *tom.* 1. *lib.* 1 *Diff.* 12. *num.* 21.

10 Galliam semper abundasse Viris fortissimis, scribit Sanctus Hieronymus apud Christianum Lupum, *in Opuscul. de Christ. milit. cap* 2. & nostris præsentium diebus videmus eam suis armis in plures Provincias eodem tempore transferri, in iisdemque bellare: & Titus Livius in prima Decade, *lib.* 10. *cap.* 16. habet „ Galli „ sunt inter ferrum, & arma nati, feroces suoptè ingenio: & in tertia Decade, *lib.* 1. *cap.* 16. „ Gallicæ Gentes sunt semper armorum „ avidæ.

11 Posse contrà Turcas, Saracenos, aliosque Infideles, qui Orthodoxo Imperio jure, estò non facto, subsunt, per legitimam, præsertim Summi Pontificis potestatem, ac jussionem armatâ manu procedi, uti Christianorum Loca per injustam violentiam detinentes, etiam tradit Christianus Lupus, in suis eruditis Opusculis, *de Christ. milit. Cap.* 2. ubi notat, justa bella adversùm Gentiles, atque Paganos, magnam habere utilitatem, quam summoperè laudat Sanctus Agobardus in Libro ad Palatii Proceres, de Judaicorum Mancipiorum Baptismo.

12 Omnem Locis Sacris reverentiam esse ab omnibus militibus semper præstandam suo edicunt exemplò etiam à vera Religione alieni: nam de Alarico Ariano, Gotborum Rege, Romanam Urbem violentet irrumpente, scribit Paulus Orosios, *lib.* 7. *historia, cap.* 39. „ Ala„ricus trepidam Romam obsidet, turbat, irrum„pit: dato tamen præcepto priùs, ut si qui in „ Sancta Loca, præcipueque in Sanctorum Apo„stolorum Petri, & Pauli Basilicas confugis„sent, hos imprimis inviolatos, securosque „ esse sinerent. Tum deindè in quantùm pos„ sent, prædæ inhiantes, à sanguine tempera„rent. Ex quo liquet babariores fore Barbaris Christianos Principes, si in Christianarum Urbium expugnatione Loca Sacra violari, vel ad ea confugientes offendi, aut juberent, aut permitterent: quod de bellantibus, aus pacificis nostri temporis Regibus, & Principibus, cùm omnes piissimi sint, & veræ Religionis Propugnatores existant, nullatenùs est præsumendum.

Castra nunquàm immunita esse relinquenda etiam amicitiæ, pacisque tempore, scripsit Leo Imp. *in bellic. app. cap.* 20. *num.* 27 & rectè; cùm bellum possit ex improvisò, estò indebitè, excitari; & tempus necessarium ad illa muniendа auferre. Imò prudentiores exercituum Duces solent, induciás, & fœdera belli cum hostibus facientes, majoribus, atque accuratioribus custodiis, Castra, aut Regionem munire; teste ipso experimento, ut possint faciliùs hostium violentias amandare, si fortè fœdera violare tentarent. 13

Quisque tenetur suæ Patriæ semper fidelitatem servare; & injuriâ ab ea acceptâ, non potest laudabiliter in eam armis insurgere. Hinc Themistocles in exilium missus, teste Plut. *in Themistocle*, cùm ad Xersem se contulisset, eique promisisset, se Athenienfibus bellum illaturum, & à Rege admonitus, ut promissa servaret; estò injustâ affectus à Civibus, & summâ humanitate exceptus à Rege, honestius duxit vitam finire, quàm Patriæ bellum inferre: itaque hausto veneno mortem sibi conscivit. His consequens est, fidem datam à Personis privatis in præjudicium Reip. vel Ecclesiæ, non esse servandam, si principaliter de ejus præjudicio agatur, ut probat Textus, *in l. jurisgentium*, §. *si paciscar*, & §. *Et generaliter, l. jus publicum, ff. de pactis*; etiam addito juramento, si hujusmodi fides jurata non posit absque Dei offensione servari: siquidem juramentum non debet esse vinculum iniquitatis: *Cap. Inter cætera, causa* 22. *quæst.* 4. neque obligatur quisquam ex juramento contrà bonos mores præstito: *Cap. Non est obligatorium, de reg. jur. in* 6. Ideòque longè justiùs se gessit David, non stando juramento de perdendo Nabal, quàm Herodes, qui proptee jusjurandum præcepit virum Sanctissimum interfici: *Cap. Est etiam, Cap. Quòd David, Cap. Juravit, causa* 22. *quæst.* 4. Rectè igitur dixit Seneca in *Hercule Vetao.* 14

Præstare fateor posse me tacitam fidem,
Si scelere careat: interim scelus est fides.

Scribentes de rebus bellicis nequaquàm approbant, defensionem sociarum Urbium, aliorumque Oppidorum in bello suscipiendam, quæ commodè defendi non possunt: exemplum adducentes Philippi Macedonum Regis, qui à Romanis prælio victus, Urbes socias, aliaque Oppida, quæ defendere non poterat, maluit, exciris hominibus, incendere, ac vastare, quàm hostibus relinquere. Ayal. *de jur. & off. bellic. lib.* 2. *cap.* 1. *num.* 13. ibi paulò post subdens. 15

Portò,

„Porrò, quemadmodùm non est suscipienda te-„ merè defensio eorum, quæ tueri non potes: Sic „ nec facilè deserenda sunt, quæ hostium impe-„ tum excipere, & frangere possunt.

16 Hostibus quandoque consultum erit per Loca minùs periculosa, etiam viam, quâ fugiant, aperire; cùm desperatio in fortitudinem versa possit hostes invictos de victoribus reddere. Hinc Græcis, volentibus Xersis certamine victi, transitum hosti fugienti impedire, ipsumque Regem cùm Exercitu intercludere, Themistocles summâ prudentiâ ornatus, timens, ne interclusi Adversarii desperationem in virtutem verterent, & viam, quæ aliter non pateret, ferro patefacerent; cùm vincere cæteros consilio non posset, per servum monuit Xersem, ut maturatâ fugâ transitum occuparet. Hæc Justin. *lib.* 2. circa fin. pag. mihi 36.

17 Non posse militibus hospitium denegari ab iis, qui exempti non sunt, alibi demonstravimus: Nunc addimus, militem, qui in ea Urbe domum habet, non posse petere, aliam sibi hospitii gratiâ designari, juxta *l. Omnes, Cod. de Metat. & Epid. lib.* 12.

18 Diximus, & probavimus *tom.* 1. *lib.* 1. *diff.* 16. *num.* 11. non posse Clericos cogi ad hospitandum milites: Nunc subdimus, ab hac molestia vacare quoque, sed ob alias rationes mox adducendas, Consulates, Patricios, Consules, eorumque Hæredes, aliosque dignitate præfulgentes; & hoc quidem habetur *in l. hac lege, Cod. de Metat. & Epid. lib.* 12. nec non Medicos Regii Palatii, & etiam Urbis Romæ Magistros liberalium artium, & Pictores ingenuos, juxta *l. Archiatros, Cod. eod. tit.* Et Claudius Imperator Patrum decreto militibus interdixit domos Senatorias etiam salutandi causa ingredi. Suet. *in vit. Claud.*

19 Civitas, quæ justo subsidio caret, in plurimorum sententia excusatur à crimine læsæ Majestatis, si hosti dedatur. Matth. de Afflict. *ad Constit. Reg. Neap.* quæ incip. *Dubitationem*; præsertim si Princeps negligat ad eam mittere subsidium Joan, Imol. *Cons.* 34. Decius, *Cons.* 500. *num.* 13. Panor. *Cons.* 3. *num* 5. *lib.* 1. Imò Præfectum arcis non teneri eam defendere, si Princeps, ea, quæ necessaria sunt ad defensionem, non suppeditet, tradit Hieronym. Grat. *Cons.* 5. & *Cons.* 51. *lib.* 1. necessitas enim, cui nulla virtus resistere potest, excusat à multis. Hinc antiqui Galliarum Reges, Civitatibus, quas nequibant defendere, permittebant se hostibus dedere, ut refert Ayal. *de jur. & off. bellic. lib.* 3. *cap.* 17. *num.* 4. Meritò igitur prudentissimi, ac rectissimi Reipublicæ Venetæ Patres nullatenùs reprehenderunt eos, qui, necessitate coacti, Scbotam arcem à Turcis obsessam, iisdem dediderant, teste Egnatio, *de exemp. illust. viror lib.* 7. *cap.* 6. Ex quibus constat, Vassallum, à suo Domino in necessitate derelictum, excusari, si ei servitia non præstet, aut eum non recognoscat; urtenent plures, *in Cap.* 1. §. *Domino committente*, & ibi Bald. *tit.* 26. *si de feud defunct. contentio sit int Dom. & Ang vassal.* & alii *in cap.* 1. *tit.* 17. *quali dom. propr. feud. priv.* & ibi Alvar.

Fugientem è castris esse variè puniendum, 20 alibi ostensum est: Nunc addimus, jure militari cautum esse, ut qui in acie prior fugam fecerit, capite puniatur, *l. omne*, § *qui prior*, *ff. de re milit.* & App. Claudium ex his, qui bello Volsco loco cesserant, decimum quemque sorte ductum ad supplicium legisse, teste Livio, *lib.* 3. Lege verò divinâ timidos juberi in domum suam revertere, ne forte fugiendo, alios timorem incutiant, legitur in Deut. *Cap.* 20 & in Judith. *Cap* 7.

Clerici, & Ecclesiastici non tenentur contribuere in expensis, in constructione mœnium, ac 21 turrium, vel arcium, & similium locorum, pro defensione Civitatis ab Infidelium insultibus, ex generali Regula exemptiva à publicis oneribus, quæ Ecclesiis, & Ecclesiasticis assistit: Et hanc regulam concernentia colliguntur per Rot. Rom. *in Barchionen. exemptionis*, 13. *Junii* 1646. *coràm Corrado impress. decis.* 412. *p.* 9. *Recent.* Et notat Cardin. de Luca, *lib.* 14. *miscell. disc.* 3. *num.* 2.

In contingentia facti, cogente Clerum, tam 22 Regularem, quàm Sæcularem ad contributionem in expensis, concernentibus constructiones, vel refactiones mœnium, & arcium, pro defensione Civitatis ab hostibus, sex requisita debent verificari, relata per Abb. *in consilio* 3. *p.* 1. Primum est, assensus Pontificis. Secundum, assensus Episcopi, & Cleri. Tertium, justa causa necessitatis. Quartum, quòd necessitas promiscuè respiciat, tam Laicos, quàm Ecclesiasticos. Quintum, ut absque mixtura Laicalis potestatis id fiat, interveniente authoritate Superioris Ecclesiastici. Sextum, ut ita exigat subsidii ratio, quia nempè sæcularium vires non sufficerent. Ita pariter sentit Cardin. de Luca, *lib.* 14. *miscell. Ecclesiast. disc.* 3. *n.* 3.

Ad quæstionem, an Clerus, sive Sæcularis, 23 sive Regularis debeat contribuere in expensis, in constructione mœnium, turrium, & arcium pro defensione Civitatis ab Infidelibus, respondemus, esse inspiciendam, non tam juris dispositionem, quàm facti qualitatem, nimirum Cleri, & populi sæcularis divitias, vel respectivè paupertatem, aliasque circumstantias; cùm verè decisio, seu certum dare judicium ex singulorum casuum qualitate, ac particularibus circumstantiis pendeat; rectæque rationi repugnet cum generalitatibus procedere, stante circumstantiarum diversitate. Ita docet etiam Cardin. de Luca, *lib.* 14. *miscell. Ecclesiast. disc.* 3. *n.* 7.

Est stylus Sedis Apostolicæ in Statu Ecclesiastico, subjiciendi gabellis, aliisque oneribus 24 etiam Ecclesiasticos; idque concedendi quandoque aliquibus Principibus, ut præsertim in Hispania contingit in illis subsidiis, quæ diversa habent vocabula. Cardin. de Luca, *lib.* 14. *miscell. Ecclesiast. dis.* 4 *n* 9.

Locus hostilis dicitur ille, in quo hostes adsunt, vel bellum geritur. Rot. Roman. *decis.* 127. *num.* 17. *tom.* 1. *p.* 9. *Recent. coràm Carrillo.* 25

Locus hostilis ille dicitur quoque, qui ab hostibus occupatur, Donel, *in l. Scriniarios, n* 4. *Cod. de testam. milit.* 26

27 In hostico, seu loco hostili dicitur deprehensus, qui in conflictu ita deprehensus est ab hostibus, ut effugere non possit: Et stare in procinctu dicitur, quando est in puncto ipsius congressus, & propè concinentibus tubis. Franc. de Baiy. *Tract. de testam. milit. num. 4. vers. Nam in acie.* apud Rot. Roman. *Decis. 177. n. 23. tom. 1. p. 9. Recent. coràm Carrillo.*

28 Tempore belli teneri omnes indistinctè ad custodiam murorum Civitatis, sive Clerici, sive Monachi sint, probat Tex. expressus, *in Cap Pervenit, de immunit. Eccles.* & ideò, quando adest necessitas, & Bonum commune versatur, compelli poterunt, Militantibus adesse, & vigilare, & custodire ipsam Civitatem obsessam; cùm tunc obsidionis tempore immineat commune periculum, ut docent Menchaca, Diana, Gibal. & alii, quos producit, & sequitur Emmanuel Gonzalez, *in lib. 1. Decretal. Tit 34. de treu. & pace, num 14.*

29 Ecclesiasticos non debere contribuere in expensis, constructiones mœnium respicientibus, pro defensione Civitatis, quamvis ipsi de commodo munitionum quoque participent, tradit Card. de Luca, *lib. 14. miscell. Ecclesiast. Disc. 3. num. 3.* & ratio videtur esse, quia ipsi alia supportant onera spiritualia, ad eumdem finem defensionis ab hostibus, cooperantia ad Divinam Protectionem implorandam.

30 Mortuis in duello debet Ecclesiastica sepultura denegari. Clemens VIII. Const. 11. *Illius vices, 16. Kal. Septemb. Anno 1592.*

31 In Locis Italiæ, & Insularum adjacentium nullus Hæreticus quovis prætextu, domicilium contrahere, habitare, aut morari potest. Greg XV. Const. *Romani Pontificis*, edita sub Anno 1622. quæ tamen non ubique servatur.

32 Repressaliæ in quovis loco non possunt fieri contrà bona Clericorum. *Die 29. Maji 1646. Firmana, lib. 3. decr. Paul.*

33 Homicidium committens veneno, non est tutus in Loco Sacro, seu non gaudet immunitate Ecclesiasticâ; *Sacr. Congr. Concilii, die 3 Decembris 1632.*

34 Ad interrogationem, quinam Locus tribuat immunitatem militibus, aut aliis criminosis, respondent Guil. & Imol *in Clem. 1. de pœnis*, quòd est locus ad Divinum cultum de consensu Episcopi, vel Superioris ædificatus, quamvis non consecratus, & licèt nondum sint in eo Divina Officia celebrata: Innoc. tamen dicit *Cap. pen. de immunit. Eccles.* nempè requiri præviam in eo Divinorum Officiorum celebrationem; cujus opinionem approbat Graff. *p. 2. decis. lib. 1. de Sacramentis, cap. 1. num. 48.* ubi explicat loca, quæ gaudent immunitate, & ea, quæ non gaudent.

35 Ad quæstiunculam, an tempore belli, vel aliâ suadente necessitate, quando Ecclesia mutatur de loco ad locum, sit necessaria authoritas Episcopi, respondemus affirmativè, per Tex. *in Cap. si quis*, l'ultimo, *causa 16. quæst 7.* dum tamen Divinum Officium non deseratur: Et sic etiam sentit. Graff. *p. 2. decis. lib. cap. 25. num.* 18. ubi subdit, tunc remanere locum profanum, si res Sacræ, puta Reliquiæ, tollantur de loco.

Homicidium patratum à milite, vel ab alio in Loco Sacro, est graviùs puniendum, quàm patratum in alio loco: Nam locus religiosus aggravat delictum; *Cap. Sicut dignum, de homic.* 36

Excommunicati ob extractionem factam ab Ecclesia, cùm aliquando extracti fuerunt ab eisdem occisi, ex quo Ecclesia non potest reintegrari, possunt absolvi in foro conscientiæ: In foro autem exteriori fuit variatum. *Die 13. Decemb. 1633. Oppidensis, lib. 2. decr. Paul.* 37

Mandans committi crimen assassinii, vel qui pecuniam dedit propter assassinium, antequàm sequatur effectos, gaudent immunitate. *Sacr. Congr. Episc. in Sarzanensi, die 21. Febr. 1620.* 38

Fugiens ad Ecclesiam, dum ducitur ad supplicium, gaudet immunitate. *Die 19. Maii 1627. in Vallisolana, lib. 1. decr. Paul.* 39

Confugiati ad Ecclesiam, & exeuntes cum salvoconducto, & carcerati à Curia Laicali, sunt Ecclesiæ restituendi: *Die 3. Maii 1627. in Ariminensi, lib. 1. decr Paul.* 40

Delinquens, ereptus de manibus Birruariorum, dum ducebatur ad carceres, statim confugit ad Ecclesiam, gaudet immunitate: *Die 11. Februarii 1648. in Romana, lib. 4. decr. Paul.* 41

Delinquens in Ecclesia non gaudet immunitate: *Die 11. Augusti 1626. in Velitem. lib. 1. decr. Paul. Amerina, die 7. Maii 1530. lib. 2. decr. Paul.* 42

Confugiati non possunt retineri in Ecclesia compedibus, aut ligati: *Die 11. Junii 1627. in Consentina, lib 1. decr. Paul.* 43

Judex Ecclesiasticus, exceptis casibus Bullæ Gregorianæ, non potest extrahere reum à Loco immuni, & consignare Laico: *Die 19. Maii 1627. in Vallisolana, lib. 1. decr. Paul.* 44

Indebitè extracti à Loco immuni per Curiam Laicalem, & carcerati, restituendi sunt Curiæ Ecclesiasticæ: *Die 21. Maii 1634. in Januensi, lib. 2. decr. Paul.* 45

Custodia Refugiatorum ad Ecclesiam non est de jure permissa. *Die 6. Maii 1631. in Verulana, lib. 2. decr. Paul.* 46

Custodia, quamvis remota ab Ecclesia, est amovenda: *Die 14. Febr. 1634. in Isclana, lib. 2. decr Paul.* 47

Non debet permitti custodia confugientium ad Ecclesiam: *Die 22. Junii 1627. in Neapolitana, lib. 1. decr. Paul.* Et ideò acriter reprehenditur Archiepiscopus Consentinus super custodia Refugientium: *Die 21. Junii 1627. in Consentina, lib. 1 decr. Paul.* & Baroncelli ex causa custodiæ, in Ecclesia custodientes, declarantur excommunicati: *Die 4. Decembr. 1629. in Amerina decr. Paul.* 48

Delinquentes aliquando ratione publici Boni ejiciuntur ab Ecclesia. *Die 9. Novemb. 1626. in Nepisana, lib. 1. decr. Paul.* Aliquandò conceduntur Curiæ Laicali, citrà pœnam sanguinis: *Die 19. Novemb. 1625. in Ianuensi, Romana, die 22. Ianuarii 1627. lib 1. decr. Paul.* 49

Episcopus non tenetur contribuere pro reparatione aggerum: *Die 7. Novemb. 1651. in Fulginatensi, lib. 4 decr. Paul.* 50

51. Do-

51 Domus Regularium, & Monasteriorum Monialium sunt exemptæ ab hospitatione Militum: *Die 23. Augusti* 1633. *in Cotronensi, lib. 2. decr. Paul.*

52 Domus Ecclesiasticorum, quamquam Laicis locatæ, sunt exemptæ ab hospitatione Militum: *Die 9. Iunii* 1627. *in Novariensi, in Regesto.*

53 Non est permittendum, quòd Milites habitent propè Moniales; *Sac. Congr. Episc. in Asculana, 21. Martii* 1614.

54 Hæretici, vel de hæresi vehementer suspecti non gaudent immunitate Ecclesiæ, si ad eam confugiant ob hæresim, Joann. XXII. Constit. t. & Greg. XIV. apud Tho. Del Bene, *in addit ad Opus de immunit.* verb. *haresis.*

55 Hebræi in locis Italiæ confugientes ad Ecclesiam, gaudent illius immunitate; *Sacr. Congr. Immunit. sub mense Febr.* 1631.

56 Hebræus ad Ecclesiam confugiens pro civili, gaudet immunitate Ecclesiasticâ; *Die 26. Septembris* 1652. *in Sarzanensi, lib. 4. decr. Paul.*

57 Non possunt dici publici latrones, & sic non gaudentes immunitate Ecclesiasticâ, qui semel, vel bis aliquem spoliaverunt, vel sæpiùs, sed occultè, in viis privatis, vel etiam in Locis Sacris, dummodò non publicè furati consuevetint: *Sacr. Congr. Episc. die* 10. *Martii* 1610, apud Tho: Del Bene, *in addit, ad Opus de immunit,* verbo *Latrones.*

58 Nuntius Apostolicus absque facultate non potest extrahere delinquentes à Loco immuni, secùs incidit in excommunicationem. *Die 2. Februarii* 1663. *In Taurinensi, lib. decr. Altoviti.*

59 Oratoria, ubi Missæ celebrantur, sunt immunia: *Die 15. Julii* 1638. *in Sarzanensi, lib. 1. decr. Paul.*

60 Sepultura in Loco Sacro deneganda est excommunicatis; *Die 21. Aug.* 1631. *in Catacensi, lib. 2. decr. Paul.*

61 Vicarius Episcopi non debet admittere custodias Laicorum pro confugio in Loco immuni; *Die 15. Septemb.* 1737, *in Hydruntina, lib. 3. decr. Paul.*

62 Non potest Archiepiscopus in Locis exemptis suæ Provinciæ exercere ea, quæ sunt jurisdictionis contentiosæ, sicuti est approbare ad Confessiones Capellanos exercitûs, aut conferre Ordines, ubi requiritur examinatio, *Cap. Episcopus, 24. Dist.* & tradit Graff, *p. 2. decis. lib. 3. cap. 27. num. 108.* vel sedere pro tribunali, *Cap. Cum Episcopus, de off. ordin. in 6.* vel visitare Glos. *in Clem. attendentes, de stat. Monach. Cap. In singulis, eod tit.* Estò in illis possit exercere, quæ sunt voluntariæ jurisdictionis; puta benedicere populo solemniter, celebrare in Pontificalibus cum Pallio, in diebus tamen permissis, ut habetur *in Clem. 2. de privil.* Divina Officia privatim, vel publicè audire, Crucem liberè, id est nullo requisito, vel sine alicujus licentia ante se portare facere &c.

63 Sensum Lupi, *in d. Clem. 2. de privil.* verb. *Provincia*, dicentis, locum exemptum, quamvis sit in Diœcesi, non tamen esse de Diœcesi Episcopi, minimè approbamus; cùm jure hujusmodi discrimen non probetur inter *De, & In.* Nos igitur censemus, posse dici, quòd locus exemptus est in Diœcesi, & de Diœcesi, non autem de jurisdictione Diœcesis; & nobis favet authoritas Imol. *in d. Clem. 2.*

Immunitas dicitur, quasi non munitas, & 64
importat negationem muniorum, id est officiorum, vel onerum, à quibus Ecclesiæ sunt immunes Goffred. *in summ. Rubr. de immunit. Eccles. num. 2.* Host. *in summ. eod. tit. num. 2.* Angelica, in verb. *immunitas*, in princ. Sylv. *in summ. verb. eod. 1. num. 1.* & alii plures, quos recenset, & sequitur Farin. *de immunit. Eccles. cap. 1. num. 2.*

Dari inter immunitatem Ecclesiasticam, & 65
libertatem Ecclesiasticam discrimen, saltem quoad censurarum incursum, censemus; nam pro Ecclesiastica immunitate intelligimus exemptionem Loci Sacri; & pro libertate Ecclesiastica intelligimus exemptionem personæ Ecclesiasticæ: Et ideò si quis Locum Sacrum violaret, non esset reus violatæ libertatis, sed solùm immunitatis Ecclesiasticæ juxta mentem Benedicti XI. qui sua Extravag. *Inter cunctas*, §. *Incendiarios, sub tit. de privileg.* ponit distinctos casus, violationem nempè libertatis, & violationem immunitatis Ecclesiasticæ. Contrarium sentiunt Hostien *in summ. Rubr. de immunit. Eccles. num. 1.* Cardinal. Zabarell. *in Cap. Perpendimus*, in princ. *de sent. excomm.* & alii asserentes, esse unum, & idem immunitatem, & libertatem Ecclesiasticam.

Constitutio Gregor. XIV. *de immunit. Eccles.* 66
derogat jus commune, & consuetudines, ut optimè probat Diana *p. 1. tract. 1. eod. tit. res. 1.* contrà Gambacur. Zerol. & alios.

Rebelles gaudent privilegio immunitatis; 67
licet enim crimen læsæ Majestatis committant, & per rebellionem resistant, & non obediant suo Principi, non tamen offendunt Personam Principis.

Scientes machinationem contra personam 68
Principis, & non revelantes, gaudent immunitate Eccles. quia Gregorius in sua Constitutione punit delinquentes committendo, non omittendo contra personam Principis; Scite verò, & non revelare, est omissio, quæ quidem puniri debet pœna mortis. Contrarium tenet Farin. *de immunit. cap. 10. num 11.* scilicet scientes, & non revelantes machinationem contra personam Principis, non gaudere immunitate Ecclesiæ.

Qui offendit Consanguineos Principis, vel 69
ejus Consiliarios, gaudet immunitate; estò rei sint criminis læsæ Majestatis, ob dictam rationem, nempè quia persona Principis non offenditur. Farin. *de immunit. cap. 14. num. 190. & 192.*

Non privari immunitate imprimentem con- 70
tra edictum Principis in vera, aut falsa moneta propriam imaginem, sublatâ imagine Principis, tradit Bonac. *in Decal. disp. 3. quæst. 7. punct. 7. § 6. num. 6.*

Milites aut alii offendentes Episcopum, aut 71
Nuncium Summi Pontificis, privilegiis immunitatis minimè privantur; quia Gregotiana privat tantummodò hoc privilegio offendentes personam ipsius Principis. Sic etiam observat Marius Italia,

Italia, *de immunit. cap. 5. §. 7. num. 29.* Fatin. *in app cap. 14 num. 145.*

72 Tunc crimen læsæ Majestatis in Personam Principis committitur, quando Princeps, aut occiditur, aut vulneratur, aut percutitur, aut illius secreta hostibus revelantur, ut ipsum capiant; aut quævis alia actio exercetur in damnum, & offensam personæ Principis; ut est consulere, auxiliari, favorem præbere ad offendendam personam Principis. Hæc omnia sunt crimina læsæ Majestatis, quibus privilegium immunitatis nequaquàm conceditur: Et nobis consonat Bonac. loc. cit. *num. 10.*

73 Probabiliter censemus, non gaudere immunitate Ecclesiastica offendentem in persona Eminentissimos Dominos Cardinales; cùm Cardinales æquiparentur Regibus, ut demonstravimus *tom. 1. lib. 2. diff. 4. num. 1.* in fin. & Principes Ecclesiæ Romanæ communiter nuncupentur: Undè Bonifacius VIII. *in Cap Felicis, de pœnis in 6*, præcipit hujusmodi delinquentem puniri, tanquàm reum læsæ Majestatis: Et etiam constat ex Bulla Pii V. in ordine 93. *Infelicis sæculi*, ubi Pontifex vult, Cardinales protegi, tanquàm partes sui corporis; Offendentes autem corpus Summi Pontificis non gaudent privilegio immunitatis; & successivè neque offendentes, sive violantes personam Cardinalis. Sic pariter sentit Julius Clarus cum aliis quos producit, & sequitur Bonac. loc. cit. *num. 9.* Contrarium tenent Fatin. *de immunit. cap. 14 num. 185.* Marius Italia, loc. cit. & alii.

74 Incidere in crimen læsæ Majestatis eum, qui movet bellum in Regno sui Regis, tradit Bart. *in l hostes. ff. de capt. & postlim. rever.* Oldr. *in cons 70* & probat Tex. *in l. 3. ff. ad leg. Jul. Majest.* & nos alibi demonstravimus: Nunc pro declaratione conclusionis addimus differentiam inter guerram, bellum, prælium, & duellum. Luc. de Pen. *in l. 1. Cod. ut armorum usus, lib. 11.* dicit, guerram propriè esse inter Principem, & Principem; vel quando Princeps illam indixit defendendo, vel offendendo; Et hanc esse ex una parte licitam, & ex alia parte illicitam, probat Pau. de Cast. in sua ingeniosa repetitione, *in l. ex hoc jure gen. ff. de just. & jur.* utens, non hoc vulgari vocabulo, *guerra*, sed vocabulo, *bellum.* Bellum verò esse dissensionem, per quam arma moventur, & per illud induci perditionem Animarum, & corporum, & bonorum probat Tex. *in l. 1 Cod. publicæ lætitiæ, lib. 12.* Hinc Ecclesia dicit orando: *Dissipa gentes, quæ bella volunt*, ut in *Ps. 67.* Alii, quos refert Matth. de Afflict. *lib. 1. de cultu pacis, Rubr. 8 num. 77.* asserunt, bellum vocari duellum, eò quia duæ sunt partes, una vincens, alia perdens. Prælium esse ipsam congressionem hostium, tenet Matth. de Afflict. loc. proximè cit. & aliquandò bellum pro prælio usurpari, seu poni, probat Tex *in Cap Nimium causa 23. quæst. 8.* & in *Cap. Sit rector, 43. Dist.* Demùm duellum esse pugnam duorum in steccatu, habetur *in l. qua actione, §. Si in colluctatione, ff. ad l. Aquiliam.*

Loca etiam aperta quandoque, & præsertim tempore belli, sunt aliquo modo munienda, ad cohibendum inopinatas hostium incursiones, seu, ut Incolæ possint, se facilè à repentinis hostium violentiis defendere; ut non rarò contigit aliquibus Pedemontii Castellis, & potissimùm Burio, quod est Feudum antiquissimum, ligium, rectum, & nobile, à quinque nobilissimis Familiis, tam quoad fundos, quàm quoad jurisdictionem respectivè possessum. Quodque olim fuit permunitum, & una ex quatuor principalioribus Arcibus provinciæ Astensis, tempore, quo erat Respublica nullum recognoscens superiorem; quæ dein fuit sub Regali dominio Ducis Sabaudiæ ab Anno 1531. ex concessione Caroli V. Imperatoris, ut notat Michael Ant. Baudrand, *in sua Geographia, tom. 1.* verb. *Astensis Comitatus*: Propterea inter sexdecim Provincias, sive partes Pedemontii, seu Sabaudiæ Dirionis meritò enumerata, teste præfato Baudrand, *tom. 2. Geographia*, verb. *Pedemontium*, referente Franciscum Augustinum ex Nobilissima Familia ab Ecclesia, Episcopum Saluciarum. Burium inquàm nunc Oppidulum apertum, utpotè sæpè in bellis in aliqua parte dirutum; estò tempore pacis reædificatum, tanquàm situ amœnissimum, rivulis, & fontibus madidatum, viridariis luculentum, feracibus Collibus coronatum, aeris salubritate circumfusum, in confinio Montisferrati positum; ab Urbe Asta quinque milliaribus distans, & totidem ab Alba Pompeja; & 24. ab Augusta Taurinorum. Hoc itaque Oppidulum quia aliquo modo, bello flagrante, munitum, ope paucorum Virorum, & nonnullarum mulierum à non parva hostium copia, illud inopinato aggredientium, se defendisse, meis oculis, dum adhuc essem parvulus, in eo existens, ipse vidi. Hinc si Princeps jubeat Provinciæ Præfecto, ut Castellum aliquod muniat, quo Incolæ possint se ab Inimicorum expugnatione tueri; & is Præfectus mandato non pareat, graviter puniri potest; quod probat Tex. *in l. 1.* in fin. *Cod. de off. Præf. Præ. Aphr.* & tradit Menochius, *in Tract. de Arbitr. jud. cas. 365. num. 7.* allegans pro se *l. 3. § in bello, ff. de re milit.* 75

❧):(o):(❧



FRAG-

FRAGMENTA.

Quæ superfuerunt Libro VII. Difficultatum Pertinent. ad Naves.

1 MILITES Classiarii, id est milites, qui in classe stipendia merent; nec non Nautæ Navarei, Remiges, & alii liberi homines, in classibus militari jure militantes, possunt testari jure militari, ut cæteri milites in Castris degentes; iisdemque gaudent privilegiis, quibus gaudent milites terrestres, cùm sit eadem ratio virtutis, militare in uno, & in altero elemento, in terrâ scilicet, & in aquâ, *l. unic. §. item Navareos, & trierarcos classium, ff. de bon. possessio. ex testam. milit.* & ita tenet Matth. de Afflict. quem producit, & sequitur Jul. Ferret. *de jur. & re navali, lib. 14. num. 27.*

2 Stratagemata sunt in bello navali necessaria, tam ad pericula evadenda, quàm ad victoriam reportandam. Hoc testatur factum Philippi Macedonum Regis, qui cùm tutò non valeret quædam maritima loca cum sua classe transire, urpotè nimium arcta, & periculosa, dicta Cunæa, & benè per Atticos hostes munita, & custodita, scripsit Antipatri, quòd Thracia se repellabat, & quod præsidia per ipsum relicta, fuerunt impedita, & capta; & ut suum obtineret intentum, curavit Epistolas ab hostibus intercipi. Hoc verum esse putantes Attici, præstitâ illis fide, classem suam à locis, ubi erant, amoverunt, & hoc stratagemate Classem suam Philippus à malis vadis liberavit; ut refert Julius Ferret. *lib. 6. de jur. & re naval, num. 12.*

3 Bambra Rex Vestgothorum naves armis admodùm munitas Saracenorum ducentas septuaginta, ad littus Hispaniæ se applicantes, partim cæpit, partim perdidit Joan. Magn. *Goth. hist. lib. 16. cap. 22.* Ritius, *lib. 2. de Reg. hisp.*

4 Constantinus Coptonicus Iconomachus, cùm bellum Bulgaris inferret, quia Romanæ Ecclesiæ institutum sequerentur, duo ferè millia navium cum toto exercitu naufragio amisit, Cuspin; coactus quippè tot suarum navium demersione fateri salvos evadere, & armorum procellas effugere, qui in navim Petri sese recipiunt.

5 Cùm Romani bello Tertio Punico Cartaginem obsiderent, & Classis in apertum esset educta; vento à terra spirante, Carthaginenses scaphas sarmentis plenas, easque ex improviso incensas, in Romanorum naves plenis velis immisêre: Quâ facti contingentiâ tota penè eorum classis uno tempre deflagravit. Sab. *lib. 9. Enn. 5.*

Hugo Italiæ Rex, bello indicto Saracenis, 6
Alpes omnes infestas è Fraxineto reddentibus, missisque ad Imperatorem legatis, triremes, ignemque græcum sibi subministrari postulavit, cujus ea vis erat, ut nisi liquore aceti infuso nequiret extingui. Anno itaque 941. navibus græco igne combustis, Saraceni plerique Fraxinetum reliquerunt, Refert Sigon. *lib. 6. Regni Ital.*

Navium Artifices debent diligenter observare ligna, pro navibus præsertim bellicis ædificandis selecta; nullatenùs ea pro navali artificio admittendo, quæ sunt vitiosa, ob periculum, quod persæpè navigiis in mari contingit, juxta dispositionem Tex. *in l. 2.* & ibi Bald. *Cod. de Nauti fœno.* 7

Fluviorum navis propriè est, & dicitur Ratis, *l. solet, ff. de feriis, l. 1. ff. naut. Caup. stabul.* 8

Nautum cogi navigare, & hospitem hospitari, probat Tex. *in d. l. 1. ff. naut. &c.* Estò Nauta non teneatur recipere in sua navi Inimicum suum, nec hospes suum inimicum in suo hospitio, ut tradit Glos. *in d. Tex.* & Jul. Ferret. *de jur. & re navali, lib 1. n. 22.* 9

Appius Claudius, Romanorum Consul, magnâ Classe ex arbore excisâ infrà sexaginta dies feliciter navigavit, & bellum maritimum suæ Reipublicæ Hostibus, nempè Carthaginensibus non fine laude intulit. 10

Athenienses, bellaturi adversus suos hostes, pro navali expeditione classem fabricare volentes, sed deficiente funium materiâ, capillis mulierum tonsarum usi sunt; idemque fecêre Massilienses, & Rhodiani. Refert Ferret. *de jur. & re nav. lib. 2. num. 18.* 11

Bucentaurus, seu Bucentaurus, dictus à buccinis, ut aliqui volunt, ad tauri similitudinem; estò sit regia navis, non est tamen bellica, seu bello minimè inservit, sed tantummodò aliquibus profanis solemnitatibus, ut est illa incliti Veneti Senatus à sinu Tauri nuncupata. 12

Confiscatâ navi, res bellicas vehente, censemus in hujusmodi confiscatione non comprehendi scapham, & facit Tex. *in l. si navem, ff. de fundo instructo*, ubi dicitur, quòd si Titius vendiderit navim cum instrumentis, non continebitur scapha; quia res, quæ possunt separari absque corruptione subjecti, separabuntur, & 13

non

non confiscabuntur. Sic etiam sentit Bald. *in l. 3. Cod. de Nauti. fœno.* Undè reprobatur opinio asserentium, scapham venire in tali confiscatione, tanquàm accessoriam navis, *arg. l. nam quòd liquidè, ff. de pœn. lega. & l. sed addes, § si quis mulierem, ff. locati*, quod non potest procedere in pœnalibus, & odiosis, quæ sunt de jure restringenda, *l. quidquid adstringendæ, ff. de verb. oblig.*

14 Navim, quæ ex culpa Nautarum irruit in navim Sempronii, vel in retia piscatoria, aut funes anchoratum, aut navim mersit, vel rupit, teneri *l. Aquiliâ* censemus: Secùs verò, si Nautæ non habuerint potestatem hujusmodi malum impediendi, *l. quemadmodùm, §. si quis navis, ff. ad leg. Aquil.*

15 Ad Classicæ gentis Ductores spectat suos optimè pertractare in omnibus potissimùm verò in cibis, saltem duobus in hebdomada diebus dare illis carnes ultra alia cibaria; reliquo verò tempore, eisdem alimenta opportuna præbere.

16 Nautæ regulariter, secluso privilegio Principis, à muneribus Principis minimè excusantur, *l. 1. Cod. de Navibus non excusan. & l. 1. Cod. de Naut. Tiberinis, lib. 11.* quamvis regulariter quinquennalis vacatio, & immunitas concedatur Navicularis, Oleariis, Balarareis, & Mercatoribus, qui partem sui patrimonii contulerunt, ut per Tex. *in l. Navicularii, ff. de muner. & oner. &c.*

17 Stratagemata in bello etiam navali, non solùm licita, sed etiam necessaria sunt ad victoriam parandam. Hinc Canon Dux Atticorum summa prudentiâ ornatus, victâ apud Cyprum Persarum Classe, suis indutis hostium armis, cum navibus iisdem Persicis navigavit ad Hostes in Pamphiliam; & Persas parùm cautos, eodem die, duplici bello, navali scilicet, & terrestri, hujusmodi stratagematis exercitio victos permansisse, refert Jul. Ferret. *de jur. & re naval. lib. 7. num 4. & 6.* ubi alia Alcibiadis Atheniensium Ducis stratagemata ad hostes decipiendum adhibita describit.

18 Ad victoriam in bello maritimo parandam, non tàm juvat Classiatiorum valor & audacia, quàm remigantium peritia, insimul concordantium in exercitio remigii. Scimus ex historiis, Remiges Alcibiadis Attici fuisse adeò expertos, & concordes, quòd eorum operâ plurimæ, & insignes obtentæ sunt victoriæ; & post multas victorias ad Patriam redeuntes, optimam, & ita dulcem formabant remorum concordiâ armoniam, ut organum cum tubis videtur sonare.

19 Licitum est alienas merces in mare projicere causâ levandæ navis, & servandi proprias merces: Quod probat Tex. *in l. Qui salvandarum, in princ. ff. de præscriptis verbis, & l. 2. ff. ad leg. Rhodi. de jactu*: Quibus juribus etiam probatur, cuilibet licere ad vitandum ignem suæ domus, alienam domum destruere, si alia via non apparet proprii damni vitandi.

20 Nautæ, in sua arte excellentes, possunt facilè cognoscere ex motu maris terræmotum, antequàm sit in mari; videlicet, ex terribili undatum inflatione sinè vento, sed ex se insurgente, ex insolita aquarum crassitudine, tremore navium sinè ventu: Quemadmodùm ab Existentibus in terra potest terræmotus cognosci, antequàm sit in terra sensibilis; & hoc quidem ab aqua in fontibus, vel in puteis ex se motâ, absque ullo malo odore, aut ex tremore, vel turbatione aquæ, turbidæ factæ sinè vento.

Insidiarum ars in bello navali perutilis est, eâ enim possunt classicæ gentis Duces hostium naves, nec non Civitates maritimas facilè expugnare: Caridis Atheniensium Ducis habemus exemplum, qui volens suæ Reipublicæ una cum classe quamdam Civitatem littori maris jacentem tradere, partem suæ classis magis validam favore Promontorii abscondit, levesque naves antè hostium portum transcurrere fecit, quas Civibus præfatæ Urbis persequentibus cursu navium, quibus portum custodiebant, spe illas capiendi, Cares alterâ parte validiori suæ classis, quam occultaverat, invectus, portum præsidio destitutum, una cum Civitate feliciter occupavit: Similique arte potiti sunt Samiorum portu Atheniensés. 21

Error fuit Gentilium, victorias Jovis auxilio Classem obtinere; Hinc Cabrias Dux Classis Atheniensium, cùm esset navigio pugnaturus, perterritos suos inspiciens milites ob fulgur, quod antè ejus navim cecidit, inquit. Modò est initiandum bellum, cùm Jupiter dederit signum nobis pugnandi, ipsique se ostenderit esse præsentem; nostra absque dubio erit victoria: Sed veritas infallibilis est, navalem Catholicorum Expeditionem triumphis coronari, DEO vero, qui Dominus est Exercituum, cuique venti, & mare obediunt, invocato, præsente & auxiliante. 22

Navis præsertim bellica, neque per modicum tempus debet permanere in portu de peste suspecto: Secùs permittendo Navis Capitaneus, nullâ rationabili causâ existente, videtur obnoxius puoitioni, ob periculum mali, cui se, suosque culpabili permanentiâ exposuit; Quid verò sit modicum tempus, stare non arbitrio Judicis, qui id arbitrari habet, & declarare ex qualitate personarum, locorum, temporum, operum, tradit Text. *in l. si constante, § si uxor, ff. solu. matrim. & l. si ita quis, §. Seja; & ibi Glos. ff. de verb. oblig.* & sentit Bart. *in l. Item si unus, ff. de Arbitris.* 23

Tenentur naviglorum Duces, antequàm fiat classica expeditio, optimè considerare, non tantùm vires, quas habent, quàm tempora, & passiones elementorum; & antequàm navale prælium intimetur, consilium quærere, & audire à suis Consiliariis, & à Navateis, seu Pilotis, ita vulgò dictis, deventorum, & temporum natura, asperitate, & prosperitate; de hostium qualitate, & quantitate; de locorum bonitate, & malignitate; exemplo incliti Themistoclis Atheniensium Ducis, qui hisce regulis in praxim deductis, in bello navali adversus Xersem Regem superbum, apud Salaminam eum feliciter devicit. 24

25. Eccle-

25 Ecclesia DEI, in qua reperiuntur Fideles, Navi assimilatur. *Quasi Navis Institoris. Prov. Cap. 31.* quæ clausa est versùs terram, aperta versùs Cœlum, ut intelligamus, neminem posse sibi Æternæ Gloriæ portum tutò promittere, nisi cor suum rebus terrenis, DEO repugnantibus, claudat, & mentis oculos Cœlo, sive rebus Cœlestibus continuò aperiat.

26 Sanum est consilium in re navali, contra magnas naves, & quidem benè munitas, & ab expertis Ducibus directas, & à doctis militibus defensas, nequaquàm mittere parvas naves cum illis pugnaturas, nisi urgente necessitate, & premente bello publico, & generali, aliàs pericula mortis erunt aperta, & victoriæ amissio erit inevitabilis.

27 Rumpentem aggeres aquæ fluvialis, aut maritimæ, factos ad defendendum Canales, aut Urbem, concremari, & tanti criminis complices deportari, jura præcipiunt absque ulla spe veniæ, *l. unic. Cod. de Nili aggeribus non rumpendis:* Rumpentem aggeres, non fluminum publicorum, sed prædiorum, ad metalla damnari, vult *Lex penult. §. in Ægypto, ff. de variis, & extraord. criminib.* Quæ tamen pœnæ non sunt ampliùs in usu, se eas in alias esse mutatas, tradunt Legum Interpretes, & praxis testatur.

28 Mare innavigabile, & periculosum est mare atenum, in quo olim, post Alexandrum Magnum, periit Exercitus Gentis Barbaræ ob tempestatem arenæ à ventis elevatæ altissimis fluctibus. Est mare mortuum, quod est apud Jordanem in loco, ubi fuerunt sex Civitates à DEO incendio ob nefandum sodomiæ crimen consumptæ; nempè Sodoma, Gomorra, Adama, Sabym, Sogor, & Elleale, quæ est Bale, & dicitur Asphalti, de quibus meminit Glos *in Cap. Sed & continuò, de pœnit. Dist. 1.* Aquam maris mortui non esse natabilem, neque potabilem; in eaque ferrum natare, plumam mergi, refert Jul. Ferret. *de jur. & renav. lib. 16. num 4.* ubi addit, in locis hujus maris nasci quædam poma, quæ exteriùs sunt pulcherrima, interiùs verò plena favillis, & cineribus, ac proindè aptissima ad exprimendum luxuriam, & sodomiæ pœnam.

29 Littus maris est juris publici, non privati, *l. littus, ff. de rer. divis. & Institut. eod tit. §. Est autem littus, cujus est usus publicus, l. littorum, l. nemo, l. riparum, l. littora, ff. ne quid in loco publico fiat.* Et littus maris tantum est, quantum se extendit fluente aqua maris tempore hyemali, ut *Instit.* loc. cit. Littus maris Adriatici in genere esse Reipublicæ Venetæ, & in particulari esse Civitatum vicinarum, tradit Bar. *in l Quominùs, ff. de fluminibus, & l. sanè, ff. de jurisdict. omn. Judic.* & Bal. *in l. pen. col. 6. de conditionibus insertis.*

30 Omnes Christianos semper esse ad mortem præparatos oportet, Divino admonente Oraculo, Matth. *cap. 25. num. 13. Vigilate itaque, quia nescitis diem, neque horam:* Præsertim verò milites ad bellum navale profecturos. Hinc Epiphanius Patriarcha Constantinopolitanus, primum, quem in majorem Justiniani Navem, nempè Prætoriam à se benedictam, immisit, militem quemdam voluit esse à Baptismo recentem, & consortem factum nominis Christiani, declarans, & mandans, omnes ingressuros esse patris munditiæ. Hæc Procopius Cæsariensis, loquens de Imperatoris Classe in Africam contra Vandalos profectâ, in libris de isto bello, *lib. 1. cap. 12.*

31 Non tam ad victoriam in bello navali obtinendam, quàm ad naufragium evitandum impensè juvat Benedictio Episcopi super Classem; ideoque S Petrus Thomasius ex Carmelitarum Ordine, Patriarcha Constantinopolitanus, & ab Innocentio VI. Pontifice ad sacrum bellum legatus, in Navim Regis ascendit pro benedictione generali super Exercitum DEI ferendâ: Sicque omnibus signis, & vexillis Triremium, aliorumque Navigiorum depositis, omnia in honorem Crucis, & destructionem Saracenorum benedixit navigia, arma, personas, mare, exercitum; allegando in benedictione, quam à Spiritu Sancto incœpit, antiquum, & novum Testamentum; auxiliumque DEI invocando contrà Christiani nominis hostes. Rex verò, & omnis Exercitus Legato devotissimè ad omnes benedictiones, capitibus cernuis, respondebant, & in magna devotione erant. Refert Philippus Mazzerius Cypri Regni Cancellarius in vita hujus S. Petri, *Cap. 15.*

32 Classis Præfectus tenetur, ut suum adimpleat munus, naves pro navali expeditione parare; partim equorum, aliorumque animalium vectrices; partim bellatrices; partim sarcinarias, aptas nempè ad omnia arma bellica, & ad omnia alia, ad bellum maritimum necessaria, vehendum.

33 In eadem navi non sunt collocandi omnes milites, omnesque viri contrà hostes pugnaturi; cùm possint omnes simul naufragio perire. Propterea Dux Classis, seu potiùs summus Princeps meminisse debet consilii Antigoni, qui sævâ tempestate jactatus, cùm in eadem navi secùm suos omnes habuisset, præcepisse Libertis dicitur, ut & ipsi meminissent; & ita Posteris prodetent, ne quis cum tota gente simul in rebus dubiis periclitari auderet. Hæc Ayal. *de jur. & off. bellic. lib. 2. cap. 2. num. 20.*

34 Qui ad militiam recipiendi sint, seu qui possint militiæ Sacramento adscribi, alibi explicavimus: Addimus nunc, plures, de rebus bellicis scribentes, constanter asserere in classibus Nautas, & Remiges esse milites, & militum privilegiis gaudere, freti *l. unic. § penul. ff. de bon. possess. ex testam. milit.* Sic etiam sentit Ayal. *de jur. & off. bellic. lib. 3. cap. 4. num. 3.*

35 Debent Classis Duces, inter cæteras naves, aliquas minores habere ad cursum celerrimas, unum remorum ordinem habentes, quæ Galeæ vul-

ræ vulgò nuncupantur; agiles, & expeditas, quibus ad excubias, aliasque celeres causas utantur. Sic Leo Imp. *de bellico app. cap. 19. num. 10.*

36 Naves postliminio non redire, tenet Card. De Luca, *lib. 1. de Feud. Disc. 58. num. 4.* & sic ratio postliminii, ob subsequutam recuperationem, non suffragatur navibus venditioni expositis; & successivè effectæ sunt de dominio illas occupantis; Sic ille.

37 Nauta excusari debet ab itineris prosequutione, si vi ventorum iter prosequi non potuit; & præter suam voluntatem in plurimis locis diu retentus, & impeditus merces emere, & vendere non potuit, *l. Cæsar 15.* in fine, *& l. ult. §. si propter necessitatem, ff. de pub. & vectigal,* & tenet Rot. Roman. *decis. 120. num. 7. p. 14. Recent. coràm Bevilaqua.*

38 Nautarum consilium exquirendum est, antequàm Navis hostibus relinquatur. Rot. Roman. *decis. 247. num. 7. p. 18. tom. 1. Recent. coràm Matthæio.*

39 Naves assecurantur ob periculum in itinere Navis, non autem ratione modici cursus, qui fit in aqua dulci. Rot. Roman. *decis. 448. num. 2. p. 18. tom. 2. Recent. coràm Calataja.*

40 Militibus in casu deprædationis navis, datur facultas in suos usus convertendi aliquam quantitatem, puta, olei, vini in eadem navi existentis, Rot. Roman. *decis. 58. num. 12.*


41 Plerumque non est in potestate Navigantium compellere furorem ventorum: Et solet sæpè sæpiùs evenire, quod naves deprædatæ, & naufragatæ impellantur ad portum, ad quem Nauta nunquàm dirigere volebat; *ex d. l. Cæsar*, in fin. *& d. l. ult. §. si propter necessitatem, ff. si de pub. & vect.* & tradit Rot. Roman. *decis. 369. num. 16. p. 19. Recent.*

Secuto casu deprædationis, vel naufragii, Navicularius festinanter comparere debet coram Judice Loci naufragii, si non impeditur hoc facere; & casu, quo illi permissum non sit, ad Locum propinquiorem debet accedere, ad hoc ut ibi naufragium probet per duos, vel tres Testes, *l. 2. Cod. de Naufrag.* Et ita tradit Rot. Roman. *decis. 369. num. 17. p. 19. Recent.* 42

Navis deprædatio, vel naufragium probatur ex testimoniali facto à Testibus de eo deponentibus. Rot. Roman. *d. decis. 369. num. 6 p. 19. Recent.* ubi *num. 1.* etiam dicit, quòd Navis sine suis instrumentis, quæ sunt funes, antennæ, anchoræ, & hujusmodi, navigationem peragere non potest: Ibique *num. 62.* pariter, addit, quòd ad tollendam omnem machinationis, aut calliditatis suspicionem in Capitaneo, probari debet, navem fuisse defensam eo modo, quam defensio postulabat. 43

Duas Triremes Militibus S S. Mauritii, & Lazari instructas pro Sedis Apostolicæ defensione contrà hæreticos, infideles, piratas, & quoscumque alios ejus hostes, olim Duces Sabaudiæ de suo manutenebant. Gregorius XIII. Const. 7. *Pro Commissa*, §. 3. 44





FRAG-

FRAGMENTA.

Quæ ſuperfuerunt Libro VIII. Difficultatum Pertinen. ad Bona.

1 MONACHUM, ſive Regularem, qui eſt adſcriptus militiæ Cœleſti, & de licentia Summi Pontificis, militiæ terreſtri, non deſinere eſſe civem, nec alia privilegia ſua deperdere, tenet Felin. *in Cap. Dilectus*, il ſecondo, *num.* 17. *de Reſcript.* nam Fidelis ingrediens Religionem aſcendit, & ideò non debet deſcendere: Et quamvis huic aſſerto videatur repugnare Gloſſ. *in cap.* 1. *de purg. canon.* quæ ait, Monachum perdere nobilitatem; nihilominùs contrarium fuiſſe à Rota judicatum, tradit Card. Albanus, *in Lucubrat. in Bart. tom.* 1. *in l. ſi ex cauſa*, §. *Papinianus*, *ff. de minorib. num.* 2. eâ ratione præcipuâ; quia nobilitas eſt jus ſanguinis, quod immutabile eſt, *l. jus agna. ff. de pact.* Quando verò Religioſus eximatur à patria poteſtate, vide Soc. *in l.* 1. *col.* 33. *ff de vulg. & pupill.* Felin. *in d. Cap. Dilectus, num.* 17. Et quando pro mortuo habeatur, & quando non, inſpiciendus eſt Alexand. *in conſ.* 282. *in lib. primi, & ſecundi volum.* Abb. & Jo. de Ana, *in Cap. Sicuti*, il ſecondo, *de homic.*

2 Bona Militum Hoſpitalis S. Joannis Hieroſolymitani ubique decedentium, etiam ex illicita negotiatione acquiſita, non ad Cameram Apoſtolicam, ſed ad Hoſpitale, ſeu Conventum ipſorum ſpectant, & pertinent; & hoc quidem ob benemerita, ſeu ob effuſionem ſanguinis, & labores in perſequendis Turcis, immaniſſimis Chriſtianæ Reipublicæ hoſtibus: Et ideò Agentes pro Religione, ac Militia Melitenſi in hoc negotio non ſunt moleſtandi, Ita declarat Pius IV. in Conſt. 29. quæ incipit, *Romani*, §. 4. & 5.

3 Utrum milites Militiarum Status Eccleſiaſtici gaudeant in Tribunalibus Eccleſiaſticis Privilegiis militaribus, in omnibus cauſis non pertinentibus ad Forum Eccleſiaſticum privativè quoad Judicem Laicum, vide Epiſcopum Verulanum *ad Statuta Faventiæ*, *tom.* 1. *Rubr.* 12. *lib.* 3. *ſub. num.* 23. ubi circa hanc materiam refert per extenſum quandam Declarationem fel. Record. Alex. VIII.

4 Ad validitatem, & juſtitiam repreſſaliarum plura requiruntur, quæ habentur penès Menoch, *caſ.* 527. *num.* 8. *cum ſeq.* Burſatt. *conſ.* 345. *ſub num.* 53. *verſ. imò ſecundùm aliquos*, aſſerentes, præſertim requiri, quòd Judici, vel Superiori, juſtam præbenti repreſſaliandi cauſam, fiat interpellatio cum comminatione, quòd aliàs devenietur ad repreſſalias; quam tamen monitionem, & comminationem derogavit conſuetudo communiter recepta, ut tenet Arias de Meſ. *lib.* 2. *variar. reſolut. cap.* 24. *num.* 9 *cum ſeqq.* & *cap.* 22. *num.* 1. *cum ſeqq.* dixit, jus repreſſalias concedendi competere etiam Ducibus Sabaudiæ, Hetruriæ, Mantuæ, Mutinæ, Parmæ, & Civitatibus omninò Liberis, quales ſunt Venetiæ, Janua, & Luca; ubi etiam extendit hujuſmodi jus ad Proreges Regni Neapolitani, ut notat præfatus Epiſcopus Verulanus, *ad Statuta Faventiæ, Rubr.* 23. *lib.* 7. *n.* 27. ubi plures alios DD. allegat.

Milea, multa habens bona, ab inteſtato moritur ſine filiis, relictis poſt ſe fratre, & ſorore ex utroque parente, & duobus nepotibus ex fratre, & ſorore conſanguineis ſeu uterinis ex patre tantùm; & dubitatur, quis prædictorum debeat de jure in hæreditate Titii ſuccedere: Nos putamus, Titii hæreditatem ad ejus fratrem, & ſororem, ſpectare, uti ex utroque parente natos; hac freti ratione, quia hodiè ſublata eſt differentia ſexus, *l. maximum vitium*, *Cod. de liberis præteritis*, & in *Authen. Itaque*, junct. Gloſ. *Cod. Communia*, *de ſucceſſionib.* ſiquidem jura duplicata præferuntur habentibus unum, ut in §. *hac omnia*, *Authen. de uterinis fratribus*, & *l. fin.* §. 1, *Cod. de Edicto Divi Adriani tollendo.* 5

6 Jus Authenticorum imponit pœnam quadrupli facientibus propriâ authoritate repreſſalias, ſive preſſalias, ut *in Authen. ne fiant pignorationes propriâ authoritate pro aliis perſonis.* Et in Regno Siciliæ medietate omnium bonorum ſuorum, etiam feudalium, Fiſco per ſententiam applicandorum, ille punitur, qui præfatas repreſſalias fecerit, ut videre eſt in Conſtitutione, *Comes*, & in Pragmatica Regis Ferdinandi.

7 Repreſſalias eſſe contrà jus naturale, & paci contrarias, & belli principium dixit Bald. *in Cap. fin. de treug. & pace*, quem ſequitur Jul. Ferret. *de jur. & re naval. lib.* 5. *n.* 22. ubi etiam allegat Matth Afflict.

8 Diſcrimen inter preſſalias, & repreſſalias, quæ videntur ſynonyma, hoc eſt; quòd ſi concesſæ ſunt preſſaliæ, intelligitur data authoritas capiendi res, & non perſonas. Per repreſſalias verò conceſſas intelligitur data authoritas capiendi, & res, & perſonas: Et perſonas, quæ capiuntur, eſſe poſtmodùm illicò præſentandas Judici, dixit

dixit Bartolus, *in l. Generali, Cod. de Decur. lib. 10.* nec non Baldus, & Albericus, *in Auth. Sed omninò, Cod. nè uxor pro marito in 3. col,* Luc. de Pen. *in l. 1. Cod. ut nullus ex vican. lib. 11.* Jul. Ferrer. *de jur. & re nav. lib. 5. num. 28. & 29.* ubi successivè addit, captum ob represtalias, detineri non posse per capientem in domo propria capientis.

9 Mater Titi ad bellum profecti, in eoque interfecti, nolens solvere quædam ejus debita civilia, quorum solutionem de sua dote promisit, non potest carcerari. *Auth. novo iure, Cod. de custodia reorum, l. 1. Cod. de off. diversf. iud.* & tradit Bart. *in Auth. Matri, & Avia, Cod. quando mulier tutel offic, fung. po.* & Bal. *in l. 1. ff. qui satisdar. cog.* quamvis secundùm Bart. *in l si quis sub conditione, ff. de testam. tutel. & in de Auth. Matri, & Aviæ, & in tract. Carcerum.* possit mulier detineri pro causa administrationis tutelæ filiorum: Quod videtur negare Card. Alexand. *in Cap. ex parte, de appell* ob privilegium, quod mulieres habent: Et idem sentit Albericus de Rosa, *in l. Ubi adhuc, 21. colum. Cod. de jure dotium.* Si verò in sententia Bartoli ex dicta causa mater carceraretur, non posset conveniri in plus, quàm facere potest, *l. sunt qui, in fin. ff. de re iudicata.*

10 Servum captum ab hostibus posse legari, & hæredem institui, pendente jure postliminii, tenet Jul. Ferrer. *de iur. & re nav. lib. 13. n. 23.* & probat Tex. *in l. Quod servus de leg. & fideicom. 1.*

11 Militi, tempore pacis, aut treugæ, aut cuicumque quovis tempore, licere cum suo equo, stare in via, & accipere herbam pro suo equo, etiam Domino agri, sivè herbæ invito, probat. Tex. *in l. 1.* in fin. *de pace tenenda in usibus Feudor.* & tenet Julius Ferrer. *de iur. & re nav. lib. 15, num. 25.* ubi dicit, Imperatorem Fridericum in Regno Siciliæ legem fecisse incipientem, *si quando necessitate cogente, &c.* in tertio libro Constitutionum, quâ permittitur transeuntibus per viam, equus nimis fatigatos habentibus, posse illos impunè mittere in segetem alienam dummodò equus totus non intret agrum, sed dimidius, & anteriores pedes solùm teneat in agro; & citat pro se Andream de Isernia. An hæc Constitutio possit tutâ conscientiâ in praxim seduci, sedulò considerent Theologi Morales, scire tenentes, omnes illas Imperatorum Sanctiones esse rejiciendas, quæ repugnantiam aliquam cum bonis moribus ostendunt, aut à Jure Canonico, & à Summis Pontificibus reprobantur.

12 Arbores, per aquam fluminis in alienum fundum exportatæ, evadunt Domini fundi, si ibi radicaverint; secùs verò erunt Dominorum; de quorum prædiis fuerunt per aquam fluminis evulsæ: An verò radicaverint in alieno fundo nec nè, standum est Peritorum judicio, ut tenet Bar. *in l. Divus, ff. de extraord. criminib & in l. eadem, ff. de feriis, & in l. Gallus, ff. de liberis, & posthumis.*

13 Plerique arbitrantur, res bellicas majores esse, quàm urbanas; quæ opinio minimè placet Ciceroni, *lib. 1. de off. § sedcum,* pag. mihi 42, dicenti: ,, Minuenda est hæc opinio; multi ,, enim bella sæpè quæsiverunt propter gloriæ cupiditatem, atque in magnis animis, ingeniisque id plerumque contingit, eoque magis si sunt ad rem militarem apti, & cupidi bellorum gerendorum; verè autem si volumus judicare, multæ res extiterunt urbanæ majores, clarioresque, quàm bellicæ. ,,

14 Pyrrhi, de captivis reddendis, illa præclara ,, sententia est: Nec mi aurum posco; nec mi pretium dederitis; ,, apud Cicer. *lib. 1. de off. §. Prætermittenda,* circa fin. pag. mihi 29.

15 Cùm de imperio certatur, belloque quæritur gloria, oportet causas omninò justas subesse; & ea bella, quibus imperii gloria dumtaxat proposita est, à justitia deflectere arbitramur: Eaque propterea minùs acerbè esse gerenda, tradit Cicero, *lib. 1. de off. d. §. Prætermittendæ,* pag. mihi 29.

16 Aliquandò non solùm bellum, sed etiam metus ipse belli publico & privato bono nocumentum infert: Siquidem cùm hostium Copiæ, inquit Cicero, *in Orat. pro leg. Manil. §. Cùm imperii vestri dignitate,* pag. mihi 6. ,, non longè absunt, etiam si irruptio facta nulla sit, nihilominùs pecora relinquuntur, agricultura deseritur, Mercatorum navigatio conquiescit. Ita neque ex portu, neque ex Decumis, neque ex scriptura vectigal conservari potest. ,,

17 Præmia, quæ militibus ob aliquod arduum facinus suscipiendum promittuntur, sunt eis, habito fine, tribuenda, ut vult Leo Imp. *de bellic. app. cap. 16. num. 4. & 5.* vel eorum parentibus, si mors illis acciderit: Sic etiam sensit Cicero, *Orat. in Phil. 14. in M. Antonium, §. Placet igitur mihi,* pag. mibi 381. ubi inquit. ,, Atque etiam censeo, P.C. quæ præmia militibus promisimus, nos, Repub. recuperatâ, tributuros, ea vivis, victoribusque cumulatè, cùm tempus venerit, persolvenda; qui autem ex iis, quibus illa promissa sunt, pro patria occiderunt; eorum parentibus, liberis, conjugibus, fratribus eadem tribuenda censeo. ,, Imò etiam nullâ promissione interveniente militibus tribuenda, & etiam augenda esse, non deneganda, aut minuenda præmia, tradunt omnes rerum bellicarum Scriptores. Hinc Plinius, ut notat Valenzul. *de stat. ac bell. rat. p. 2. consil. 18. num. 88.* in Panegyr. ad Trajanum, summopere eum laudat, quòd beneficia belli Sociis conferret; Scimusque ab Alexandro Imp. teste Lamprid. in Alexandro, tarò fuisse aurum, & argentum divisum, exclusis militibus, asserente, grave esse peccatum, si publicus Administrator in proprium commodum verteret, quod foret aliis, præsertim militibus, qui vitam tot periculis pro Reipub. utilitate exponunt, tribuendum: Justè igitur Imperatorem Severum in ejus vita exaltat Ælius Lampridius, eò quòd filios suos erudiendo, illis injungebat, ut milites donis ditescerent. Sperent igitur Bellatores præmia in hac vita, rectè militando, potissimùm verò præmia æterna, cœlestem nempè felicitatem, perennesque triumphos, si ad majorem Domini DEI Exercituum gloriam, Reipublicæ conservationem, populorumque salutem generoiè bellabunt.

18. Maxi-

18 Maximum Reipublicæ bonum est pax, quam Bal. *in Rubr. extrà, de trans. num. 8. vers. Præterea pax*, dicit, nihil aliud esse quam quandam transactionem dulce: enim nomen est pacis; res verò ipsa & jucunda, & salutaris, ut senrit Cicero, *Orat. 55. in M. Antonium*, §, *A principio hujus belli*, pag. mihi 365. Et sic quoque seotit Ayal. *de jur. & off bellic. lib. 1. cap. 2. num. 4.* omnibus quidem utilis est pax, Fidelibus verò utilis, & debita, dum dulcissimum JESUM Christum sequuntur, dicentem in Jo. *Cap. 14 Pacem meam do vobis: Pacem relinquo vobis:* Bellum igitur baud dubiè amat, & Cbristum nequaquàm sequitur, qui pacem odio babet; cùm ioter bellum & pacem medium nibil sit, ut dicit Cicer. *Orat. 50. in M. Antonium*, §. *Confusius besterno die*, pag. mihi 333. & successivè hæres Christi nullatenùs potest esse, si pacem ejus testamento relictam non habet. Gloss *in Cap. Ad Apostolica*, in verb. *pacem*, *de re jud. in 6.*

19 Inter Mortalium bona præcipuum habet locum, ut puto, pax, cujus nomen à pactione descendit, *l. 1.* paolò post init *ff. de pac.* quemadmodùm pactio, seu pactum quasi ex pace dicitur, *Cap. Pactum*, *de verb. signif.* Pacis verò conventio jurisgentium est *d. l. 1. ff. de pac.* juncta *l. Ex hoc jure*, *de just & jur.* Bart. *quæst. 1.* incip. *Lucana Civitatis*, *n. 2. lib. 1.*

20 Duplex est pax, temporalis scilicet, & perpetua. Prima, quæ vulgò treuga nuncupatur. *Cap. Illi*, *causa 24. quæst. 3.* & ibi Archid. est, quæ personis, & rebus ad tempus præstat securitatem, Secunda verò est discordiæ ultimus finis, & concordia inviolabilis, ut probat salrem deductivè Text. *in l. 1.* io princ. *ff. de pac. & in l. in bello*, in princ. *ff. de capti. & postli. revers. & l. uni* in princ. *de cad. toll.* & tradit Bal. *in proœm. Decretal. num. 3. & in Rubr. de treug. & pac. num. 1.*

21 Inter Treugam, & Inducias hoc datur discrimen, quod treuga intelligitur de longiori tempore: Induciæ verò de brevi tempore intelliguntur, ut ex earum etymologia colligitur; Induciæ enim ita dicuntur, quòd in certum diem à præliando otium præbeant. Hinc Doctores appellant inducias quandam quasi pacem, vel potiùs remissionem belli ad certum tempus inter hostes factam, ac si dicant, inducias non posse esse perpetuas, sed temporales, posse tamen transire in pacem, quæ est perpetua. Et in hoc treuga, & induciæ conveniunt, quòd tempore, tum treugæ, tum induciarum, non possunt hostes, seu inimici invicem se lacessere, *l. postliminium*, §. *Inducia*, *ff. de capti. & postli. revers.* Glos *in l. Conventionum:* in fin. *ff. de pac.* ideoque inducias, quæ strictè, & propriè debent intelligi, cùm pactum contineant, ut notat Bero. *conf. 194. num. 40. & conf. 106 num. 1*, esse observandas, tradit Tex. *in l. Non dubito. & l. postliminium*, §. *Inducia*, *ff. de capti. & postli. revers.*

22 Pax à concordia distinguitur, non tanquàm genus à specie, ut volunt aliqui, sed tanquàm species à genere: Nam qui habet pacem, baber concordiam; concordia enim omnem continet conjunctionem cordium, seu animorum, Archid. *in Cap. Indemnitatibus*, *de elect. in 6.* & speciem suum genus includere, communis est Philosophorum sensus. Huic asserto, qui veriori favet authoritas Fulg. Alex. quos producit, & quibus videtur adhærere Cardin. Mant. *Tract. de tacit. & ambig. lib. 27. tit. 2. num 14.*

Gravi pœnæ obnoxium esse, qui ab induciis recedit, & eum, qui pacem perturbat, tradit Purpur. *in conf. 528.* in princ. *per l. ult. ff de re milit.* ubi dicitur, quod miles, turbator pacis, debet pœnâ capitali puniri. 23

Bona capta durante treugâ esse restituenda, tanquàm capta contrà legem conventionis, & jusgentium, probat Tex. *in l. 1. & l. Conventionum*, *ff. de pac. & in Cap. 1, de treug & pac.* & tenet Purpur. *in conf 499. num. 1.* & ideò, si in treuga, vel in induciis belli cautum sit, ut ad statum pristinum omnia restituantur, id esse restingendum ad ea, quæ jure belli gesta sunt, veluti si bona hostium sint occupata, tradit Card. Mant. loc. cit. *num. 17.* Ex quibus patet, durante tempore treugæ, aut induciarum, rectè per Bal. *in Cap. Sicuti*, il terzo, *vol. 2. de jurejur.* dici, bellum dormire, seu cessare. 24

Pax, per pecuniam conciliata, servari debet, neque pecunia repeti potest, si data fuerit causâ redimendi vexationem Bal. post Gloss. *in l. 2. num. 3. Cod de abolit. per l. servi ob violatum., Cod. de adult.* Pacem enim semper firmam permanere, probat Tex. *in l. si tibi*, §. *quadam*, *ff. de pac. & l. Quamvis*, *Cod. ad Turp.* 25

Inter bona, quæ ex bellis licèt sceleratissimis videmus oriri, depressio est humanæ superbiæ, quæ omnium malorum causa censetur; & ideò S. Augustinus contrà Faustum, *lib. 22. cap. 75.* inquit, „ Bellum, quod gerendum „ DEO Authore, suscipitur, rectè suscipi dubi- „ tare fas non est, vel ad terrandam, vel ad ob- „ terrandam, vel ad subjugandam mortalium su- „ perbiam. „ 26

Quamvis ex spoliorum, & prædarum amore ad bella procedere nefas sit militibus; nihilominùs io bello justo spoliorum justitiam esse de omni gentium jure, & consuetudine, seu milites babere jus ad varia spolia, tradit Leo Imp. *de bellic. app. cap. 16. num. 4. & cap. 19. num 68.* & novissimè probat egregiè eruditissimus Christianus Lupus, *in Opusculis de Christ milit. cap. 18.* Præsertim exemplo Patriarchæ Abrahami, qui dum in quatuor victores Reges processit, reportavit optima spolia; & ad ipsum dixit Sodomorum Rex: *Da mihi animas, cætera tolle tibi. Gen. Cap. 14* nec non Davidis, Amalecitas persequentis, de quo *lib. 1. Reg. Cap. 30.* dicitur. *Quæcunque rapuerunt Amalecita, reduxit David. Et tulit universos greges, & armenta, & minavit ante faciem suam; dixeruntque: Hæc est præda David.* Idque nuperrimè vidisse ad praxim deductum testatus est Carolus Antonius Philippa Comes Martinianæ, Marchio S. Michaelis, Prassi, & Ussolii, Eques SS. Mauritii, & Lazari, variis, & sublimibus militiæ gradibus à Regali Celsitudine Ducis Sabaudiæ exornatus, olim Gubernator Montis Regalis, totiusque Provinciæ, & nunc Civitatis Pinarolen, ejusque Provinciæ, nec non Vallis Lucernæ, ac 27

ac S. Martini Gubernator, Philiberto Hyacintho, Abbati Martinianæ Fratri suo dilecto, Romæ existenti, id mihi referenti.

28 Ad quæstiunculam, num spolia in justo bello capta sint indifferenter cujusque capientis, respondent ferè omnes negativè, moti exemplo Sanctissimi Regis, ac Prophetæ Davidis, qui Amalecitas persequens, jussit receptam prædam singulis Sociis ex æquo dividi, etiam iis, qui ad sarcinas lassi remanserant; quod deinceps pro lege servatum fuit in Israel, ut habetur *lib. 1. Reg. Cap. 30. num. 25.* Nobis consentit Ayal. *de jure, & off. bellic. lib. 1. cap. 5. num. 7.* & ante ipsum Theodoretus in quæstionibus ad Text. allegatum, *quæst. 65.* dicens, & probans, quòd non soli per Regiam jussionem, sed etiam ob lassitudinem, aut infirmitatem remanentes ad sarcinas, debeant ex Davidis edicto habere æqualem spoliorum partem cum Præliantibus; putans pariter, quòd idem jus David sanxerit portantibus sarcinas, aut alia impedimenta, quod nos quoque adfirmamus, freti *regulâ 56. Qui sentit onus, sentire debet commodum, & è contrà, lib. 5. de regul. jur. in 6.* Nobis quoque favet exemplum Probi Imperatoris, de quo, cùm adhuc esset Dux, necdum Imperator, scribit Flavius Vopiscus: „ Si quid prædæ fuit, ita „ divisit, ut sibi nihil præter tela, & arma ser- „ varet. Sicque Probus ex spoliis pro se accepit tantummodò tela, & arma, nempè distribuenda in milites, qui ipsis egerent. Aliquid fuisse à Christianis Imperatoribus circa spolia immutatum, refert Georgius Codinus, *in lib. de Aula Constantinopolitana officiis, cap. 16.* dicens, ex spoliis quintam partem dari Imperatori. Testatur Christianus Lupus *in suis Opuscul. de Christ. milit. cap. 18.* extare quamdam sanctionem, quæ vult omnem spoliorum massam in sex partes dividi, unam Fisco cedendam, reliquas omnes æquis portionibus in Exercitum dividendas; Et idem sentire videtur Ayal. loc. cit. *num. 9.* dicens, „ Cæterùm etiam prædâ militibus con- „ cessâ, Principi nihilominùs sua portio debe- „ tur per Text. *in Cap. Ius militare, Dist. 1.* quæ „ ex Constitutionibus Regni Hispaniæ est quin- „ ta pars prædæ, quandoque tertia quandoque „ dimidia. Duci quoque Exercitus ex iisdem „ Constitutionibus debetur septima pars prædæ, „ quandoque decima.

29 Deliciis, commoditatibus, aliorumque nimiâ bonorum copiâ militarem disciplinam enervari, indubitatum est. Hinc Scipio olim Rom. Dux exercitûs, seu Imperator unanimi consensu delectus, statim jussit lectulos, mensas, varia pocula, & reliqua vasa omnia amandari, exceptâ tantum ollâ æneâ, & fubulâ ferreâ; nec non permisso poculo, aliis argenteo, aliis ligneo. Sic refert Leo Imp. *in bellic. app. cap. 20. num. 78.*

30 Bona rebellium, cum quibus Princeps justum bellum gerit, obnoxia esse prædæ, tradunt Bart. Cuit. quos producit, & sequitur Ayal. *de jur. & off. bellic. lib. 1. cap. 2.* ubi asserit, juri belli locum esse contrà rebelles, qui tanquàm hostes occidi possunt.

Ad quæstiunculam, cujus impensis bellum geri debeat, utrum Principis, an Populi, facilè respondent cum distinctione legum Interpretes: Si Principi idonei deficiunt redditus, totius Principatus impensis bellum esse gerendum, tenent Bald. *in l. si aliquam, ff. de off. Proconf.* Boverius, *in Tract. de Cust. clav.* Si verò Princeps redditus regales habeat à Civibus assignatos, absque dubio, ipsius Principis impensis, bellum esse gerendum, tradunt Angel. *in l. Turres, per illum Tex. Cod. de op. public.* Jas. *in l. Divortio, §. Impendia,* & ibi Zasius, *ff. sol. matrim.* Bal. & Cyn. *in l. neminem, Cod. de Sacrof. Eccles.* & ratio videtur esse, quia Principatus omnes, Regna, & Imperia sunt ob publicam ipsorum Civium utilitatem inducta, non ob eorum, qui Reipublicæ præsunt, commoda, ut tradunt Philosophi, & Legum latores, sequentes Ciceronem, *lib. 1. de off.* dicentem, Qui Reipublicæ præsunt duo Platonis præcepta teneant; unum, ut utilitatem Civium sic tueantur, ut quidquid agant, ad eam referant, obliti commodorum suorum; alterum, ut totum Corpus Reipub. curent, ne cùm partem aliquam tuentur, reliquas deserant, ut enim tutela, sic procuratio Reipub. ad utilitatem eorum, qui commissi sunt, non ad eorum, quibus commissa, gerenda est. Et hæc duo Platonis præcepta ad officia bellica maximè spectare, tradit Ayal. *de jur. & off. bellic. lib. 2. cap. 1. n. 7.* 31

Non solùm milites extrà tempus militaris exercitii, sed etiam cives omnes in aliquibus rebus se occupare, nec non à pompis se abstinere, bonum publicum, & privatum haud dubiè expostulat: Luxu enim, & desidiâ Civitas facilè corrumpitur, ut ex Sallustio refert, & probat Sanctus Augustinus, *de Civit. DEI, lib. 5. cap. 12.* 32

In bello justo non solùm hostium bona capi possunt, & viri, sed etiam mulieres, *l. 1. l. fœdissimè, Cod. de postlim revers. l. non ut à patre, l. mulier, ff. de capt.* Sicque Sophonisbam uxorem Syphacis fuisse captam à Masinissa, Cleopatram ab Augusto, uxorem Darii cum matre, totàque familiâ ab Alexandro, refert Ayal. *de jure, & off. bellic. lib. 1. cap. 5. num 5.* ubi subdit, etiam pueros in bello capi posse, adducens ad probandum *l. Lex. Cornelia, ff. de vulg. & pupill l. pater,* in princ. *l. quòd si filius, ff. de captiv.* Estò Camillus, teste Livio, *lib. 5.* noluerit laudabiliter, nobilissimos Faliscorum pueros, per LudiMagistrum ipsorum in Castra Camilli dolosè perductos, accipere, dicens, Arma habemus, non adversùs eam ætatem „ cui, etiam captis Urbibus, parcitur, sed ad- „ versùs armatos; quâ beneficentiâ devincti Fa- „ lisci, se spontè Romanis dediderunt. 33

Quæstiunculam aliquantulùm curiosam, utrum Res incorporales bello capi possint, & in Victorem transferri, &, si possint, utrum sint postliminii, nec nè, eruditè, & fusè movet, & discutit Ayal. *de jur. & off. bellic. lib. 1. cap. 5. num. 41.* qui commodè potest cerni à Curiosis. Nos interim summatim scribentes, & res incorpo- 34

corporales hic ad jus, quod habent personæ, reducentes, respondemus negativè; cùm enim hodiè inter Christianos, ut alibi ostensum est, capti non fiant servi, seu personæ non transeant in dominium capientis; nè quidem jus, quod personis ita cohæret, ut ab eis divelli non possit, transire censendum est *per l. 3.* & ibi Accurt. *ff. pro socio.*

35 Quamvis fides hosti, qui justus est, data, sit inviolabiliter servanda, ut alibi probavimus, nihilominùs si quispiam metu fortè compulsus ab eo, qui justus hostis non est, fidem de pretio redemptionis solvendo, vel similibus dederit, eum non adstringi, ut fidem servet, putat præfatus Ayal, *de jur. & off. bellic. lib. 1. cap. 6. num. 6.* adducens pro se Text. *in Cap. Pervenit, Cap. Sicut, de jurejur. Cap. solicitè, de rest. spoliat.* ibique concludens, jura belli, captivitatis, & postliminii, quæ hostibus tantùm conveniunt per Tex. *in l. postliminium*, in princ. *ff de captiv.* non posse latronibus convenire, neque, ut subdit *Cap. 9. num. 4.* rebellibus, aliisque, qui hostium numero minimè continentur, *l. hostes, ff. de capt. l. hostes, ff. de ver. signif.*

36 Bona spiritualia potissimùm in Bellatoribus sunt consideranda: Hinc admonere ducimus, quod Obsides, qui vel tempore induciarum, vel peracto bello, ab hostibus recipiuntur, gaudent quoad consecutionem universalis Jubilæi privilegio, quod Summus Pontifex Carceratis concedit; Carceratorum enim appellatione veniunt & Obsides; cùm & ipsi libertate privati sint, ut benè advertit doctissimus Jacobus Pignatellus, *in Tract. de Anno Sancto, cap. 15. dub. 13.* ubi asserit, hoc verum esse, quamvis ab Hostibus possent facultatem obtinere ad Urbem, vel Oppidum accedendi; Siquidem cùm sint legitimâ causâ impediti, non tenentur impedimentum tollere, sed possunt sese tanquàm impeditos tractare; & successivè Impeditorum frui privilegio. Et idem diximus, *lib. 6. Diff. 4. num. 23.* de Militibus arcem custodientibus.

37 Quando bellum non est publicum, & solemne, sed potiùs civilis defensio, ut fuit inter Guelfos, & Gibellinos, postliminium locum non habet: Adeoque capta non fiunt Capientium, sed veteribus Dominis sunt restituenda, *l. Latrones, ff. de captivis*, & tradit Emmanuel Gonzalez, *in 2. lib. decretal. Tit. de restit. spoliat. cap. 19. num. 2.* ubi addit, nec captos Milites in tali dissensione in servitutem redigi.

38 Militum privilegiis gaudere Milites, vulgò nuncupatos, *Venturieri*, gratis inservientes, tradit ex communi sensu Card. de Luca, *lib. 3. de jurisdict. Disc. 23. num. 9.* citans Crispolt. dummodò Castra sequantur; & ratio videtur esse, quia gratuitum militare servitium, absque stipendio præstitum, non debet eis præjudicare; cùm majori laude, ac privilegio digni debeant reputari gratis inservientes, quàm Stipendiati.

39 Quamvis bona Hæreticorum sint ipso jure confiscata; executio tamen confiscationis, seu apprehensio bonorum fieri non debet per Dominum sæcularem, nisi priùs fuerit sententia super crimine per Judicem Ecclesiasticum publicata. Textus est expressus *in Cap. Cùm secundùm leges, de hæret. in 6.*

Bona quæcunque mobilia, & immobilia, etiam incorporalia, à Regularibus extra Claustra degentibus, præsertim Apostatis, acquisita occasione militiæ, industriæ, seu artificii, mercaturæ, vel alio titulo post eorum obitum non debentur Religioni, aut Monasteriis, in quibus illi primò professi fuerant, ut decrevit Paulus Papa IV. suâ Constitutione 14. *Postquàm*, contrà Religiosos Apostatas editâ, quam Pius IV. Constitutione 3. *Sedis Apostolicæ*, ad terminos juris, & Sacrarum Constitutionum reduxit; sed R. Cameræ Apostolicæ, quæ eis succedit. Paulus III. Constit. 20. *Romani Pontificis*, super spoliis, sub Dat. videlicet, tertio nonas Januarii, Pontificatûs sui Anno tertio promulgatâ. Gregorius XIII. Constit. 43. *Officii nostri*, ubi §. 2. & 3. innuit, & confirmat Constitutionem Pauli III. aliorumque suorum Prædecessorum. 40

Quoties bona mobilia sunt penes ipsos Milites, in conflictu belli illa occupantes, seu penes habentes causam ab eis, & ad præsidia militum, seu ad hostium tuta loca devenerunt, ibique pernoctarunt; & quæ per Labeonem, *in l. si quid, ff. de captivis*, dicuntur præda, & à Bartolo ibidem nuncupantur *Bottino*, prioribus Dominis jus non competit illa vindicandi à Tertiis, ut per Text. *in l. si quid bello, ff. de captu. l. naturalem, §. fin. de acquir. rer. domin.* & tradit, Card. De Luca, *lib. 1. de feud. disc. 67. num. 3.* ubi alios allegat. Et ratio videtur esse, quia ubi nulla subest spes vindicandi judicialiter, & per viam justitiæ, desperata dicitur recuperatio, ut ex deductis per Thesaur. *quæst. 48. num. 11. lib. 2* Leotard. *de usur. quæst. 95. n. 37.* apparet. 41

Ubi spes subest recuperationis judicialis, & per viam justitiæ, utriusque partis Iccatoribus indifferenter administrandæ, tunc dominium remanet præservatum. Idem Card. De Luca, loc. cit. *num. 18.* 42

Quidquid debetur ex contractu inito per Invasorem alicujus Provinciæ, vel Loci, occasione præsertim belli, solvendum est priori Domino jam restituto. Ita fuit decisum à Senatu Sabaudiæ: Apud Fabr. *in Cod. lib. 4. tit. 42. de locato, diffin. 33.* & apud Cardin. De Luca, *lib. 1. de feud. disc. 58. num. 12.* 43

Bona fides positiva, & etiam non mala fides excusat à restitutione fructuum perceptorum, & consumptorum. Cardin. De Luca, *lib. 5. de usur. disc. 12. n. 37.* ubi ait, quòd etiam procedit in usuris bonâ fide exactis. 44

Bona capta à Militibus in discursu Territorii ante bellum campestre, non communicantur aliis, sed fiunt Capientium: Capta verò in conflictu communicantur ratione communis periculi vitæ; maximè quia inter Milites non inducitur societas, nisi simul conveniant ad conflictum, prædam, & custodiam. Rot. Roman. 45

 decis.

decis. 433. num. 9. p. 1. Recent. coràm Buratto.

46 Militiæ favore valet donatio inter patrem, & filium, inter virum, & uxorem, neque venit in collatione bonorum. Martin. Lauden. Gem. Lancellot. & alii, quos producit, & sequitur Rot. Rom. *decis. 69. num. 89. p. 7. Recent. coràm Merlin.*

47 Bona Clericorum separabilia; id est quæ sunt penès ipsos Clericos, sunt à gabellis quibusvis exempta, ut per varia jura, quæ refert, Rot. Roman. *decis. 195. num. 1. & 2. p. 7. Recent. coràm Coccin.* undè Exigentes hujusmodi gabellas incurrunt sententiam excommunicationis, ut per plures DD. probat Rot. Roman. ibidem.

48 Bona patrimonialia propriè sunt, quæ proveniunt, à patre, matre, & aliis Consanguineis, & non illa, quæ proveniunt à propria industria. Rot. Rom. *decis. 118. num. 23. tom. 1. p. 9. recent. coràm Cerro.*

49 Indubitata est juris conclusio, quòd nedùm bellum, sed etiam ejus timor reputatur causa justa non residendi ad effectum consequendi distributiones quotidianas, ut benè sentit. Barbos. *Collect. ad Concil. Trident. Sess. 24. cap. 12. num.* 100. cum aliis, quos refert, & sequitur Rota Roman. *decis.* 100. *num. 1. p. 15. Recent. coràm Ottalora.*

50 Bellum formidolosum, & truculentum justa causa est non residendi; ac proindè Canonicis, aliisque Beneficiatis distributiones quotidianæ debentur, dummodò probetur, hujusmodi bellum adeò truculentum fuisse, ut justam causam absentiæ præberet. Rot. Rom. *decis.* 251. *à num. 1. p. 18. coràm Colataju.* ubi plures allegat.

51 Quamvis fornicatio sit ex se mala, & secundùm se gravem involvat malitiam (contraria doctrina fuit damnata ab Innoc. XI. & est propositio 48. in ordine) dare meretrici pecuniam promissam, malum non est, sed actus justitiæ commutativæ, etiam in Sacris Litteris non reprobatus, ut notat Rot. Roman. *decis. 47. num. 6. par. 16. coràm Albergato.*

52 Meretrici donatum repeti non potest. Rot. Roman. *decis. 47. num. 12. par. 16. Recent coràm Albergato*, ubi alios allegat.

53 Meretrici competit retentio rei donatæ, quamvis aliàs ad illam consequendam actionem non haberet. Rot. Rom. *decis. 47. num.* 11. *p. 16. Recent. coràm Albergato*, ubi allegat jura inductivè.

54 Bello injusto occupata ab Invasoribus restituenda sunt. D. Thom. *de regim. Princip. lib. 3. cap.* 11. Bellarm. *tom. 1. Controvers* & alii, quos producit, & sequitur Emmanuel Gonzal. *in lib. 2. Decretal. tit. 24. cap. 29. num. 4.* ubi doctè, & eruditè ad objecta respondet.

55 Exactores onerum ab Ecclesiasticis non sunt absolvendi, nisi præcedente restitutione omnium exactorum. *Alexandrina, lib. 2. decr. Paul.*

Animalia Ecclesiasticorum sunt exempta à gabellis. *Die 29. Maji* 1634. *in Auximana, lib. 2. decr. Paul.* 56

Subhastatio, facta super animalibus Clerici pro portione bonorum fratris sæcularis, cum quo vivit, est invalida. *Die 26. Aug.* 1636. *in Somna, lib. 5. decr. Paul.* 57

Bona, quæ assignantur pro dote Beneficii, sunt immunia à quibuscunque oneribus. *Die 27. Martii* 1635. *in Firmana, lib. decr. Paul.* 58

Clericus non tenetur ad onera laicalia pro bonis assignatis in dotem Beneficii. *Die 9. Decembris* 1630. *Montis Alti, lib. 2. dec. Paul.* 59

Bona, ad quorum titulum ordinatus est Clericus, gaudent privilegio bonorum Ecclesiasticorum; & ideò sunt exempta ab oneribus, collectis, gabellis, & oneribus laicorum. *Sacr. Congr. Episc. in Catharensi, 3. August.* 1592. & in una *Montis Pelusii, die* 24. *Martii* 1599. *Et in Malturanensi, die* 13. *Decembris ejusdem Anni. Et in Aquilana, die 2. Maji* 1601. *Et in Bisignajanensi, die 9. Martii.* 1604. 60

Si Conjuncti Ecclesiasticorum vivant cum ipsis, & impensis eorumdem, sunt etiam exempti à collectis pro portione bonorum: *Die 6. Martii* 1635. *in Aprutina, lib. 2. decr. Paul. Hydruntina, die* 14. *Iunii* 1630. *lib. 2. decr Paul. Cavensi, die 27. Aprilis* 1632. *lib. 2. decr. Paul.* 61

In causis mixti fori datur locus præventioni: *Die 18. Februarii* 1631. *in Somna, lib. 2. decr. Paul.* 62

Clerici conjugati non tenentur ad collectam, quæ imponitur pro donativo regio, quatenùs fit consuetudo. *Die 12. Decembris* 1645. *in Caputaquensi, lib. 3. decr. Paul.* 63

Ecclesiastici sunt exempti à solutione collectarum: *Die 19. Novembris.* 1630. *in Firmana, lib. 2. decr. Paul. Catanensi, die 11. Septembris* 1634. ibid. 64

Clerici in minoribus sunt exempti à Collectis, etiam si non inserviant Ecclesiæ: *Die 21. Martii* 1646. *in Civitate Pennensi, lib. 3. decr. Paul.* 65

Qui tenentur ad decimas, non sunt absolvendi, nisi factâ priùs integrâ solutione. *Die* 2. *Maji* 1639. *in Arianensi, lib. 1. decr. Paul. Beneventana, die* 29. *Maji* 1629. ibid. 66

Vigore statuti Laicalis non potest exigi gabella ab Ecclesiasticis: *Die 25. Septembr.* 1627. *in Tudertina, lib. 1. decr. Paul.* 67

Clerici in minoribus constituti gaudere debent exemptionibus Clericis competentibus: *Die 11. Augusti* 1638. in una *Montis Regalis, lib. 3. decr. Paul.* 68

Clericus pensionarius etsi Religionem militarem ingrediatur, ac profiteatur, non privatur ipso facto pensione, neque privilegio fori, licèt incedat ense accinctus; habituque militari indutus. *Sacr. Congr. Concilii 20. Augusti* 1633. 69

70. Impe-

70 Impedientes extractionem frumenti Ecclesiasticorum excommunicantur: *Die 22. Januarii 1629. lib. 1. decr. Paul.*

71 Furans Pyxidem, in qua actualiter asservatur Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, non gaudet immunitate Ecclesiasticâ: *Die 2. Iunii 1632. in Squillacensi, lib. 2. decr. Paul.*

72 Gabella non solvitur in transportatione Cadaveris ab uno ad alium loco: *Die 30. Iunii 1653. in Firmana, lib. 5. decr. Paul.*


73 Clerus sæcularis, & Regularis eximitur à gabella à Laicis imposita: *Die 1. Decembris 1627. in Parmensi, lib. 3. decr. Paul. Vicentina, die 25. Maii 1638.* ibid. & adsunt aliæ declarationes.

74 Bona Militum S. Joannis Hierosolymitani ubique decedentium, etiam ex illicita negotiatione acquisita, ut spolia, non ad Cameram Apostolicam, sed ad Hospitale spectant, Pius IV. Constit. 29. *Romani, die 24. Martii 1561.*

75 Transactio, quæ fit inter Clerum, & Sæculares, est nulla, si non adest Beneplacitum Apostolicum: *Die 21. Martii 1628. in Urbinatensi, lib. 1. decr. Paul.*

76 Hæc tandem sufficiant de Theologia Bellica, à nostro exili intellectu concepta; rudi calamo conscripta ad laudem, & gloriam Omnipotentis DEI Domini Nostri JESU Christi, ejusque Immaculatæ Virginis Matris Mariæ; atque omnium Ecclesiæ Triumphantis Sanctorum. Nihil jam huic Operi addendum ducimus, quod Divinâ nobis opitulante Gratiâ perfecimus: Hocque, & omnia, & singula in eo contenta, omni, quâ possumus, reverentiâ, totaque nostri animi sinceritate, Sacrosanctæ, ac infallibilis Catholicæ Romanæ Ecclesiæ Judicio, ac Censuræ submittimus; omnes Christi fideles toto corde adhortantes, DEUM assiduè, ac ardenter exorare, ut tandem adimpleatur quod dicitur in Matth. *Cap. 10. num. 13. Veniet pax vestra. Pax vestra revertetur ad vos*; & quod Regius Propheta jam fuit affatus, *Ps. 71. num. 3. Suscipiant Montes pacem populo*, sciens profectò bello nihil sævius, nihil lacrymabilius, nihil periculosius inter Mortales adesse. Quodque pariter testatur S. Augustinus, *de Civit. DEI, lib. 19. cap. 7.* dicens. „ Hæc itaque mala, tam magna, tam „ horrenda, tam sæva quisquis cum dolore con- „ siderat, miseriam necessè est, fateatur. Porrò si armorum strepitus, nondùm satis humano sanguine erubescentium, nostras preces, nostra monita, nostras exhortationes ad bellicosorum Principum aures pervenire præpedit, eis, quod S. Bernardus ad Januenses scripsit, *Epist. 129.* tepetemus, videlicet; „ Quod si militare placet; „ & vestræ fortitudinis, ac strenuitatis iterum „ experiri vires, arma probare delectat, non „ equidem id præsumendum adversùs Vicinos, & „ Amicos; cùm magis Ecclesiæ Inimicos expu- „ gnare deceret, sed Regni vestri invasam (di- „ cam ego) desiderio à Turcis defensare Coro- „ nam. Super illos sanè, & honestiùs acquire- „ tis, & justiùs possidebitis acquisita. DEUS „ pacis, & dilectionis maneat semper cum omni- „ bus vobis, Amen. Vobis, ut Opus hoc bellicum rectè concludamus, dùm ex bello oritur pax, juxta Tex. *in Cap. Noli existimare, causa 23. quæst. 1.* Vobis nempè ò Reges, & Principes, fidem Christi, dicentis, Jo. *Cap. 14. Pacem meam de vobis, pacem relinquo vobis*, profitentes, perenni Regni Cœlestis beatitudine, post transitoriam regni terreni possessionem, fruituri, S. Matthæo admonente. *Cap. 5. Beati pacifici, quoniam Filii DEI vocabuntur*. Quem locum explicans præfatus Doctor Mellifluus, *Serm. 1. in Festo omnium Sanctorum*, circa finem, inquit, „ Non est enim DEUS dissensionis, „ sed pacis; ideoque filios pacis DEI quoque fi- „ lios dignum est appellari. Quisque igitur Rex, „ & Princeps ad DEI filiationem pervenire, & regnare perennè exoptans, dicat cum Davide Rege, *Ps. 84. Audiam quid loquatur in me Dominus DEUS*: Ubi S. August. *tom. 8.* pag. mihi 380. col. 2. post med. Et audivit. Quid? Quoniam loquetur pacem in plebem suam; & „ super Sanctos suos. Vox ergò Christi: Vox „ ergò DEI pax est; Ad pacem vocat. Eja, dicit, „ quicunque nondùm estis in pace, amate pa- „ cem. Quid enim vobis melius de me invenire „ potestis, quàm pacem? Pax quid est? ubi nul- „ lum bellum est, Quid est, ubi nullum bellum est? „ ubi nulla est contradictio, ubi nihil resistit, ni- „ hil adversum est. „ Eja, repetam ego cum S. Antistite Hipponensi, Reges, & Principes, qui belligeratis, amate pacem: Ad Vos enim spectare damna Reipublicæ amandare, bonumque Regni augere admonent jura, *l. observandum, ff de offic. Præsid. l. nam salutem, de offic. Præf. vigil.* & hujus amandatio, nec non augmentum quaqoàm potest contingere remotâ pace, quæ, ut ait Polyb. *lib. 4. histor.* si justa, & honesta sit, res est certè rerum omnium pulchetrima, atque optima. Amate pacem; nam finis bonorum Principum, qui sunt DEI Vicarii in terris, ut *in Authen. de armis, tit. 13.* in Princ. & tradunt Aristotel. *lib. Politic. cap. 9* Plin. *in Panegyr. Trajani*: Perr. Greg. Tholos. *lib. 10. de Rep. cap. 3. num 16. & in syntag. jur. lib 35. cap. 1. num. 5.* esse debet pax suòrum subditorum; & hoc quidem ex divino præcepto. Zach. *Cap 8. & Ps. 33. Inquire pacem, & persequere eam*, & Marc. *Cap. 9.* & habetur *in Cap. Sit rector, 43. Dist.* Quomodò autem pax potest in subditis feliciter regnare, inter Reges, & Principes, qui suorum Regnorum Capita sunt; Senec. *lib. 1. de Clementia*; Simanc. *lib. 3. de Repub. Cap. 7. num. 4.* bello regnante: à Capite enim derivatur sensus, per quem membra corporis ducuntur, & gubernantur; ideoque si Regum, & Principum sensus, seu spiritus sunt bellicosi, vanum est à subditis, uti membris ab eorum capite spiritus trabentibus, pacem expectare. Amate pacem, ut pacata sit Ecclesia, id summoperè S. Augustino exoptante, *in Tract. 11. in Jo.* relato *in Capit. Quando, causa 23. quæst. 4.* ita dicente. „ Intendat charitas vestra quid dicam, quia pertinet hoc, „ ad Reges sæculi Christianos, ut temporibus „ suis pacatam velint Matrem suam Ecclesiam ha- „ bere, undè spiritaliter nati sunt. Quodque, „ pariter habetur, *in Capit. Si Ecclesia, ead. caus. & q.* Quam verò pacem potest Ecclesia habere, intuens


intuens in Christianorum bellis hæreses grassari, Evangelia contemni, sacras Imagines profanari, Templa dirui, Sacramenta in ædificiorum ruinis obrui, Virgines deflorari, Religionem everti, DEUM passim, & graviter offendi? Amate pacem, ut nostro Sanctissimo Patri CLEMENTI XI. feliciter regnanti, si me minimum inter Religiosos non vultis audire, pareatis, qui utpotè Vox Verbi, seu Vicarius Christi, Fidelibus pacem relinquentis, corde, ore, & calamo toto sui Pontificatus tempore rogat ea, quæ pacis sunt, S. Luc. *Cap. 14.* dicens cum eodem S. Augustino: Eja quicunque belligeratis amate pacem. Quid enim pace sublimius, quæ ex ore Altissimi prodivit? Quid pace dulcius, prolatâ ab habente mel, & lac sub lingua sua? Gloria, Gloria in altissimis DEO, & in terra Pax hominibus bonæ voluntatis, S. Luc. *Cap. 2.* Amate, amate pacem, quia eam diligentes, inquit S. Amb. *tom. 1. de Abel, & Cain*, pag. mihi 111. „ DEUS elegit; & ideò vos pacem „ discite, ut eligamini à DEO. Amate pacem, si cupitis Christum, qui vos summè amat, vobiscum habere; cùm Christus JESUS sit pax nostra admonente eodem S. Ambr. *tom 2. in Cap. 3. Isa.* pag. mihi 421. *litt. C.* Amate pacem, Vox est Christi, imperium est Regis pacifici, Regnum Æternum exhibentis rantummodò sibi statim parentibus. Sit quæso, subdit præfatus Sanctus Doctor, *tom. 4. de off. lib. 3. cap. 30.* pag. mihi 48. „ inter vos pax, quæ „ supet omnem sensum est. Amate vos invi- „ cem, nihil charitate dulcius, nihil pace gra- „ tius. O pax, dulcissima Christi Vox! Gaudebit quippè CLEMENS XI. & cum ipso totus terrarum Orbis, si à quovis ex Belligerantibus audiet proferri, & in praxim deduci verba Cant. *Cap. 2. Sonet vox tua in auribus meis: Vox enim tua dulcis.* Saluberrima Nostri CLEMENTIS Vox, & verè Apostolica repetitio! Utinam Reges, & Principes saperent hanc Vocem, intelligerent hanc Repetitionem; profectò novissima statim providerent: Nec possent providere novissima, nisi vetere relicto bello, paci providerent. Recedant ergò vetera, nova sint omnia: Et ut Vox Christi proficuè audiatur; & ejus Clementissimi Vicarii Repetitio funditùs, & effectivè intelligatur, corde, & ore cum S. Matre Ecclesia omnes deprecemur. DEUS, à quo Sancta desideria, recta consi- „ lia, & justa sunt opera, da servis tuam illam, „ quam Mundus dare non potest, pacem; ut „ & corda nostra mandatis tuis dedita, & bo- „ stium sublata formidine, tempora sint „ tuâ protectione tranquilla: „ Amen. „



FINIS.



TABU-





TABULA

Variarum Propositionum, à Sancta Sede damnatarum, quæ hìc apponuntur eo ordine, quo proprijs locis in volumine sunt dispositæ, oppugnatæ, & rejectæ; & à quo Pontifice, vel in quo Concilio fuerunt damnatæ.

Damnata in Conc. Trid. sess. 13. de SS. Eucharist. cap. 7. & Can. 11. — *Confessio Sacramentalis peccati mortalis non est necessariò præmittenda sumptioni SS. Eucharistiæ.* lib. 5. num. 4. pag. 5.

Damnata in Concil. Constantiensi, sess. 8. & 15. & est 7. in ordine. — *Si homo fuerit debitè contritus, omnis confessio exterior est sibi superflua, & inutilis: est Joannis Wicleff.* lib. 5. num. 4. pag. 5.

Damnata ab Innoc. XI. in ordine 55. — *Præcepto Communionis annuæ satisfit per sacrilegam Domini manducationem.* lib. 5. num. 4. pag. 5.

Damnata in Concil. Constant. sess. 8. & est tertia in ordine. — *Christus non est in eodem Sacramento identicè, & realiter in propriâ præsentiâ corporali: est Wicleff.* lib. 5. num. 5. pag. 5.

Damnata in Concil. Viennen. sub Clement. V. & est octava in ordine. — *Homines perfecti in elevatione Corporis JEsu Christi non debent assurgere, nec eidem reverentiam exhibere:* est Beguardorum. lib. 5. num. 5. pag. 5.

Damnata à Leone X. Const. *Exurge*, & est 23. in ordine. — *Excommunicationes sunt tantùm externa pœna, nec privant hominem communionibus spiritualibus, Ecclesiæ orationibus: est Lutheri.* lib 5. num. 4 pag. 42.

Damnata ibid. ab eod. Leone, & est 24. in ordine. — *Docendi sunt Christiani plus diligere excommunicationem, quàm timere.* lib. 5. num. 4. pag. 42.

Damnata in Concil. Const. sess. 8. & est 30. in ordine. — *Excommunicatio Papæ, vel cujuscunque Prælati non est timenda, quia est censura Antichristi: est Wicleff.* lib. 5. num. 4. pag. 42.

Damnata in Trid. sess. 23. de Sacram. Ord. Can. 8. — *Episcopi, qui authoritate Romani Pontificis assumuntur, non sunt legitimi, & veri Episcopi, sed figmentum humanum.* lib. 6. num. 1. pag. 64.

Damnata in Concil. Constan. sess. 8. & 15. & est 32. in ordine. — *Ditare Clerum est contrà regulam Christi: est Joan. Wicleff. & Joannis Husz.* lib. 6. num. 22. pag. 66.

Damnata in Concil. Const. sess. 8. & est 36. in ordine. — *Papa cum omnibus Clericis suis possessionem habentibus sunt hæretici, eò quòd possessiones habent, & consentientes eis, omnes videlicet Domini sæculares, & cæteri Laici: est Joan. Wicleff.* lib. 6. num. 22. pag. 66.

Damnata in Concil. Trid. sess. 24. Can. 6. — *Matrimonium ratum, non consummatum per solemnem Religionis professionem alterius conjugum non dirimitur.* lib. 6. num. 23. pag. 85.

Damnata in Concil. Vienn. & est 2. in ordine. — *Jejunare non oportet hominem, nec orare, postquàm gradum perfectionis hujusmodi fuerit assecutus: Fuit error Beguardorum, & Beguinarum:* lib. 6. num. 5. pag. 88.

Damnata ab Alex. VII. & est 31. in ordine. — *Excusantur absolutè à præcepto jejunij omnes illi, qui iter agunt equitando, utcumque iter agant, etiamsi iter necessarium non sit, & etiam si iter unius diei conficiant.* lib. 6. num. 19. pag. 89.

Damnata ab Alex. VII. & est 30. in ordine.

Omnes Officiales, qui pro Reipub. corporaliter laborant, sunt excusati ab obligatione jejunij; nec debent se certificare, an labor sit compatibilis cum jejunio. lib. 6. num. 25. pag. 89.

Damnata in Concil. Trid. sess. 23. Can. 6.

In Ecclesia Catholica non est Hierarchia divinâ ordinatione instituta, quæ constat ex Episcopis, Presbyteris, & Ministris. lib. 6. num. 15. pag. 96.

Damnata in Concil. Const. sess. 15. & est 15. in ordine.

Obedientia Ecclesiastica est obedientia secundùm adinventionem Sacerdotum Ecclesiæ præter expressam authoritatem Scripturæ: est Io. Hutz. lib. 6. num. 24. pag. 97.

Damnata in Concil. Const. sess. 8. & est 16. in ordine.

Domini temporales possunt ad arbitrium suum auferre bona temporalia ab Ecclesia, possessionatis habitualiter delinquentibus; idest ex habitu, non solùm actu delinquentibus: est Io. Wicleff. lib. 6. num. 2. pag. 97.

Damnata ab Innoc. XI. & est 3. in ordine.

Ivoti di far qualche cosa sono impeditivi della perfettione: est Michaelis Molinos. lib. 6. num. 9. pag. 101. & 102.

Damnata in Concil. Const. sess. 15. in ordine 19.

Per censuras Ecclesiasticas, excommunicationis, suspensionis, & interdicti, ad sui exaltationem Clerus populum laicalem sibi suppeditat, avaritiam multiplicat, malitiam protegit, & viam præparat Antichristo, &c. est Ioannis Hutz. lib. 6. num. 18. pag. 117.

Damnata à Leone X. Const. 40. *Exurge*; in ordine 19.

Indulgentia his, qui veraciter eas consequuntur, non valent ad remissionem pœnæ pro peccatis actualibus debitæ apud Divinam Justitiam: est Lutheri. lib. 6. num. 3. pag. 121.

Damnata in Concil. Const. sess. 8. in ordine 42.

Fatuum est credere indulgentiis Papæ, & Episcoporum: est Ioannis Wicleff. lib. 6. num. 30. pag. 123.

Damnata à Leone X. Const. 40. in ordine 22.

Sex generibus hominum indulgentiæ, nec sunt necessariæ, nec utiles, videlicet Mortuis, seu morituris, infirmis, legitimè impeditis, his, qui non commiserunt crimina, his, qui crimina commiserunt, sed non publica, his, qui meliora operantur: est Lutheri. lib. 6. num. 30. pag. 123.

Damnata ab Alex. VII. in ordine 37.

Indulgentia concessa Regularibus, & revocatæ à Paulo V. hodiè sunt revalidatæ. lib. 6. num. 31. pag. 123. & 124.

Damnata in Concil. Nicæno II. & Trid. sess. 25. de invocat. vener. &c.

Sanctorum Cæli Civium Imagines non sunt venerandæ: est Iconomachorum. lib. 6. num. 32. pag. 131.

Damnata In Concil. Trid. sess. 6. Can. 18. & ab Innoc. X. Const. *Cum occasione*: in ordine damnatarum 1.

Aliqua DEI præcepta hominibus justis volentibus, & conantibus secundùm præsentes, quas habent vires, sunt ad observandum impossibilia; deest quoquè illis Gratia, qua possibilia fiant: est, post alios, Cornelij Jansenij. lib. 7. num. 1. pag. 135.

Damnata in Concil. Trid. sess. 14. Can. 10.

Non soli Sacerdotes sunt Ministri absolutionis; sed omnibus, & singulis Christi fidelibus dictum est: Quæcunque ligaveritis super terram, erunt ligata & in Cælo: & quæcunque, &c. lib. 7. num. 6. pag. 142.

Damnata ab Alex. VII. in ordine 12.

Mendicantes possunt absolvere à casibus Episcopis reservatis, non obtentâ ad id Episcoporum facultate. lib. 7. num. 8. pag. 142.

Damnata ab Alex. VIII. in ordine 2.

Peccatum philosophicum, seu morale, est actus humanus disconveniens naturæ rationali, & rectæ rationi. Theologicum verò, & mortale est transgressio libera divinæ legis. Philosophicum quantumvis grave in illo, qui Deum vel ignorat, vel de DEO actu non cogitat, est grave peccatum, sed non offensa DEI, nequè peccatum mortale dissolvens amicitiam DEI, nequè æternâ pœnâ dignum. lib. 7. num. 18. pag. 145.

Damnata in Concil. Trid. sess. 14. Cap. 5. & Can. 7.

In Sacramento pœnitentiæ ad remissionem peccatorum, necessarium


	rium non est jure divino confiteri omnia, & singula peccata mortalia, quorum memoria, &c. lib. 7. num. 1. pag. 164.
Damnata in Concil. Trid. sess. 14. Can. 6.	*Modus secretè confitendi soli Sacerdoti alienus est ab institutione, & mandato Christi.* lib. 7. num. 1. pag. 164.
Damnata ab Alex. VII. & est 11. in ordine.	*Peccata in confessione omissa, seu oblita ob instans periculum vitæ, aut ob aliam causam, non tenemur in sequenti confessione exprimere.* lib. 7. num. 16. pag. 165.
Damnata in Concil. Trid. sess. 14. C. n. 8.	*Confessio omnium peccatorum, qualem Ecclesia servat, est impossibilis, &c.* lib. 7. num. 18. pag. 165.
Damnata à B. Pio V. Const. *Ex omnibus*: & est 20. in ordine damnatarum.	*Nullum est peccatum ex natura sua veniale, sed omne peccatum meretur pœnam æternam.* lib. 7. num. 4. pag. 183.
Damnata ab Inn. XI. & est 31. in ordine.	*Regulariter occidere possum furem pro conservatione unius aurei.* lib. 7. num. 25. pag. 184.
Damnata ab Inn. XI. & est 38. in ordine.	*Non tenetur quis sub pœna peccati mortalis restituere quod ablatum est per pauca furta, quantumcumque sit magna summa totalis.* lib. 7. num. 27. pag. 184.
Damnata in Concil. Const. sess. 8. & est 30. in ordine.	*Excommunicatio Papæ, vel cujuscunque Prælati non est timenda, quia est censura Antichristi: est Io. Wicleffi.* lib. 7. num. 5. pag. 185.
Damnata in Conc. Const. sess. 8. & est 21. in ordine.	*Si aliquis ingreditur Religionem privatam qualemcumque, tam possessionatorum, quàm Mendicantium, redditur ineptior, & inhabilior ad observationem mandatorum Dei: est Io. Wicleff.* lib. 7. num. 26. pag. 188.
Damnata in Conc. Const. sess. 8. & est 22. in ordine.	*Sancti instituentes Religiones privatas sic instituendo peccaverunt: est Io. Wicleff.* lib. 7. num. 26. in fin. pag. 188.
Damnata in Conc. Const. sess. 8. & est 23. in ordine.	*Religiosi viventes in Religionibus privatis non sunt de Religione Christiana: est Io. Wicleff.* lib. 7. num. 26. in fin. pag. 188. & 189.
Damnata ab Inn. XI. & est 32. in ordine.	*Non solùm licitum est defendere defensione occisiva, quæ actu possidemus, sed etiam ad quæ jus inchoatum habemus, & quæ nos possessuros speramus.* lib. 8. num. 27. pag. 215.
Damnata in Concil. Later. IV. sub. Inn. III. Cap. 53.	*Licitum est aliis personis nostra prædia excolenda committere ad evitandam solutionem decimarum, quæ solvi debent Ecclesiæ.* lib. 8. num. 30. pag. 232.
Damnata in Conc. Const. sess. 8. & est 18. in ordine.	*Decimæ sunt puræ eleemosynæ, & possunt Parochiani propter peccata suorum Prælatorum, ad libitum suum eas transferre: est Ioannis Wicleff.* lib. 8. num. 33. pag. 232.
Damnata ab Innoc. XI. & est 48. in ordine.	*Tam clarum videtur fornicationem secundùm se nullam involvere malitiam, & solùm esse malam, quia interdicta, ut contrarium omninò rationi dissonum videatur.* lib. 8. num. 1. pag. 256.
Damnata in Concil. Later. III. sub Alex. III.	*Urente carnis libidine, omnem carnalem commixtionem licitam esse: est Valdens.* lib. 8. num. 22 pag. 258.
Damnata in Concil. Vienn. sub Clem. V.	*Actus autem carnalis; cùm ad hoc natura inclinet, peccatum non est; maximè cùm tentatur exercens: est Beguardorum, & Beguinarum.* lib. 8. num. 22. pag. 258.
Damnata in Conc. Const. sess. 8. & est 35. in ordine.	*Ingredientes Religionem, aut aliquem Ordinem eò ipso inhabiles sunt ad observanda divina præcepta, & per consequens ad perveniendum ad Regnum Cælorum, nisi apostataverint ab eisdem: est Io. Wicleff.* lib. 8. num. 31. pag. 262.
Damnata à Leone X. & est 27. in ordine.	*Certum est in manu Ecclesiæ, aut Papæ prorsùs non esse statuere articulos fidei: imò nec leges morum, seu bonorum operum: est Lutheri.* M. num. 3. pag. 271.

Tabula variarum Propositionum.

Damnata in Conc. Conft. feff. 8. & eft 29. in ordine.	*Univerfitates, Studia, Collegia, Graduationes, & Magifteria in eifdem, funt vanâ gentilitate introducta, & tantum profunt Ecclefia, ficut diabolus, eft Wicleff.* M. num. 4. pag. 271. & 272.
Damnata in Conc. Conft. feff. 8. in ordine 33.	*Silvefter Papa, & Conftantinus Imperator erraverunt Ecclefiam dotando: eft Wicleff.* M. num. 12. in fin. pag. 283.
Damnata in Conc. Conft. feff. 8. in ordine 33.	*Imperator, & Domini faculares funt feducti à diabolo, ut Ecclefiam dotarent bonis temporalibus: eft Wicleff.* M. num. 12. pag. 283.
Damnata ab Innoc. XI. & eft in ordine 37.	*Famuli, & Famula domeftica poffunt occultè heris fuis furripere ad compenfandam operam fuam, quam majorem judicant falario, quod recipiunt.* M. num. 28. pag. 293.
Damnata ab Innoc. XI. & eft in ordine, 52.	*Praceptum fervandi Fefta non obligat fub mortali, fepofito fcandalo, fi abfit contemptus.* M. num. 1. pag. 322.
Damnata ab Innoc. XI. & eft in ordine 53.	*Satisfacit pracepto Ecclefia de audiendo Sacro, qui duas ejus partes, immò quatuor fimul à diverfis Celebrantibus audit.* M. num. 27. pag. 324.
Damnata à B. Pio V. & Gregor. XIII. & eft 25. in ordine.	*Omnia opera infidelium funt peccata: eft Michaelis Bay.* M. num. 7. pag. 327.
Damnata in Conc. Conft. feff. 8. & eft 4. in ordine.	*Si Epifcopus, vel Sacerdos exiftat in peccato mortali, non ordinat, non confecrat, non conficit, non baptizat: eft Wicleffi.* M. num. 15. pag. 334.



INDEX





INDEX
RERUM, ET VERBORUM,
Quæ in hoc ſecundo Tomo continentur,
LOCUPLETISSIMUS.

Primus numerus deſignat Librum. Secundus eſt marginalis. Tertius indicat paginam. Adjicitur aliquando litera F. & non rarò litera M. hac Mantiſſam, illa verò Fragmenta oſtendit.

Anni

Bel-

Coa-

Dona-

Exemptio, & Exempti.

Explorare, & Exploratores.

Extrahere.

F.

Fabritius.

Fama.

Famulus.

Farina.

Fautoria.

Ferdinandus.

Ferrum.

Festa.

Feudum, & Feudatarius.

D.

Dona-

Jaro-

I.

in-

Militia.

Mi-

N.

Præ-

Privilegium, & Privilegiatus.

Re-

tus

F I N I S.



